1 51 4 13
11871

Non c'è

NAZIONALE
B. BIBLIOTECA CENTRALE V. E. II
118
51 F
13
ROMA

23
F.
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

23.1.73.
23
G
13
23
G
9

8-51-F-13

Digitized by Google

Digitized by Google

Bibliothecæ Collegii Romani Soc. Jesu

PANOPLIA
CLERICALIS,
SEV
DE CLERICORVM TONSVRA ET HABITV:
EORVMQVE RECTA INSTITVTIONE, ET CANONICA DISCIPLINA

LIBRI XV.

ANDREÆ DV SAVSSAY, *S. Sed. Apoſt. Protonotarij: Regis Conſiliarij & Concionatoris ordinarij, necnon Illuſtriſſ. D. Archiep. Pariſienſis Officialis & Vicarij Generalis ſtudio & labore contexti.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ PARISIORVM,

Sumptibus { SEBASTIANI CRAMOISY, Architypographi Regis & Reginæ regentis: ET GABRIELIS CRAMOISY. } viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XLIX.

Cum Priuilegio Regis, & Theologorum Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO DOMINO

ABBATI
DE RICHELIEV

ANDREAS DV SAVSSAY ἀθανασίαν precatur.

DISCIPLINAM CLERICALEM, *ad primas militiæ Eccleſiaſticæ, nunquam ſatis laudatas leges, his Opuſculis expenſam & deſcriptam, tuo conſpectui ſubiicio,* ABBAS ILLVSTRISSIME: *quæ etiamſi non deferrem, iam ab ortu ſuo ire ad te ambiebant. Horum ſiquidem argumentum totum te ſpectat. Quem enim magis tractare aut ſcire hoc deceat, quàm ſummæ nobilitatis adoleſcentem, iam militiæ Clericalis tyrocinio adſcriptum, titulis Eccleſiaſticis illuſtribus inſignitum, in ipſóque iuuentutis flore, ad ſacræ huius profeſſionis faſtigia properantem? Non defuerunt, fateor, è prima Galliæ nobilitate, qui meditationi meæ ſeſe vltrò offerrent, pleriſque nominibus conſpicui, Clericalis huius exer-*

citationis Tyrones. Verùm tu vnus præ omnibus occurriſti, in quo ſe tota cogitatio mea ſiſteret, haud minùs gratô, quàm legitimô delectu.

Inprimis ſiquidem id quicquid eſt munuſculi, me debere immortali memoriæ cenſui ARMANDI EMINENTISSIMI CARDINALIS DVCIS DE RICHELIEV, *propatrui tui: Heroïs, inquam, illius incomparabilis, cui Gallicum Imperium gloriæ & amplitudinis ſuæ vindicias meritò acceptas refert, æternúmque debebit. Is etenim in vtramque florentiſſimi huius regni ſalutem, operam & vires, diuináſque animi dotes, vitam denique ipſam generosè contulit, & vix adhuc dimidiâ ætate functus, in hac tam ardua, quàm ſtrenua, prorſúſque admirabili rerum adminiſtratione, lubens voléńſque profudit. At verò abiit, non obiit, vir ille maximus; quamuis enim diſceſſerit corpore, æternùm inclyti nominis ſplendore, magnarúmque virtutum memoriâ viuit: quam ſiue animis, ſeu marmoribus, vel codicibus inſcriptam, etiamnum ipſi hoſtes ſuſpiciunt, æmuli laudant, omnes cultu ſpontaneô venerantur. Quantùm coluerim eius nomen dum mortalis erat, patenti monimento ſunt* FASTI NOSTRI GALLICI, AREOPAGITICÆ VINDICIÆ, *iámque ex parte edita* Myſticorum Franciæ ſcriptorum Elogia: *quæ ei, in perenne venerationis & obſeruantiæ pignus, vltrò conſecraui. Pati at verò non potui, vt poſtquàm ex hac labili exceſſit luce, mei*

Digitized by Google

in eius memoriæ cultum, affectûs ſignificatio aliquatenus intercideret. De his igitur militiæ ſacræ nuper à me conſcriptis Commentariis, publicam proferendis in lucem, cùm ſeriò cogitarem, oculos in Te conieci, chariſſimum tanti viri pronepotem, in quo eum reducem, & Heroïcâ ipsâ indole rediuiuum, non ſine aliqua mentis oblectatione ſuſpexi: ratus hæc, quæ ideò tibi defero litterarij mei laboris munuſcula, piis eius Manibus nuncupari.

Acceſſit huic propenſioni meæ, affinis obſeruantiæ ac venerationis affectus. Cùm magnus hic Heros ad ſuperos abiret, te tutelæ chariſſimæ ſuæ neptis, illuſtriſſimæ amitæ tuæ Dominæ DVCISSÆ D'AIGVILLON, *ſuprema voluntate commiſit. O te felicem! cui orbato tanti propatrui præſidio, ipſius ex delectu atque dictamine, tanta obtigit Tutelaris: in qua is ipſe tanquam in viua ſui imagine, totâ mente & animô ſpirat. Sexu dumtaxat hæc illi inferior, non impar virtute. Tametſi de ipſa, pari iure, quod de Principia, alia ſuæ ætatis Heroïde, S. Hieronymus, memorabili elogio dudùm dixit, prædicari poſſit: talem ac tantam eſſe, vt non ſit meritò* QVOD SVI SEXVS POENITEAT. *Fœmina fortis & ſapiens, cuius inuicta virtus, ſingulariſque prudentia veſtram domum ſuffulcit,* RICHELLEÍQVE *nominis etiamnum ſuſtentat decus, ius tuetur, auget in dies felicitatem. Geſtit animus hîc in eius laudes tantiſper exſpatiari: verùm impares*

mei ſunt ingenij vires tantæ virtutis commendationi. At auſpicatò cedit, quòd maximus hic Eccleſiæ Doctor, Chriſtianarúmque Heroïdûm perdignus encomiaſtes, graphicè hanc olim, ſub alia perſona, depinxiſſe videatur: Quid in illa (*inquit*) virtutum, quid ingenij, quid puritatis inuenerim, vereor dicere. Nihil tamen in ea laudabo, niſi quod proprium eſt. In facie eius ſic elucet pudicitia, vt cùm continentiam indicet, non redoleat oſtentationem. Sermo ſilens, & ſilentium loquens. Nec citus, nec tardus inceſſus. Idem ſemper habitus. Cultus ſine cultu. ſolâ vitæ ſuæ æqualitate promeruit, vt in vrbe pompæ, laſciuiæ, deliciarum, in qua humilem eſſe miſeria eſt, & boni eam prædicent, & mali detrahere non audeant; viduæ imitentur & Virgines, maritatæ colant, noxiæ timeant, ſuſpiciant Sacerdotes. Nihil illius ſeueritate iucundius. Nihil iucunditate ſeuerius. Nihil ſuauitate triſtius, nihil triſtitiâ ſuauius. *Difficile eſt aulæ comitatem, Chriſtianâ modeſtiâ temperare. Hæc rarô virtutis artificio inſignem, quæ ipſi innata videtur, morum comitatem, ſingulari animi modeſtiâ, quam ipſo vultu & habitu ſpirat, contemperauit. Rara eſt formæ & pudicitiæ concordia. Hæc in ipſa florenti ætate, eximium corporis decorem, cum inſignis caſtimoniæ cultu, ſummóque ſtudio pietatis, illibatum cuſtodiuit. Menſuram eius*

charitas non habet, quæ etiam extra Europæ limites erumpit, nouum inuadit orbem, nec vllis locorum terminis ſe ſiſtit. Manum ſuam miſit ad fortia, mentem ad ſublimia ſemper attollit. Huic præſentia ſunt in vſu, æterna in deſiderio. Excelſi animi fœmina, adeò tamen humilis, vt cùm omnium meritò in ſe rapiat admirationem: nihil tamen magis quàm veris laudibus ſuis grauetur. Denique vt in auro cæterorum metallorum dotes, & præcipuæ virtutes poteſtate reperiuntur, ſic in illa non ſine ſuperno munere coniunctum fuit, quidquid ferè in aliis per partes ſuſpicimus: cúmque ſingulis vix cuiquam egregium eſſe raro contingat, hæc ſic excellere videtur in omnibus, vt ſi illam cum cæteris conferas, longè præcurrat ſingulis: ſin eandem ſecum componas, in nullis præemineat; tanta eſt in ea rerum omnium ſummarum coniunctio & temperatura. Diuinô igitur planè nutu & munere tibi contigit, ſub tantæ Tutelaris præſidio, amitæque tui amantiſſimæ diſciplina, committi: cuius perenni curâ & ſollicitudine, in omni pietatis officio, ſolidæque eruditionis theorematis, & ſublimium virtutum exercitationibus educatus ac excultus, in virenti ætate mirô hoc decore flores, quem tanta cum exſpectatione omnes in Te ſuſpiciunt & mirantur. Quæ fauſta feliciáque auſpicia, cui ſecundùm Deum accepta referas, niſi huic ſoli Illuſtriſſimæ Heroinæ, quæ te aſſiduis curis, monitis, exemplis, hactenus fouit, mouit, exco-

luit, eſt quod meritiſſimo iure agnoſcas, ſummóque omnes conſenſu fateantur. Tam benigni beneficique ſyderis intuitu, mentis ideò aciem lubens in Te conuerti. Cùm enim illi magna debeam: meum vtcumque debitum exſolutum iri arbitratus ſum, ſi grati erga eam animi ſignificationem, palam facerem, huius qualiſcumque munuſculi, quod Tibi offero chariſſimo ſuo nepoti, conſecratione.

Cæterùm vt hoc tibi opus dedicarem, propria inſuper quibus effulges, ABBAS PERILLVSTRIS, *lumina incitabant. Traxiſti à Maioribus tuis nobilitatem generis, à litteris ingenij tui nobilitatem accepiſti. Heroïcæ virtutis inſignia, quæ iam conſpicua profers, tam à domeſticis exemplis, quàm innatà propenſione, ſed potiſſimùm ſupernæ gratiæ influxu, mutuàſti. Nam* DEO *præmonſtrante viam, & Eminentiſſimo* CARDINALE LVGDVNENSI, *altero propatruo tuo, tantà ſanctitatis gloriâ (qua etiamnum orbem Chriſtianum illuſtrat) feliciter prælucente, ſtadij quod capeſſis, curſum difficilem certè & immenſum; at vera aſſiduáque virtute calcandum & ſuperandum aggreſſus, in eo totis animi & corporis viribus, ſic contendis & properas: vt alios ferè in ipſo aditu anhelantes, non ſolùm ſuperes validiore progreſſu, at etiam aurâ lenitatis tuæ eoſdem reficere & recreare videaris. Maius certè quiddam eſt, quàm imperiti ſuſpicentur, curſum rectum in vndoſo illo mari tenere, & in ſumma iuuentute & fortuna,*

non abripi licentiæ ventis, quàm multis virtutibus opus eſt, quibus velut anchoris, hæc nauis firmetur? Quàm validâ prudentiâ, quâ velut clauô, gubernetur? Ideo, meritò laudandi Sapientes, quibus olim & nunc hæc cura, vt ſalutarium monitorum face, natis ad magna viris munera, prælucerent. Te verò, qui vt nouum illuxiſti ſydus, vocârunt ipſa incunabula ad res magnas. Tene tantùm hunc curſum quem cœpiſti. Erigere, flos eximie iuuenum, & magnis virtutibus, auge tuorum de te conceptam ſpem, omnium expectationem. Exempla tibi adſunt domeſtica excelſæ virtutis & gloriæ; ſtirpem tuam video & animum: & quid niſi altum & magnificum illo concipis, iámque factis promis, eximia certè, & te non ſolùm Clerico, ſed magno etiam Præſule digna? Si ſpectemus naturæ dotes, quibus te, ipſa, copiosâ manu inſigniuit, ſpecies in facie lucet digna imperio: cui amorem ſimul & reuerentiam ſpectantium, conciliat ingenuus ille candor, eximia illa modeſtia, quæ ipſis in oculis eluceſcit. Non fruſtrà Viri Doctiſſimi dicunt, naturam ipſam magnis mentibus domicilia corporum digna metari, & ex vultu hominis & decore membrorum colligi poſſe, quantus illa cæleſtis ſpiritus intrârit habitator. Ita Te cùm adeuntes vident, admirantur & diligunt; vix quiſpiam in colloquium tecum venit, quin protinus mira affabilitate, comitate, & gratia qua polles, capiatur; ſtupent qui ſuſpiciunt in hac ætate vixdum

adoleſcenti, tantam morum maturitatem, tantum acumen ingenij, tantum iudicij pondus, tantam memoriæ (quâ fere ſine labore quæcumque vis, comprehendis) vbertatem & felicitatem. Omnis ætas docuit humanitatis artibus & optimarum ſcientiarum diſciplinis, potiſſimùm cultu aſſiduo virtutis, excelſa ingenia ad ſumma quæque præparari: vſu verò non recenti compertum, RICHELEÆ GENTI *eſſe proprium, nonniſi magna, & Reipublicæ Chriſtianæ, Regnóque huic præſertim, profutura, primis ab annis meditari. Hæc tua genuina animi propenſio, ad ſublimes notiones aſpirare, ſolertíque ſcientiarum delectu, quæ profeſſioni tuæ conducunt, aditum tibi aperire ad congrua tibi profeſſionis faſtigium. Nec admodùm monitore indiges, qui impellat. Etenim ſponte tua in hoc ſtadio curris, abſque vllo enixu vel tædio: quin promptè, expeditè, nec ſine oblectamento ad deſtinata ſtudia progrederis. Scitè priſci dixerunt Sapientes, honorem haud debere rei præclaræ eſſe mercedem, ſed ſignum eſſe, ſolidas permanendi res in poſterum; alit enim honor, bonas curas & virtutes. Qui te familiariter nôrunt, altè tibi animo inſitum, quod ore perſæpe promis, prædicant, hoc totius honeſtatis principium: Satius eſſe quamlibet iacturam pati, quàm rem vllam quæ famæ & æſtimationi tantillum dedecus pariat, admiſſum ire, melius enim eſſe mori, quàm turpiter viuere. Et rectè quidem: potior enim eſt bonis dignitas*

ſine vita, quàm vita ſine dignitate. Cordatè igitur & ſapienter hæc tuis præcordiis axiomata, fere à puero, infixiſti, quæ quanti ſint ponderis ad Heroïcæ virtutis obſirmanda ſtudia, nemo neſcit. At longè maioris eſt momenti feruens & viuidus ille pietatis, quam ſuper omnia colis, affectus. Habet certè ſuos impetus pietas, (omnium virtutum parens) nec cuiuſpiam inſidere menti poteſt, quin ſui ardoris ſcintillas expromat & eiaculetur. Tu verò, ABBAS ILLVSTRISSIME, *quantos in dies cæleſtis huius virtutis emittis igniculos, è pectoris eâ incenſi fomite, te nouit nemo qui confeſtim non aduertat & fateatur. Hinc paſſim à te prodeunt pia de Deo voces, paténtque puri primariíque de Religione ſenſus, odium peccati, conſcientiæ cura, Sacramentorum deuotus & haud infrequens vſus, ſerius Diuinæ Maieſtatis timor & reuerentia, ſumma in Dei bonitate fiducia; præcordialis erga quoſvis inopes & afflictos commiſerationis affectus, ingens illos iuuandi ardor, hiſque ferendi ſolatij ingenioſæ artes, quas velut apis argumentoſa, ex piiſſimis illuſtriſſimæ amitæ exemplis delibaſti. Ex quo militiæ ſacræ aſcriptus es, Te ei vnicè deuinxiſti. Penſum diurnum ſacrarum precationum Diuinæ Maieſtati, diebus ſingulis ſummâ obſeruantiâ & humilitate perſoluiſti. Nec quidquam eſt, quod magis contendas, quàm profeſſionis tuæ ſingulos numeros adimplere. Hæc tua potiora vota ſunt, hæc ſtudia, hæc tua ſub initium lumina:*

maiora ſed verò in dies ſe produnt, quibus etiam inſigniora deinceps expectantur. In te ſiquidem (haud inani prudentium præſenſione atque augurio) habitura ſperatur Eccleſia alterum doctrinæ & pietatis columen; Regnum, fidum & ſapientem Conſiliarium; Sedes Apoſtolica, Cardinalem; Clerus, defenſorem; Populi, Patrem; Mæcenatem, Docti: hæreſis at verò, tandem extremo ſuo exitio, flagellum & malleum expertura. Creſce igitur & adoleſce florentiſſime iuuenis, donec arboris illius præcelſa, cuius in locum ſuccreſcis, cacumen exæquaueris. Exhibe in te aliquando, quem iam patentibus mentis igniculis, & vultûs lineamentis in te reducem ſuſpicimus, planè rediuiuum, incomparabilem illum Cardinalem, neque antea pariare fortuna tecum deſinat, quàm eius purpuram reddat, vnáque decus nominis, virtutis laudem, & famæ æternitatem.

Interim, cui (obſecro) æquiùs ſacrandum erat hoc ſuauium florum Eccleſiaſtici germinis viridarium, quàm flori totius Nobilitatis, Cleríque Chriſtianiſſimæ Eccleſiæ magno effulgenti ſyderi? Non alteri certè, quàm NOVO NEPOTIANO, PANOPLIA CLERICALIS, *liber de ſtatu & diſciplina Clericorum, Sancto Hieronymo iudice, inſcribi debuit. Vtinam ipſo auctore! Verùm, vt ipſe ait, Grandes materias ingenia parua non ſuſtinent, & in ipſo conatu vltra vires auſa ſuccumbunt, quantóque*

maius fuerit quod dicendum eſt, tantò magis obruitur, qui magnitudinem rerum verbis non poteſt explicare. Mihi certè in animo fuit ideam perfecti Clerici (quam in te non informi deſignatione adumbratam cernimus) ſuis abſolutam numeris exprimere. Ex Scriptura, ex Patribus, ex Synodis, ex Pontificiis canonibus, ex ſelectis quibuſque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monimentis, omnigenáque doctrina tam ſacra quàm humana, contextum ire tam arduum opus aggreſſus ſum. Si animo defuerunt vires, ignoſci poſtulo, & hunc laborem ſtudiô mei cultûs, magis quàm ſuo pretio æſtimari. Erit aliquando, votis DEO *fauente, vt tua humanitate meus recreatus animus, ſublimiora affectet, atque te maioribus clarum virtutum progreſſibus & dignitatum titulis, ampliori fortaſſis munere proſequatur. Hac ſpe ſubnixus libros hos quindecim mei ingenij fetus, benignitati tuæ gratulabundus offero, rudes & impolitos quidem, at fidos meæ in te obſeruantiæ teſtes, itidémque ſanctioris diſciplinæ Clericalis interpretes, quibus plena pietatis conſilia, & Eccleſiaſticæ eruditionis documenta ſuggerantur. His (oro) inſtructus, vt cœpiſti, progredere; iámque militiæ Clericalis nouas acceſſiones, ſignis tuis illuſtra.*

ſVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliiſ-ve locis eius ditioni ſubiectis, librum, qui ſic inſcribitur*, Panoplia Clericalis, ſeu de Clericorum tonſura & habitu: eorúmque recta inſtitutione, & Canonica diſciplina: Libri XV. ANDREÆ DV SAVSSAY, S. Sed. Apoſt. Protonotarij: Regis Conſiliarij & Concionatoris ordinarij, &c. ſtudio & labore contexti. *abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ Regentis, permiſſu, typis excudat, aut diuendat, intra decem annos proximos à die publicationis horum exemplarium. qui ſecùs fecerit, multâ indictâ, prout in diplomate regio continetur, multabitur. Datum apud Sanctum Germanum in Layâ die* 30. *Octobris anno* 1648. *Sic ſignatum, mandato Regis,* CRAMOISY.

APPROBATIO DOCTORVM.

VTRAMQVE *partem* PANOPLIÆ CLERICALIS *viri præſtantiſsimi, ac inter Eccleſiaſticos huius aui Scriptores Clariſsimi,* D. ANDREÆ DV SAVSSAY *Pariſini, S. R. E. Protonotarij I. V. Doctoris, nec non Officialis Pariſienſis ac Vicarij generalis, &c. Nos infrà ſcripti in Sacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Doctores legimus, probauimus, laudauimus, vt quæ nihil contra fidem probóſque mores contineat: ſed plurima quæ ex Theologicis fontibus ac multiplici Antiquitatum lectione, mira ingenij fecunditate, vberíque ſermonis facundiâ ſic concinnata ſunt; vt Eccleſiæ doctrinam illuſtrent, heterodoxorum dicteria refellant, Clericos minores ac maiores inſtruant, eorum dignitatem ac priuilegia tueantur, ac virtutes eorum ſtatui congruas demonſtrent. In cuius rei fidem ſubſcripſimus die* 6. *Ianuarij* 1649.

TALON. CHARTON. BAIL.
DV VAL. DE SAINCTEBEVFVE.

Digitized by Google

PRÆLOCVTIO
AD LECTOREM.

POST Panopliam Epiſcopalem, è prælo emiſſam (ERVDITE LECTOR) ſtatueram mentem & manum ab omni alio conatu auocare, quàm commentariis meis & notationibus tandem proferendis in Martyrologium Gallicanum: pertæſus ſcilicet longioris moræ ac diuturnioris expectationis piorum eruditorúmque virorum qui me aſſiduis precibus & monitis, ſoluendi tandem aliquando promiſſi, quo me ab ipſius Martyrologij primo è typis exitu obſtrinxeram, vndique interpellant. Verùm remoram eorum votis, cœptíſque meis aliorum pia quàm iuſta magis, hac adhuc vice, iniecit flagitatio. Subiungendam enim eſſe continuo nexu Epiſcopali Panopliæ, Clericalem & Sacerdotalem: ſine quibus, opus integrum & abſolutum, cenſeri non poſſe, arbitrabantur. Epiſcopatum enim quamuis apicem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Sacerdotiô niti, ſine quo per ſe non conſtat: abſque Clericatu verò Sacerdotium deficere. ſublato ſcilicet ſuo fulcimento & ornatu. Neque enim fieri poſſe, vt quis ſit Sacerdos, qui non ſit Clericus, vel bonus Sacerdos vllus euadat demum, qui Clericalis diſciplinæ leges & inſtituta neſciat, tyrociniúmque haud exegerit, eo quo par eſt ſtudiô ac operâ, huius militiæ. Magnus vir ſcripſit non ita diu, nihil eſſe quod magis ſiſtat aut remoretur iuuentutem, quàm priſcæ militiæ ignorantiam. Ita quidem vſu obſeruatum, Sacerdotij dedecora, ordiníſque Eccleſiaſtici lapſus, ex inſcitia prodiiſſe diſciplinæ Clericalis. Quam profectò ſi exactè noſſent, ſeruaréntque ordinis noſtri tyrones; è veſtigio futurum vt priſtinum decus Eccleſia ſenſim reciperet: diſciplinæ ſcilicet obſeruantiam, morum cenſuram, cuſtodiam canonum, nitorem ſacrorum rituum, ſanctarúmque artium & ſcientiarum peritiam. Tanti fateor, momenti fuit apud me illa ſuggeſtio, vt reiectis in tempus magis opportunum ceterorum operum cogitationibus: animum in Panopliæ huius Clericalis conſtructionem totum inflexerim: quam & contextu faciliorem, & vberiorem fructu, citiùs profu-

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

CAVTVM *eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliiſ-ue locis eius ditioni ſubiectis, librum, qui ſic inſcribitur*, Panoplia Clericalis, ſeu de Clericorum tonſura & habitu: eorúmque recta inſtitutione, & Canonica Diſciplina: Libri XV. ANDREÆ DV SAVSSAY, S. Sed. Apoſt. Protonotarij: Regis Conſiliarij & Concionatoris ordinarij, &c. ſtudio & labore contexti. *abſque Sebaſtiani Cramoiſy Architypographi Regis & Reginæ Regentis, permiſſu, typis excudat, aut diuendat, intra decem annos proximos à die publicationis horum exemplarium. qui ſecùs fecerit, multâ indictâ, prout in diplomate regio continetur, multabitur. Datum apud Sanctum Germanum in Layâ die* 30. *Octobris anno* 1648. *Sic ſignatum, mandato Regis*, CRAMOISY.

APPROBATIO DOCTORVM.

VTRAMQVE *partem* PANOPLIÆ CLERICALIS *viri præſtantiſſimi, ac inter Eccleſiaſticos huius æui Scriptores Clariſſimi*, D. ANDREÆ DV SAVSSAY *Pariſini, S. R. E. Protonotarij I. V. Doctoris, nec non Officialis Pariſienſis ac Vicarij generalis, &c. Nos infrà ſcripti in Sacra Theologia Facultate Pariſienſi Doctores legimus, probauimus, laudauimus, vt quæ nihil contra fidem probóſque mores contineat: ſed plurima quæ ex Theologicis fontibus ac multiplici Antiquitatum lectione, mira ingenij fecunditate, vberíque ſermonis facundiâ ſic concinnata ſunt; vt Eccleſiæ doctrinam illuſtrent, heterodoxorum dicteria refellant, Clericos minores ac maiores inſtruant, eorum dignitatem ac priuilegia tueantur, ac virtutes eorum ſtatui congruas demonſtrent. In cuius rei fidem ſubſcripſimus die* 6. *Ianuarij* 1649.

TALON. CHARTON. BAIL.
DV VAL. DE SAINCTEBEVFVE.

PRÆLOCVTIO
AD LECTOREM.

POST Panopliam Epiſcopalem, è prælo emiſſam (ERVDITE LECTOR) ſtatueram mentem & manum ab omni alio conatu auocare, quàm commentariis meis & notationibus tandem proferendis in Martyrologium Gallicanum: pertæſus ſcilicet longioris moræ ac diuturnioris expectationis piorum eruditorúmque virorum qui me aſſiduis precibus & monitis, ſoluendi tandem aliquando promiſſi, quo me ab ipſius Martyrologij primo è typis exitu obſtrinxeram, vndique interpellant. Verùm remoram eorum votis, cœptíſque meis aliorum pia quàm iuſta magis, hac adhuc vice, iniecit flagitatio. Subiungendam enim eſſe continuo nexu Epiſcopali Panopliæ, Clericalem & Sacerdotalem: ſine quibus, opus integrum & abſolutum, cenſeri non poſſe, arbitrabantur. Epiſcopatum enim quamuis apicem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Sacerdotiô niti, ſine quo per ſe non conſtat: abſque Clericatu verò Sacerdotium deficere. ſublato ſcilicet ſuo fulcimento & ornatu. Neque enim fieri poſſe, vt quis ſit Sacerdos, qui non ſit Clericus, vel bonus Sacerdos vllus euadat demum, qui Clericalis diſciplinæ leges & inſtituta neſciat, tyrociniúmque haud exegerit, eo quo par eſt ſtudiô ac operâ, huius militiæ. Magnus vir ſcripſit non ita diu, nihil eſſe quod magis ſiſtat aut remoretur iuuentutem, quàm priſcæ militiæ ignorantiam. Ita quidem vſu obſeruatum, Sacerdotij dedecora, ordiníſque Eccleſiaſtici lapſus, ex inſcitia prodiiſſe diſciplinæ Clericalis. Quam profectò ſi exactè noſſent, ſeruaréntque ordinis noſtri tyrones; è veſtigio futurum vt priſtinum decus Eccleſia ſenſim reciperet: diſciplinæ ſcilicet obſeruantiam, morum cenſuram, cuſtodiam canonum, nitorem ſacrorum rituum, ſanctarúmque artium & ſcientiarum peritiam. Tanti fateor, momenti fuit apud me illa ſuggeſtio, vt reiectis in tempus magis opportunum ceterorum operum cogitationibus: animum in Panopliæ huius Clericalis conſtructionem totum inflexerim: quam & contextu faciliorem, & vberiorem fructu, citiùs profu-

Digitized by Google

turo, fore intelligebam. Ceterùm quid in ea concinnanda pertulerim laboris inter tot onera quæ me premunt vndique, feréque obruunt; quídve præſtiterim Eccleſiaſtico ordini, mea hac ope ſubſidij, ſequens huius operis ſynopſis, vel leui titulorum perluſtratione protinus indicabit: tota verò texturæ ſeries, ſi attentiùs conſideretur, palam cuique faciet, quanta pij affectûs inſtantiâ prodeſſe vniuerſo ordini Clericali, hac mea lucubratione contenderim. Quamobrem hîc prolixiori monitu præfari, haud fore cenſui operæprecium. Certè ſi intentum aliqua ex parte fuero aſſecutus: Deo Opt. Max. à quo omnis ſcientiæ lumen donúmque dimanat, quicquid demum fuerit, in hoc qualicumque opere boni, velut ad natiuum rei principium, cum ingenti, ſed condigno numquam, gratitudinis fœnore referendum vltrò profiteor ac exopto. Si verò quid ſequius per oſcitantiam ignorantiámque, à me admiſſum fuerit: (vt pleraque incautiùs, excidiſſe mihi non dubito) veniâ me, candide Lector, pro tua benignitate, dignaberis. Tametſi rigidiùs ſi mecum agendum eſſe decreueris, nec id illubenter patiar. Si quid igitur carpere velis, corrige: ſi ſupplendum quicquam cenſueris, ſuggere. Ego ſanè vtroque affectu tuo vtar in vnum finem, & diſcendi, & emendandi. Nec propterea deſpondebo animum, at potiùs augebo, fiduciâ proſperioris ſucceſſus. Erunt ſiquidem Te monitore (ſicut vetus habet adagium) *feliciores curæ ſecundæ*, & quos etiamnum parturio, commentariorum fœtus, emaculatiores, & vegetiores, vt ſpero.

PANO-

PANOPLIÆ CLERICALIS SYNOPSIS.

PARS PRIOR.

Quæ eſt de Tonſura Clericali.

LIBER I.

De Origine & antiquitate, perpetuóque in Eccleſia vſu Tonſuræ Clericalis.

CAPVT I. *Qvid ſit Tonſura Clericalis, & ad quid inſtituta?* pag. 3.

CAP. II. *Quid ſentiant de Tonſura Clericali, eiúſque origine, Nouatores.* pag. 7.

CAP. III. *Ab Apoſtolis Tonſuram Clericalem originem ducere.* 9.

CAP. IV. *Decretum S. Anniceti Papæ & Martyris, de tonſura Clericali vindicatur.* 12.

CAP. V. *Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes, inter ipſas perſecutiones & martyria, Tonſuram geſsiſſe Clericalem.* 16.

CAP. VI. *Moris fuiſſe apud Ethnicos, Eccleſiæ perſecutores, in deriſionem tam Domini paßionis, quàm Clericalis tonſuræ, cruentis coronamentis Martyres ſacri Ordinis plectere.* 20.

CAP. VII. *Poſt Ethnicarum ſæuitiarum procellas, pace Eccleſiæ datâ, diſciplinam comæ detondendæ, & coronæ Clericalis palàm gerendæ, diſtrictiùs exactam, atque obſeruantiùs cuſtoditam, tandémque inuiolabili more ſtabilitam.* 21.

CAP. VIII. *Leges & exempla huius ſacri ritus à tempore Syluestri I. vſque ad Leonem Magnum.* 24.

CAP. IX. *A tempore Leonis Magni, ad Beati Gregorij ætatem.* 31.

CAP. X. *A beati Gregorij Pontificatu, ad vſque Nicolai I. qui Magni quoque promeruit cognomen, præſulatum.* 36.

CAP. XI. *A Nicolao I. ad Gregorium VII.* 47.

CAP. XII. *A Gregorio VII. ad Innocentium III.* 49.

CAP. XIII. *Ab Innocentio III. ad Martinum V. anno* 1417. *electum in Concilio Conſtantienſi.* 54.

CAP. XIV. *A Martino V. ad Sixtum V.* 57.

CONSTITVTIO *SS. D. N. Sixti Papæ V. de habitu & Tonſura Clericorum, & militum, Eccleſiaſtica beneficia poßidentium.* 61.

CAP. XV. *A Sixto V. vſque ad Vrbanum VIII.* 64.

LIBER II.

De Traditionis Tonſuræ Clericalis certa notitia.

PRÆMONITIVNCVLA. 67.

ĩ

CAP. I. DE traditionum ſacrarum multiplici differentia. ib.
§. 1. De Traditionibus diuinis, ſeu Dominicis. 68.
§. 2. De traditionibus Apoſtolicis. 69.
§. 3. De Eccleſiaſticis traditionibus. 70.
§. 4. De traditionum alio diſcrimine deſumpto ab ipſa materia. 71.
§. 5. De alia differentia Traditionum, ſumpta ex conſideratione loci & temporis. 72.
CAP. II. Diſquiſitio, cuius gradûs, aut ſpeciei ſit traditio Tonſuræ Clericalis, an ſimplex Eccleſiaſtica? 75.
CAP. III. Apoſtolicam eſſe traditionem ex præfixis principiis colligitur. 78.
CAP. IV. Quo obiectiones diſcutiuntur ac diluuntur, quibus Nouatores hanc traditionem impugnant. 79.
Argumentum 1. Ductum ex locis ſacræ Scripturæ: cum propriis ad ſingulas auctoritates reſponſionibus. ibid.
2. Argument. Elicitum ex vmbratili defectu internæ proprietatis genuinæ traditionis Apoſtolicæ. 83.
Reſponſio. ibid. &c.
3. Argument. Tractum ex Can. 7. q. 1. c. 12. 84.
Solutio. ibid. &c.
4. Argument. Ex alio prætenſo defectu proprij characteris veræ traditionis Apoſtolicæ: quæ ſcilicet eſſe debeat ſemper eadem, & ſuo principio conformis. 85.
Reſponſio. ibid. &c.
5. Argument. Ex leuitate materiæ, in qua traditionem Apoſtolicam conſtituere non deceat. 86.
Reſponſio. 87.
6. Argument. Ex imbecillitate teſtimoniorum, quæ deſumpta ſunt ex Sanctorum vitis & paſsionibus. 89.
Reſponſio triplex. ibid.
Digreſſiuncula de Hiſtoriæ Sanctorum auctoritate; & actorum eorumdem legitimo delectu. 90.
Regulæ excluſiuæ quinque. 94.
Regulæ poſitiuæ, ſeu incluſiuæ totidē. 97.

LIBER III.

Quo diſſeritur de Tonſuræ forma, modo & figura, moralique ac myſtico ſignificatu.

CAPVT I. DE Tonſuræ diuerſitate. 103.
CAP. II. De forma & modo Tonſuræ Clericalis, eiuſdémque circulari figura. 110.
CAP. III. Significationes cùm morales, tum myſticæ explicantur Tonſuræ Clericalis. 121.
Digreſſiuncula. Num Chriſtus fuerit decaluatus ante crucifixionem? 127.
Alia Digreſſiuncula. An Chriſtus cum corona ſpinea fuerit crucifixus? 129.

LIBER IV.

De Conferente Tonſuram Clericalem.

CAP. I. NVM quis ſibimet poſſit Tonſuram Clericalem conferre? 145.
CAP. II. Epiſcopi proprium ius eſſe, ſuis conferre Diœceſanis Tonſuram Clericalem. 148.
CAP. III. De Abbatibus. An ius habeant ſpeciale quibuſdam conferendi Tonſuram Clericalem? & vnde qui hac prærogatiuâ pollent, eam ſint conſecuti? 150.
CAP. IV. Presbyteris, præſertim Parœcis, ex priſco iure moréque Eccleſiæ fuiſſe quondam licitum, conferre Parœcianis ſuis, vel alumnis Tonſuram, & eos cooptare in Clerum, quorum operâ & ſubſidio indigebant ad ſui oneris ſolatium. 155.
CAP. V. Quo iure Cardinalibus competat Tonſuram conferre Clericalem? & an omnes hac auctoritate potian-

tur, omnibúſque eam, ſi placet, teſſeram Eccleſiaſticæ militiæ cuiuſvis Diœceſeos oriundis impertiri? 163.

CAP. VI. *De impedimentis iuris reſpectu conferentis; Et de eiuſdem morali diſpoſitione.* 168.

LIBER V.

De ſacris Tonſuræ conferendæ Ritibus.

CAP. I. DE *variis Pontificalium formulis.* p. 178.

CAP. II. *De Examine.* 180.

CAP. III. *De habitu.* 184.

CAP. IV. *De modo Tonſionis.* 188.

CAP. V. *De ſuperlicij, ſeu ſuperpellicei impoſitione.* 191.

LIBER VI.

De ſuſcipiente Tonſuram Clericalem: necnon diſpoſitionibus negatiuis, ſeu remouentibus obices, in eo requiſitis.

PARS I. huius libri.

De impedimentis, ſexum & ætatem ſpectantibus.

CAP. I. DE *muliebris ſexûs imperfectione, ex Theologis & Patribus; ac Ciuili & Canonica diſciplinâ.* 200.

CAP. II. *An datô quòd mulier ſit ordinationis incapax: habilis ſit nihilominus ad Tonſurâ Cleric. ſuſcipiendam.* 206.

CAP. III. *De ætate legitima ad Tonſuram ſuſcipiendam.* 214.

PARS II. huius libri.

De aliis obicibus, qui præpediunt Tõſuræ Clericalis ſuſceptionem; ſeu Canonicis impedimentis, quibus ad eam præcluditur aditus.

CAP. I. DE *impedimento ex rationis & intentionis defectu, tam in infantibus, quàm in adultis qui vſus rationis ſunt expertes, ſiue amentes ſint, ſiue ſomno impediti.* 221.

§. 1. *De Infantibus.* ibid.

§. 2. *De Amentibus.* 229.

§. 3. *De Dormientibus.* 231.

CAP. II. *Quoſdam aſſignans corporis defectus, per quos à Clericatu & Tonſura, qui iis affecti ſunt, de iure communi excluduntur.* ibid.

§. 1. *Illegitimi.* ibid.

§. 2. *Inſigniter deformes, & corpore vitiati, ac mutilati.* 233.

§. 3. *Energumeni.* 238.

§. 4. *Morbo caduco laborantes.* 239.

§. 5. *Digami.* 240.

CAP. III. *Impedimenta referens ad animum ſpectantia, quæ nimirum profluunt ex ſpontaneis defectibus, vel ex malis moribus oriuntur. Arcentur autem hoc titulo à Clericalis conſeſſûs venerandis veſtibulis.* 245.

§. 1. *Heretici.* ibid.

Sanctiſsimi Patris & D. N. Clementis Papæ VIII. memorabilis Conſtitutio. De Clericis, graſſante hæreſi Lutherana, ſeueriùs conſtringendis. 250.

Digreſſiuncula. *An Tonſura poſſit iterari?* 253.

§. 2. *De fide ſuſpectis.* ibid.

§. 3. *Scelerati.* 255.

§. 4. *Illiterati.* 258.

LIBER VII.

De diſpoſitionibus poſitiuis, ſeu perficientibus ſuſcipientem.

PRÆFATIVNCVLA. 266.

PARS I. huius libri.

De diſpoſitionibus extrinſecis paſſiuis.

CAP. I. DE *cura parentum, vt puer quem Clero deſi-*

gnant, conuenienter huic fini præparetur. 267.

CAP. II. *Epiſcopi etiam eſſe partes, à Deo flagitare ſollicitatione aſſiduâ, vt tyrunculos Clericalis militiæ, ſui cultûs amantes, & miniſterij cupidos, Eccleſiæque vtiles excitare velit.* 274.

Digreſſiuncula *de ſeminariis.* 276.

§. 1. *Seminaria iuxta Tridentini Concilij decretum, in quavis Diœceſi inſtitui debent.* 280.

Leges ſeminarij cuiuſque Diœceſani, inſtituendi ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Ex Conſtitutionibus in Conuentu Archiepiſcoporum, Abbatum, Decanorum, Archidiaconorum, & aliorum Eccleſiaſtici ſtatus Galliarum Regni, Meloduni habito, menſe Septemb. an. 1579. 281.

De admittendis & dimittendis. cap. 1. ibid.

De iis quæ ad pietatem ſpectant. cap. 2. 282.

De iis quæ ad obedientiam pertinent. cap. 3. 283.

De iis quæ ad modeſtiam. cap. 4. 284.

De iis quæ ad ſtudia. cap. 5. 285.

De iis qui ſeminarij negotiis ſpiritualibus & litterariis, ac etiam temporaneis præerunt. cap. 6. ibid.

De rebus temporaneis. cap. 7. 286.

CAP. III. *Intereſſe etiam Parœci, ſedulam curam impendere, vt pueri qui Clero adſcribendi ſunt, congruâ inſtructione præparentur.* 287.

CAP. IV. *De Magiſtrorum Scholæ & Præceptorum officio, circa pueros initiandos Tonſura Clericali.* 292.

Ex decretis Prouincialis Concilij Burdegalenſis, anno 1624. celebratis, cap. 1. à Sect. 5. ad 9. ibid.

PARS II. huius libri VII.

De diſpoſitionibus intrinſecis & actiuis.

ANTILOQVIVM. 296.

CAP. I. *De internis diſpoſitionibus quibus Clericalis profeſſionis Candidatus ad Clericalem perfectionem inſtruitur.* 299.

Articulus 1. *De intentione amplectendæ seriò Eccleſiaſticæ profeſſionis; ſeſeque Deo in perpetuæ ſeruitutis obſequium dedicandi.* ibid.

Artic. 2. *De Deuotione.* 301.

Artic. 3. *De Oratione.* 304.

Artic. 4. *De Caſtitate.* 306.

Artic. 5. *De Humilitate.* 311.

Artic. 6. *De Modeſtia.* 315.

Artic. 7. *De Sobrietate.* 317.

Artic. 8. *De Pace & Concordia.* 320.

Art. 9. *De Charitate & Patientia.* 322.

Artic. 10. *Zelus animarum.* 325.

Artic. 11. *Zelus propriæ ſalutis.* 331.

Artic. 12. *Zelus honoris Dei, iuriſque & decori Eccleſiæ.* 334.

Artic. 13. *De zeli moderatione, & recto vſu.* 349.

CAP. II. *De externis & actiuis ſuſcipientis diſpoſitionibus.* 353.

Artic. 1. *De ſtudio litterarum humanarum.* ibid.

Artic. 2. *De ſcientia Eccleſiaſtica, præſertim verò ſtudio ſacrarum litterarum, & piorum librorum lectione.* 359.

Index Piorum libellorum. 374.

LIBER VIII.

Complectens Exercitia Pietatis

PRÆMONITIVNCVLA. 377.

CAP. I. *Seu primus Exercitationis in ſtudio pietatis gradus, vilis ſui æſtimatio.* 379.

CAP. II. *Seu 2. gradus, Meditatio*

mortis. 383.

CAP. III. *Seu 3. gradus, Mortificatio carnis.* 387.

CAP. IV. *Seu 4 gradus, Paßionum animi moderatio.* 395.

CAP. V. *Seu 5. gradus, frequens Confeßionis & Communionis vſus.* 402.

CAP. VI. *Seu 6. gradus, Auditio & Meditatio verbi Dei, interiùs exteriùſque loquentis.* 413.

I. *Quis docet?* 416.

II. *Quoſnam docet?* 417.

III. *Quid docet?* 419.

IV. *Ad quid?* ibid.

V. *Quomodo docet?* 420.

CAP. VII. *Seu 7. gradus, Catecheſis Chriſtiana.* 430.

OPERIS PARS ALTERA.

Quæ eſt de Habitu Clericali.

LIBER I.

In quo de modeſtia habitûs in genere; Clericorúmque à Laïcis ipſo in habitu diſtinctione, iam olim in Eccleſia Dei obſeruata diſſeritur.

CAP. I. CHRISTVS *perfectæ in omnibus virtutis, ac ſignatim modeſtiæ, in externo etiam habitu obſeruandæ Doctor ac Archetypus fuit.* 443.

CAP. II. *Apoſtoli modeſtiam in habitu ſummoperè fidelibus commendârunt; ſed maximè Clericis, quos morum ſanctimoniâ & habitûs moderatione à Laïcis diſtingui, ab iiſque ſuſcipi voluerunt.* 445.

CAP. III. *Apoſtolicos viros, florentéſque in martyriis primos Eccleſiæ Doctores, Ignatium, Polycarpum, Iuſtinum, Athenagoram, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Origenem; eandem ſedulò diſciplinam coluiſſe, ſeruaríque monuiſſe.* 449.

CAP. IV. *Sanctorum Patrum, qui poſt ethnicas perſecutiones ſuperatas in Eccleſia fulſerunt eadem de re monita & exempla; item canonicæ ſanctiones editę in Synodis, vel à Pont. emanatæ.* 461.

§. 1. *Sæculum IV. quod excurrit ab anno* 300. *ad* 400. ibid.

§. 2. *Sæculum V. ab an.* 400. *ad* 500. 467

§. 3. *Sæcul. VI. ab an.* 500. *ad* 600. 470.

§. 4. *Sæc. VII. ab an.* 600. *ad* 700 472.

§. 5 *Sæculum VIII. ab an.* 700. *ad* 800. 473.

§ 6. *Sæc. IX. ab an.* 800. *ad* 900. 474.

§. 7. *Sæcul. X. ab an.* 900. *ad* 1000. ib.

§. 8. *Sæculum XI. ab anno* 1000. *ad* 1100. 475.

§. 9. *Sæculum XII. ab anno* 1100. *ad* 1200. 480.

§. 10. *Sæculum XIII. ab an.* 1200. *ad* 1300. 485.

§. 11. *Sæculum XIV. ab anno* 1300. *ad* 1400. 491.

§ 12. *Sæculum XV. ab anno* 1400. *ad* 1500. 494.

§. 13. *Sæculum XVI. ab anno* 1500. *ad* 1600. 499.

LIBER II.

Quo de eiuſdem materia diſſeritur.

CAP. I. MATERIA *in veſtibus, quàm maximè attendatur?* 510.

CAP. II. *Quemadmodum viris Eccleſiaſticis linum: ita extra ſacra lanam vſitatam iam olim fuiſſe in priuato habitu.* 512.

CAP. III. *Laneæ veſtis moralitates.* 514.

CAP. IV. *De ſerico & bombyce, vel bombycino.* 517.

CAP. V. *Sericum quodvis conſtanti Eccleſiæ lege vetitum Clericis, ipſiſque etiam Prælatis in priuato & ordinario habitu.* 519.

CAP. VI. *Tametſi ſericum Eccleſiaſticis fuerit tot legibus canonicis prohibitum in priuato habitu: licitè tamen & decēter admitti poſſe in ſacro ornatu.* 522.

LIBER III.

Quo de habitûs Clericalis formâ tractatur.

CAP. I. CLERICI *priuatam etiam veſtem talarem eſſe debere.* 526.

CAP. II. *A militari habitu & ſpiritu Clerici prohibentur.* 528.

CAP. III. *Arceri quoque Clericum ab omni Laïcorum habitus commercio.* 531.

CAP. IV. *Modum figurámque veſtium, quibus Laïci gloriantur, Clericis prohiberi.* 533.

LIBER IV.

Qui eſt de Colore habitûs Clericalis.

PARS I. huius libri.

De Colorum vſu, & delectu in veſtibus, ornamentis, & ritibus Eccleſiaſticis.

CAPVT I. D*E Colore in genere.* 536.

CAP. II. *Romanam Rempublicam iamdudum de colorum præſtantiâ contendiſſe, in hácque certâſſe acies colore diſtinctas; quorum propria ſingulis ineſt ſignificatio.* 539.

CAP. III. *Eccleſiam tam militantem, quàm triumphantem colorum varietatibus oblectari; quo ſub lemmate perpulchra exhibetur Romani Imperij cum Eccleſia Romana collatio, & huius cum ſuperna comparatio.* 541.

CAP. IV. *Colores ornatûs Eccleſiæ triumphantis, gemmis & pretioſis lapidibus inſitos eſſe: militantis inhærere floribus.* 545.

Articulus 1. *De gemmis & coloribus Eccleſiæ triumphantis.* 546.

Articulus 2. *De floribus & coloribus Eccleſiæ militantis.* 554.

CAP. V. *In ritibus, ornamentis & veſtibus ſacris, Eccleſiam Catholicam diuerſis coloribus vti, non ſine myſtica ratione.* 564.

CAP. VI. *Eccleſiam Romanam in ſacris ritibus & officiis, miniſtrorúmque diuini muneris veſtibus, non omnibus promiſcuè coloribus conſueuiſſe vti; at quinque dumtaxat ſelegiſſe: nempe Album, Rubeum, Viridem, Violaceum, & Nigrum: præter quos, alios vſurpare non licet, ex myſticorum theorematum præſcripto.* 571.

Artic. 1. *De albo ſeu candido colore.* ib.

§. 1. *De ipſo candore, & eius myſteriis.* ibid.

§. 2. *De albi, ſeu candidi coloris vſu in ritibus, ornamentis, & veſtibus Eccleſiaſticis.* 574.

Artic. 2. *De rubeo colore.* 585.

§. 1. *De ipſo colore & eius arcanis.* ibid.

§. 2. *De vſu Eccleſiaſtico rubei coloris, tam in habitu quàm ornatu.* 591.

Sectio 1. *De rubeo habitu Romani Pontificis, & Legatorum ac Cardinalium.* ibid.

Sectio 2. *De rubro adhibendo colore in ſacris officiis, & paramentis Eccleſiaſticis.* 594.

Artic. 3. *De viridi colore.* 599.

§. 1. *De coloris huius tam naturali, quàm myſtica excellentia.* ibid.

§. 2. *De vſu viridis coloris in Eccleſiæ officiis, ac Clericorum miniſterio, & ornatu.* 601.

Artic. 4. *De colore violaceo.* 602.

§. 1. *De dignitate huius coloris tam naturali quàm myſticâ.* ibid.

§. 2. *De vſu Eccleſiaſtico violacei coloris, tam in ſacris ritibus, quàm veſtibus, iuxta morem Romanum.* 605.

Articulus 5. *De colore nigro.* 608.

§. 1. *De ipſius coloris affectibus, & arcanis.* ibid.

§. 2. *De vſu nigri coloris in ritibus Eccleſiæ.* 611.

PARS II. huius libri.

De Colore quo vti licet Clericis in habitu priuato.

Caput I. *An albo vti liceat?* 612.

Cap. II. *An rubeo?* 615.

Cap. III. *Vel viridi?* 617.

Cap. IV. *Num violaceo?* 618.

Articulus 1. *Vbi de colore veſtis Chriſti paucula quidem, at notatu digna ſuggeruntur.* ibid.

Artic. 2. *Num competat Clericis quibuſque color violaceus?* 622.

Cap. V. *An nigro?*

Artic. 1. *Nigrum colorem, etſi quondam inuſitatum Clericis, tandem nihilominus ipſis, non ſolùm inductione nouæ conſuetudinis: at etiam recentioris iuris Eccleſiaſtici auctoritate, appropriatum.* 625.

Artic. 2. *De nigredinis Eccleſiaſticæ myſtica moralique ſignificatione: & quando Clericus color niger ſtabili vſu contigit?* 629.

LIBER V.

Qui eſt de partibus priuati habitûs Clericalis.

Præfativncvla. 633.

Cap. I. *De pileo, capello, & galericulo: obitérque de bireto & ſubbireto, ſiue ſubreticulo.* 635.

Cap. II. *De collari amictu.* 639.

Cap. III. *De tunica talari.* 640.

Cap. IV. *De zona.* 644.

Cap. V. *De pallio Iudaïco, vulgari, Philoſophico & Clericali.* 647.

Cap. VI. *De caligis & calceis.* 652.

LIBER VI.

Qui eſt de Clericalis habitûs conſtanti vſu & geſtatione; eiuſdémque iuribus & honoribus.

PARS I. huius libri.

De conſtanti vſu & geſtatione habitûs Clericalis.

Cap. I. *Vocationem ad Clericatum eſſe donum Dei.* 655.

Cap. II. *Dona Dei ex parte principij irreuocabilia eſſe: rectè ſiquidem iis vtenti à Deo non auferri, nec minui, ſed augeri.* 659.

Cap. III. *Clericatum eſſe ſtatum.* 661.

Cap. IV. *Teſſeram militiæ Eccleſiaſticæ, Tonſuram ſcilicet, & habitum Clericalem, dari ab Eccleſia initiandis per modum rei permanentis: quamobrem ab huius profeſſionis Candidatis rectè ſuſcipi non poſſe, niſi cum pacto interpretatiuo perſeuerandi in ipſo Clericali ſtatu.* 663.

Cap. V. *Canonibus præcipi conſtantem vt Tonſuræ, ſic habitûs Clericalis vſum.* 665.

Cap. VI. *Pleriſque priuilegiorum titulis ac honoribus Clericos inſigniri Clericaliter viuentes, & Tonſuram perferentes ac habitum, tam ſacro quàm ciuili iure.* ibid.

PARS II. huius libri VI.

De Iuribus & honoribus Clericorum deferentium cum Tonſura decenti, habitum Clericalem. 667.

Cap. I. *Sacri iuris referens Syntagmata, de Clericorum*

priuilegiis. ibid.

AXIOMA 1. *Clerici ab omnibus honorandi, adeo vt excommunicatione plectendi ſint eorum contemptores, vel irriſores.* ibid.

§. 1. *Ex Concilio Dalmatico, cap. 5. ſub Innocentio III.* ibid.

§. 2. *Ex Canonibus Apoſtolorum, c. 56.* ibid.

AXIOMA 2. *Clericorum percuſſores anathemate feriuntur.* 668.

§ 1. *Ex decretis Eugenij II. Papæ, c. 8.* ibid.

§. 2. *Ex præſignato Concilio Dalmatico, c. 5.* ibid.

§. 3. *Ex Concilio Lateranenſi, ſub Innocentio Papa, II. can. 15.* ibid.

§. 4. *Ex Concilio Viennenſi, ſub Clemente IV. can. 5* 669.

§. 5. *Ex Concilio Triburienſi, ſub Formoſo Papa. can 20.* ibid.

AXIOMA 3. *Clericatûs ingreſſu amouetur ſeruitus.*

§ 1. *Ex Toletano IX. Concilio, ſub Vitaliano Pontifice, can. 11.* ibid.

AXIOMA 4. *Ab omni publica actione, atque labore Clerici ſunt immunes; itémque à laicis exactionibus & oneribus.* 671.

§. 1. *Ex Concilio IV. Toletano, ſub Honorio I. Papa, can. 47.* ibid.

§. 2. *Ex titulo de Cenſibus 21. lib. 3. Decret. in 6. cap. 4.* ibid.

§. 3. *Ex Concilio Oecumenico Tridentino ſeſſ. 25. can. 20.* 672.

AXIOMA 5. *Clerici ipſo Clericatu capaces efficiuntur beneficij Eccleſiaſtici, ſine quo ſignaculo Eccleſiaſticæ militiæ, nemo beneficio nedum poſsidendo, at nec obtinendo idoneus eſſe poteſt.* 673.

AXIOMA 6. *Clericos gaudere priuilegio fori, à proprio Epiſcopo iudicandos eſſe, nec poſſe etiam de crimine coram ſæculari iudice conueniri.* 674.

Sectio 1.

§. 1. *Ex Pontificali Romano, in fine ordinis, de Clerico faciendo.* 674.

Sectio 2. *Ex Canonico Iure.*

§. 2. *Cauſa 11. q. 1. can. 1.* ibid.

§. 3. *Ibid. can. 2.* ibid.

§. 4. *Ibid. can. 3.* ibid.

§. 5. *Ibid. can. 5.* ibid.

§. 6. *Ibid. can. 12.* ibid.

§. 7. *Ibid. can. ſeq. idem de iiſdem ad Criſpinum & Sabinum Epiſcopos: narratá ipſorum Clericorum conquerentium expoſtulatione.* 675.

§. 8. *Ibid. can. 15. ex reſcripto Pelagij Papæ ad Benegeſtum defenſorem.*

§. 9. *Idem ſequenti can.* ibid.

§. 10. *Ibid. can. 32.* ibid.

§. 11. *Ibid. can. 33.* ibid.

§. 12. *Ibidem, canone 43.* ibid.

§. 13. *Ibidem, canone 45.* ibid.

§. 14. *Ibidem, can. 49. ex Cap. Hadriani Papæ, n. 40.*

§. 15. *Ex Tit. de iudiciis, qui primus eſt lib. 2. Decret. apud Gregor. ex reſcripto Lucij III. ad Archiepiſc. Strigonenſem.* 676.

§. 16. *Eodem tit. paulò ante citatum cap.* aliquid eſt æquè notabile, *feriæ 4. ex reſcripto Alexandri III. ad Archiep. Salernitanum, tenore ſequenti.*

§. 17. *Ex tit. de foro competenti, qui eſt lib. 2. apud Gregor. cap. 2.* ibid.

§. 18. *Ibidem cap. 12. ex reſcripto Innocentij III. ad Archiep. Piſanum.* ib.

§. 19. *Ex eodem Iure Canonico, tit. de Clericis coniugatis c. vnico in 6.* 677.

§. 20. *Ex Conciliis.* ibid.

Sectio 1. *Ex Concilio Niceno can. 42. eorum quos ex Arabico tranſtulit in Latinum Franciſcus Turianus.* ibid.

Sectio 2. *Can. 78. de lapſis Sacerdotibus & Clericis.* ibid.

Sectio 3. *Ex Synodo Romana ſub Sylueſtro canone 14.* ibid.

Sectio 4. *Ex Concilio IV. Carthaginenſi, can. 45.* 678.

Digitized by Google

Sectio 5. *Ex Concilio I. Toletano, vt citatur apud Burchardum lib. 1. cap. 28. & Iuonem, pag. 6. cap. 129. ſub Anaſtaſio I.* ibid.
Sectio 6. *Ex Concilio Mileuitano, vt ab Innocentio III. citatur in cap.* ſi diligenti. *Extrauag.* de foro compet. *& refertur in cod. Iuris canonici* 11. q. 1. c. 42. *Porrò totidem verbis recitatur in Concil. III. Toletano. c.* 13. ibid.
Sectio 7. *Ex Concilio Africano ſub Caleſtino I. Pontif. can.* 71. *qui extat etiam in Concil. Mileuit. can.* 29. 679.
Sectio 8. *Ex Oecumenica Synodo Chalcedonenſi can.* 8. ibid.
Sectio 9. *Ex Concilio Aurelianenſi II. ſub Leone I. can.* 31. ibid.
Sectio 10. *Ex Concilio Andegauenſi, ſub Leone I. can.* 1. ibid.
Sectio 11. *Ex Concilio II. Vaſenſi, ſub eodem Leone, can.* 5. ibid.
Sectio 12. *Ex Concilio Venetico, ſub Hilario Papa, can.* 9. ibid.
Sectio 13. *Ex Concilio I. Matiſconenſi, ſub Pelagio II. Pontifice, can.* 7. ibid.
Sectio 14. *can.* 8.
Sectio 15. *Ex Concilio Matiſconenſi, ſub eodem Pelagio II. Clotario II. Francorum Rege, can.* 9. 680.
Sectio 16. *Ex eodem Concilio, can.* 10.
Sectio 17. *Ex Concilio Agathenſi, ſub Symmacho Papa, can.* [illegible] ibid.
Sectio 18. *Ex* [illegible]*relianenſi Concilio III. ſub Silu*[illegible] *Papa, & Childeberto Rege, ca*[illegible]. ibid.
Sectio 19. *Ex Concilio Moguntiaco, ſub Carolo Magno, can.* 22. 681.
Sectio 20. *can.* 24. ibid.
Sectio 21. *can.* 31. ibid.
Sectio 22. *Ex Concilio Meldenſi, ſub Carolo Caluo; vt poſſit Epiſcopus inuocare auxilium brachij ſecularis, c.* 71. ibid.
Sectio 23. *Ex Capitulis ab Heraldo Turonenſi Metropolita, anno* 858. *excerptis ex corpore ſanctorum Canonum, cap.* 6. ibid.
Sectio 25. *cap.* 8. 682.
Sectio 26. *Ex Canonibus collectis ab Iſaac Epiſcopo Lingonenſi, tit.* 11. *cap.* 22. ibid.
Sectio 27. *Ex Canonibus datis ſub Edgaro Rege Angliæ, anno* 967. *c.* 7. ibid.
Sectio 28. *Ex Concilio, quod generale dicunt, Enhamenſi, ſub Ætheraldo, Angliæ Rege, anno* 1009. *celebrato; can.* 9. ibid.
Sectio 29. *Ex Concilio Coyacenſi in Hiſpania habito, an.* 1050. *ſub Leone IX. Summo Pontifice, & Ferdinando Rege Caſtellæ, can.* 3. ibid.
Sectio 30. *Ex Concilio Romano, habito ſub Nicolao Papa, an.* 1059. *can.* 10. ibid.
Sectio 31. *Ex conſtitutionibus, quas Legati Sedis Apoſtolicæ Mediolanenſibus obſeruandas præſcripſerunt, ſub Pontificatu Alexandri II. an. D.* 1067. ibid.
Sectio 31. *Ex Concilio Rhemenſi, cui præfuit Eugenius III. an.* 1148. *c.* 5. 683.
Sectio 32. *Ex Concilio Lateran*[illegible] *III. ſub Alexandro III. Pontifice celebrato an.* 1179. *can.* 19. ibid.
Sectio 33. *In Appendice præfati Concilij Lateranenſis, ſub tit. de depoſitione Clericorum, & de diſpenſatione circa eoſdem facta, cap.* 3. ibid.
Sectio 34. *Ex Concilio Dalmatico, ſub Innocentio III. an.* 1199. *c.* 5. 684.
Sectio 35. *Ex Conc. Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. an.* 1215. *c.* 7. ib.
Sectio 36. *can.* 42. ibid.
Sectio 37. *can.* 44. ibid.
Sectio 38. *Ex Concilio Oxonienſi, in Anglia habito an.* 1222. *Honorio III. ſedente, capitul.* 1. ibid.

Sectio 39. *Ex Concilio Viennenſi in Auſtria, ſub Guidone Cardinale & Legato Clementis Papa IV. an.* 1267. *Canone* 4. 685.
Sectio 40. *Ex Can.* 4. ibid.
Sectio 41. *Ex Concilio Oecumenico Lugdunenſi II. ſub Gregorio Papa X. celebrato, an.* 1274. *can.* 25. *cuius titulus eſt*, De Eccleſiarum immunitate. ibid.
Sectio 42. *can.* 31. & 32. De ſententia excommunicationis. 686.
Sectio 43. *Ex Concilio Saltzburgenſi, ſub Gregorio X. an.* 1274 *can.* 22. ib.
Sectio 44. *Ex Concil. Saltzburgenſi habito an.* 1281. *Martino Papa II. ſedente, can.* 13. 14. 15. 16. ibid.
Sectio 45. *Ex Concilio Herbipolenſi, ſub Honorio IV. an.* 1287. *can.* 36. ibid.
Sectio 47. *Ex Concilio Rauenatenſi IV. ſub Joanne XX. Papa, an.* 1317. *habito, Can. ſeu Rubricâ* 18 687.
Sectio 48. *Ex Concilio Gallicano, Pariſiis acto tempore Ioannis Papa XXII. ſcilicet an.* 1329. *Philippo Valeſio Rege Francorum.* ibid.
Sectio 49. *Ex Concilio Saltzburgenſi, ſub Martino V. an. D.* 1420. *habito, can.* 35. ibid.
Sectio 50. *can.* 55. ibid.
Sectio 51. *can.* 56. 688.
Sectio 52. *can.* 57. ibid.
Sectio 53. *can.* 58. ibid.
Sectio 54. *Ex Concilio Friburgenſi, ſub Eugenio IV. an.* 1440. *can.* 3. ib.
Sectio 55. *Ex C. Trid. & Syn. Prou.* ib.
CAP. II. *Syntagmata Iuris Ciuilis & Regiorum pragmaticorum referens, de Clericorum priuilegiis.* 691.
Syntagma I. *Ex Cæſarum legibus.*
§. 1. *Reſcriptum Conſtantini Magni ad Anelinum Africæ Proconſulem, ab Euſebio recitatum lib.* 10. *c.* 7. *Hiſt. Eccleſ. quo Clericos eximi iubet ab omnibus publicis muneribus.* 692.
Inſignis eiuſdem declaratio, de Sacroſancta Epiſcoporum iudiciali poteſtate: indignóque Donatiſtarum auſu, qui ab Epiſcopali conſeſſu ad ipſum Imperatorem appellauerant, an. 313. ibid.
§. 2. *Theodoſij Auguſti & Valentiniani Cæſaris, vt priuilegia Eccleſiis ſeruentur, & Clerici ad ſæculares iudices non trahantur, Conſtitutio directa ad Armatium virum illuſtrem præfectum Prætorio Galliarum, an. Chriſti* 425. *Extat Cod. Theod. de Ep. Eccleſiis & Clericis, lib.* 47. 693.
§. 3. *Arcadij, Theodoſij, & Valentiniani Augg. Sanctio pro Clericis.* 694.
§. 4. *Iuſtiniani Imperatoris.* ibid.
Syntagma II. *Ex Regum Chriſtianiſſimorum ſanctionibus.*
§. 1. *Ex Clodouæi Regis epiſtola ad Epiſcopos ſcripta, poſt bellum Gothicum, de captiuis Clericis Epiſcoporum arbitriô & teſtimoniô relaxandis: quin & laïcis etiam ad eorum petitionem dimittendis: necnon de Eccleſiarum & ſacrarum eis perſonarum immunitate & tutela, anno* 507. 697.
Immunitas data à Clodouæo Rege Clericis & bonis Eccleſiaſticis, quæ ipſe regali munificentiâ & Chriſtiana pietate ſacris locis contulerat. Ex Concilio Aurelianenſi I. can. 5. 698.
§. 2. *Ex Childeberti I. placitis. Immunitas à ſeruitute obtentu Clericatûs, ſeu Eccleſiaſtici miniſterij conceſſa: quòd minimè reuocanda ſit, Concilium V. Aurelianenſe ſub Childeberto Rege I. Clodouæi filio, congregatum, can.* 7. 699.
§. 3. *Ex conſtitutione generali Chlotarij Regis I. Chlodouæi filij.* 700.
§. 4. *Ex Edicto Chlotarij II. in Concil. V. Pariſienſi promulgato congruenter canonibus in illa Synodo conſtitutis.* ibid.

Digitized by Google

§. 5. *Ex Capitulari Pippini Regis promulgato in Metenſi conuentu. capp. 2. & 4. ex Reſponſis Stephani II. Papæ an. 754. capp. 16. & 18.* ibid.
Ex Capitulis editis in Concilio Vernenſi, ex voto Pippini Regis anno 755. can. 11. 12. 16. 18. 19. 702.

§. 6. *Ex Caroli Magni Capitularibus.* 703. & ſeqq.
Edictum Caroli Magni ad Iudices, aut Comites (anno 800.) vt Sacerdotes non iudicent, ſed remittant ad proprios Epiſcopos, quorum poteſtatem & honorem non minuant, ſed ſeruent in omnibus illibatum; nec Clericos inſtituere præſumant in Eccleſiis abſque auctoritate Epiſcopali. 704.

§. 7. *Ludouici Pij Imperatoris Decretum aduerſus Clericorum percuſſores, in conuentu habito Triburiæ, poſt Synodum apud Theodonis villam, editum & promulgatum, de omnium penè principum Galliæ & Germaniæ conſenſu an D. 821.* 710
Ex eiuſdem Ludouici Pij Capitulari II. an. 823. ibid.
Ex Concilio Aquiſgranenſi iuſſu eiuſdem habito an. 836. ibid.
Ex eodem Concil. tit. 2. ſeu capitul. 3. n. 2. Quòd Imperator tuendæ Eccleſiæ cauſâ ſit conſtitutus. 711.

§. 8. *Ex capitulis Caroli Calui Regis Francorum & ſubinde Imperatoris editis in villa Colonia, regni eius an. 4. qui fuit Chriſti 843.* ibid.
Ex epiſt. Epiſcc. è Synodo Cariſiaca, miſſâ ad Ludouicum Regem Germaniæ Caroli Calui fratrem. an. 858. 712.

§. 9. *Ex Synodo Viennæ Allobrogum habita, tempore Odonis Regis, præſidentibus Paſchale & Ioanne Legatis Apoſt. ſedis iuſſu Formoſi PP. an. 888.* 713.

§. 10. *Ex Troſleiana Synodo in pago Sueſſionico, regnante Carolo Simplice, ſub Heriueo Archiepiſcopo Rhemenſi, an. D. 909.* ibid.

§. 11. *Ex Engilenheimenſi Concilio cui aderat Ludouicus IV. cognomine Tranſmarinus, ſub Martino Apocriſiario Agapeti II. Pap. an. 948.* ib.

§. 12. *Ex Teſtamento Hugonis Regis, cognomine Capeti.* 714.

§. 13. *Ex geſtis & dictis Roberti Regis, cognomento Sancti.* ibid.

§. 14. *Ex Actis Henrici Regis, Roberti filij.* 715.

§. 15. *Ex ep. Gregorij VII. PP. ad Philippum I. Regem Franc. directa.* ib.

§. 16. *Ex Ludouici VI. nuncupati Groſſi, geſtis.* 716.

§. 17. *Ex Actis & pronunciatis Ludouici VII. cognomine Pij.* 717.

§. 18. *Philippi Auguſti inſigne dictum.* ibid.

§. 19. *Ex geſtis & dictis Ludouici VIII. cognomento Caſti.* 718.

§. 20. *Ex S. Ludouici pragmaticis.* 719.

§. 21. *Ex geſtis Philippi Pulchri nomine IV.* 723.

§. 22. *Ludouici Regis nomine X. nobile diploma ex to. 2. Actorum, titulorum & monimentorum ad iura ſpectantium & negotia Cleri Eccleſiæ Gall. titulo 5. p. 119. & ſeqq.* 725.

§. 23. *Philippi Valeſij nomine VI. Francorum Regis, cognomento Catholici, pro vindiciis Eccleſiaſticæ dignitatis, & libertatis atque iuriſdictionis, illuſtre, ſingulare, immortalique dignum memoriâ iudicium; an. D. 1329. ex Papirio Maſſono lib. 4. Annal. Regum Franc. p. 421.* 730.
Ex Pauli Æmilij commentariis de rebus geſtis Francorum in Philippo Valeſio. ibid.

§. 24. *Excerptum ex diplomate Caroli V. Francorum Regis, Sapientis nuncupati, dato Pariſiis, an. D. 1369. regni eius 6.* 731.

§. 25. *Ex geſtis Caroli VII. dicti Victoris, à Meyero, ex anonymo coætaneo relatis.* ibid.

§. 26. *Ex reſponſis Pariſienſis Curiæ ad præſcripta poſtulata Ludouici XI. Chriſtianiſſimi Regis, ſuper pragmaticæ ſanctionis abrogatione.* 732.

§. 27. *De Ludouici XII. Patris populi dicti, pietate & iuſtitia.* ibid.

LIBER VII. & vltimus.

De Clericalis habitus deſertione: pœníſque aduerſus eius deſertores à iure ſtaturis. pag. 736.

CAPVT I. Seu Diſſertatiuncula *ad Titulum 9. lib. 5. Decret.* DE APOSTATIS *cap. 1.*

Textus Capitis.

Obſeruatio I. *Correctio inſcriptionis.* ibid.

Obſeruatio II. *Ad nomen* Clerici, *quod notula marginis videtur irreptitium innuere.* 737.

Obſeruatio III. *De ſenſu ipſo Capitis, quoad nomen.* ibid.

Obſeruatio IV. *De Apoſtaſia; An poſſit cadere in Clericum ſimplicem, per deſertionem Clericalis habitûs, & laïcam conuerſationem? & ita caput de quo agitur, intelligi debeat?* 738.

CAP. II. *De pœnis aduerſus Clericos à iure conſtitutis, qui habitum deſerunt Clericalem.* 743.

Pœna I. *Priuatio priuilegij Canonis.* ibid.

Pœna II. *Priuatio priuilegij Fori.* 744.

LEONIS X. *Pontificis max. Conſtitutio abrogatoria priuilegij fori, quoad Clericos ſimplices & minores, qui non deferunt tonſuram & habitum Clericalem.* 747.

Pœna III. *Priuatio perceptionis fructuum beneficiorum per ſex menſes, & inhabilitas ad beneficia retinenda per idem tempus, cum ſuſpenſione ab ordinibus, & priuatione (denique) officiorum & beneficiorum.* 749.

Pœna IV. *Incarceratio.* ibid.

Pœna V. *Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ.* 750.

Pœna VI. *Excommunicatio & infamia.* ibid.

CAP. III. *Quàm turpis & fœda ſit Apoſtaſiæ labes, qua Clericos deſertores habitûs Clericalis, Canonici Iuris auctoritas inurit.* 751.

CAP. IV. *Elui poſſe hanc maculam, ſi qui facti ſunt per apoſtaſiam, tonſuræ & habitûs Eccleſiaſticæ militiæ deſertores, ad caſtra vnde transfugerunt, redeant: teſſeræque Clericalis reaſſumant inſignia.* 755.

APPENDIX AD PARTEM II.

De ſeruanda à Clericis barbæ mediocritate.

PRÆFATIVNCVLA. pag. 757.

CAP. I. DE *Barba prolixa.* 758.

CAP. II. *De raſura barbæ.* 763.

CAP. III. *De barbæ mediocritate.* 767.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

ANDREÆ
DV SAVSSAY
PARISINI
S. R. E. PROTONOTARII,
I. V. DOCTORIS,
NEC NON OFFICIALIS PARISIENSIS
& Vicarij generalis, &c.

PANOPLIÆ CLERICALIS
PARS PRIOR,

Quæ eſt

DE TONSVRA CLERICALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

DE ORIGINE ET ANTIQVITATE, perpetuóque in Eccleſia vſu Tonſuræ Clericalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Tonſura Clericalis, & ad quid inſtituta?

ANONNVLLIS plerumque diſquiſitum eſt, quid ſit Tonſura Clericalis. ſed non vna eadémque de hac fuit omnium exiſtimatio. Alij ſiquidem eſſe cenſuerunt, diſpoſitionem ad ordinem: at in quæſtionem vocârunt an eiuſmodi diſpoſitio ſit tantùm *congruitatis*, (vt aiunt) an etiam *neceſsitatis*. Et quoad beneficium quidem & iuriſdictionem Eccleſiaſticam, neceſſitatis eſſe omnes fatentur, quia ius ſpirituale non cadit in Laïcum: quamobrem collatio beneficij facta Laïco non tenet, nec commiſſio iuriſdictionis valet, data Tonſura Clericali non inſignito. Porro quoad ordinem ſpectat, congruitatis eſſe tantùm diſpoſitionem aliqui contendunt, alij etiam neceſſitatis, quamuis non abſolutæ: cùm qui ordinem maiorem vel minorem ſuſcipit prima Tonſura nondum initiatus, recipiat reipſa ordinem, minimè verò executionem.

Alij honorificentiùs de Tonſura ſentientes, dicunt eſſe ordinem (ſcilicet latè ſumptum) quia ordo Clericalis per eam confertur, *de ætate & qualitate ordinandorum c. Cùm contingat.* Alij ſignum Sacramentale, *gloſ. pſal. in can. Cleros diſt. 21.* non tamen Sacramentum. Cæterùm ex S. Iſidori dictis hîc videtur difficultas non leuis momenti ſuboriri: is enim lib. 2. de Eccleſiaſt. offic. c. 14. (quem Rabanus ſuppreſſo nomine verbatim exſcribit lib. 1. de inſtitutione Clericorum c. 2.) *Eſt*, inquit, *Tonſura ſignum quoddam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur.* in actis S. Sequani diu antehac ſcriptis Clericalis Tonſura, dicitur *diuinus Character.* Ex quo videtur conſectaneum eſſe, quòd Tonſura ſit ſignum aliquod ſpirituale animæ impreſſum, igitur propriè Character Sacramentalis, qui ſine Sacramento eſſe non poteſt, cùm ſit eius effectus: proinde etiam

Digitized by Google

non impropriè poſſit Tonſura inter Sacramenta (non modò inter Sacramentalia) recenſeri.

Verùm cùm certa Theologorum ſit doctrina, quòd character Sacramentalis ſit in anima tantùm, proinde non poſſit videri & cognoſci in ſe, ſed dumtaxat in ſua cauſa. Quæ ratio characteris Sacramentalis, deeſt Tonſuræ Clericali; hæc enim eſt character viſibilis, qui non tantùm in cauſa, ſed in ſe conſpicitur, nec in anima ſitus eſt, at ſolùm in corpore. Inſuper Sacramentalis character eſt poteſtas quædam ſpiritualis & ſupernaturalis, partim actiua partim paſſiua, eáque (vt Theologis quibuſdam videtur) non phyſica, ſed moralis; Tonſura verò non ſolùm eſt moralis ſed phyſica; quamobrem phyſicè eam quidam deſcribentes, ſimpliciter aiunt *eſſe amotionem capillorum à parte inferiori rotundè factam*; Nec vlla eſt ſpiritualis ſupernaturaliſque poteſtas, qualis in Sacramentis confertur, quæ imprimunt characterem: Hinc fit vt ipſa Tonſura, Sacramentum, vel character Sacramentalis, iure nequeat exiſtimari.

Bellar. l. 2. de effect. ſacram. cap. 19.
Bruſlef. diſt. 24. q. 1. l. 4.

Prudenter igitur S. Iſidorus ſententiæ ſuæ ſenſum aperiens, non de charactere ſacramentali propriè dicto, neque de poteſtate aliqua ſupernaturali & merè ſpirituali quæ animæ inhæreat, ad modum characteris intrinſeci, æque ideo inuiſibilis, atque indelebilis; ſeſe locutum, ſed de ſigno tantùm externo, quod aliquam habeat cum interno analogiam, manifeſtè demonſtrat: *Eſt autem*, inquit, *Tonſura in Clericis ſignum quoddam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur; Scilicet vt hoc ſigno vitia in religione reſecentur, & criminibus carnis noſtræ quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus vt comis rudibus eniteſcamus, expoliantes nos iuxta Apoſtolum veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum: Quam innouationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, vbi ipſa mens noſcitur inhabitare.* Ex quibus verbis manifeſtè patet, vt cenſuerit iſte auctor Tonſuram in mente, quod ſignat in carne operari, ſcilicet per modum ſigni theorici & non practici: Iſta enim duo inter ſe differunt. Practicum ſignum dicitur quod inſtitutum eſt non ſolùm ad ſignificandum aliquid, ſed etiam ad efficiendum, velut ſigillum, quod non ſolùm repræſentat imaginem, ſed etiam imprimit eam in cera. At verò ſignum theoricum, nihil immediatè & vi ſua operatur, ſed ſolùm repræſentat obiectum, & ſi fortè ſequitur effectus aliquis, non ſequitur ex vi illius ſigni, ſed aliunde: verbi gratiâ, cùm quis monet alium, adeſſe hoſtem, ille continuò fugit; cęterùm illius fugę non eſt cauſa immediata illa admonitio, ſed apprehenſio rei noxię; Pari ratione qui viſo ſigno hoſpitij currit ad hoſpitium, non mouetur ab eo ſigno immediatè, ſed ab appręhenſione rerum, quibus indiget & quas illud ſignum repræſentat; quapropter ſignum eiuſmodi non eſt propriè practicum, ſed theoricum dumtaxat: eiuſmodi generis eſt Tonſura, quę quidem expreſſa viſibili circulo & raſura in vertice, nihil immediatè & per ſe in anima operatur; ſed dumtaxat monet gerentem, vt in mentem reuocet ſuę profeſſionis debitum, videlicet per Clericalem teſſeram quam ſuſcepit, quaſi ex inito pacto, obſtringi reſecare ab animo omnes carnales, terrenos & vi-

tioſos affectus, erigere mentem ad cœleſtia, ſolique Deo ſeruire in cuius ſortem ſolenni ritu adſcriptus eſt.

Hinc verò elici poteſt ratio propter quam præfatus S. Iſidorus & ex eo Rabanus, ſignum illud extrinſecum characteri Sacramentali, qui animæ inſidet, aſſimilauerit. Character enim Sacramentalis tria officia habet, *aptum facere ad cultum diuinum, configurare Chriſto, & diſtinguere ab aliis*. Ex iis tribus reſultat Tonſuræ Clericalis cum charactere Sacramentali analogia, ſimúlque eiuſdem inſtitutionis finis: PRIMÒ ſiquidem, aptum facit hominem ad cultum diuinum, dum ſegregatum à vulgo transfert in peculiarem ſortem Domini. Hinc celeberrimum iſtud S. Hieronymi pronunciatum perſonuit ep. 2. ad Nepotianum de Clericorum & Sacerdotum vita inter med. & finem. *Igitur Clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur, ſi enim κλῆρος, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt: qui autem vel pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum & poſſideatur à Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt, quod ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus.* SECVNDÒ, conducit ad configurationem cum Chriſto; Vnde monitum iſtud quoque S. Hieronymi ad Clericatus candidatum: *Nudam crucem, vt nudus diſcat ſequi.* Rabanus loco ſignato, ait, S. Petrum deſiderio Dominicæ configurationis, aſſumpſiſſe Tonſuram, eandémque Clericis commendaſſe; *Sunt quoque, inquit, quidam Doctorum, qui aſſerunt diuerſas ob cauſas Petrum Apoſtolum hunc ritum primum ſumpſiſſe. Primitùs vt formam & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus, à nefanda Iudæorum gente, acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur.* TERTIÒ, ad diſtinctionem Clericorum à Laïcis: Nota enim peculiaris, ſeu ſignum diſtinctiuum, eſt quilibet character. At hìc parumper immorandum. Siquidem populum Chriſtianum debere eſſe ſimplicem, in quo nulla ſit differentia perſonarum, nullum Clericum, nullum Laïcum cenſere liceat, omni contentione animi perſuadere niſi ſunt, qui res nouas cœperunt ſuperiori ſæculo in Eccleſia moliri. Vt enim ordo Eccleſiaſticus, quo hactenùs ſuffulta ſtetit Chriſtiana Religio, penitùs ſi fieri poſſet abrogaretur; Laïcos ſeu coniugio & ſæcularibus negotiis implicitos fideles, nullóque inſignitos diuini miniſterij honore, aduerſus ipſum ſacrum ordinem, quo in eum ferueban Nouatores, odio ac inuidia prouocarunt, pudenda adulatione perſuadere nitendo, omnes in Chriſto eſſe pares, quoad omnia. Qui fortè eò vſque non proſiliiſſent, ſi qui inde ſuborti ſunt toto in orbe Chriſtiano, funeſtos eiuſmodi anarchiæ motus potuiſſent præuidere. At qui doctos ſe putabant in regni cœlorum myſterio, memoria retinere debuiſſent, quod diu antehac de exitioſis à Deo perturbationibus, futurum aliquando prædixerat Eſaias diuino ſpiritu irradiatus. Fore ſcilicet extremo excidio proximum orbem, cùm diſtinctio Sacerdotij à plebe ſubmoueretur. *Ecce Dominus diſſipabit terram,* (inquit c. 24.) *& nudabit eam & affliget faciem eius*

A iij

& diſperdet habitatores eius, ET ERIT SICVT POPVLVS SIC SACERDOS; *& ſicut ſeruus, ſic dominus; ſicut ancilla, ſic domina eius: ſicut emens, ſic ille qui vendit; ſicut fænerator, ſic is qui mutuum accipit; ſicut qui repetit, ſic qui debet*. His enim verbis innuit, omnia tum iura peſſundatum iri, omnem ſocietatem humanam funditus ruituram, cùm ad ſortem plebis vulgique fæcem, detrudi cœperit Sacerdos: hoc facto enim nihil reliqui ſupereſſe poſſe in genere humano æqui, decori, ac honeſti; ideóque numquam contingere in Eccleſia, vt plebs contra ordinem extollatur, quin pax auferatur, & pereat Chriſtiana concordia, verè iuxta ac prudenter Tertullianus dudum inſinuauit lib. de Monogamia c. 12. *Cùm extollimur* (inquit) *atque inflamur aduerſus Clerum, tunc vnum omnes ſumus* (nimirum confuſione temeraria): *Cùm ad peræquationem diſciplinæ Sacerdotalis prouocamur, deponimus infulas, & impares ſumus. Laïcis enim quia Monogamia non conuenit, cætera quoque aliena ſunt.* Ergo paritas in Eccleſia eſſe non poteſt niſi ex malo zelo, contentione, faſtu atque ſuperbia, quibus ordo omnis páxque quaquauerſum ſubuertitur, ſine quibus ſtare non poteſt, at excidit labitúrque ab imis concuſſa fundamentis domus Dei tota conſtructio. Vnde idem Tertullianus rectè ait c. 7. exhortationis ad caſtitatem, *differentiam inter ordinem & plebem Eccleſiæ conſtituit auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo.* Quemadmodum enim non priùs cœpit Eccleſia, quàm delectos à Domino acceperit rectores, ac diuini muneris diſpenſatores & miniſtros: Sic ex quo ordo ipſe diuini in terris imperij miniſtrorum, Rectorúmque exortus eſt, horum quoque à reliquis fidelibus conſpicua eſſe cœpit diſtinctio. Nam ipſe Dominus, delectu, vocatione, ſtatu, interno charactere, variiſque gratiæ muneribus ac honorum titulis, & poteſtatis officiis, à reliquis fidelibus eos diſtinxit: Apoſtoli variis prædicamentis ac notis illos à plebe Chriſtiana ſecreuerunt: Eccleſia primitiua certis diſciplinæ legibus, vitæ, morum, dignitatis, officij, gradus, ſtatus & habitus propriis præſcriptionibus, à reliquo fidelium cœtu voluit eſſe ſelectos, nec abs re: *Quid enim* (rectè ait S. Ambroſius lib. 3. ep. 25. ad Vercell. Eccleſ. inter med. & finem) *intereſſet inter populum & Sacerdotem, ſi iiſdem aſtringerentur legibus?* ita enim foret; vt populus ſic Sacerdos, & in Eccleſiam exitialis illa irreperet confuſio, quam apud hoſtes fidei, ſui temporis hæreticos, pridem Tertullianus ſpectans exhorruit; *Apud eos* (ait) *hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector, hodie Presbyter qui cras Laïcus: Nam & Laïcis*, inquit, *Sacerdotalia munia iniungunt;* quamobrem nulla erat Cleri à vulgo differentia. At in Eccleſia Dei quæ *caſtrorum acies eſt ordinata*, omnia cum ordine fiunt; Nullus anarchiæ locus, *in domo Dei quæ pacis eſt viſio, & columna veritatis*, centrúmque vnitatis & cæleſtis imago regni, eſſe poteſt, *Nemo ſibi in ea aſſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron; Vnuſquiſque in ea vocatione permanet, in qua vocatus eſt;* Non ſic populus, ſic Sacerdos; non vt Laïcus, ſic Clericus, ſed perſpicua eſt omnibus, ordinis & plebis ab inuicem diſtinctio, *differentiam enim inter ordinem & plebem* (ab ipſo religionis ortu) *conſtituit Eccleſiæ auctoritas, &*

Digitized by Google

honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo, ſingulare decus etiamnum retinet, quod ſemper & vbique obtinuit.

Præclarè docet Cardinalis Cuſanus in compendio conſiderabilium c. 2. *Res vt cadunt in notitiam per ſigna deprehendi; variòſque cognoſcendi modos quærendos eſſe in variis ſignis, quibus res non modò in ſe patent, ſed ab aliis inſuper dignoſcuntur:* Eapropter per externa inſignia Clerus à populo diſtinctus eſt, vt per ſignorum notitiam ſtatus ipſe ſpecialiter à Deo ſanctificatus appareret: Sanè internus character cùm ſit in anima tamquam in ſubiecto, non ſubeſt aſpicientium oculis, ordiníſque habitualis potentia non ſemper reuocatur ad actum. Porro Clericatus ſimplex etſi non tantùm ad inferiores ordines, ſed ſuperiores quoque pateſaciat aditum, characterem internum non habet, nec ei ineſt vlla poteſtas, qua elici queat actus externus. Indicia igitur neceſſe fuit ſenſibilia quædam interponere, quibus vt propriis notis ipſe Clericalis ſtatus, à Laïco poſſet dignoſci, & quibus Clericus quiſque palam ſuæ conditionis ſtatum profiteretur, quemadmodum iampridem præcepit quartum Concilium Carthaginenſe c. 44. Cæterùm Tonſura Clericalis, Eccleſiaſticæ militiæ proprium ſignaculum eſt, cum habitu eidem profeſſioni congruenti. De his vt coniunctis, idcirco appoſitè dicit Concilium Aquileienſe Tit. XI. *Inſigne Clerici Tonſura eſt, & veſtis talaris. Qui igitur in Clericalem militiam adſcitus eſt, nôrit hoc à ſe primum requiri, vt habitum & tonſuram deferat.*

CAPVT II.

Quid ſentiant de Tonſura Clericali, eiúſque origine, Nouatores.

TONSVRÆ Clericalis ſignaculum, vſu in Eccleſia percelebre, nouum non eſſe Nouatorum ipſimet anteſignani ſic fatentur, vt tamen non neceſſarium eſſe velint ſed ſuperfluum, quin & ſuperſtitioſum arbitrentur. Porro non tantæ eſſe antiquitatis contendunt, vt ad priora imò puriora, vt aiunt, Eccleſiæ ſæcula referri poſſit. Lutherus omnium ſectariorum recentiorum parens, quæſtionem illam non diſcuſſit; quamuis huius ſignaculi Clericalis, odium comprimere nequiuetit: ſiquidem ſcribens ad Pragenſes de inſtituendis Miniſtris, ex ipſius Tonſuræ deſpectu, Catholicos Sacerdotes, & Clericos, per ironiam, *Raſas laruas* appellat. Porro Ioannes Caluinus in ſuæ religionis (quam mirè Chriſtianam vocat) Inſtitutione, lib. 4. c. 19. §. 27. vbi de hoc ritu diſſerit, vſu cœpiſſe hunc exiſtimat circa tempora S. Auguſtini; hac nimirum occaſione quòd ea ætate ſoli homines effœminati & delicati comam alerent: vetitum id igitur fuiſſe Clericis & monachis, à quorum profeſſione & inſtitutione viſum fuerit abhorrere, ad diſſolutiorum & molliorum hominum genium ac mores laſciuiari. Non tamen id probat quod dicit, ſed mera coniectura nititur, omni ſolido fundamento deſtituta. At verò Magdeburgenſes Cent. 4. c. 6. col. 467. cùm Tonſuram nu-

perum inuentum eſſe non auderent comminiſci, ſua arte vtentes, excipiunt quicquid ſit de origine, rem eſſe ſuperſtitioſam, nequaquam conſonam ſacræ Scripturæ regulis, ſed aduerſam, atque à purioris Eccleſiæ norma & praxi alienam. Petrus Martyr in locis communibus Tit. *de Miniſterio Eccleſiæ*, econtrà, Tonſuræ origini & aliorum ſignorum diſtinctiuorum Cleri à vulgo, tribuit eam antiquitatem, quæ Chriſtianæ Eccleſiæ etiam cunabula antegrediatur, quæque inſuper ſuffulta ſit Scripturæ ſacræ veteris Teſtamenti auctoritate. Verùm hinc ſugillat Catholicos, quos vocat Papiſtas, quòd ritus Moſaïcæ legis ad Eccleſiæ traxerint vſum, cùm non magis Tonſura, raſura & vnctio, quæ ſub veteri lege vſurpatæ ſunt, ad Eccleſiam ſpectent quàm Circumciſio, quæ penitùs apud Chriſtianos exoleuit: *Porro*, inquit, *ritus conſecrationis veteris traditur in libro Numerorum. Oportuit Leuitam mutare veſtem & lauare corpus & pilos omnes abradere: Deinde venire in Tabernaculum ad Aaronem, & ab eo motari coram Domino. Ad eundem modum, Sacerdotes quoque oportuit inaugurari vt lauarentur, vt nouis veſtibus induerentur, vt oleo ſacro & ſanguine tingerentur. Hæc externa ratio eò valuit, vt populus intelligeret, eos eſſe iam miniſtros ſibi deſignatos à Deo. Sublatis autem iſtis vmbris, nobis nihil relinquitur, niſi impoſitio manuum. At Papiſtæ, vt eſſent (credo) auguſtiores, omnes illas cæremonias & ritus Moſaïcos ad ſe transtulerunt: Tondentur, raduntur, lauantur, vnguntur, veſtiuntur; & nonnihil miror, cur non etiam circumcidantur?* Hæc Petrus ille Vermilius, qui ſe Martyrem, vt auguſtior foret inſcribit, quo iure ipſe viderit, qui ne guttá ſanguinis fundere pro ſua doctrina cogeretur, ſub Mariæ Reginæ felicis principatus exordio ſolum vertit, properéque fugit ex Anglia in Germaniam, ratus ſatiùs eſſe fidei ſuæ pati naufragium, quàm ſanguinis pretio martyris vel vmbratile nomen emereri. Ad rem quod ſpectat, ſi Papiſtæ ſunt, qui Tonſuram, raſuram & vnctionem admittunt Clericalem & Sacerdotalem, eáque hactenus vſi ſunt: Papatum antiquiſſimum eſſe conſequitur, imò cum ipſa religione Chriſtiana natum; cùm ab annunciati Euangelij primordio, ad hæc vſque tempora, conſtanti more & praxi perpetua ſit exploratum, hos ritus fuiſſe in Eccleſia vigentes, atque vſu & conſenſu continuo traditos & ſeruatos ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis, Martyribus, Doctoribus, Pontificibus, preſbyteris & quibuſcumque Clericis tam Orientalis, quàm Occidentalis Eccleſiæ. Siquidem tam apud Græcos, quàm Latinos etiamnum permanent in viridi obſeruantia. Atque hoc eſt, quantùm ad Tonſuram ſpectat (nam de aliis ritibus aliàs diſſeruimus) quod iſto loco perſpectum facere aggredimur, inductione accuratiſſima; qua ſemel præfixa, huic de Tonſura Clericali commentario, facilis non modò parebit aditus, ac ſuis ſe iuribus tuebitur ſacri huius ritus antiquitas: verumetiam profanus ſegregum conatus, ſacras Traditiones & obſeruantias conuellendi, nouandique omnia in Chriſtiana Religione, (quam à planta pedis vſque ad verticem impetunt) propalam apparebit.

CAPVT

CAPVT III.

Ab Apoſtolis Tonſuram Clericalem originem ducere.

PETRVS *Apoſtolus*, (ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum c. 28.) *ad humilitatem docendam, caput deſuper tundi inſtituit.* Venerabilis Beda lib. 5. hiſt. Gentis Anglorum c. 22. vbi profusè de Tonſura diſſerit, eandem refert B. Petro Apoſtolo iſtius ritus originem: ex cuius inſtituto & imitatione cùm Picti ad Eccleſiæ vnitatem rediiſſent, ſuſcepiſſe narrat eandem Tonſuræ formam, cùm antè aliam vſurpâſſent: *Attondebantur omnes* (inquir in ipſo fine capitis prænotari) *in coronam miniſtri altaris & monachi, & quaſi nouo ſe diſcipulatui beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri ſubditam, eiúſque tuendam patrocinio gens correcta gaudebat.* Eandem Traditionem ex eodem Apoſtolico fonte ortam ac delibatam commeminit S. Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in Theoria rerum Eccleſiaſt. non longè à principio (Tom. 2. Biblioth. ſanctorum Patrum) vbi ait, *duplex corona circumpoſita capiti Sacerdotis ex capillorum ſignificatione, imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri: nam cùm miſſus eſſet ad prædicationem Domini & Magiſtri, ei tonſa eſt barba ab iis qui eius ſermoni non credebant, vt illuderetur ab ipſis, eique Magiſter Chriſtus benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam conuertit, & poſuit ſuper caput eius coronam, non ex lapidibus pretioſis, ſed lapidem ex petra fidei eius, fulgeſcentem ſuper aurum, topazion, & lapides pretioſos. Vertex enim ornatus, & corona duodecim lapillorum Apoſtoli ſunt: Petrus verò ſanctiſſimus Apoſtolus eſt primus Hierarcharum Chriſti.* Hæc Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha. Porro Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuirenſis, à B. Petro deriuatum Tonſuræ ritum obiter inſinuat lib. 2. de Eccleſ. officiis c. 6. Deinde hunc morem aſſerit Eccleſiæ conſenſione roborarum. At verò cùm ſignato loco non ſine aliqua hæſitatione dixiſſet S. Petrum fuiſſe Tonſuræ Clericalis auctorem; deinde lib. 4. c. 39. auctoritate fretus Venerabilis Bedæ firmiter id ipſum aſſeuerat, quemadmodum & Petrus Bleſenſis grauis auctor cap. 1. Explanationum in Iob lib. 1. Poſteriores lubens prætereo adſtipulatores huius ſententiæ, cùm ſatis ſit ex antiquorum teſtium ſuffragiis ſuprà explicatis, eiuſdem oſtendiſſe veritatem.

Petrus Bleſenſis præfatus non Beato Petro ſoli, ſed Coapoſtolo eius Paulo itidem, quin & Chriſto ipſi Domino, adſcribendum cenſuit Tonſuræ Clericalis initium, idque ex Scripturæ ſacræ patenti teſtimonio elicit; *Non eſt*, inquit, *nouum, quòd tondentur Clerici*, &c. *Exemplum coronæ habemus in Chriſto, qui ſpineam coronam in ſignum humilitatis geſtauit in capite ſuo: Quidam etiam Gentiles Petro Apoſtolo caput raſiſſe dicuntur in Chriſti opprobrium & contemptum, quod tamen ipſe non immemor ſpineæ coronæ Chriſti patienter & prompta voluntate ſuſtinuit; in huius humilitatis memoriam Priſcilla & Aquila ſeipſos ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, totonderunt; Paulus etiam to-*

tondit ſe in Cenchris. Idipſum ex Actis Apoſtolorum diu ante Bleſenſem S. Iſidorus obſeruauerat lib. 2. de Eccleſ. off. c. 4. cuius titulus eſt de Tonſura. *Hoc & Nazaræos illos*, inquit, *Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primos feciſſe legimus. Paulum quoque Apoſtolum & quoſdam diſcipulos Chriſti, qui in huiuſmodi cultu imitandi extiterunt*. Verùm hîc obſeruare iuuat Iſidorum & Bleſenſem, aliter legiſſe locum Actorum quo nituntur, quàm Vulgata habet, ſic enim præfert Act. 18. ℣. 18. *Paulus verò cùm adhuc ſuſtinuiſſet dies multos fratribus valefaciens nauigauit in Syriam (& cum eo Priſcilla & Aquila) qui ſibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum*. Quia etenim de Aquila proximè mentio facta fuit, videri poſſent hæc propriè ad illum ſpectare: At auctores præfati ſenſum ad Priſcillam æquè ac Aquilam referunt, non aduertentes Priſcillam de qua hîc agitur eſſe vxorem Aquilæ, rectiúſque omnino ſingulariter tonſuram legi de Aquila, quàm de vtroque ſimul coniuge, cùm fœmineus ſexus rei quæ narratur repugnet; Nec enim Nazaræas fieri mulieres tonſione capitis per legem licebat, neque Paulus (1. Cor. 11.) permittebat mulierem coniugatam comam incidere. Longè meliùs igitur illa Tonſura ſingulariter de Aquila intelligeretur: de quo tamen, vt vulgatæ editionis contextus habet nec accipi debet, quod refert diuinus hiſtoriographus, ſed de Paulo ſolùm, quandoquidem narrationis tenor directo ſenſu de eo eſt; Aquilæ verò & Priſcillæ tantùm per diuerſionem (vt parentheſis quæ eos includit denotat) mentio fit. Qua parentheſi ſublata vt textus totus de Paulo recto tramite decurrit, ſic planus, perſpieuus ac integer de eo eſt ſenſus, hoc ſcilicet ordine, *Paulus verò*, &c. *nauigauit in Syriam, qui ſibi totonderat in Cenchris caput, habebat enim votum*. Porro quòd ſingulariter legendum ſit *totonderat*, & non in plurali *totonderant*, manifeſtè euincit Græcum exemplar in quo occurrit κειράμενος. Conſentit Syrus Codex hac ſerie *chad ſappar*, cùm totondiſſet, & ſingulariter *totonderat* & *habebat*, legunt ac intelligunt paſſim Latini interpretes. Nec obſtat quòd Codicem MS. Baronius aſſerat ſe vidiſſe in quo ſcriptum erat in plurali *totonderant* & *habebant*; ſiquidem error irrepere potuit, emendandus ex cæterorum longè plurimorum conſtanti lectione; quæ quàm melior ſit, vel inde patet, quòd iam olim ita legerit S. Chryſoſtomus, eiúſque interpres Oecumenicus, vt de Paulo in ſingulari intelligant, accipiendúmque doceant. Nec ſecùs Latini itidem veteres etiam præcipui, ſcita quorum referens Beda Venerabilis hîc ſe non inauſpicatò audiendum ſiſtit; *Quidam Codices*, (inquit in expoſit. Act. Apoſt. c. 18. Tom. 5.) *plurali numero habent, totonderant caput, & habebant votum, ſed egregij Doctores Eccleſiæ Hieronymus & Auguſtinus in ſuis vterque epiſtolis & ſingulari numero ponunt, & de Paulo interpretantur*.

Inficiari id Nouatores non audent quod peremptoriè vident ſacris in litteris expreſſum, at vt telum hoc nobis eripiant, ſolitas ad euaſiones aufugiunt: *Multa feciſſe Apoſtolos*, aiunt, *ex ritu veteris legis*. Nec nos abnuimus, verbi gratiâ, quòd Paulus circumciderit Timotheum, ſed quòd totonderit ſe ex more & inſtituto dumtaxat veteris ipſius legis, Nazaræum fieri ſe edito voto profeſſus, eſt quod probandum eis incumbit.

Hoc ſibi aſſumpſit Caluinus aſtruendum, in Acta ad hunc locum, *Paulum*, inquit, *temporis ratio cogebat ad ſeruandos legales ritus; iſti* (nempe vt vocat, Papiſtæ,) *non aliud proficiunt, niſi vt Chriſtianam Eccleſiam, cui pridem ſua conſtat libertas, ſuperſtitione implicent; Longè enim aliud eſt obſoletas cæremonias in vſum reuocare, quàm adhuc ſuperſtites tolerare, donec in deſuetudinem abierint.* Et infrà: *Omitto*, inquit, *quòd Clericalem ſuam Tonſuram Papiſtæ, fruſtrà & ineptè cum purificationis ſymbolo comparent, quod Deus in lege probauerat.* Verùm, Caluine, nihil hoc eſt probare, ſed Lectori illudere more tuo: cùm ratione firma quod intendis aſtruere non poſſis, recurris ad diuerticula, fingis antitheſes inter Apoſtolum & Catholicos; ſupponis pro conceſſo, quod maximè controuertitur. Nempe vt certiſſimum axioma præſtituis, Chriſtianæ Eccleſiæ libertatem conſiſtere in eo quòd nihil penitus de veteris legis ritibus Eccleſia retineat, cùm tamen ipſe aliàs veritate conuictus fateri compulſus ſis, publicam orationem in Templis, ex veteris legis obſeruantia deſcendere; *Etſi* (inquis Inſtit. lib. 3. c. 20. §. 29.) *ceſſarunt legales vmbræ, quia tamen hac cæremonia, inter nos quoque fidei vnitatem, Deus fouere voluit, non dubium quin ad nos pertineat eadem promiſſio;* Cur non igitur & miniſtrorum Chriſti, & diſpenſatorum myſteriorum Dei, à vulgo, externa quædam diſtinctio? Ex voto Paulus caput totondit, cur non liceat viris Eccleſiaſticis Paulũ imitari, ex ipſo ordinis ſacri conſortio? *Sed Paulus*, inquis, *vt infirmos Chriſto adduceret, ſaltem ne eos offenderet, voto ſe eiuſmodi obligauit, quod ſciebat coram Deo nullius eſſe momenti.* Sed vnde hoc didicit Caluinus, quæſo edicat? Certè iudicat de mente Pauli, quaſi cogitationum eius intima adita penetrârit, mentémque eius opponit factis, nec aduertit, vt ſe extricet Paulum inuoluere; qui, ſi vera dicit Caluinus, Deo & hominibus ſponte illuſerit oportet, dum vouit quæ ſciret inania & ludicra, & fecit quæ mente damnaret, vt iam exotica à vero Dei cultu. Sed eſto ex prudenti diſſimulatione quædam fecerit Paulus bono fine, ſcilicet vt infirmis indulgeret; numquid ſic fecit omnia? & dato quod hac vice totondetit caput ex Nazaræorum more (quod tamen falſum eſſe ex ipſa lege Nazaræorum Num. 6. apertè liquet, & contra Caluinum Stapletonus validè probat ac patenter oſtendit, in Antidotis Apoſtolicis ſuper Acta Apoſtolorum ad hunc locum,) numquid inde ſequitur eſſe nefas, Paulum in hac carnis mortificatione (quæ ſupereſt in Euangelio, ſublata legis cæremonialis obſeruantia) pio affectu imitari? Si enim ita eſt, ſubſequitur, neque eius exemplo ieiunandum eſſe, quoniam ieiunauit aliquando etiam ex antiquæ legis conſuetudine: ſic genuflexit orando, ſic orauit in templo; ſic in publico cœtu ſactas litteras legit, atque auditoribus explicauit? facere igitur hæc omnia nefas erit, ſi Caluini principium ratum manet; faceſſat illud igitur, & Pauli maneat exemplum ſatis ſupérque hac breui reſponſione ab eius cauillis vindicatum.

Poſſem hîc Prochori narrationem adducere, qua refert iuſſu Domitiani crinem capitis fuiſſe Ioanni Apoſtolo detonſum, vt ignominioſus & inhonorabilis populo appareret: cùm tamen ipſemet Apoſtolus honori adſcriberet hanc contumeliam pro Chriſto pati; quemadmodum Apoſtolorum princeps, qui ſic ab impiis per ludibrium decaluatus, tonſu-

ram, quam per ignominiam ipſi fecerant, in clericatus teſſeram & Chriſtiani honoris indicium tranſtulerat. Poſſem etiam Abdiæ, qui dicitur Babylonicus, hîc teſtimonium proferre, quo recenſet Regem Indiæ à S. Thoma ad fidem conuerſum, petiiſſe caput ſibi tonderi, quod impetrauerit ab Apoſtolo, qui eum Diaconum ordinauit. Verùm apocryphis non libenter vtor: tametſi quæ non certæ auctoritatis ſigillo muniuntur, attamen compertæ antiquitatis indiciis non careant, grani permixti inter paleas, nonnihil habeant reconditum.

CAPVT IV.

Decretum S. Anniceti Papæ & Martyris, de Tonſura Clericali, vindicatum.

ANNICETI Romani Pontificis in Chriſtiano agone coronati, ſub M. Aurelio & L. Vero, pro Tonſura Clericali, proferri ſolet à ritualibus Tractatoribus, hoc memorabile decretum; *Prohibete, fratres, per vniuerſas regionum veſtrarum Eccleſias, vt Clerici (qui Laïcis & ſimplicibus virtutis, honeſtatis, pudicitiæ, & grauitatis exemplar eſſe debent, ac ſeipſos tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter exhibere,) iuxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant; quia ſicut diſcreti debent eſſe in conuerſatione, ita & in tonſura, & in omni habitu diſcreti debent apparere.* Hæc Annicetus. At hoc eius decretum quòd nulla explicatione eludere poſſint, ſuppoſitionis arguunt Nouatores, quòd nimirum depromptum ſit ex vnica epiſtola, quæ ſub ipſius Pontificis nomine circumfertur, directa vniuerſis Eccleſiis per Galliæ prouincias conſtitutis: Hanc verò epiſtolam non ignotus inſectator Iſidori Mercatoris & F. Turiani falſi nota configit, multiplici argumento. 1°. quòd Conſulatus ſubſignatus non congruat. 2°. quòd ſuſpecta ſit, raſuræ, Archiepiſcopalis dignitatis, Primatus, Patriarchatus mentio. 3°. quòd qui Anniceti perſonam induit, vulgatæ Bibliorum verſionis, Leonis, Adriani I. Nicæni Concilij, & Antiocheni verbis abuſus eſt. At hæc leuia ſunt & minimè idonea firmandis Cenſoris huius intentis, nam

PRIMÒ quidem, Conſulares notæ vtplurimùm fluxæ ſunt, adeò vt ſi ex eorum indiciis iudicium ferendum ſit, maxima pars veterum monimentorum, quæ etiam Nouatores pro authenticis habent, ex hac nota falſitatis euincantur.

SECVNDÒ, Raſuræ capitis, decreto Apoſtolico vſurpatæ fit mentio, Act.21.27. Antiquior igitur eius vſus eſt etiam apud Chriſtianos, hac epiſtola Anniceti, quæ ſi eò quòd hoc nomen ferat, iure vocatur in ſuſpicionem falſi: Acta etiam Apoſtolorum, quæ indictam & ſeruatam raſuram eiuſmodi perhibent, eâdem ſuſpicione periclitabuntur. Archiepiſcopi porro nomen quod in aliqua iſtius epiſtolæ parte aliquoties occurrit, non ſufficit ad ei omne auctoritatis pondus detrahendum; etſi enim

Digitized by Google

primis ſæculis non fuerit paſſim Metropoliris attributum, reipſa tamẽ ad ipſos ſpectabat, & fortè iis demùm communi conſenſu conceſſum fuit, quòd à quibuſdam priſcis pontificibus, v. g. Anniceto, iiſdem delatum fuiſſet, atque ipſis etiam optimè conueniret. Quoad Primarum & Patriarcharum vocabula ſpectat, abs re, dicam mouet hîc Criticus: nam de primatu contentionem factam inter Apoſtolos in vltima Cœna meminit S. Lucas c. 22. Ambitum fuiſſe primarum in Aſiatica Eccleſia à Diotrephe, teſtis eſt S. Ioannes ep. 3. directa ad Gayum. quoad rem ipſam, Primatis vel Patriarchæ ſcilicet præeminenriam, inter cæteros Epiſcopos, non poteſt Cenſor proptet hoc, falſiratis labe aſpergere epiſtolam Anniceri, quin canonem Apoſtolorum 35. in verſione Dionyſij Exigui, 33. in verſione Gêriani Herueri, identidem inſimuler falſitaris, quin & vetuſtiſſimum Concilium Antiochenum poſtulet patentis impoſturæ, eundem vt pote quod canonem verbatim reperir & inter ſuos reponit ſerie 9. Enimuerò canon iſte apud Patres celeberrimus, idem conriner de Anriſtirum ſubordinarione, quod hac ſua epiſtola docer ac decernit Annicetus, ſub cuius nomine, vt certus & indubitatus, in corpus Iuris ſacri iampridem relatus fuir, vbi etiamnum legitur diſt. 99. c. 2. Porro friuolum eſt quod Cenſor iſte de citatione ſcripturæ ſecundùm vulgaram editionem obiicit: Quis enim dubitat in Romana Eccleſia totóque Occidẽte, (Vide Bellar. lib. 2. de verbo Dei c. 9) ſtarim ab ipſo religionis exordio fuiſſe in vſu Latinam Scripturæ Sacræ verſionem, ſpeciatim noui Teſtamenri, quam emendauit poſtea S. Hieronymus quibuſdam locis: maxima verò & ferè tota parte contextus, reliquir intactam. Haud mirum igitur ſi hæc citetur ab Anniceto, vt etiamnum extat, quoniam non in his locis allegat quæ ſubinde emendauir S. Hieronymus, vr ex inductis ab ipſo Annicero auctorirantibus liquet, quas inſimulatas fuiſſe alicubi ab ipſo S. Hieronymo compertæ deprauationis, vr alias quas in ſcriptis ſuis ſpecialiter redarguit, oſtendi nequit. Ludicra igitur eſt illa excepcrio, qua Criticus ſuſpectæ fidei epiſtolam Anniceti arguit, ob citatam ſcripturam ſecundùm ſeriem vulgaræ editionis.

Cæterùm quod addir de verbis iiſdem Leonis, Adriani I. Concilij Nicæni & Anriocheni, quibus abuſum contendir Annicetum, vr fingir, perſonatum; locus communis eſt, quo ſæpe nimis abutitur ipſe Criricus in Pontificiarum epiſtolarum expenſione; falſi enim paſſim illas configit notâ, hoc ſolo nomine, quòd verbis ſcareanr in pôſterioribus Auctoribus vſitatis. Ar ſi ita argurari licer, poterit à ſimili, eò quòd innumeræ Tertulliani phraſes, periodi, rariones, argumenra apud Cyprianum reperiuntur, hinc arguere ſup poſitionis Tertulliani opuſcula, in quibus paſſim cernere eſt pleraque totidem verbis expreſſa, quæ in Cypriano leguntur. Verùm quid mirum ſi poſterior Auctor à priore quædam excerpſerit? at valde mirum, quin & abſurdum meritò videreтur, ſi quis diceret priorem à poſteriore quicquam mutuatum. Cerrè quod Leo imitatus ſit Annicetũ in quibuſdam verbis, facile eſt admittere, cùm Leo ipſe Anniceto nonnihil fuerit poſterior: ar ridiculum foret vel ſomniando effutire, quicquam depromptum iri potuiſſe ex Leone ab Anniceto.

Hîc igitur non ineptè referri poteſt Ageſilai Lacedæmoniæ Regis ad Ephoros Spartæ reſponſum, quum enim infelici augurio repertum eſſe ei nunciarent, ſerpentem claues ciuitatis ſpiris pleriſque circumcingentem, non illepidè reſpondit: haud eſt quòd miremur tortilem anguem claues vrbis aſtringere, at eſſet meritò quòd ſtuperemus, ſi claues ſerpentem conſtringerent ſuo plexu.

Ceterùm ne ioci inter ſeria miſceantur, vltrò ad deſtinatum ſcopum placet redire. Epiſtolam Anniceti non tam aſtruendam vndequaque ſuſcepimus, quàm obiecta quibus illi omnem fidem derogare nititur præfatus Cenſor, ſtuduimus ire notis perſpectæ futilitatis euictum. Sanè vt quibuſdam mendis aſperſam hanc epiſtolam fateremur, tota vis noſtro adhuc argumento ſupereſſet. Neque enim ex illa epiſtola (quam tamen impotenter Criticus exagitauit) argumentum ducimus, ſed ex decreto Anniceti præcitato, quod non modò Eccleſia in Corpus ſui Iuris diſt. 23. c. 21. retulit, & ante Gratianum decreti Collectorem Iuo Carnotenſis antiquis ex Codicibus deſumptum inſeruit ſuæ Pannomiæ p. 6. c. 46. Sed & Funccius Lutheranus inter ipſius Anniceti decreta annumerauit ex lib. Concil. &c. *(Lib. 5. Comm. in ſuam Chronolog. ſub annum 159.)* Tametſi in anni indicio fallitur. Neque enim Annicetus, Eccleſiæ, ante annũ Chriſti 167. præeſſe cœpit, quo Pius primus nobili triumpho ad cœleſte regnum euectus eſt. Porro ſub Anniceto Polycarpus Romã ex Oriente venit, diſſidij quod de die Paſchatis efferbuerat componendi gratiâ, vt enarrat ipſius Polycarpi diſcipulus Irenæus lib. 3. contra hæreſes cap. 3. A quo Polycarpo, miſſus cum Andochio preſbytero, Thyrſo Diacono, Andeolo Subdiacono, ex Aſia in Galliam, Beatus Benignus dotibus Apoſtolicis preſbyter, ad Euãgelij præconium promouendum, eô inceſſit habitu, qui in actis eius martyrij exprimitur: nempe ſchemate à vulgi habitu differenti, & non caluo quidem, ſed tonſo capite, ex more Sacerdotij Chriſtiani: quem datis etiam litteris commendatum eodem circiter tempore Galliæ Epiſcopis, ab Anniceto ſedis Apoſtolicæ Pontifice, nihil prorſus repugnat; at veroſimillimum eſſe, rei geſtæ cum ſcriptis connexio planè perſuadet.

Nec obſtat quod mouet pium & valde eruditum ſcriptorem, ne eiuſmodi decretum editum ab Anniceto poſſit aſſentiri, *Improbabile,* inquit, *omnino eſt Annicetum ſæuiente in Chriſtianos, præſertim verò in Clericos & Sacerdotes, perſecutione, præcepiſſe vt Clericis in modum coronæ caput attonderetur, cùm vel iſto vnico ſigno dignoſci potuiſſent & morti addici:* Hoc, inquam, non obſtat, nam ſi hoc argumentum cuiuſquam momenti eſſet, præſcriberet etiam contra Apoſtolorum monita qui à Clericis non modò ſed Chriſtianis omnibus, etiámque fœminis, modeſtiam ſingularem in ipſo habitu exigunt, quam ſummo ſtudio commendant Tertullianus & S. Cyprianus propriis Opuſculis, quibus Chriſtianum quemque non ſolùm in verbis & factis, totáque conuerſatione, at in crinibus etiam & veſtibus totóque corporis habitu, pietatem Chriſtianam profiteri volunt, ſummáque auctoritate, vt pote ex Apoſtolicis inſtitutis petita, præcipiunt. At ſi cuiuſquam momenti eſt præfixa obiectio, à ſimili argui poterit: quan-

Digitized by Google

quam piè, tamen inconſideratè ſic actum, cùm his indiciis Chriſtiani non modò viri, ſed & mulieres facilè à cæteris dignoſci, & ſic ad ſupplicium illicò rapi potuiſſent, flagrante ſcilicet contra illos Ethnicorum vbique odio, & Iudæorum inuidia. Notum eſt, falsè illud, ad Tertullianum nuper Chriſtianam amplexum fidem, à quodam illuſore dictum; *à toga ad pallium;* quòd ſcilicet ipſe Tertullianus, Chriſto dato nomine reiecta toga induiſſet pallium, vt ſimplicitati religionis reſpōderet, ipſa quam præferebat cultus ſimplicitas, quemadmodum mos erat cæterorum fidelium, maximè Clericorum; quapropter eos Lucianus in Philop. irridebat, *Pallium*, inquit, *putre ſine calceis & tegmine, capite incedens detonsâ comâ:* huic affinis eſt locus iſte Saluiani lib. 8. *Intra Carthaginis muros, palliatum & pallidum, & recisis comarum fluentium iubis, vſque ad cutem tonſum, videre, populus vix poterat.* Quibus notis etſi à vulgo deprehendi poterant, conſtanter tamen his inſignes inter impios verſabantur, fidem ipſo hoc ſchemate profitentes, pro qua parati erant mortem oppetere. Verùm vt Chriſtiana hæc modeſtia habitûſque & deciſæ comæ ſingularitas Chriſtianos indicabat: haud mirum, ſi à Clericis exactior quædam forma ſelectioris diſciplinæ, Eccleſiæ Antiſtites præſtari præciperent, à quibus ſciebant & maioris modeſtiæ & inſignioris conſtantiæ ac fidei feruentioris ſpecimina, ipsâ ordinis ſacri prærogatiuâ deberi. Cùm igitur fideles paſſim comam detonderent, quid mirum ſi præterea verticem in modum ſphærulæ, pilis exui (quò à vulgo credentium eminerent) Eccleſiæ ſanxerit etiam hoc tempore diſciplina? De raſuræ nomine non contendo, cùm promiſcuè vtplurimùm cum tonſura à veteribus (vt ex infrà dicendis perſpectum fiet) vſurpetur, at de re quam inſtitutam à S. Petro, ſuprà referente Gregorio Turonenſi didicimus.

Porro ſi obiectio contra Anniceti decretum quicquam valet, etiam contra S. Petri factum militat, nam par periculum, imò fortè grauius B. Petri tempore impendebat, ſæuiente Nerone, Eccleſiæ miniſtris: quos Petrus obieciſſe eiuſmodi tonſurâ patenti diſcrimini, etiam dici poſſet. At zelus animarum & feruor fidei omnem eiuſmodi metum præciderat, paſtorúmque ac cæterorum Clericorum vox vna erat, quam vas electionis Paulus raſuræ etiam obſeruator, primus omnium protulerat, *Vincula & tribulationes me manent;* (Act. 20.) *Sed nihil horum vereor, nec facio animam meam pretioſiorem quàm me, dummodò conſumem curſum meum & miniſterium verbi quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei. Ego enim non ſolùm alligari, ſed & mori paratus ſum propter nomen Domini Ieſu.* Act. 21. Quo incenſus pio æſtu patiendi, & extrema quæque pro Chriſti fide oppetendi Sanctus Cyprianus inclytus Domini athleta & Pontifex, detonſam comam ſeu breues capillos ad indicium Clericalis militiæ, inter ethnicos furores, intrepidè vſque ad extremum certamen detulit: Vnde de eo canit Prudentius, *Deflua cæſaries compeſcitur ad breues capillos.*

Digitized by Google

CAPVT V.

Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes, inter ipſas perſecutiones & martyria, Tonſuram geſſiſſe Clericalem.

NON modò ab Anniceto, qui decretum illud, quod propugnauimus, edidit, aut morem potiùs ab Apoſtolis traditum diſtrictiùs ſeruandum generali admonitione commendauit: ſed ab ipſo S. Petro chori ſacri principe, vſque ad Siluestrum Pontificem (ſub quo, diuino munere extinctis perſecutionum incendiis, Eccleſiæ Alcyonæa tempora affulſerunt) & infrà deinceps, omnes quotquot Pontifices ſedi Apoſtolicæ præfuerunt, coronam Clericalem geſſiſſe in apice, euidenti ſunt monimento antiquæ eorum effigies, quas ex vetuſtiſſimis muſiuis, tabulis, codicibus, & quibuſuis ſacræ antiquitatis monumentis Onuphrius Panuinus ſolers & indefeſſus eiuſmodi rerum explorator eruit, & typis expreſſas præfixit cuiuſque Pontificum geſtis à ſe digeſtis. Porro non contemnendum hoc argumentum ductum à vetuſtis Sanctorum imaginibus VII. Concilium generale ſuis in Actis & diſſertationibus affatim nos edocuit: noſtrâque ætate doctiſſimus Sauarro admonuit, in aureis ſuis obſeruationibus ad Sidonium lib. 4. ep. 24. ad illa verba, *Tum coma breuis, barba prolixa*, &c. vbi deſignatis veterum nonnullis ſuæ ſententiæ adſtipulationibus, ſubiungit tandem hanc inſignem animaduerſionis ſuæ clauſulam, *Præterquamquod, Apoſtolorum icones, omnem dubitationem abſtergunt.*

In vetuſtiſſimo Codice Liturgico Leodienſi, ante annos (vt ex Kalendario perſpicitur) 700. exarato in membrana, qui Librariæ meæ ſupellectilis non minima portiuncula eſt; menſe Februario in Cathedra S. Petri, viſitur eiuſdem ſummi Apoſtoli venerabilis iconiſmus, myſtico hoc inſignis apparatu.

Triplex



Triplex illa clauis quam ſuperna manus offert S. Petro, triplicem deſignat poteſtatem, quam ſuper terram, & infrà, ſupráque, Chriſtus illi & ſucceſſoribus contulit; ſeu clauem ſcientiæ, clauem ordinis, & clauem iuriſdictionis eminenter ipſimet conceſſas diuino munere, myſtica hæc expreſſio deſignat. Porro affuſus Apoſtoli pedibus adoleſcens, qui à ſiniſtra cernitur alba tunica indutus, pallio purpureo, nigris calceis, campagis verò rubris, læua librum tenens, dextra ſedentem indicans erectis in ipſum iam longiùs diſtantem obtutibus, Orientem innuit, cui primùm Petrus præfuit, Antiochiæ Cathedrâ Epiſcopatus collocatâ. Alter verò proximior, qui non genuflectit, at ſedet à dextris, conſimili ſchemate ſuper gradus Apoſtolici ſolij, exporrecta manu dextra, eáque erecta quaſi in ſignum admirationis, librum quoque læua ſuſtentans, denotat Occidentem, in quem ipſe tranſtulit Petrus ſedem, fixo permanſuram ſitu. Alba porro ſtola indutus ſedet, collobio purpureo ſuperiniecto, quod antè quidem infra genua in acumen deſinit, flexuris verò reuolutum ad vtrumque cubitum apparet, Apoſtolo dextra paululùm erecta crucis ſignaculum efformante, at ſolo indice ſurſum exporrecto, cæteris digitis in palmam recuruis; ſiniſtra inferiùs tendit, baculum tenens paſtoralem, cuius virga lignea, collobij oram an-

teriorem non excedit: imminet virgæ globulus quaſi eburneus, cui recurua pars ſuperior infixa eſt nigri coloris, quaſi ex ligno confecta abiegno. Ante pectus ſuper collobium aureus micat circulus, quo quaſi pallium pontificale ſtringitur, ſuprà decenti complexu explicatum: infrà verò duplicis lineæ, globulis candidis conſperſæ, binas producens vſque ad extremam oram connexas, æqualéſque faſciolas. Vultu ſereno ſedet Apoſtolus, non caluus quidem, ſed detonſus in vertice, circulari eminente, non raſura quidem, ſed tonſura; cano cæterà capillitio & barba criſpa & denſa, ſed non admodum prominente; labro ſuperiori detonſo, ſuperciliis decenter circumflexis, benignis oculis, facie ſubpallida; Quo vultu fuiſſe S. Petrum & aſpectu ex antiquis eius imaginibus & vetuſtis ſacræ hiſtoriæ monimentis, litteris prodidit ſubinde Nicephorus lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 27.

Non abs re hîc illuſtre dictum poſſe referri puto Valentiniani Imperatoris, qui in reſcripto ad Ætium Magiſtrum militiæ in Gallia, datum anno 445. pro ſumma ſedis Apoſtolicæ auctoritate, haud minùs ſcitè, quàm verè appellat S. Petrum *Epiſcopalis coronæ principem, Nouell. Valent. inter Nouell. Theodoſij poſt Cod. Theodoſ. Tit.* 24. *de Epiſcoporum ordinatione*: ſeu quia Epiſcopatûs in ipſo cœperit exordium, quamobrem ab Euſebio, in chronico, vocatur *Primus Chriſtianorum Pontifex*: Siue quia eius ſedes ſit Epiſcopatus apex & centrum Catholicæ vnitatis; ſiue denique, quia coronæ Sacerdotalis (vt ſuprà inſinuauimus) auctor fuerit non modò quòd tonſuram geſſerit, ſed etiam quia gerendam iuſſerit Sacerdotibus. vnde veterem innatum morem exiſtimant doctiſſimi rerum Eccleſiaſticarum Tractatores, Epiſcopos per coronam ſuam obteſtandi, eandémque honoris cauſa ſalutandi, vt ex Euſebio lib. 10. c. 1. & 4. S. Hieronymo, epiſt. ad B. Auguſtinum quæ eſt 26. inter epiſtolas eiuſdem Auguſtini, ipſóque S. Auguſtino, ep. 147. ad Proculeianum: nec non Vincentio Lirinenſi in Commentario, & Sidonio lib. 3. ep. 6. ad Leontium, & 8. ad Euphronium, itémque Ennodio Ticinenſi ad Marcellinum Epiſcopum, rurſúſque ad Aurelianum, atque ad Symmachum Papam; quin & Galliarum Epiſcoporum Synodica ad Leonem Magnum, necnon Tarraconenſium Comprouincialium ad Hilarium eius ſucceſſorem abundè conſtat, prout etiam obſeruaſſe meminimus Panopliæ Epiſc. lib. 1. c. 3.

Ad has ſpectaſſe videtur Pontius Diaconus, coronas: quùm ſcribit à Sancto Cypriano, Sacerdotales coronas fuſo ſanguine in illuſtri martyrio conſecratas primùm fuiſſe; *Sic conſummata paſſione* (inquit ipſe eius ſpectator & deſcriptor Pontius) *perfectum eſt, vt Cyprianus qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam Sacerdotales coronas in Africa primus imbueret, quia & talis eſſe poſt Apoſtolos prior cœperat.* Quæ verba de corona Sacerdotali, myſtica aut metaphorica cenſeas dicta eſſe, Prudentij auctoritas intercedit, qui in huius inclyti athletæ ac Pontificis epinicio, detonſæ comæ meminit, quam geſſit intrepidus medios inter cuneos furentium impiorum,

Iámque figura alia eſt, quàm quæ fuit oris & nitoris

Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeueram,
Deflua cæſaries compeſcitur ad breues capillos,
Ipſe modeſta loqui, ſpem quærere, regulam tenere.

Nec mireris iam in Cypriano patentia hæc Eccleſiaſticæ militiæ inſignia perſpecta fuiſſe, diu antè in vertice ſacro geſſerant alij Martyres hoc ipſum ſuæ pro Chriſto ad mortalis legationis conſpicuum ſignaculum.

Acta id maximè probatiſſima indicant ac euincunt, S. Benigni preſbyteri, & Martyris, qui à B. Polycarpo S. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulo in Galliam Celticam miſſus æternæ vitæ nuncius, ſub Imp. Aureliano, Præſide Terentiano Comite, nobile martyrium Diuione peregit Kal. Nouembris anno 150. in his enim, vbi inſtituitur Beati viri accuſatio, hoc modo depingitur ipſe cœleſtis præco inſtructus; *Vidi* (inquit Terentianus ad Imperatorem) *quendam hominem peregrinum capite detonſo, cuius habitus differt ab habitu noſtro, vitaque noſtræ diſſimilis eſt, deorúmque cæremonias refutat, populum noſtrum abluit aqua & balſamo linit, ſigna multa in populo facit, nouúmque Deum patriæ noſtræ annunciat, & poſt mortem aliam vitam illi Deo credentibus promittit.* Ex qua ſummâ prædicationis S. Benigni, officij ſacri ſpecimen, & habitus quo vtebatur typus elicitur, in quo maximè Tonſura capitis, iam tunc diſſeminatoribus Euangelij vſitata, ſignatim notata exprimitur. Vulgauit Surius hæc Acta Tom. 11. de S S. *ex quodam*, vt aſſerit, *perantiquo Codice, cui vetuſtiſſima Martyrologia adſtipulantur*; vt non dubium ſit æquis iudicibus, ſatis competentem fidei auctoritatem, ex iis elici poſſe.

Sed geſtatæ coronæ exemplum inter furentes perſecutionum turbines, hoc longè illuſtrius habemus in Actis S. Chryſolij, quem inter primotes Apoſtolos ſuos colit Eccleſia Tornacenſis; miſſúmque eò fuiſſe à S. Marcello Papa & Martyre ad proferendum Euangelij lumen Molanus in Natalibus Belgicis 7. Februarij, & in additionibus ad Vſuardum, priſcis ex monimentis conſignat: quamuis alij à Marcellino, Papa quoque & Martyre legatum aſſeuerent. Hunc enim ab infidelibus comprehenſum Acta eius narrant, cæſo vertice, deciſáque corona Sacerdotali, victorem pro Chriſto occubuiſſe; *Tenetur* (ſic habent) *deridetur, conſpuitur, flagellatur, & tandem pretioſa corona cum cerebro crudeliter amputatur.* Contigit hoc in vico dicto Verlemgehem, ſecundo ab Inſulis in Flandria lapide, eo loco quo eius ſub titulo ſtructa iampridem cernitur Eccleſia parœcialis. Alia extat Comminiis, vbi quieuit; fónſque mirabilis, prope quem ſpiritum triumphantem inclytus Chriſti athleta profudit. Apud Brugas demùm, vt in tutiorem ſedem, ac ædem inſigniorem tranſlatæ fuerunt venerabiles eius exuuiæ ob hagiomachorum nouiſſimorum ferales motus. Picturæ antiquæ quæ etiamnum viſuntur Comminiis & Verlemgehem, Martyrem hunc referunt facie quidem aperta ac integra, ſed abſciſſum ſactum verticem cum corona in apice expreſſa, ambabus manibus ſuper pectus ſuum deferentem.

Digitized by Google

CAPVT VI.

Moris fuiſſe apud Ethnicos Eccleſiæ perſecutores, in deriſionem tam Domini paſſionis, quàm Clericalis Tonſuræ, cruentis coronamentis Martyres ſacri ordinis plectere.

CETERÙM tempore perſecutionum quæ toto orbe per annos fere 300. efferbuerunt, in deriſionem, vt reor, clericalis coronæ, Martyres ſacri ordinis à Tyrannis & tortoribus diris ac miris modis, in capitis vertice cruciatos, atque etiam exquiſitis coronamentorum artificiis ludibrioſè ac crudeliter coronatos, actorum paſſionis eorumdem Martyrum monumenta perplura, patenti ſunt argumento. Sanè de Beato Andeolo Subdiacono, quem ad ſegetem ſalutis diſſeminandam S. Polycarpus in Galliam miſit, legimus in Romano Martyrologio, cui Beda, Vſuardus, Ado, aliíque adſtipulantur Kal. Maij, ipſum ſub Seuero Imperatore ſpinoſis fuſtibus cæſum, *enſe ligneo capite in quatuor partes diſſecto in modum crucis conſciſſo, martyrium conſummaſſe.* Quem in deridendis & excruciandis Dei miniſtris ſæuum impietatis genium, diù poſteà imitatus Fridericus pſeudo-chriſtianus Imperator, memoriæ proditur, Clericos, dignitatis ſacræ odio detonſam in vertice coronam ferro cæſim in crucem vulneratam, non tam onerari vt dicebat, quàm ornari, iuſſiſſe, (Continuat. Baronij ad ann. 1239. ex auctore Vitæ Gregorij IX. Blondo, Krantio, Fazello, Sigonio;) quorum vnus inflictum vulnus nimis patienter ferre viſus, in palearum cumulum funiculo eſt protractus, & cùm benedicere & laudare Deum perſeueraret, igni ſuppoſito eſt crematus.

Porro, vt ad acerbiora Eccleſiæ tempora regrediat, in Actis SS. Ferreoli presbyteri, & Ferrutionis Diaconi, qui à S. Irenæo B. Polycarpi auditore ac Lugdunenſi Epiſcopo Veſuntionem ad ferendum lumen fidei directi ſunt, vbi & nobile martyrium ſub Imp. Aureliano, Claudio iudice ſunt perpeſſi: æquè ludibrioſo ac crudeli coronamento affecti perhibentur; quin & cùm horum corpora diuino nutu reperiiſſet Anianus eiuſdem Vrbis Pontifex, (qui antea Confeſſor ſub perſecutione impij Iuliani Imp. extiterat) ac eadem honorificè in primaria Eccleſia ritu ſolenni collocaret, inuenti ſunt etiam in capitibus eorum claui olim infixi ad modum coronæ Domini. Rei geſtæ hiſtoria, quam refert Chiffletius part. 2. Veſuntionis ſub Aniano Antiſtite p. 47. ſic ad verbum habet; *Martyrum ergo ſepultura eius iuſſu detegitur, ſtatimque eorum corpora in monumento reperiuntur. Sanctorum igitur Martyrum corpora ſuæ paſſionis virtutiſque mirifica in ſemetipſis monſtrauerunt inſignia, nam eorum capitibus trabales claui, malleis ferreis impulſi, affixi inuenti ſunt: & quanquam abſciſſionem capitum egregij Martyres excepiſſent, ordo tamen clauorum in eorum capitibus quaſi coronam agebat, quæ totius compagem orbis poſſidebat.* Hæc ibi; Et infrà, *Cla-*

Digitized by Google

ui verò ab eorum capitibus per ſanctorum manus Sacerdotum ſublati retinentur, per quos ſæpe infirmitatibus diuerſis hominum medela impertitur. In Actis Sancti Genulphi à B. Sixto II. Papa in Gallias ad prædicandum miſſi lib. 1. c. 18. Clerici ab eo facti plerique memorantur myſtico ritu Tonſuræ; *Comam capitis ibidem pro Domino deponebant, ac eius ſeruituti ſedulò ſe mancipabant, quos pius Doctor & diuinis ſemper inſtitutionibus informabat,* &c.

CAPVT VII.

Poſt Ethnicarum ſæuitiarum procellas, pace Eccleſiæ datâ, diſciplinam comæ detondendæ, & coronæ Clericalis palàm gerendæ diſtrictiùs exactam, atque obſeruantiùs cuſtoditam tandémque inuiolabili more ſtabilitam.

[library stamp]

DE Martyribus ad Confeſſores legitimus iam patet tranſitus: ſponſæ enim ad ſponſum ſuaues voces, poſt horrenda tonitruum fulmina, licet tandem procellâ in auram diuino nutu mutatâ, perſonantes exaudire: *En dilectus meus loquitur mihi* (inquit illa dilecta Cant. 2.) *ſurge, propera amica mea & veni, iam enim hiems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ſurge amica mea, ſpecioſa mea & veni; columba mea in foraminibus petræ, in cauernis maceriæ, oſtende mihi faciem tuam,* quam abſconderas ſcilicet, dum tremula ab accipitris inſultu, à vulturis impetu, à tempeſtate & turbine, ab imbre & pluuia intra latibula confugeres, filiíque tui plerique egentes, anguſtiati, afflicti, quibus Heb. 11
dignus non erat mundus, ſeſe occultarent, *errantes in ſolitudinibus, in montibus & ſpeluncis & cauernis terræ, dum interim alij fortes facti in bello obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fregerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, caſtra verterunt exterorum; Alij autem diſtenti ſunt, alij verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt; Sed tamen hi omnes teſtimonio fidei probati, ſidem per ipſam, vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones.* Dudum antè Dominus vt timida diſcipulorum ſuorum corda, contra aduerſariorum formidandos inſultus erigeret, fore aliquando prædixerat, vt ea ipſa æternæ veritatis oracula, quæ ſæuientibus perſecutionum procellis, præ metu clanculùm diſſeminauiſſent, palàm & apertè coram omnibus diuulgarentur: *Quoniam quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur* (ait Luc. 12.) *& quod in aurem locuti eſtis, in cubiculis,* (qualia in Romæ ſubterraneæ viſceribus ſeu obſcurioribus latibulis iam reſerata viſuntur) *prædicabitur in tectis.* Non ſolùm in futuro (appoſitè ſubnectit Venerabilis Beda lib. 4. in Luc. cap. 52.) quando cuncta cordium abſcondita proferentur ad lucem, ſed & in præſenti tempore poteſt id congruenter accipi, quoniam *quæ in tenebris* quon-

dam preſſurarum, *carcerúmque vmbris, vel locuti ſunt, vel paſſi ſunt Apoſtoli,* (& eorum proximi plerique ſequaces) *nunc clarificatâ per orbem Eccleſiâ publicè prædicantur.*

Difficile fuiſſe, furentibus aduersùm Chriſtianos, præſertim Clericos, truculentis Tyrannis, Eccleſiæ miniſtris tonſuram gerere Clericalem abſque mortis patenti diſcrimine, non abnuerim: cùm vel iſto vnico ſigno dignoſci potuiſſent & neci addici. Quod tamen eminens vitæ periculum tanti momenti non fuit, vt pleroſque à perferendo palam hoc ſacri ordinis indicio deterreret. Nam vt ſuprà obſeruauimus, intrepidè ſanctus Benignus detonſo vertice inter impios inceſſit, hócque deprehenſus ſigno ad martyrium raptus eſt. Idem geſtaſſe palam indicium Sacerdotij Chriſtiani ſanctum Chryſolium Epiſcopum Tornacenſem, quin & B. Cyprianum Carthaginenſem, nec non Ferreolum preſbyterum, & Ferrutionem Diaconum à ſancto Irenæo, Polycarpi viri Apoſtolici diſcipulo, Veſontionem miſſos, in ipſo fidei hoſtium conſpectu ſuprà etiam obſeruauimus. Ceterùm haud multa (ingenuè fateor) ſimilia illorum temporum exempla obuia nobis ſuppetunt, vel quòd (vt dolet admodum Prudentius) athletarum Chriſti pleraque acta perierint, non tam poſterorum ſuppreſſa neglectu, quàm inſano Tyrannorum furore & diaboli odio atque inuidia, cuius, vt notauit Arnobius, *perenne ſtudium fuit Chriſtianam intercidere veritatem*, & Martyrum victorias, Eccleſiæque triumphos ſub obliuionis puluere ſepelire: vel quòd fortè ſacri ordinis homines, etſi tonſuram illam perferrent, in ipſo feruentiori perſecutionis æſtu, nonnulli tamen occulerent, ne ſeipſos eiuſmodi ſignaculo viderentur prodere: Sicut ſuperiori ſæculo, ſæuiente nupera hæreſi, factum paſſim contigit; quod & fratribus ſui ordinis non diù à vaticinio ſuo futurum, Ioannes Burgenſis piæ memoriæ Minorita prædixerat, de quo id auctor grauiſſimus Indiculi Sanctorum Lugdunenſium, in Mantiſſa his verbis annotauit: *Spiritu* (inquit p. 446.) *item prophetico donatum lego, ac nominatim Cœnobij ſui (Lugdunenſis) euerſionem & templorum excidium quaquauersùm per Gallias furore ſatanico ſpecie reformatæ religionis obducto conſecuturum prænunciaſſe; Fratribus verò cùm fugam ementito habitu in exteras regiones prædixiſſe, tum illinendum quandoque ſtercore bubulco orbiculatum verticis tonſum, ad ſacram militiam impios celandam. Quæ omnia exitus comprobauit anno 1562. Aprili exeunte; Tunc enim & Cœnobium dirutum eſt, & fratres diſperſi in exteras regiones ementito habitu, nonnulli etiam illito ad prædictum modum vertice ægrè euaſerunt.*

Monimenta at verò cautelæ priſcorum Eccleſiæ miniſtrorum tempore ethnicæ perſecutionis adhibitæ in delatione diuini viatici ad infirmos pleraque in hiſtoriâ ſacrâ ſuppetunt, quæ hîc prolixum foret recenſere, quamuis ex diuini muneris primario vſu eius diſpenſatio ad ſolos Sacerdotes ſpectet,

Quibus ſic congruit,
Vt ſumant, & dent cæteris.

Digitized by Google

Attamen feruentibus perſecurionum procellis, Eccleſia vſa eſt primùm Diaconorum miniſterio, deinde etiam inferiorum Clericorum opera, vt viatico cœleſti infirmis fidelibus opitularetur. Inſigne hinc retulit victoriæ trophæum ſanctus Tharſicius Acolythus, de quo in Romanis diptychis hæc legimus 18. Kalend. Septembris, *Romæ via Appia S. Tharſicij Acolythi quem pagani cùm inueniſſent corporis Chriſti Sacramenta portantem, cœperunt diſquirere, quid gereret? At ille indignum iudicans porcis prodere margaritas, tandiu ab illis mactatus eſt fuſtibus & lapidibus, donec exhalaret ſpiritum: & reuoluto eius corpore ſacrilegi diſcuſſores, nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus inuenerunt: Chriſtiani autem corpus martyris collegere & in Cæmeterio Calliſti honorificè ſepelierunt.* Hæc ibi. Aſpirantibus verò Eccleſiæ benignioribus auris, iam non ampliùs clam viaticum diuinum, ſed palam, cœpit non ab inferioribus Clericis, at à ſolis Sacerdotibus vel Diaconis eorum iuſſu deferri. ſeſe enim accommodare ſolet Eccleſia locorum, perſonarum, & temporum circumſtantiis, ad quas, rerum ſubſtantia ſemper incolumi, mores ſuos ac ritus prudenter inflectit, v. g. tempore perſecutionis afflictis fidelibus indulſit, vt Euchariſtiam manu acciperent, domum deferrent, ibique abſente Sacerdote, aut Diacono ſumerent priuatim, ad ſe muniendum aduerſùs ingruentia paſſim pericula, per infidelium vndique ſæuientium inſultus. (Vide S. Baſilij epiſt. ad Cæſaream Patriciam;) At poſtmodum ſopitis perſecutionum incendiis, ceſſante cauſa huius indulgentiæ, morem quoque exhinc profectum Eccleſia prudenter abrogauit. Cuius rei præclarum extat in Cæſarauguſtana Synodo, quæ Hormiſda Pontifice conſedit, monumentum, in qua prædicta conſuetudo legitur antiquata; *Euchariſtiæ gratiam* (ait Sancta Synodus) *ſiquis probatur acceptam non conſumpſiſſe in Eccleſia, anathema ſit in perpetuum.*

Plura longè exempla huiuſmodi variationis, in Eccleſiaſticis moribus qui politiam dumtaxat & diſciplinam ſpectant, facile eſſet hîc recenſere. ſed ne tædio forem Lectori, ab his proferendis lubens ſuperſedeo. Porro, vt ad ritum Tonſuræ Clericalis, vnde huc ſumus digreſſi, ſtylum reflectam; axioma hoc ſtatuere operæ pretium fuerit, Clericis omnibus fuiſſe leges impoſitas, iam ab initio Chriſtianæ religionis, non modò rectè viuendi, ſed ipſo habitu, modeſtiæ exemplum præferendi cæteris Chriſtianis: v. g. Quòd capillum orbiculatim incidant, tonſuram gerant in ſacræ militiæ cui adſcripti ſunt, ſpectabilem teſſeram; eo veſtitu vtantur, qui deceat profeſſionem clericalem; atque quantò arctiori diſciplina ordo ſacer, vulgi turbis continetur, tantò ſelectum quoque viuendi modum apertiùs præ ſe ferat. At his à legibus in caſu neceſſitatis Clerici diſpenſantur, quo occurrente pleraque illis permittuntur, quæ alioquin prohibita erant: v. g. poſſunt peregrinationis cauſa tabernas ingredi, ſeu cauponas, *cap. Clerici* 44. *diſt.* habitum mutare, *c. Epiſcopi* 21. *q.* 4. ab excommunicatis cibos capere, *c. quoniam* 11. *q.* 1. Sacramenta etiam tempore interdicto ſumere, *c. quod in re, de pœnit. & remiſſ.* Sic etiam comam relaxare peregrinando eis indulgetur *c. ſiquis ex Clericis, de vita & honeſtate Clericorum.* Ceterùm ſi peregri-

nationis intuitu, Eccleſia pia mater legem detondendæ comæ relaxat, non dubium quin tempore perſecutionis quo mortis periculum imminet Clericis, ex ipſo ſuæ profeſſionis externo ſignaculo, ab hoc proferendo cenſuerit Eccleſia ipſos Clericos iure ipſo tuendæ vitæ diſpenſari: quo caſu (modò ſit aliunde tuta Eccleſiæ ſalus*) petmittit Lex Canonica Prælato, ſi quæritur, fugere, & ad tempus relinquere oues, can. *Aduerſitas* 7. q. 1. A ſimili igitur fas fuiſſe non dubito, eodem in caſu occultare tonſuram, vel crines protendere; quo indulto ſi qui vtebantur, non peccabant. At qui zelo fidei diſcrimen vitæ ſpernebant, ſignaculo Tonſuræ deprehenſi, mottem ſi oppeterent, maius præmium exactæ fortiter militiæ promerebantur. Verùm occultandæ Tonſuræ, aut non gerendæ ceſſauit indulgentia, ceſſante cauſa, ob quam conceſſa fuerat: quamobrem poſt Ethnicorum ſuperatam Eccleſiæ fide & Martyrum fortitudine ſæuitiam, pacémque ſub felici Conſtantini imperio cœleſti munere impetratam, leges Eccleſiaſticæ ſeruandum Tonſuræ ritum magis vrgent, ſeruatúmque eundem paſſim à viris Eccleſiaſticis ſacræ hiſtoriæ monimenta luculentiùs teſtantur.

* Nota.

CAPVT VIII.

Leges, & exempla huius ſacri Ritus à tempore Silueſtri I. vſque ad Leonem Magnum.

SANE, Theodoro Balſamoni, *ſextæ Synodi in Trullo can.* 21. παπάλητρα, dicitur corona Clericatus, quam geſtaſſe S. Silueſtrum diſertè meminit in Nomocan. Photij Tit. 8. de Parochiis. Et verò mihi eſt in antiquæ ſupellectilis librariæ portiuncula vetuſtiſſimus codex Liturgicus in membranis exaratus, figuriſque magnam antiquitatem ſpirantibus exornatus, in quo ad ſecundum Kal. Ianuarij feſto S. Silueſtri conſecratum, Miſſali officio præponitur eiuſdem Beatiſſimi Papæ effigies, Pontificali inſignis habitu, ſed aperto capite, in cuius vertice paret corona illa Clericalis ſpectabili circulo efformata, capillis infrà modeſtè defluentibus, ſed barba detonſa. Hoc nimirum modo imago illa ſe habet, quam ob præclarum antiquitatis ſpecimen, non modò in depicti Pontificis facie, ſed & apparatu toto Pontificali elucentis, hîc quàm genuinè potuit delineari expreſſam, non ingratum fore putaui pij lectoris obtutibus exponere.

S. Sil-

Digitized by Google

S. Silueſtri Papæ iconiſmus, ex antiquo codice Liturgico annos ſupra 700. exarato, in membraneis foliis.



In hoc apparatu S. Silueſter, ſandaliis calceatus eſt purpureis, quibus ſuperfluit tunica biſſina, ſeu alba; pendulæ ſuper quam ſtolæ rubri coloris cum fimbriis aureis ſub oras attextis eminet ornatus; ſuperpoſita eſt dalmatica ſubfului coloris, huícque viridis planeta, ſeu caſula, aut potiùs collobium, quod Pontifex ab imo in medium replícatum, ad motum brachiorum ſic erigit, vt dextrâ benedictionis ſignum, apertâ manu ſine chirotheca efformet: digitis tamen ſingulis exporrectis; ſiniſtrâ verò librum ſacrum ſuſtineat cæruleo colore intinctum, cruce aurea deſuper efformata fulgentem. Ambit collobij circuitum aureus etiam gemmis coruſcans limbus, à cuius ſummitate ante pectus, aurea quoque linea in imam oram defluit, vnionibus interſtincta nonnullis, circulus ſuperior pari decore humeros, pectus, laterá que complectitur. Supereminet poderis altera extremitas; hinc aſſurgit à collo ferè in verticem, Tonſura Clericali lucidum, ſancti Pontificis venerabile caput, capillo caſtanei coloris circumeinctum, totóque vultu radiat illa maieſtas, quam ſumma dignitas & innatus decor, magíſque illa mirabilis ſanctimonia, tantis veterum celebrata præco-

Digitized by Google

niis, ipſimet Beatiſſimo Pontifici, ſummo Dei beneficio ad publicam orbis Chriſtiani ſalutem natô conciliauit; domitorémque generis humani Conſtantinum Magnum, eius ad ſacra veſtigia inflexit, Chriſtianis ſacris initiari ſupplicantem, & Seruatorem mundi in eius vicario adorantem.

Sed Silueſtrum, non modò Tonſuram, verùm & Clericalem coronam (à præfato Balſamone παπάλητρα dicitur) geſſiſſe etiam ante ipſius Conſtantini pium & felicem ad Chriſti fidem acceſſum, ſuprà inſinuauimus. In huius Actis, quæ Gelaſius in Synodo 70. Epiſcoporum inter apocrypha non reiicit, *can. ſancta Romana, diſt.* 15. ſed à Catholicis Romæ haberi in pretio commemorat (referuntur à Surio ex Metaphraſte tom. 12. de SS. die 31. Decembris) memoriæ proditum comperimus, fuiſſe diſciplinæ Clericalis excolendæ apprimè ſtudioſum, ſummáque cura editis etiam variis ſuper ſacrorum hominum moribus, decretis, contendiſſe vt Cleri à populo delectus, non ſolùm loco & habitu, ſed & tota conuerſatione ſpectabilis fieret.

Canonem Nicæni Concilij ex Arabico profert Turianus, *Vt Monachi caput tondeant in modum coronæ;* Huius Tonſuræ extat etiam S. Dionyſij teſtimonium, qui lib. Eccleſ. Hierarchiæ c. 6. ſub monaſticæ conſecrationis programmate, hunc ritum ſic breuiter ac dilucidè deſcribit; *Sacerdos eum* (inquit) *ſigno crucis conſignatum tondet, tres perſonas diuinæ beatitudinis inuocando, omnique veſte detractâ, eum aliâ induit.* Morem Tonſuræ Clericalis (imò & raſuræ ſi placet) ab hoc ritu monaſticæ tonſionis defluxiſſe magni viri exiſtimant: Vnde eius quidem antiquitas apparet. Sed differentia notanda venit ex forma vtriuſque diuerſa; nam Clerici ſolum verticem, àt monachi totum caput iam olim tondere conſueuerant tenui circulo capillorum inferiùs tantùm relicto; radebant cute tenùs monachi comam, at Clerici verticem in modum orbiculi ſolummodò attondebant; monachorum raſura erat vniformis; Clericorum corona ſecundùm diuerſos gradus minor vel maior. Apud Græcos Lector qui minimus eſt Clericorum in ordine, (vt notat Elias Cretenſis loco inferiùs citando) λίτος πάπας, ſimplex Papa vocitatur, iuris Græco-Romani lib. 2. in Bulla aurea Alexij Comneni c. 1. Solétque apud nos Francos Clericus nullo ordine adhuc præditus, ſed ſola Tonſura inſignitus appellari, *Clerc à ſimple Tonſure.* Et reuerà dum in Clerum cooptantur Clerici ſolenni ritu ab Epiſcopo, non eis æqualiter imprimitur in vertice corona, ſed dumtaxat coma ferè per circuitum extenuatur, & in vertice leuiter abſcinditur aliqua capillorum particula; ſic enim præſcribit liber Pontificalis: *Incepto pſalmo* (Conſerua me) *Pontifex cum forficibus incidit vnicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, & in bacile deponit, & quilibet cùm tondetur dicit, Dominus pars hæreditatis meæ,* &c. At de hoc ritu fuſiùs infrà. Sed interim Canonis Nicæni num. 76. ex codice Arabico, quem à Turiano vulgatum & vindicatum ſuprà innuimus, hîc ſeries repetenda non abs re videtur, *Vt religioſi tum monachi, tum moniales habeant alia indumenta &*

alios mores, quàm habent Laïci, ac tondeant caput in modum coronæ, & cingant ſe honeſtè. Superiori verò canone, qui *de præficiendis religioſis domibus & xenodochiis* inſcriptus eſt, diſciplinæ eiuſmodi, & omnis modeſtiæ, doctrinæ, prudentiæ, fidei, ſacerdotes monaſteriorum, & qui altari miniſtrant, duces & archetypi eſſe admonentur. Obiter attingit hunc primò dictum canonem Nicænum Gratianus 16. q. 1. c. *placuit*, cuius titulus eſt, *Monachorum conuerſationem ab omnibus debere eſſe diſcretam.*

Sanctus Athanaſius hac eadem ætate (vt omnes norunt) floruit, qui in lib. de Virginitate, diſciplinæ huius expreſsè meminit, capilli circumtondendi, quam vſque virginibus affatim commendat. Refert Ammianus Marcellinus lib. 22. paulò poſt medium, ſub imperio Conſtantij Magni Conſtantini filij ſeditione facta Alexandriæ, impiâ nece à furentibus ethnicis, Diodorum quemdam interfectum, qui ædificandæ Eccleſiæ præerat, *eo quod cirros puerorum licentiùs detonderet: ex more ſcilicet ac diſciplina* (vt Scholiaſtes Fr. Linderio in obſeruationibus in Marcellinum p. 115. notat) *Chriſtianæ religionis.* Ex cuius obſeruantia, Iulianum poſtea Imperatorem, eodem circiter tempore metu Conſtantij Auguſti (cui infeſtus erat) comam rotondiſſe, quo ſacram militiam profiteretur ſe amplexum, ſicque factum Clericum, imò & Lectorem in Nicomedienſi Eccleſia ordinatum ab Euſebio Epiſcopo, conſanguineo ſuo, auctores ſunt, Socrates lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 1. & Zozimus lib. 5. c. 2. Quibus fidem faciunt S. Gregorius Nazianzenus orat. 1. in ipſum Iulianum, Chriſti iam factum ciuratorem; quæ eſt inter alias 3. apud ipſum S. Gregorium Nazianz. tom. 1. vbi legendus quoque Elias Cretenſis ipſius Nazianzeni Scholiaſtes Commentatij in eandem epiſt. num. 27. Idem porro ex ſententia ſancti Cyrilli Alexandrini ab ipſo Iuliano factum inſinuat Petrus Gregorius, Syntagmatis iuris vniuerſalis lib. 16. c. 1. §. 29.

Eadem ætate ſolitos fuiſſe, qui ad ſacros ordines, maximè verò ſacerdotium aſcendebant, comam deponere, imò caput radere, teſtis eſt præfatus S. Gregorius Nazianzenus paulò poſt initium orationis 28. ſeu declamat. in Maximum Cynicum philoſophum, qui repentè ex Laïco ad Epiſcopatum irrepſerat: dolétque ſanctus Pater gliſcentem hunc abuſum, quô plerique alij idem facinus præſumebant; *Iam mihi quoque* (inquir) *timorem iniiciunt canes, per vim in paſtorum claſſem irrumpentes, idque (quod abſurdum valde eſt) cùm ad paſtoralis muneris adminiſtrationem nihil omnino aliud contulerint, quàm quod comam, cui ornandæ & alendæ turpiter ſtuduerant, raſerunt.* S. Baſilius in Aſcetarum ſuorum regula, raſuræ iridem meminit. Item ſanctus Ambroſius ep. 25. ad Eccleſiam Vercellenſem, quam de boni paſtoris admonet delectu, lib. 3. vbi eleganter ad Chriſtum ſummum omnium Sacerdotum Tonſuram refert, in quo impletum fuiſſe ait Iſaiæ vaticinium, *Sicut ouis coram tondente ſe obmuteſcet,* &c. *Et illa ouis*, ait, *ſibi portio eſt, quæ ad immolandum ducta eſt, & ille agnus coram tondente ſe ſine voce, qui non aperuit os ſuum, cuius in humilitate iudicium exaltatum eſt. Benè*, ait, *coram tondente, qui ſuperflua non propria in illâ* Iſai. 53.

depoſuit cruce, qui corpus exiit, non diuinitatem amiſit: non quicumque ergo dicit, portio mea Dominus, &c. Vbi ad ritum illum ſpectaſſe videtur, quô initiandus Clero cùm ab Epiſcopo tondetur, Dauidicum illud ſibi accinit, *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.*

Circa hoc ipſum tempus in victoriæ monimentum, quam Theodoſius Magnus, pugnantibus in acie viſis pro ipſo, Ioanne & Philippo glorioſis Apoſtolis aduerſus Eugenium Tyrannum, diuina ope obtinuit, cuſum numiſma illud illuſtre fuit ac in vulgus diſperſum, quod Baronius tom. 4. ſub ann. Chriſti 394. repræſentat: vbi poſt anticam deſcriptam partem numiſmatis, in qua cernitur ad viuum expreſſa Theodoſij ipſius effigies, in Chriſtiani principis ornatu; hæc de poſtica ait, *Ex aduerſa verò numiſmatis facie intueris expreſſè ſacerdotali decoros habitu geminos illos, quos in viſu vidit Apoſtolos, Ioannem & Philippum expreſſos reddi, æquè dextrâ volumen ſacrum, ſiniſtrâ verò crucem geſtantes. Habes etiam ex his, Lector, inter alia vnde antiquum ſacerdotalem habitum diſcas, ſimúlque Tonſuram intelligas*, (quæ in vtriuſque Apoſtoli ſpectabilis apparet vertice) *atque palliola humeros ac pectus ambientia*, &c. Non porro eſt quòd hîc Nouatores, vt Tonſuræ Clericalis antiquitatem amoliantur, excipiant, Apoſtolos illic repræſentatos non eô quô vtebantur habitu, ſed eô qui tunc erat in vſu apud ſacrorum miniſtros, cùm numiſma illud, Theodoſij iuſſu excuſum fuit. cauillum enim huiuſmodi prorſus futile eſt & ludicrum, nihil etenim ipſi Nouatores ex hoc lucrantur: nam tametſi exploratum eſſet Apoſtolos non in eo habitu quem geſſerunt, ſed in eo qui tum erat vſitatus cùm exiit in publicum hoc numiſma, expreſſos eſſe; Tonſuræ nihilominus antiquitatis hoc ipſum foret non ignobile monimentum, cùm huius ſit vetuſtatis quæ annos quinquaginta ſupra mille ducentos exſuperet, vnde nuperus non poſſet cenſeri titus, qui ſæcula duodecim ſuo vſu (qui claret in hoc antiquiſſimo numiſmate) tranſcendit. Sed quid nos cogat ad hanc epocham deſcendere, vt verum dicam non percipio: error enim Nouatorum axioma non facit, Apoſtolos nimirum non potuiſſe propriè figurari in ſchemate ſacro, quo efformantur in illo numiſmate; cùm nec tonſuram geſtarint, nec ſacerdotalem habitum. Petunt ſiquidem principium Nouatores cùm ſic excipiunt, nec aduertunt enim pro conceſſo ſe aſſumere quod eis quammaximè denegatur, vt pote à conſtanti veritate alienum; nam de ſacerdotali ornatu etiam ab Apoſtolis vſurpato, ſignatim verò à Iacobo & Ioanne in opere noſtro, cuius *Panoplia Epiſcopalis* titulus eſt, ex teſtimoniis Polycratis, Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, aliorúmque Patrum manifeſtis, planum & perſpectum fecimus argumentum.

Cæterùm Tonſuram Clericalem à ſancto Petro inſtitutam, ab eo autem & ſancto Paulo geſtatam, atque à cæteris Apoſtolis traditam, ſuprà ſatis patenter oſtendimus. Cui demonſtrationi illa eorum conſtitutio accedit, quam S. Clemens lib. 1. Conſtit. c. 3. recitat atque

Digitized by Google

commendat, dum ſic ſacrum hominem, eorum ex perſona alloquitur, *Tibi enim, qui fidelis, & homo Dei es, non licet comam nutrire.* Quam ſanctionem pro authentica lege Apoſtolica agnoſcit ac inculcat ſanctus Epiphanius hæreſ. 80. quæ eſt Meſſalianorum, ex eáque aliquos perſtringit monachos qui comam nutriebant; *Comas* (inquit tom. 2. lib. 3. hær. 80. num. 6. & 7. p. 1073. edit. Pariſ.) *muliebrem in modum promittunt, & cilicium propalam affectant.* Contra crinitos huiuſmodi monachos egregiè diſputat ſanctus Auguſtinus lib. de opere monachorum cap. 31. 32. & 33. quos peccare contra Apoſtolicam diſciplinam, verbis expreſſis aſſerit ſub finem eiuſdem opuſculi rom. 3. vbi acriter eos reprehendit quòd tonderi more aliorum nolebant; *Nam & hic quò pertinet, quæſo, tam apertè contra Apoſtoli præcepta comari? An ita vacandum eſt, vt nec tonſores operentur,* cap. 31. *An quia Euangelicas volucres imitari ſe dicunt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint?* Et infrà, *Timent ne vilior habeatur tonſa ſanctitas, quàm comata.* Et ſub libri finem; *Hoc vno*, inquit, *vitio capillorum contra præceptum Apoſtolorum, demiſſorum offendunt, & perturbant Eccleſiam*, &c. *illos ergo non corripimus, ſed rogamus, & obſecramus per Diuinitatem & humanitatem Chriſti & per charitatem Spiritus ſancti, nec vltra iam ponant hoc offendiculum infirmis*, &c.

Concilium Carthaginenſe IV. cui ipſe ſanctus Auguſtinus interfuit anno Chriſti 398. canonem edidit ſpecialem ſerie 44. de Tonſura Clericorum hoc tenore, *Clericus nec comam nutriat, neque barbam.* Sunt qui velint corruptam fuiſſe poſtremam huius canonis particulam, legendúmque contendunt, *ſed barbam radat ſeu tondeat.* Notula ſubiuncta huic canoni in regia Conciliorum editione magnis typis excuſa Pariſiis anno 1646. ſic habet; *Aliàs* *, *barbam tondeat*, ita in libro Gemblacenſi; *Aliàs barbam radat* in libro Gandenſi ſancti Bauonis, titulo *ſtatuta Eccleſiæ antiqua.* Pleraque autem exemplaria non habent *radat vel tondeat*, ſed ſimpliciter, *nec comam nutriat, neque barbam.* Quâ de re accuratiùs infrà, in Appendice.

Interim, vt recto tramite incedamus, hoc ipſo tempore florebat ſummâ doctrinæ, & ſanctitatis celebritate Sanctus Hieronymus, ætate quidem ſancto Auguſtino prouectior: (cui, vt omnes norunt amicitiâ coniunctiſſimus fuit) póſtque felicem obitum recordatione admodum venerabilis. hic porro præcipuum ſua ætate, Chriſtianæ ſapientiæ lumen ac columen, in increparoria ab Sabinianum Diaconum epiſtola (48. rom. 1. p. 236.) cùm multis titulis, tum eô maximè reprehendit, quòd gradus & officij ſui immemor comam nutriret & accurarer ſolerti ac pudendo artificio; *Amiciris* (inquit) *linteis, digitos annulis oneras, dentes puluere teris, raros in rubenti caluaria dirigis capillos, taurina ceruix thoris adipeis intumeſcens, nec quia propter libidinem fracta eſt, inclinatur.* Eadem epiſtola ſanctus Doctor capillorum reſecandorum diſciplinam ſacris etiam virginibus ſolennem fuiſſe iam longè latéque commemorat, vnde & eam ſugillat quam infelix ille Clericus ſollicitauerat de pudicitia, quòd oblita ſuæ profeſſio-

nis in turpis amicitiæ pignus capillos procaci huic nebuloni dare non exhorruiſſet.

Sanctus Paulinus Epiſcopus Nolæ in Campania Romana, vtrique Patri Hieronymo ac Auguſtino amiciſſimus, epiſtola 4. ad Seuerum multa præclara de coma diſputat, quam ſibi detonſam à Victore viro religioſo gratulatur ipſo in epiſtolæ exordio, *Venio nunc*, inquit, *ad maiorem fratris erga me operam, quâ me ſuis manibus tondere dignatus eſt. Quod ipſum tamen beneficium tibi debere me voluit mandato, dicens ſe mihi artem ſuam prodere. Propterea rogaui eum, vt quod perita manu fecit, id impenſius orationibus ambo faciatis: videlicet vt exorato veſtris precibus Domino, peccata noſtra, quibus ſuper capillos capitis multiplicatis animam habemus impexam, non acciſione medij* (id eſt verticalis coronæ) *tondeantur, ſed ad viuum quaſi nouaculâ radente perimantur.*

Circa hæc tempora, Franci, adhuc ethnici in Gallias irruperunt ſub Rege *Pharamundo*, cuius filius Clodio, eo ipſo anno quo mortuo patri in regno ſucceſſit, lege lata edixit, *Vt Franci omnes comam & barbam nutrirent*, vt internoſcerentur à Gallis, quos ſubactos tonderi iubebat in ſignum ſeruitutis, vt auctor eſt Trithemius libro primo Breuiar. hiſt. Franc. in Rege XLIV. Extant Leges Salicæ, in libro Salicarum Legum 28. tit. de homicidiis paruulorum §. 2. & 3. quibus ſic ſancitum legimus, *Qui puerum crinitum ſine conſilio & voluntate parentum totonderit, malberg, ſchuiſara chiogmo 2500. denariis, qui faciunt ſolidos 62. & dimidium, culpabilis indicitur.* Et alia, *Si verò puellam ſine patris aut matris auctoritate totonderit, theodictia 1800. denariis, qui faciunt ſolidos 45. culpabilis indicitur.* Vide Legg. Salicarum 26. tit. §. 4. & Legg. Burgundionum tit. 6. §. 4. Latas has leges contra Chriſtianæ fidei Antiſtites, facile eſt ex rerum & temporum conditione coniectari: ne ſcilicet aliquem ex Francis puerum aut adoleſcentem in clerum cooptare, & ſignaculo Clericatus, quod Tonſura eſt, inſignire auderent, indictas pœnas, ſi facerent, luituri: Similíque coërcitione prohibiti puellas Francorum nondum Chriſtianorum, ad fidei cultum & virginitatis profeſſionem regularem admittere. Verùm hæ barbaræ leges vſu exoleuerunt ſtatim ac Francorum Rex in Gallia quintus, Magnus ſcilicet Clodouæus, cum gente ſua, ſacra Chriſtiana amplexus eſt: tum enim ſalutare monitum S. Remigij pius princeps toto animi affectu adimpleuit, quod incenderat ſiquidem adorauit, quod verò adorauerat, è conuerſo incendit.

Eodem ſæculo, at nondum dimidiò, ſcilicet anno Domini, ſecundùm calculum Sigeberti CCCCXXXV. Germanus Antiſſiodorenſis Epiſcopus, vir Apoſtolicæ ſanctitatis, cum Lupo ſanctiſſimo quoque Epiſcopo Trecenſi, in maiorem Britanniam, vindex Catholicæ fidei aduersùs Pelagianæ hæreſis luem miſſus fuit. Hic à S. Amatore ſedis eiuſdem Præſule anno CCCCXXI. factus Clericus, ex more Eccleſiaſtico Tonſuram accepit, quemadmodum Conſtantius presbyter Apollinari Sidonio charus ac celebris, eius in geſtis diſertim refert. Cùm enim Germanus eſſet reipublicæ officiis implicitus,

Digitized by Google

S. Amator afflatu diuino præſcius ſui ſucceſſoris affectus, Iulium Præfectum adiiſſet, cooprandi in Clerum ſibi ſucceſſorem diuinitùs deſignatum efflictim licentiam impetrauit: *finem meum* (inquit alloquendo ipſum Iulium Æduenſem Prætorem) *Domino mihi innoteſcente* (id eſt notificante,) *cognoui. Et quia non eſt alter, qui regimen ſanctæ Eccleſiæ ſuſcipiat niſi illuſtriſſimus Germanus, ſicut Dominus meus mihi reuelare dignatus eſt, poſco Celſitudinem tuam, licentiam tribuas mihi roganti eundem Germanum tonſurare.* Quâ acceptâ; *ipſe glomerata ſecum turba Clericorum atque nobilium iniiciens manus Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini, cæſariem eius capiti detrahens, habitu religionis reiectis ſecularibus ornamentis cum promotionis honore induit.* Apud Surium die 31. Iulij, tom. 7.

CAPVT IX.

A tempore Leonis Magni, ad Beati Gregorij ætatem.

SVB Leone Magno (cuius coronam Galliæ Epiſcopi in Synodicis ad eum ex more directis ſummâ veneratione ſalutabant) celebrata eſt Oecumenica Synodus Chalcedonenſis, cuius recèns edita de fide decreta, Apoſtolico ſpiritu & virtute aduerſus Theodoſium pſeudomonachum Neſtorianum, fortiter Beatus Euthymius ſanctiſſimus Abbas in Palæſtina propugnauit, Eudociámque Imperatricem ab illo nefario Dogmatiſta ſeductam, in gremium Eccleſiæ Catholicæ feliciter reduxit. Hic porro vir ſanctiſſimus cùm adhuc puer eſſet, à matre Deo dedicatus, & Otreio laudabilis vitæ Epiſcopo Melitenenſi oblatus, poſtquam ſalutari lauacro tinctus fuiſſet, ad Lectoris gradum ab eodem pio Antiſtite promotus eſt, præſcripto ab Eccleſia ſolenni ritu; ita enim rem geſtam litteris conſignauit Cyrillus monachus, qui eiuſdem beati Euthymij geſta diligenter deſcripſit: *Deinde*, inquit, *cùm eum Otreius Epiſcopus baptizâſſet, & pilos qui ex lege tondentur pueris totondiſſet, in gradum Lectorum eum cooptat:* Apud Surium tom. 1. die 20. Ianuarij c. 4. vitæ ipſius S. Euthymij. Quæ verba tamen ritum confirmare videntur etiam nunc apud Moſcouitas vigentem, ſeu Ruthenos, quorum Sacerdotes infantium quos baptizant, capillos ſolent abſcindere, vt teſtis eſt Sigiſmundus liber Baro in Commentariis rerum Moſcouitarum, in baptiſmi eorum deſcriptione, vbi etiam addit abſciſſos capillos eiuſmodi, Sacerdotes conſueuiſſe ceræ intricare, & in templo loco certo reponere, quaſi Deo conſecratos. Et verò iampridem in Eccleſia Occidentali morem fuiſſe, vt baptizandi caput ablucrent, quo ſacri chriſmatis vnctionem puriùs ſuſciperent, res eſt antiquis ex monimentis comperta, vt ex Iſidoro præſertim lib. 6. Etymol. c. 18. vbi cur Dominica Palmarum *Capitalauium* diceretur, inſinuat: iterúmque lib. 1. de Eccleſ. off. c. 27. de ipſa Dominica Palmarum, atque etiam ex ordine Rom. tit. de ordine eiuſdem diei: Albino

Flacco lib. de diuinis officiis c. de prædicta Dominica, aliiſque apertè conſtat. Verùm nec vſquam mos vetus, nec lex canonica vlla fuit, vt capilli tonderentur ſiue infantium, ſiue adultorum in baptiſmo. Quapropter ea de re verba Cyrilli, in vita S. Euthymij intelligenda minimè ſunt, at de ritu quo Clero qui cooptantur comam deponunt, & Tonſura quaſi ſignaculo ſacræ militiæ cui adſcribuntur, ab Antiſtite inſigniuntur.

Hoc eodem æuo claruiſſe dicitur S. Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis, qui in homilia plurimorum Martyrum, quam vidit & citat doctiſſimus Sauarro in notis ad epiſtolam Sidonij 24. lib. 4. legis meminit Eccleſiaſticæ, qua Sacerdotes comam nutrire prohibentur.

Illuſtrauit idem ſæculum fama nominis, doctrinæ gloria, & morum inſigni ſanctitate ipſemet Caius Solius Apollinaris Sidonius, Epiſcopus Aruernenſis, cuius quot ſuperſunt opera, tot ſunt magnæ mentis lumina & decora Chriſtianæ Religionis. Hic igitur vir tot titulis clarus lib. 4. ep. 24. præindicata, Eccleſiaſtici viri dum mores, habitum, effigiémque deſcribit, detonſæ comæ, inter inſignia ſacræ profeſſionis cætera, ſpeciatim meminit, *Vt veni occurrit mihi ipſe* (Maximus ſcilicet, ex Palatino nuper factus Sacerdos) *quem nôueram anteriùs corpore erectum, greſſu expeditum, voce liberum, facie liberalem, multum ab antiquo diſſimilis inceſſu; habitus verò, gradus, pudor, color, ſermo religioſus; tum coma breuis*, ad ſæcularium ſcilicet diſcrimen & notum ſacri characteris indicium, &c.

Anno Chriſti 456. ſub Leone Magno habita fuit in Hibernia Synodus à ſancto Patricio, & Auxilio, & Iſſerno Epiſcopis; Cuius Synodi Canon 6. excommunicat Clericum ſine tunica & Tonſura incedentem, hoc verborum tenore; *Quicumque Clericus ab Oſtiario vſque ad Sacerdotem, ſine tunica viſus fuerit*, &c. *Et ſi non more Romano, capilli eius tonſi ſunt*, &c. *ab Eccleſia ſeparetur.*

Hoc ſæculo labente, & Symmacho Papa Pontificatum ineunte, claruit in Gallia miris gratiæ ſplendoribus S. Cæſarius Senior Epiſcopus Arelatenſis, de cuius Clericatus initiis, hæc in eius geſtis commemorat Cyprianus eius Diſcipulus c. 1. *Ignorante familia & parentibus, ciuis cupiens regni cæleſtis effici, ſe illius temporis Pontificis* (Cauellicenſis) *Silueſtri veſtigiis præmiſſa ſupplicatione proſtrauit, petens, vt ablatis ſibi capillis, mutatóque habitu, diuino ipſum Antiſtes ſeruitio manciparet*, &c. *Agente ergo Pontifice gratias Chriſto, nulla iniecta eſt votis optimis mora.*

Ipſo ſedente Symmacho Papa celebrata eſt, in Gallia, Agathenſis Synodus anno Domini 506. in quo contra Clericos Tonſuræ non obſeruantes, canon editus eſt ſerie 20. hoc tenore; *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamſi noluerint inuiti detondeantur;* Qui ſanctæ Eccleſiæ vnanimi conſenſu receptus, etiam in ius canonicum eodem verborum contextu relatus eſt, diſt. 23. c. *Clerici qui comam.*

In Iuſtiniani, qui paulò pòſt imperare cœpit, authenticis collect. 1. Tit. 5. c. Nouell. 5. de Monach. c. 1. & 2. mentio fit Tonſuræ, ſeu *ſignaculi ſacræ profeſſionis* ab Antiſtite conferendi cum ſelecto habitu, iis qui ſe ſingulari conuerſatione diuino cultui mancipari promeruerunt.

Eodem

Eodem imperante Iuſtiniano, & Clotario II. in Gallia regnante florere cœpit ſanctus Lætus confeſſor & Leuita; *qui cùm eſſet annorum duodecim*, (vt eius Acta conſignant, quæ extant in Bibliotheca Floriacenſi) *videns haud procul habitationem monachorum* (cœnobij Mexiacenſis in agro Aurelianenſi) *ad pedes corruens Abbatis Trietij*, &c. *peto*, inquit, *paternitatem tuam, vt iubeas mihi Eccleſiaſticam Tonſuram imponi, & monaſticam facias regulam doceri*, &c. *Poſt hæc attonſus in clerum, ſuſceptâ etiam monaſticâ profeſſione, in breui pſalterium & quicquid Eccleſiaſticus ordo poſcebat, didicit.*

Sub Iuſtino ſeniore, cui Iuſtinianus ſucceſſit, florere cœpit ſanctus Clodoaldus filius Clodomeris Regis, filij Clodouæi Magni, *qui fratribus ſuis impiè à patruo ſuo Lothario* (aliàs Clotario) *olim extinctis, mundanam nobilitatem transferens ad nobilitatem diuinæ ſeruitutis, in Clericali gradu præeminuit exemplo ſanctitatis.* Ita Sigebertus in Chronico ſub annum 531. Clericum autem factum detonsâ comâ Clericali more, teſtis eſt Gregorius Turon. qui refert eum ſibimet ideò capillos incidiſſe lib. 3. hiſt. Francorum c. 18. vbi enarratâ duorum fratrum Clodoaldi nefandâ nece, *Tertium verò Clodoaldum*, inquit, *comprehendere non potuerunt quia, per auxilium virorum fortium liberatus eſt. Is poſtpoſito regno terreno ad Dominum tranſiit, & ſibi manu propriâ capillos incidens, Clericus factus eſt, boniſque operibus inſiſtens, presbyter ab hoc mundo migrauit.* Loco qui Nouigentum pridem dicebatur, nunc verò S. Clodoaldi, ab ipſo habet nuncupationem, vbi quieſcit in theca pretioſa ſuper altare maius repoſita; (fallitur Gononius, qui lib. 4. de vitis Patrum Occidentis, ſcribit corpus ſancti Clodoaldi Pariſiis in maiori Eccleſia quieſcere, vadéſque perperam arceſſit Brullium & Quercetanum, qui nihil tale ſomniarunt): quam cùm ſuperiore ſæculo Caluiniſtæ hagiomachi ad diripiendum quærerent, piorum incolarum ſtudio, at magis diuinâ ope, illorum à rapina & furore conſeruata, huc vſque illæſa perſeuerat, ſancti huius Confeſſoris plus miraculis fulgens, quàm auro & argento micans, tametſi & hôc decore nonnihil ſit inſignis. Sepulchrum eius tamen in crypta, quæ ſummo altari ſubiacet ex nigro confectum marmore, columnis olim quatuor porphyreis ſuffultum euerterunt impij illi graſſatores: verumtamen tabula ſuperior adhuc extat, cui inſculptum hæret ipſius ſancti (licèt rudiori texturâ) hoc dignũ memoriâ, Epitaphium,

Artubus hunc tumulum Clodoaldus conſecrat almus,
Editus ex Regum ſtemmate perſpicuo.
Qui vetitus regni ſceptrum retinere caduci,
Baſilicam ſtuduit hanc fabricare Deo.
Eccleſiæque dedit matricis iure tenendam
Vrbis Pontificij quæ foret Pariſij.

Nec modò ſacram Ædem Epiſcopi Pariſienſis tutelæ commiſit ſpeciali, at oppidum etiam dedit perpetuâ hæreditate poſſidendum; vbi & Clericos congregauit qui in Proſa, eius in feſto concini ſolita, à ſigno militiæ ſacræ, *Tonſurati* appellantur.

Hoc ſæculo, videlicet anno 540. celebratum fuit in Hiſpania Concilium Barcinonenſe, ſedente Vigilio Papa, in quo ſtatutum fuit canone 6. *Vt nullus Clericus comam nutriat, aut barbam radat*, niſi fortè legendum ſit,

vt quidam volunt, *& barbam radat.* Martinus Bracarenſis qui ex Græcis Synodis Græcus ipſe Capitula collegit à ſe Latinè expreſſa, ad vtilitatem Eccleſiarum Hiſpaniæ, hoc eodem ſæculo canonem iſtum numero 66. ex priſcis refert Synodis Orientalis Eccleſiæ, *Non oportet Clericos comam nutrire, & ſic miniſtrare, ſed attonſo capite patentibus auribus; & ſecundùm Aaron talarem veſtem induere, vt ſint in habitu ordinato.*

Florere cœpit eadem ætate ſanctus Nicetius Epiſcopus Treuirenſis, qui diuino nutu ad ſacras infulas deſtinatus, ſtatim ac natus eſt Tonſura inſignitus Clericali apparuit. Litteris prodidit eius res geſtas ſanctus Gregorius Turonenſis qui eas referre aſſerit, ſicut à Beato Aredio Abbate Lemouicenſi olim alumno eiuſdem S. Nicetij (à quo Clericus ordinatus eſt) audierat: ſic autem de ipſo recitat Nicetio non priùs nato, quàm coronato, lib. de vita Patrum c. 17. *Igitur S. Nicetius Epiſcopus ab ipſo ſui ortus tempore Clericus deſignatus eſt: nam cùm partu fuiſſet effuſus, omne caput eius, vt eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares coronam Clerici fuiſſe ſignatam.*

Sanctus Aredius Abbas Lemouicenſis (de quo ſuprà obiter) fuit ſancti ipſius Nicetij primâ in ætate diſcipulus, de quo hoc memoriæ prodidit idem Gregorius Turon. lib. 10. hiſt. Franc. c. 28. *Cúmque in huius ſtudij flagrantia cum Antiſtite memorato* (Nicetio) *degeret, tonſurato iam capite, quadam die pſallentibus Clericis in Eccleſia deſcendit columba à camerâ, quæ leuiter volitans circum eum reſedit ſuper caput eius; illud indicans, vt opinor, eum Spiritus ſancti gratia iam repletum.*

Porro de ipſo huius rei narratore Beato Gregorio Turonenſi, in eius vita hæc referunt Turonenſes Clerici, *Cùm graui & periculoſo morbo laboraret, conſolabatur eos qui flebant, dicens; Ad Sepulchrum B. Elidij me ſemel adhuc deferte, fides mea eſt, quod ille & mihi ſanitatem & vobis præſtabit lætitiam. Tunc verò illic deportatus, voce qua poterat, orationem fudit, ſpondens quia ſi ab eô contagiô liberaretur, Clericatus habitum ſuſciperet, nec prorſus moraretur; dixerat & ſenſit protinus diſcedere febrem, & à naribus eius copiâ ſanguinis defluente, ſic omnis illa valetudo diſparuit, ac ſi legatus quidam, re pro qua venerat obtentâ, diſcedere feſtinaret. Ita comam depoſuit, & ſe diuinis obſequiis ex toto mancipauit.*

Idem illuſtrauit ſæculum vitæ à peccatoribus ſegregatæ nitore ſanctus Patroclus Eremita, Childeberto I. dudum percharus, quem præfatus Gregorius Turonenſis ſic factum Clericum, deinde Eremitam commemorat lib. citato de vita Patrum c. 9. *A Rege cùm ſumma amoris diligentia nutriretur, ita humilem atque ſubiectum omnibus ſe præbebat, vt omnes tanquam proprium filium diligerent. Regreſſus verò domum, patre defuncto, reperit matrem adhuc ſuperſtitem, quæ cùm vellet eum matrimonio coniungere, ille omnino reſpuit, ſed abiens ad Archadium Bituriгæ vrbis Epiſcopum petiit ſibi comam capitis tonderi, accirique ſe in ordinem Clericorum, quod Epiſcopus ſine mora compleuit. Multo autem pôſt Diaconatus officium ſumens bonis operibus ſeſe exercebat; ſed ſitiens eremi ſecretum, egreſſus ab vrbe memorata venit ad vicum Nereenſem, ibique ædificato oratorio S. Martini reliquiis conſecrato*, &c. Obiit ſanctus vir anno 578. die 19. Nouembris, quo die fuſiùs de eo diximus in Martyrologio Gallicano.

Non ita felici fine & exitu Machlianum Chanaonis Britannorum Comitis fratrem, amplexum Clericatum eius metu refert Gregorius Turonenſis hiſt. Franc. lib. 4. c. 4. *Venetiam*, inquit, *Vrbem expetiit, ibique tonſuratus & Epiſcopus ordinatus eſt. Mortuo autem Chanaone hic apoſtatauit, & dimiſſis capillis vxorem, quam poſt Clericatum reliquerat, cum regno fratris ſimul accepit, ſed ab Epiſcopis excommunicatus eſt, cui qualis fuerit interitus ſequenter ſcribemus*, lib. 5. c. 16.

Nec ſecundioribus auſpiciis tonſuratum ac promotum Merouæum filium Chilperici Regis, idem enarrat Gregorius ipſo exordio cap. 14. lib. 5. *Poſthac*, inquit, *Merouæus cùm in cuſtodia à patre retineretur, tonſuratus eſt, mutatáque veſte, quâ Clericis vti mos eſt, presbyter ordinatur, & ad monaſterium Cœnomanicum, quod vocatur Aninſula dirigitur, vt ibi Sacerdotali erudiretur regulâ.*

Vualdegeſilus, aliàs Baldegeſilus, qui S. Domnoli Epiſcopi Cœnomanenſis vicem ſupplere, illo ad ſupernas euecto ſedes promeruit, per Tonſuræ aditum, ſacros ad Epiſcoparum vſque ordinum gradus conſcendit; *Tonſuratus enim* (ſic acta habent) *gradus quos Clerici ſortiuntur adeptus eſt.* Interfuit hic ipſe Præſul anno ſalutis 585. Concilio II. Matiſconenſi, cui præfuit Priſcus Metropolites Lugdunenſis; Vbi Baudegeſilus nomine ſubſcriptus etiamnum conſpicitur.

Circa idem tempus claruit ſanctus Marculphus Abbas & Confeſſor, Regúmque Chriſtianiſſimorum venerabilis patronus; de cuius ad Clericatum promotione à B. Poſſeſſore Epiſcopo Conſtantienſi factâ ſolenni ritu, hæc in eius geſtorum hiſtoria ab anonymo, ſed antiquo auctore fideliter deſcripta, digna notatu legiſſe memini quæ ſequuntur. *Et quia iampridem famam ſanctitatis B. Poſſeſſoris Conſtantiæ ciuitatis Epiſcopi auditione acceperat, eum recto tramite expetiit, cupiens ipſius doctrinis & exemplis inſtitui. A quo benignè ſuſceptus, apud eum tempus non modicum permanſit, atque ab eo tonſus, cùm eſſet annorum triginta, Clerici habitum accepit; Poſtremò autem per reliquos Eccleſiaſticos ordines digna promotione ſubleuatus, tandem presbyter factus eſt.*

Exigit ſeries eiuſdem temporis, vt hic quæ extant recenſeam in MS. Codice peruetcri celebris Monaſterij Reomenſis, de Tonſura ſancti Sequani Abbatis Segeſtrenſis, olim S. Ioannis Reomenſis diſcipuli, ſunt enim ob narrationis ſingularitatem ſpeciali digna obſeruatione: hoc verò tenore ſe habent; *Parentes eius, eo quòd vnicum habebant tenerè diligebant eum, & ſperantes eum ſuæ ſtirpis mortalia germina pullulare, à Clericatus officio prohibebant*, &c. *Quodam igitur die dum eum parentes viribus effœtum & mortali pallore aſpicerent circumſeptum, cum eiulatu nimio prorumpentes dixerunt, Si Tonſuram deſideras, & ob hanc cauſam tui vigorem corporis amiſiſti, ipſi te nunc horum crinium, vt putas, onere ſubleuamus. Tunc quidam è vicinis qui eorum comitatui adhærebat procax, ac temerarius forcipem rapiens nitebatur cæſariem ſacratiſſimi viri manibus reſecare, ſed cùm vibratis forcipibus ſua palmæ digitos ſuper verticem anteſati viri extenderet; illicò ſinuoſis anfractibus præcordiis eius egelidus tremor illapſus, tremore quoque forcipes de manu eius excuſſit. Tunc verò parentes eius nouo ſtupore attoniti Sacerdotem deuouerunt accerſiri, qui præmiſſâ*

benedictione cæſariem reuerentiſſimi iuuenis incideret. Erat autem tunc temporis in Magnimontenſi oppido presbyter moribus & ætate nomine Euſtadius, vir Deo dignus atque ſanctiſſimus, quem parentes beatiſſimi Sequani, ad tondendum eum adduxerunt cum lætitia. Qui cùm veniſſet & preces Deo profudiſſet, eius capitis verticem diuino charactere ſignatum totondit, & poſt detonſionem caſta oſcula capiti atque labiis eius infigens, benedixit eum dicens; Adſit tibi, fili, noſtri potentia Creatoris, cuius iam præuentum te video ac munitum maieſtate. Admoneo te, dilectiſſime, vt paulùm abſtinentiæ parcas, & obediens Apoſtolicis præceptis modico vino propter ſtomachum tuum & frequentes infirmitates vtaris; Cibis quoque, qui poſſint exile corpus tuum reparare, indulge. Ex eo igitur tempore cœpit religioſiſſimus Sequanus Euſtadio presbytero morigerari, & pediſſequus eius in Dei gratia fieri. Hæc ibi.

Sanctus Gaugericus Epiſcopus Cameracenſis eadem fulſit ætate, de cuius facta ad Clericatum à Magnerico Metropolitâ Treuirenſi promotione, in eius vita à priſco Auctore ſcripta hæc obſeruatu digna leguntur; *His auditis Venerandus Antiſtes, noſtris*, inquit, *actutum exhibeatur aſpectibus adoleſcens; Adductus ille blande ac leniter ab Epiſcopo compellatus*, &c. *deinde ſuis cum manibus fuſa ſuper eum benedictione, idem Epiſcopus totondit, regiáque ac Sacerdotali coronâ, Domino perpetuò famulaturum inſigniuit.* Apud Surium 11. Auguſti.

CAPVT X.

A Beati Gregorij Pontificatu, ad vſque Nicolai I. qui Magni quoque promeruit cognomen, Præſulatum.

A S. Gregorio geſtatam fuiſſe Tonſuram, ſeu coronam in capitis vertice, crinium detonſione expreſſam teſtis eſt Ioannes Diaconus, qui dum eius effigiem accuratim deſcribit, ſignatim coronam illam commemorat; *Statura*, inquit, *iuſta & bene formata* (fuiſſe oſtenditur) *facie de paternæ faciei longitudine, & materna rotunditate, ita mediè temperata, vt cum rotunditate quadam decentiſſimè videatur eſſe deducta: barba paterno more ſubfulua & modica, ita caluaſter vt in media fronte gemellos cincinnos raruſculos habeat, & detrorſum reflexos, CORONA ROTVNDA ET SPATIOSA, capillo ſubnigro & decenter intorto ſub auriculæ medium propendente, fronte ſpecioſa, elatis & longis ſed exilibus ſuperciliis*, &c. Hæc Ioannes Diaconus lib. 4. c. 84. vitæ S. Gregorij. Nec eſt quòd quis exiſtimet ex proprio genio, moréque geſtatam fuiſſe coronam eiuſmodi ſeu Tonſuram à B. Gregorio: communem enim fuiſſe morem in Eccleſia receptum, vt qui clero initiarentur, comam deponerent, ac vt verbo vſitato vti liceat, tonſurarentur ſolenni ritu; adſtipulator nobis omni exceptione maior accedit ipſemet ſanctus Gregorius, qui lib. 7. ep. 112. ad Siagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, Ætherium Lugdunenſem, Virgilium Arelatenſem, & Deſiderium Viennenſem de iis conqueritur, qui de Laï-

Digitized by Google

co ſtatu ad Clericarum repentè conuolabant, Tonſurâ accepta ſeu potiùs arrepta, vt ad Epiſcoparum cæco ambitu proſilirent; *Hoc quoque ad nos peruenìſſe*, inquir, *non diſſimili dignum conteſtatione complectimur, quòd quidam deſiderio honoris inflati tonſurantur, & fiunt repentè ex Laïcis Sacerdotes, atque inuerecundè religioſi propoſiti ducatum arripiunt, qui nec eſſe adhuc milites didicerunt.* Et infrà; *quia de re neceſſe eſt vt ſi, & quamuis inculpati quiſquam ſit meriti, antè tamen per diſtinctos ordines Eccleſiaſticis exerceatur officiis*, &c. *cùm ſcriptum ſit, vt priùs quis probetur & ſic miniſtret*, &c. *Apoſtolus neophytum vetat ad ſacros ordines accedere. ſicut autem tunc, neophytus dicebatur qui initio in ſanctæ fidei erat conuerſatione plantatus, ſic modò neophytus habendus eſt, qui repentè in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores ſacros irrepſerit. Ordinatè ergo ad ordines aſcendendum eſt, nam caſum appetit, qui ad ſumma loci faſtigia, poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærit aſcenſum.* Hæc Beatus Gregorius piè, doctè ac eleganter more ſuo.

Eodem, quo Eccleſiæ præſidebat tempore ſanctus Gregorius, nempe circa annum 600. claruit in Belgica prima ſanctus Bauo Confeſſor & Abbas, cuius res præclarè geſtas ex vetuſtis codicibus excerpſit, elimatiorſque ſtylo expolitas clariorem in lucem produxit Theodoricus Abbas ſancti Trudonis in Haſbania, ſub alio Gregorio, VII. nimirum, laude pietatis & doctrinæ præſtans, qui quum primos ſancti ipſius Bauonis deſcribit progreſſus; *Vbi vides* (inquit c. 8.) *S. Amandus eum nihil cunctari, ſed ad omnia ſuſtinenda paratiſſimi eſſe animi, gratias agens Deo* (*qui quos prædeſtinauit à principio, hos etiam elegit in nouiſſimo*) *quaſi chariſſimum amplexatus filium, inducit in dominici ſcholam ſeruitij, quam primum omnium conſtat eum rexiſſe in Eccleſia Gandenſi; ibi ante aram B. Petri Apoſtoli militiam Chriſti profeſſum, barba & capillo tonſum aſſumit in Clericatum, & plantat in domo Domini cedrum Libani, redolentem ſanctarum virtutum odore inæſtimabili, & creſcentem robore imputribili.*

Sanctus Auſtregiſilus, Epiſcopus Bituricenſis, haud deplorabili fuueſtóque Neophytorum more, at ex præſcripto canonum, quin & multis indiciis vocante Deo, ad Epiſcopalis honoris ſolium aſcendit; de quo progreſſu Auctor contemporaneus qui litteris eius geſta verè & accuratè delineauit, hæc ſcribit cap. 4. *Creſcebat interim in amore Dei Auſtregiſilus, & bonis operibus quotidiana adiiciebat incrementa, valdéque cupiebat in clerum adſcribi, ſed cuius operâ id à Rege impetraret* (*erat enim aulæ officiis implicitus*) *nec dum compertum habebat. Erat autem apud Regem inter alios aulæ proceres vir præſtantiſſimus, idémque prudentiſſimus Ætherius nomine, cuius fidei arcana ſua omnia Rex committere non dubitabat, qui tunc dignus quidem Epiſcopatu, poſteà Lugduni, quæ eſt Galliæ nobiliſſima ciuitas, Epiſcopus ordinatus eſt. Is Auſtregiſilum imprimis charum habebat, eúmque rogauit Auſtregiſilus vt ageret apud Regem, quo eius permiſſu liceret ipſi in clerum tranſire. Egit ille cum Rege, & Rex aſſenſit. Acceptis inde litteris abiit Auſtregiſilus Antiſſiodorum, & à B. Aunario Epiſcopo deciſa ceruice Clericus effectus eſt, & ordinatus ſubdiaconus; deinde ad memoratum Ætherium profectus eſt, qui iam Lugduni factus Epiſcopus, eum cum ingenti gaudio humaniſſimè accepit, presbyterúmque & Abbatem B. Nicetij Epiſcopi &*

Confeſſoris ordinauit. Et multis geſtorum decurſibus interiectis, pergit auctor enarrare eius ad Epiſcopatum promotionem: *Tempus aderat* (inquit cap. 7.) *quo ad ſublimiorem honoris gradum eum Dominus ſubuehere voluit. Mortuo Bituricenſi Epiſcopo Apollinari, in eius locum omnium vnanimi conſenſu, Rege quoque annuente ſuffectus eſt Auſtregiſilus: quam functionem* XXII. *annis præclarè adminiſtrauit, quemadmodum ab Angelo ei fuerat prædictum*, &c. *Eiúſque Diaconus Sulpitius illi ſucceſſit.* cap. 12.

Sulpitius hic Pius eſt, non Seuerus, qui antea Remigio ſucceſſerat, vt conſtat ex Gregorio Turonenſi lib. 6. hiſt. Franc. c. 39. huius at verò pij alumni & ſucceſſoris ſancti Auſtregiſili, (vide vitam ſancti Remacli Epiſcopi Traiect. c. 1. apud Surium, 3. Septembris) Acta vitæ ſanctiſſimæ à coætaneo ſcriptore memoriæ mandata extant apud Surium, qui ſtylum dumtaxat expoliuit die 17. Ianuarij, tom. 1 In his quàm ritè ad Sacerdotij apicem proceſſerit, imò potiùs prouectus ſit, liquidò apparet cap. 1. *In ipſo enim primæ ætatis flore ruptis ſæculi laqueis Chriſti militiam complexus eſt, vt in ea conſtanter perſeuerare immutabili animi propoſito conſtitueret, egregiè imprimis continentia floruit, optimis ſtudiis claruit, miraculis ipſa in adoleſcentia eluxit. Iámque eius fama* (cap. 3.) *longè latéque diffuſa Auſtregiſilus Bituricenſis Antiſtes à Theodorico principe obtinuit, vt liceret ipſi S. Sulpitio docendi in Eccleſia munus deferre, videbat enim doctrinæ gratiâ multos ad eum confluere; Annuit ſine mora Rex; vt tonſis capillis in clerum ille tranſiret; itaque per gradus ad altiora promotus, etiam Leuiticum eſt adeptus miniſterium.* Ita ad verbum legitur apud Surium, qui vitam Beati Sulpitij, vt prænotat in limine, ab Auctore contemporaneo conſcriptam optima fide, ſed ſimplici ac rudi ſtylo, in Lectoris gratiam nonnihil demutauit. At auctor ille coætaneus de Beati Sulpitij in clerum cooptatione, ſua natiua ac genuina phraſi ſic ſcribit, *Cúmque repentè fama de eo longè latéque reſperſa, præcipuà in parte quæ ſub axe ponitur Occidentis peragrans euolaſſet, popoſcit Auſtregiſilus Bituricæ Vrbis Epiſcopus Theodoricum principem, vt ſibi licentia daretur participationem docendi ei in Eccleſia tradere, eò quòd ad ipſum doctrinæ gratia multitudines conuolarent. Nec eſt mora, Regis defertur auctoritas, vt deciſa cæſarie Clericatus ſuſciperet onus, & ſuccedentibus gradibus* * *anno & eo amplius præponens eum cæteris, Leuitarum ſortem adeptus, Eccleſiæ miniſtrauit.* Extat alia ſancti Sulpitij vita breuior ab auctore etiam coætaneo ſcripta, atque à Bolando tom. 1. relata ex tribus veteribus MSS. quæ de Tonſura eiuſdem Sulpitij hæc expreſſiora habet: *Et cùm Dominus iam ſuo voto & bono propoſito ſatisfacere dignaretur, deciſa capitis ſui cæſarie ſuſcepit Clericatus* * *coronam, & ſuccedentes gradus Eccleſiaſticæ dignitatis vſque ad eum locum, vt electione populi & Clericorum conuentione Epiſcopatus dignitatem aſcenderet.* Hæc ibi. Cæterùm obiiſſe notat Chanutius Sulpitium Pium in catalogo Archiepiſcoporum Bituricenſium, n. 31. in fine, anno Chriſti Domini 641.

* En quàm vetuſtus ſit interſtitiorum ritus.

* Nota.

Paulò antè ſplendidis Chriſtianæ ſapientiæ & virtutis irradiationibus fulgebat ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis, qui inter præclara opera quibus Eccleſiam illuſtrauit, libros duos conſcripſit de Eccleſiaſticis officiis, quorum prior eſt de ſacris rebus ac ritibus; poſterior, de variis ordinibus &

Digitized by Google

miniſtetiis Cleticorum, diuetſiſque populi Chriſtiani ſtatibus communibúſque iis omnibus Sactamentis; huius autem libri c. 14. ex profeſſo tractat de ſolenni Tonſuræ titu, quo Clerici ſacræ militiæ adſcribuntur; *Tonſuræ*, inquit, *Eccleſiaſticæ vſus à Nazaræis, niſi fallor, exortus eſt; qui priùs crine ſeruato, denuò poſt vitæ magnæ continentiam deuotione completa caput radebant, & capillos in ignem ſacrificij ponere iubebantur, ſcilicet vt perfectionem deuotionis ſuæ Domino conſecrarent; huius ergo exempli vſus, ab Apoſtolis* introductus eſt, vt ſi qui in diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazaræi, id eſt ſancti Dei, crine præciſo innouentur: Hoc quoque & Ezechieli Prophetæ iubetur dicente Domino, Tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum & duces per caput tuum & barbam; Videlicet quia & ipſe è Sacerdotali genere Deo in miniſterio ſanctificationis deſeruiebat. Hoc & Nazaræos illos Priſcillam & Aquilam in Actibus Apoſtolorum primos feciſſe legimus, Paulum quoque Apoſtolum & quoſdam Diſcipulos Chriſti, qui in huiuſmodi cultu imitandi extiterunt. Eſt autem in Clericis Tonſura ſignum quoddam, quod in corpore figuratur, ſed in animo agitur, ſcilicet vt hoc ſigno in religione vitia reſecentur & criminibus carnis noſtræ, quaſi crinibus exuamur, atque inde innouatis ſenſibus, & comis rudibus eniteſcamus, expoliantes nos, iuxta Apoſtolum, veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, qui in agnitionem Dei renouatur. Quam renouationem in mente oportet fieri, ſed in capite demonſtrari, vbi mens noſcitur habitare. Quòd verò detonſo capite ſuperiùs, inferiùs circuli corona relinquitur, Sacerdotium regnúmque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari, Tiara enim apud veteres inſtituebatur in capite Sacerdotum, hæc ex byſſo confecta rotunda erat quaſi ſphæra media, & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa: Corona autem latitudo aurei eſt circuli, quæ regum capita cingit; Vtrumque ergo ſignum exprimitur in capite Clericorum, vt impleatur etiam quadam corporis ſimilitudine, quod ſcriptum eſt Petro Apoſtolo prædocente, Vos eſtis genus electum; regale Sacerdotium.* Hæc ſanctus Iſidorus, qui alia de hoc ritu myſtica documenta ſubiungit, alio loco opportuniùs referenda.

* Nota, Tonſuram Clericalem eſſe Apoſtolicæ inſtitutionis.

Anno 604. regebat Eccleſiam Lugdunenſem Dalphinus, à quo ſanctus Wilftidus poſtmodùm Atchiepiſcopus Ebotacenſis in Anglia, Cleticatus ſignaculo inſigniri petiit & promeruit: Cuius rei memoriam dignam cenſuit Beda quam poſtetorum memoriæ ſuo calamo conſignaret, l. 3. c. 25. *Porro* (inquit) *Arfrid (Rex) magiſtrum habuit eruditionis Chriſtianæ Wilfridum virum doctiſsimum. Nam & Romam priùs propter doctrinam Eccleſiaſticam adierat, & apud Dalfinum Archiepiſcopum Galliarum, Lugduni multum temporis egerat, à quo etiam Tonſuræ Eccleſiaſticæ coronam ſuſceperat.*

Concilium Toletanum IV. anno 633. celebratum eſt, cui ſanctus ipſe Iſidorus Mettopolita Hiſpalenſis præſedit, primúſque ſubſcripſit. Huius autem Synodi intet decteta, canon extat inſignis de Tonſuta Cleticali his vetbis conditus; *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Leuitæ & Sacerdotes, detonſo ſuperiùs toto capite, inferiùs ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut huc vſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis vt Laici comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim ipſe in Hiſpania hæreticorum fuit: vnde oportet vt pro amputando Eccleſiæ ſcandalo hoc ſignum dedecoris auferatur & vna ſit Tonſura, vel (id eſt) habitus ſicut totius*

Hiſpaniæ eſt vſus. Qui autem hoc non cuſtodierit, fidei Catholicæ reus erit.

Sub Clodouæo II. Cathedram Eccleſiæ Rothomagenſis tenuit ſumma cum virtutum Epiſcopalium gloria ſanctus Audoënus, anteà Auricularius ſeu Cancellarius regius, de cuius in Clerum cooptatione, vnáque ſancti Eligij Epiſcopi ſubinde Nouiomenſis, eius perchari Symmyſtæ, hæc Fridegodus vetus ſcriptor, in vita ſancti ipſius Audoëni c. 9. poſterorum memoriæ commiſit, *Poſteà verò tum Regis Clodouæi* (II. ſcilicet) *voluntate, tum multorum religioſorum hominum, præcipuè tamen B. Eligij, quem præ cæteris ſingulari amore proſequebatur, conſilio & hortatu Clerici Tonſuram accepit: vno eodémque tempore etiam ipſo Eligio viro Dei comam ponente.*

Idem fecit eodem fermè temporis excurſu ſanctus Philibertus I. Abbas Gemeticenſis in Lugdunenſi ſecunda; *Hic enim,* (ſic eius acta ferunt) *à Beato Aglio clementer exceptus, capitis comam depoſuit, Chriſtique iugum ſuaue & onus leue ſuſcepit.*

Marculphus monachus, formularum libros duos eodem ſæculo edidit, quos dicauit Landerico Pariſienſi Epiſcopo, anno 650. præſidenti; quo anno priuilegium conceſſit libertatis Monaſterio ſancti Dionyſij ad petitionem ipſius Clodouæi II. filij Dagoberti, eiuſdem Monaſterij fundatoris. In his verò formulis lib. 1. n. 19. cenſitum extat præceptum Regis de Clericatu, quo ſcilicet Rex licentiam dabat ſacros ordines appetenti, liberè dandi nomen Clericali militiæ; non quo rata foret coram Deo ordinatio, ad cuius characterem terrena poteſtas non concurrit; Sed quo Clericus ſacri ordinis priuilegiis, etiam ſæculi annuente poteſtate, quietè frueretur. In præcepti autem illius ſerie, mentio fit expreſſa ritus deciſæ comæ & efformatæ Tonſuræ Clericalis, *Ille* (inquit Rex, principali hoc reſcripto) *ad noſtram veniens præſentiam petiit ſerenitati noſtræ, vt ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis ſui ad onus Clericatus deponere deberet; Quod nos propter nomen Domini, hoc eidem gratante animo præſtitiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo iubemus, vt ſi memoratus ille de capite ſuo bene ingenuus eſſe videtur, & in Puletico publico cenſitus non eſt licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare, & ad ſuprà ſcriptam Baſilicam, vel monaſterium deſeruire, vel pro nobis Domini miſericordiam attentiùs exorare.* At hîc notaſſe non ſuperuacaneum erit, morem iſtum petendi à Rege licentiam eiuſmodi non eſſe profectum ex lege Regia, ſed ex Synodica conceſſione & indulto; In Concilio ſiquidem Aurelianenſi primo, quod permiſſu Clodouæi Magni Proto-Chriſtiani Francorum Regis anno 511. conſedit can. 4. à Patribus, qui Regi ob ſuſceptam Chriſti fidem, nihil detractum iri iuris publici volebant, decretum, ne quiſpiam implicitus ſæculi negotiis (ſcilicet rationibus publicis) in Clerum cooptari poſſit, niſi ab ipſo Rege impetrata licentia, vel data à iudice ſententia, quâ liber & immunis à publicis cenſibus pronunciaretur. De cæteris verò plenam Epiſcopis relictam voluerunt ordinandis poteſtatem. In Concilio item Rhemenſi ſub Dagoberto Rege habito anno 630. ſancitum fuit, vt qui publico cenſu tenentur, Religioſi ſeu Clerici, ſine permiſſu Principis vel Iudicis non fiant. Sed non eſt quòd congerendis aliis eiuſmodi

modi canonibus diutiùs immoremur; hic ipſe locus ex formulis priſcorum principalium reſcriptorum depromptus, patenti argumento eſt, huius ordinandorum diſtinctionis. Quòd enim abſolutè moris non eſſet, vt quique ad ſacros aſpirarent conſeſſus, peterent à Rege licentiam Eccleſiaſticam militiam profitendi; ſed ij dumtaxat qui publicis rationibus obnoxij eſſent, vel Regi alicuius dignitatis, muneris vel debiti nexu eſſent obſtricti, tenore ipſius præcepti fit perſpectum. Enimuerò formulâ eiuſdem præter quam diſertè cautum eſſe Rex iubet, vt qui ordinatur *de capite ſuo ſit ingenuus*; Horum enim comam præcidere antiquæ Francicæ Leges, ſeu Salicæ notatæ ſuprà, diſtrictè prohibebant; canones verò ne dominis fieret iniuria, vetabant ſeruos in Clerum abſque dominorum conſenſu cooptari: Id inſuper ſpeciatim ſubiungitur, *Et in Puletico publico*, (ſeu vt doctiſſimus Pithœus ad tit. 26. Leg. Sal. exſcribens, rectiùs legit; & notauit eruditiſſimus Bignonius, *Polyptico)* id eſt in publicis rationibus ſeu polyptichis *cenſitus* & inſcriptus *non ſit*. Quâ & ratione diu poſteà cùm Ludouicus VI. Stephanum electum Pariſienſem peteret ab Archiepiſcopo Senonenſi, & eius Suffraganeis conſecrari: ab eo imprimis poſtularunt, num liberum & immunem à rationibus publicis hominem præſentaret, qui ſcilicet eius Cancellarius & Comes Palatinus extiterat? Cúmque reſpondiſſet Rex planè repetundarum expertem, atque ab omni nexu ciuilis adminiſtrationis liberum ſe illum offerre promouendum: tum admiſſus, ab Epiſcopis ordinatus eſt (vide Epiſtolas quinque Bernardi 45. & ſeqq. vſque ad 50.) Verùm poſteà Rege, neſcio quo pacto affectus ſuos mutante, atque ius repetente, vt inſectandi, inuiſi iam ſibi ac exoſi Stephani anſam caperet, adminiſtrationis ante Epiſcopatum initæ ab eo exigeret rationem: Antiſtites, quo par erat zelo ſeſe fratris ſui oppreſſioni obiecerunt, Regi ſiquidem reſponderunt, Stephanum reddendæ rationi, quam repoſcebat Rex ipſe, non teneri, cùm immunem planè & liberum ab eiuſmodi nexibus omníque alio impedimento fuiſſe, in die eius ordinationis idem Rex aſſeruiſſet publico in Eccleſiæ conſpectu. Ita etiam actum fuiſſe cum S. Thoma, Archiepiſcopo Cantuarienſi ab Henrico II. Rege Angliæ, Eduardus contemporaneus auctor in eius vita refert, quæ breuiata extat apud Surium tom. vlt. de SS. die 29. Decembris; *Cum enim* (ſcribit) *hac in re nihil proficerent eius aduerſarij, aliud tentatum eſt, vt redderet rationem eorum, quæ tum cùm eſſet Cancellarius cuſtodienda accepiſſet, & vt ea expendiſſet, licèt iam antè publicè pronunciatum eſſet, ab eiuſmodi liberum eum fore.* At id ei obiectum conſimili euentu. Siquidem cùm aduerſarij eius ipſi perſpicerent hoc ſe fruſtra contra eum niti, negotium ei faceſſere ab hoc capite, quà vltro, quà inuiti deſierunt. Sed hoc πάρεργον. Hoc igitur è diuerticulo iam redire placet in viam continuæ Traditionis ritus Clericalis Tonſuræ.

Sanctus Trudo preſbyter, Haſbaniæ vulgò dictus Apoſtolus, egregius Chriſti Confeſſor circa ann. 670. miræ ſanctitatis celebritate clarus emicuit. In cuius vita à Theodorico primo monaſterij ab eo conſtructi Abbate accuratim deſcripta (extat apud Surium 23. Nouemb.) vt de mili-

tia ſæculari ad Eccleſiaſticam tranſierit, ſic reperi memoratum cap. 15. *Vbi ad Eccleſiaſticas ventum eſt ſcripturas, tanto earum amore ductus eſt, vt præterita omnia contemneret, & in adipiſcendo Clericatu totum ſe quaſi expediret. Ingreſſus Eccleſiam Beatiſſimi Protomartyris* (Metenſem) *renunciat Scholaſticis, manibúſque Epiſcopi ſui tonſuratus exuit Laïcum & indutus Clericatum, iuratus in bella Chriſti miles aſſumitur.* Epiſcopus ille à quo accepit militiæ Clericalis ſignaculum Clodulphus erat, vir pari morum ſanctimoniâ, quâ generis claritate & ſedis nobilitate præcellens.

Hic non prætereundus occurrit ſanctus Anſbertus, Epiſcopus Rothomagenſis, qui eodem tempore fulgens, ideam perfecti Antiſtitis, apoſtolicis, quibus emicuit, virtutibus animatam in ſe præbuit: Huius res ſanctè, piéque geſtas memoriæ conſignauit Angradus monachus vir ingenuæ mentis, probatæ fidei, & ſpectatæ doctrinæ, qui à capitis Tonſurâ, militiam ſacram illum ſignatim memorat auſpicatum: *Corpore & animo* (ſcribit) *ſæculo ſe renunciaturum fore Ansbertus aiebat, comámque capitis ſui vt Wandregiſilus iuberet deponi obnixè flagitabat.*

Fulbertus in vita ſancti Archardi Abbatis Gemeticenſis in Neuſtria, (extat apud Surium die 15. Septembris) quemadmodum adſcriptus ſit ſactæ militiæ, iis verbis inſinuat, *Comâ capitis depoſitâ, iugum Chriſti ſuaue ſuſcepit, anno Domini circiter 680.*

Synchronus huius beati viri fuit ſanctus Landelinus preſbyter & Abbas, quem munere prædicandi ſanctus Martinus Papa & Martyr honorauit, quo & ipſe diu ſtrenuè ac vtiliter perfunctus eſt: Geſta porro eius vetè apoſtolica, à fideli deſcripta auctore, relata videre licet apud Surium tom. 6. de Sanctis die 15. Iunij; In his at verò, cùm relicto militiæ ſæcularis cingulo ſeſe Chriſti totum dedicauit obſequiis, detonſione comæ initiatum fuiſſe, liquidò memoratur huiuſmodi verborum contextu; *Atque tandem diuturna excoctus pœnitentia ſtatuit à ſe mundi negotia omnino reiicere, vt poſſet liberiùs cæleſtia cogitare; Roga igitur B. Autbertum vt ſe tondeat, & militia cæleſtis chlamydem induat,* &c.

Notgerus Epiſcopus Leodienſis in vita ſancti Landoaldi Confeſſoris, S.R.E. Archipreſbyteri, de ſancto Amando, poſteà Traiectenſi Epiſcopo verba ex occaſione faciens, *Ab oratione*, inquit, *ſurrexit*, (quam ſcilicet ante ſepulchrum S. Martini Turonenſis fundebat) *capitis comam ſibi abſcindi fecit, Clericatus adeptus honorem, omnem in Clero gratiam,* &c. *per ordinem tranſcendit.* Obiit autem S. Amandus anno 661.

Labente hoc ſæculo, anno videlicet 690. vel circiter ſanctus Wlfrannus, qui poſtmodum Archiepiſcopus fuit Senonenſis, Eccleſiaſtici ordinis primum limen attigit. Ionas Monachus Fontanellenſis, qui res ab eo diuinè geſtas ſtylo non infelici deſcripſit, ſignanter commemorat, ipſum ad ſacra caſtra tranſeuntem, *ſumpſiſſe habitum Clericatus.* habitus autem Clericalis Tonſuram imprimis ſupponit: vnde vetus vulgariſque apud Eccleſiaſticos loquendi formula inoleuit, vt Clericus in habitu decenti repertus paſſim audiatur, ſi comparuerit, *in habitu & Tonſura.*

Circa annum 700. clarere cœpit in Anglia ſanctus Guthlacus Anachoreta & Confeſſor, qui vt vetuſtus Actorum eius ſcriptor, quin &

ſpectator in his commemorat; *Abiectis ſæcularis militiæ* (quam ptimùm ſecutus eſt) *armis accepto Clericalis Tonſuræ charactere, apud Rependoniam, vbi erat Monaſterium inſigne, monaſticis diſciplinis ſe mancipauit.*

In Anglia quoque circa idem tempus ortum duxit ſanctus Lebuinus: qui ſubinde preſbyter, Belgicam Galliam diuinorum chariſmatum, quibus abundè affluebat irradiarionibus plurimùm docorauit. Acta eius præclariſſima diligenri collectione complexus eſt Hucbaldus monachus Elnonenſis, quæ ad Baldricum Epiſcopum Traiectenſem laudabilis memoriæ honorificâ nuncupatione rranſmiſir. Porro cap. 4. huius lucubrationis, iniria eiuſdem Beati Confeſſoris enarrans; *His intentus* (inquir) *vir Dei Lebuinus, ſtudiis ac ſedulò recolens quid de Clericorum moribus à ſanctis inſtitutum ſit Patribus abſtinuit à vulgari vita & conuerſatione.* Et infrà, *Vnde & ipſe Deo talem exhibens ſe, poſt tantæ continentiam vitæ detonſo, raſóque capite, non capillos poſuit vrendos ſacrificij veteris igne, ſed vt verus Nazaræus conſecrans perfectionem deuotionis ſuæ obtulit totum ſe hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem, quæ vreretur aſſiduè ſancti Spiritus igne, vt fieret obſequium eius rationabile, & illud ſignum Tonſuræ quod figurabatur in corpore, ageretur in illo, in quod Chriſtus habitat in interiori homine: videlicet vt vlteriùs abſciſſis crinibus interim cunctis reſectis criminibus eniteſceret, denuò, innouatis ſenſibus quaſi rudibus comis. Prætereà geſtans quaſi tiaram veri Sacerdotii in detonsâ ſuperiori capitis parte, necnon exprimens in inferiori dignitatem Regalis coronæ; gaudebat munus impleri in ſe hac typica ſimilitudine, quod B. Apoſtolus Petrus vniuerſali collatum gaudet Eccleſiæ: Vos, inquit, eſtis genus electum, regale Sacerdotium. Igitur vir Domini Lebuinus in talibus virtutum profectibus, ætate ſimul & probitate morum adultus verè per omnia irreprehenſibilis Clericus, ſingulis ſenſim ſecundùm inſtituta canonica dignitatis Eccleſiaſticæ conſcenſis gradibus, ad officium presbyteratus eligitur.*

Sanctus Germanus Conſtantinopoliranus Parriarcha ineunre ſæculo VIII. ſplendore doctrinæ ac pietatis in Orienrali Eccleſia eluxit, cultúmque ſanctarum Imaginum ſtrenuè defendir tam ſcripris quàm factis aduerſus Iconomachos, quorum perſecutione ſede pulſus, & in exilium actus anno 730. feliciter mortuus eſt: ſcripſit aurem Theoriam Rerum Eccleſiaſticarum, in qua ferè ab exordio hiſtoriæ meminit ſuperiùs inſinuaræ de vertice ſancti Petri ab hoſtibus Chriſtianæ Religionis in deriſionem coronæ ſpineæ Chriſti Domini, in circulum artonſo; quam ignominiam ſubiungir *conuerſam fuiſſe à Domino in honorem*: ſcilicer quòd inde Tonſura cœperir Clericalis, quæ deinceps euaſerit in ſacri honoris ſignaculum, ex quo per ludibrium principi Sacerdoralis coronæ ſancto Petro, impreſſa fuir. Huc ſpectaſſe videtur ſanctus Hieronymus relarus c. 12. q. 1. c. *Duo ſunt*, vbi air *Clericos habere coronam ex inſtitutione Romanæ Eccleſiæ, in ſignum regni, quod in Chriſto expectatur: raſionem* verò capiris *eſſe temporalium omnium depoſitionem*; Cùm enim S. Petrus fuerir Romanæ Eccleſiæ fundator ac primus Ponrifex, rectè à Rom. Eccleſia fluxiſſe hic ritus, qui à ſancto Petro, vt à natiuo fonte ortum duxir.

Sub Gregorio II. habita eſt Romæ Synodus anno 721. in qua contra

Digitized by Google

Clericos Tonſuræ diſciplinam negligentes, anathematis fulmen vibratum eſt hoc canone, qui ſerie eſt poſtremus, *Siquis Clericus relaxauerit comam, anathema ſit; Et reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.*

Idem Decretum renouatum fuit ſub Zacharia Papa in Concilio itidem Romano, cuius canon 8. eſt tam monachis, quàm Clericis præſcriptus eodem contextu; *Vt ſi vllus Clericus, aut Monachus, comam laxare præſumpſerit, anathema ſit.*

Beda Venerabilis Germano Patriarchæ prædicto coætaneus fuit: in fine ſiquidem lib. 5. hiſt. Eccleſ. Gentis ſuæ, hoc opus abſoluiſſe inſinuat anno Dominicæ incarnationis 631. Ipſe porro eiuſdem hiſt. lib. 5. c. 22. copioſè differit de Tonſura ſeu corona Clericali, quam à ſancto Petro initiatam, deinde perenni vſu propagatam à viris ſacris in Eccleſia Catholica affatim oſtendit, epiſtolam referens didacticam Ceolfridi Abbatis ad Nartauum Pictorum Regem in Britannia de Catholico Paſchate, & legitima Tonſuræ ſacræ figura & ritu; quondam enim fuiſſe aliam meminit Tonſuram non à Simone Petro inuectam, ſed à Simone Mago eius aduerſario ac Chriſti hoſte: *Cæterùm*, inquit, *Tonſuram eam, quam Magum habuiſſe ferunt Simonem quis (rogo) fidelium, non ſtatim cum ipſa magia primò deteſtetur & meritò exſufflet? quæ aſpectu in frontis quidem ſuperficie coronæ videtur ſpeciem præferre, ſed vbi ad ceruicem conſiderando perueneris decurtatam eam quam te videre putabas inuenies coronam, vt meritò talem ſimoniacis & non Chriſtianis habitam conuenire cognoſcas.* Abuſu tamen irrepſiſſe in maiorem Britanniam hunc infauſtæ Tonſuræ typum, adeò vt etiam piis quibuſdam hominibus in vſu eſſet idem Ceolfridus paulò pòſt ſubindicat; *Neque verò* (ait) *me hæc ita proſecutum exiſtimes, quaſi eos qui hanc Tonſuram condemnandos iudicem, ſi fide & operibus veritati Catholicæ fauerint, imò confidenter profiteor plurimos ex eis ſanctos ac Deo dignos extitiſſe, ex quibus eſt Abdamnanis Abbas & Sacerdos Columbienſium egregius, qui cùm Legatus ſuæ gentis ad Alfridum Regem miſſus, noſtrum quoque Monaſterium videre voluiſſet, mirámque in moribus & verbis prudentiam, humilitatem, religionem oſtenderet, dixi illi, inter alia colloquens, obſecro ſancte pater, qui ad coronam te vitæ, quæ terminum neſciat tendere credis, quid contrario tuæ fidei habitu, terminatam in capite coronæ imaginem portas? Et ſi conſortium B. Petri quæris, cur eius quem ille anathematizauit Tonſuræ imaginem imitaris? & non potiùs eius, cum quo in æternum beatus viuere cupis, etiam nunc habitum te quantùm potes diligere monſtras? Reſpondit ille, ſcias profectò, frater mi dilecte, quia etſi Simonis Tonſuram ex conſuetudine patriæ habeam, Simoniacam tamen perfidiam tota mente deteſtor ac reſpuo, Beatiſſimi Apoſtolorum Principis quantùm mea paruitas ſufficit, veſtigia ſequi deſidero.* Et reipſa Ceolfrido monente Abdamnanis formam Tonſuræ ſancti Petri ſuſcepit, reuerſúſque in patriam (ſcilicet in Scotiam) cæteris Clericis ac Monachis vt illam ſuſciperent illâ Simonis reiectâ perſuadere contendit. Verùm quod optabat, plenè perficere non potuit, refragantibus ipſis monachis Cœnobij, cui præerat in Inſula Hiienſi *.

* Habita fuerat tẽpore Vitaliani Papæ, ſcilicet anno 664. de Paſcha te & Tonſura inter Scotos & Anglos Synodus, de qua fuſè Beda lib. 3. c. 25.

Fuit Ceolfridi apud Nartauum Pictorum Regem, eiúſque proceres efficacior monitio, nam eius lecta publico in Conuentu epiſtola,

duo, quos ſuadebat Romanæ Eccleſiæ, vltrò, ſuſcepti ſunt ritus, nempe Paſchalis celebritatis & Clericalis Tonſuræ; *Statim namque* (ſubdit Beda Venerabilis) *iuſſu publico mittebantur ad tranſcribendum, diſcendum, obſeruandum per vniuerſas Pictorum prouincias circuli Paſchæ decennouenales, oblitteratis per omnia erroneis octoginta & quatuor annorum circulis; Attondebantur omnes in coronam miniſtri altaris ac monachi, & quaſi nouo ſe diſciplinatui Apoſtolorum principis Petri ſubditam, eiúſque tutandam patrocinio gens correcta gaudebat.* Hactenùs Venerabilis Beda; qui ſubiungit ſequenti capite Clericos Scotiæ, monachóſque Inſulæ Hiienſis vtrumque ritum Paſchalis obſeruationis, & Tonſuræ Eccleſiaſticæ paulò pòſt amplexos eſſe: *Nec multò pòſt* (inquit ipſo capitis initio) *illi quoque qui Inſulam Hij incolebant monachi Scoticæ nationis, cum iis quæ ſibi erant ſubdita, monaſteriis, ad ritum Paſchæ & Tonſuræ canonicum Domino procurante perducti ſunt, anno ſcilicet ab incarnatione Dominica 716.* Idque operâ Ecgberti, poſteà Eboracenſis Archiepiſcopi, viri ſancti, vt idem Beda notat in Epitome ſeu Breuiario totius hiſt. ſuæ Eccleſ. his verbis, anno 716. &c. *Vir Domini Ecgbertus Hiienſes monachos ad Catholicum Paſcha, & Eccleſiaſticam correxit Tonſuram.*

Pacifico more & vſu, hinc ritus iſte in Anglia viguit, vnde in legibus preſbyterorum Northumbrenſium, quos Collector Conciliorum maioris Britanniæ ſub annum 988. repoſuit, preſbyteri conſtringendi decernuntur circa hanc obſeruationem negligentes: ſiquidem n. 34. ſic ſtatuitur, *Si preſbyter barbam vel comam radere neglexerit, compenſato.* Et n. 40. *ſi preſbyter Tonſuram ſuam obuelet, emendato.*

At longè ſeueriore lege actum in Romana Eccleſia, aduerſus Clericos vel monachos Tonſuram non ferentes, ſiquidem inter reſponſa quæ Stephanus II. Papa, cùm eſſet in Francia in Cariſiaco anno 754. ad varia conſulta dedit c. 18. ſancitum eſt, *vt nullus Clericus aut Monachus comam laxare præſumat, ſi fecerit, anathema ſit.*

Albinus Alcuinus, Bedæ Diſcipulus, hâc ætate præclaris ſapientiæ Chriſtianæ titulis præſtans librum eruditum ſcripſit de diuinis officiis, in quo programma ſpeciale præfigit *de Tonſura Clericorum;* de cuius ritu & obſeruatione ex profeſſo diſſerit.

Sed & in Græcia Sanctiones pridem editas reperimus in Confeſſibus ſacris hoc de ſeruando ritu. Quiniſexta Synodus in Trullo habita Conſtantinopoli anno 690. expreſſè prohibet c. 33. quemquam Sacerdotali ordine vel miniſterio fungi, *niſi qui Tonſurâ Sacerdotali vſus fuerit, & benedictionem à ſuo proprio paſtore canonicè ſuſceperit.*

Tonſuram porro Clericalem non congruâ ætate, vel non à legitimo miniſtro recipientes Synodica reprehenſione perſtringit Concilium VII. generale Nicænum, aliàs II. c. 14. rom. 18. Concil. Regiæ edit. Pariſienſis pag. 620. & 621. Gentiano Herueto interprete. Præfuit annuentibus Legatis Hadriani Papæ huic Concilio Taraſius ſecundæ ſedis Patriarcha, qui vt Ignatius Monachus in huius vita ſcribit limi mundani mutatâ veſte & dignitate, ac *tonſa coma ritu Clerici, &c. ſuſcepit vnctionem honoris Sacerdotalis.*

Digitized by Google

Porro Synodus ſecunda Cabilonenſis can. 7. Epiſcopos & Abbates pœnis Canonicis ſubiicit, qui turpi illecti lucro quoſlibet, totonderunt; ſic enim decetnit ſacer ille ſenatus, *Vt Epiſcopi, ſiue Abbates, qui non in fructum animarum, ſed in auaritiam & turpe lucrum inhiantes, quoſlibet homines illectos circumueniendo totonderunt, & res eorum tali perſuaſione non ſolùm acceperunt, ſed potiùs ſubripuerunt, pœnitentiæ canonicæ ſiue regulari, vt puta turpis lucri ſectatores, ſubiaceant.* Nota hîc obiter quòd iam hoc tempore Abbates Tonſuram apud Latinos conferebant; quem morem eodem æuo viguiſſe in Græcia argumento eſt canon præcitatus Nicæni Concilij, quô diſertè legitur etiam Lectores, licere Monaſterij præfecto (dummodò ſit ipſe preſbyter) in proprio Cœnobio ordinare, idque (quod non parùm mireris) *per manuum impoſitionem: Nec modò Abbatibus id fas eſſe, ſed & Chorepiſcopis, de Epiſcopi Diœceſani permiſſu* *. Verùm canon iſte in ius commune Eccleſiæ Occidentalis non eſt receptus, ſicut præinductus canon Concilij II. Cabilonenſis, qui non vno loco Codicis Eccleſiaſtici iuris Latini inſertus eſt, nempe 16. q. 7. *Conſtituit*, & 20. q. 3. eodem initio. Editum autem hoc Cabilonenſe decretum conſtat anno 813. Carolo Magno iubente, quô Epiſcopi Galliæ Lugdunenſis Cabilonem Æduorum conuenerunt, ſuper diſciplina Eccleſiaſtica reſtituenda congruas ſanctiones edituri, quæ regiâ auctoritate deinde roboratæ, effectui mandarentur, vt ipſimet Patres in ſuorum Decretorum limine profitentur. Ad calcem verò inſinuant magnum illum Imperatorem plurimùm de Eccleſiæ honore ac decoro ſollicitum, *Canonum inſtituta diligenti indagatione perquirere, & indefeſſa atque infatigabili obſeruatione, auxiliante Domino* habere in votis *perficere*. Verùm ſequenti anno pio vitæ exitu abiit ad præmium. Succeſſit ei Ludouicus Pius eius filius, ſub quo Concilium Aquiſgranenſe anno 816. coactum fuit: in quo eius iuſſu edita eſt forma inſtitutionis Canonicorum & Sanctimonialium. Incipiunt Patres à *Clericorum Tonſura*, de qua lib. 1. Capitulum 1. eſt inſcriptum totúmque conſertum ex ſancti Iſidori verbis, quæ quoniam ſuprà deſcripta ſunt, hîc repetere ſuperuacaneum videtur.

Sub eodem Ludouico Pio (qui, vt coæuus Auctor memoriæ conſignauit in vitæ prologo ſancti Remberti Archiepiſcopi Bremenſis apud Surium tom. 2. de ſanctis die 4. Februarij, vt erga Deum ſublimitatis & dignitatis auctorem ſe gratum declararet, in eam curam deuotus incubuit, vt Eccleſiæ Dei in eius ditionibus conſtitutæ congruis incrementis proficerent, itémque ſeruorum & ancillarum Chriſti ſtatus ſua capeſſeret honoris augmenta) adoleuit ſanctus Rembertus Confeſſor Archiepiſcopus Bremenſis, qui anno 865. ſancto Anſehario primo Metropolis huius Antiſtiti, cuius alumnus fuerat, idem vt prædixerat diuino afflatu, ſuffectus fuit. Quomodo verò in primo ætatis flore præuentus à Deo in benedictionibus dulcedinis, militiæ ſacræ tyrocinium inierir, hac ſerie denarrat præſignatus eius geſtorum deſcriptor, *Animaduertens ergo vir Dei* (Anſcharius) *ſacram religioſi pueri infantiam diuini iam cultus & famulatus amore flagrare, accitis ad ſe parentibus eius, didicit Rembertum illum vocari, iiſque conſentientibus Tonſuram ei & Eccleſiaſticum habitum contu-*

* Concilij II. Nicæni can. 14. hac ſerie cõſtat. Ὅτι τάξις ἐμπολιτεύεται ἐν ἱερωσύνῃ, πᾶσιν ἀρίδηλον· καὶ ἐν ἀκριβείᾳ διατηρεῖν τὰς τῆς ἱερωσύνης ἐγχειρήσεις, Θεῷ ἐστὶν εὐάρεστον. καὶ ἐπειδὴ ὁρῶμεν αὐτοὺς χειροθεσίας νηπιόθεν τὴν κουρὰν τοῦ κλήρου λαβόντας τινάς, μήπω δὲ παρ' ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαβόντας, καὶ ἀναγινώσκοντας ἐν τῇ συνάξει ἐπ' ἄμβωνος, ἀκανονίστως τοῦτο ποιοῦντας, ἀπαγορεύομεν ἀπὸ τοῦ παρόντος τοῦτο μὴ γίνεσθαι· τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ μοναχῶν. ἀναγνώστου δὲ χειροθεσίαν ἄδειαν εἶναι ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνον ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπιτεθῇ χειροθεσία παρὰ ἐπισκόπου πρὸς προεδρίαν ἡγουμένου, δῆλον ὄντος αὐτοῦ πρεσβυτέρου. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους κατ' ἐπιτροπὴν τοῦ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας.

Digitized by Google

contulit, paternâque ſollicitudine eum commendans, cœpit ſtudioſè illum erudire.

CAPVT XI.

A Nicolao I. ad Gregorium VII.

PALLIVM Archiepiſcopale S. Rembertus præmemoratus accepit à Nicolao I. ſummo Pontifice, qui imperium obtinente Ludouico Iuniore Ludouici Pij nepote & Lotharij filio, vniuerſali Eccleſiæ ſummâ gloriâ & felicitate præfuit. Is etſi (vt refert ſpeciatim Anaſtaſius) ſolenni more coronatus fuerit, in antiquis picturis nudo apertóque capite repræſentatus paſſim conſpicitur, maximè apud Platinam, Ciaconium & Ioannem Baptiſtam Glenium, qui antiquas Pontificum effigies priſcis et monimentis typis expreſſas in lucem protulerunt*. Cur autem hic Pontifex, qui corona Sacerdotali tanto honore, tantâ celebritate decoratus fuiſſe perhibetur ab Anaſtaſio auctore coætaneo, abſque pontificio diademate, nudo vertice, at Tonſura inſignito paſſim priſcis in figuris ſit depictus, ratio hæc eſſe videtur, quod rariùs coronam Pontificiam gereret, Tonſuram verò ſemper perferret detonsô apice & reſectis infrà per circuitum capillis, conſpicuam, ex ſancti Silueſtri imitatione, qui (ſi credimus Balſamoni tit. 8. de Parochiis) *ſupra coronam ſeu Tonſuram, quam habuit ad honorem Dei & S. Petri, noluit coronam ferre ex auro, vel margaritis*, &c. αὐτὸ ὁ μακάριος πάπας Σιλβέστρος τὸ τὴν στέφανον ἤτοι τὴν παπαλήθραν εἶχε πρὸς δόξαν τοῦ θεοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πέτρου, οὐκ ἤθελε βαστάζειν στέφανον ἐκ χρυσοῦ, ἢ μαργαριτείων. &c. Ad Nicolaum Papàm merito vt cognomento Magnum quod ſpectat, eius ex geſtis & decretis compertum eſt, Cleri ſeruando augendóque decoro & honori impensè ſtuduiſſe: Vetuit ſiquidem ſæculares poteſtates intereſſe Conciliis, niſi de fide ageretur diſt. 96. cap. *vbinam*. Item ne Laïci de Clericorum vita iudicent diſt. 28. c. *conſulendum*. Ne Epiſcopi bella geretent, ſed vacarent orationibus. Ne quis intereſſet ſacris, quæ à Sacerdote concubinam habente fierent. Ne tamen ſacramenta recipere Laïci detrectarent ab vllo Sacerdote, prætextu cuiuſuis piaculi, niſi Sacerdos iuridicè conuictus, & manifeſto ſcelere ab Eccleſia excluſus fuiſſet. Cauſam Ignatij Conſtantinopolitani Patriarchæ viri ſancti, iniquè à ſede deiecti, patrociniúmque ſedis Apoſtolicæ implorantis, ſuâ, hoc eſt ſummâ auctoritate ac iuſtitiâ, tutatus eſt. Hunc Ignatium anno 848. cùm primùm ad militiam Clericalem admiſſus fuiſſet, prodiiſſe inſignem Tonſurâ & habitu eius in certamine commemorat Nicetas cognomento Dauid, apud Surium 22. Octobris, cuius Græcam de ipſius Ignatij geſtis narrationem Latino expreſſit eloquio Mathæus Raderus Societatis Ieſu presbyter. Scripſerunt de Tonſura circa annum 840. Amularius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. off. c. 5. & Rabanus Maurus, lib. 1. inſt. Clericorum c. 3. Eodem ſæculo claruit vitæ immaculatæ ſplendore Gerar-

* In vetuſtis Iconibus Rom. Pōtificum, editis cum eorum cōſtitutionibus in Bullario Romano, tom. I. Pont. CVII. idem Nicolaus I. depictus conſpicitur ſine mitra, tiara, & quolibet capitis ornatu, raſâ ad cutem barbâ: porro patēti coronâ ſeu Tonſurâ circulari, in vertice, capillis circumquaque ſparſis, ſed non prolixis.

dus Auriliacenſis Comes, ſub militis habitu Tonſuram Clericalem ferens, quam tiara decenter aptata cooperiebat anno 880. quemadmodum in eius vita lib. 2. c. 3. memoriæ prodidit ſanctus Odo Abbas Cluniacenſis; De quo ante monachi profeſſionem in Clerum cooptato, Ioannes monachus eius diſcipulus in eius actorum hiſtoria ſignatim ſcribit lib. 1. c. 1. *Nonodecimo ætatis ſuæ anno apud B. Martinum Turonis tonſus eſt.* Et iterum c. 6. *Igitur vir beatiſſimus nonodecimo ſuæ ætatis anno confugiens apud B. Martinum Clericatus ſuſcepit officium* circa annum 900. Æternum verò adeptus eſt præmium vir ipſe ſanctiſſimus apud Cluniacum, cuius regimen diù feliciter geſſerat anno ſalutis 937. ex Sigeberti calculo. Fallitur Baronius qui in notis ad diem 18. Nouembris ſignat ex Sigeberto claruiſſe S. Odonem anno Domini 938. ſiquidem ipſo Sigeberto teſte anno ſuperiori mortalis eſſe deſierat, vt in eius Chronico notatur ad annum ſignatum.

Anno 967. promulgati ſunt canones ab Edgardo Angliæ ex Synodicis decretis excerpti & additi ad leges ſuas. Inter quos 47. Clericis ſacri ordinis vetat alere cæſariem, & decentem ferre Tonſuram præcipit. Sub ipſum huius ſæculi finem & ſequentis exordium emicuit eximiæ pietatis gloriâ ſanctus Guntherus, Eremita B. Stephani Hungariæ Regis conſanguineus, qui à militia ſæculari ad ſpiritualem conuerſus Tonſuræ ſignaculum ex ſacro more ſuſcepit. De qua re ſic meminit Arnoldus in geſtis ſancti Godehardi Epiſcopi Hilesheymenſis magiſtri ſui, quibus actorum compendium inſeruit ipſius Beati Guntheri Confeſſoris: *Ibidem* (nempe apud Monaſterium, quod Gelinge dicitur) *vir prudens prædictus Guntherus cordetenùs compunctus petiit ab Abbate, vt ante profeſſionem liceret ſibi Romam petere & Apoſtolorum Chriſti, & aliorum ſanctorum interceſſionem pro tranſacta via deuiis, & pro noua via ingreſſu, quærere: quo permittente abiit & rediit, tandémque ante altare S. Mauritij cingulum deponens caput, & barbam totondit* circa annum Domini 1000. Porro hoc ſæculo poſt anni vnius interpontificium, quod ab obitu Damaſi II. effluxerat, creatus eſt anno 1049. ſummus Pontifex Leo IX. ex Epiſcopo Tullenſi: vir Apoſtolicâ ſede digniſſimus, qui Pontificatum ſuum raræ non modò doctrinæ laude, ſed & inſignis ſanctimoniæ dotibus, admodùm & geſtorum illuſtrium gloriâ, cohoneſtauit. Is Durocorti Rhemorum Concilium celebrauit eodem anno quo Pontifex renunciatus eſt. Antè verò quàm inchoaret Synodum, tranſlationem ſolenni ritu peregit corporis ſancti Remigij, at antequam dignum hoc munus ſummo ſacrorum Antiſtite aggrederetur, renouari ſibi fecit Pontificalis verticis coronam. *Facto ſibi balneo* (ferunt acta) *lotus & tonſus eſt; vt pote qui imminentem tanti Patris ſolemnitatem in craſtino celebraturus, transferre diſponebat, tam pretioſæ gemmæ venerabile pignus.* Floruit ſub hoc Pontifice ſanctus Arnulphus Epiſcopus Sueſſionenſis, quem à Tonſura auſpicatum ſanctiſſimæ conuerſationis tramitem, in eius geſtorum hiſtoria teſtatur ſucceſſor eius Liſiardus, hoc verborum tenore: *Eius loci fratres* (nempe Monachi Cœnobij ſancti Medardi Sueſſionenſis) *prudentes & tum diuina, tum humana ſolertia præditi coram Deo & hominibus,*

Digitized by Google

bus, cum Apoſtolo bona prouidentes, &c. Arnulphum deuotione præcipua ad Chriſtum properantem, ita vt par erat excipiunt, atque militiæ cingulum reſpuentem, armaque cum veſtibus cultiſſimis, quas attulerat Eccleſiæ conferentem tondent, & tonſum habitu regulari & crucis Chriſti mortificatione induunt. Extat apud Surium tom. 8. die 15. Auguſti. Fateor hoc exemplum videri poſſe ſpectare ad Tonſuram monaſticam: tamen cùm ſuprà inſinuatum peremptoriè fuerit, Abbates ex canonicarum ſanctionum indulto, ius aſſecutos conferendi iis, quos in ſacrum chorum cooptabant, primam Eccleſiaſticæ militiæ Tonſuram; èxque dictis conſtet Liſiardi Antiſtitis Sueſſionenſis, primum ad hanc aditum ſancto Arnulpho ſuo deceſſori patefactum per ſignaculi huius myſticam impreſſionem: nihil hinc aliud colligi poteſt, quàm clericatus teſſeram, ab eo ſic aſſumptam, cuius ab auſpicio vſque ad Sacerdotij apicem, inuitus licèt, randem ſuperno nutu proceſſerit. Claruit hoc ipſo ſæculo, fidei, doctrinæ, pietatis ſpectaculum Iuo Carnotenſis Antiſtes, cuius æterna meritorum memoria, nunquam in Eccleſia interibit. Doctor hic inſignis iuriſprudentiæ Chriſtianæ, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ viuum oraculum, pleroſque ſermones dictauit & ſcripſit de ſanctis Eccleſiæ ritibus, in quibus *de excellentia ſacrorum ordinum* inſcriptus eſt, quo non modò de praxi tractat Tonſuræ Clericalis, at etiam de theoria, ſic autem eloquitur militiæ ſacræ compellans paterno affectu tyrones, tom. 10. Bibliothecæ SS. PP. *col.* 773. *edit.* Pariſ. anni 1624. *Si paupertatem & humilitatem, quam præfert habitus corporis & figura capitis in corde non habetis, timeo ne cum hypocritis ſit pars veſtra, & ſpes veſtra ab æterna mercede ſit vacua; qui non vt Clerici, ſed vt acephali in Clericali militia ſola quæritis lucra temporalia. Ad hoc enim capillos in modum coronæ in ſummitate capitis raditis, vt & regnum ſpirituale, quo cæteris præeminetis tali figura oſtendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, ſic amputetis de corde, ſicut crines frequenter reſurgentes abraditis de capite: reſiduos autem capillos, eo ordine præcidere debetis, vt aures, oculos & alios ſenſus capitis liberos reddant, & curam exteriorum non in ſuperfluis deſideriis carnis, ſed neceſſariis tantùm exercendam agnoſcant. Si ergo ad ambulandum in via Dei, ſicut prætaxatum eſt, affecti eſtis, & Clerici vocari digni eſtis, & ad maiora militiæ Clericalis officia promoueri.*

CAPVT XII.

A Gregorio VII. ad Innocentium III.

ECCLESIASTICI honoris & decori, Gregorium VII. zelo flagrâſſe ardentiſſimo, nemo niſi qui geſta eius non nouit, & regeſtum epiſtolarum eius tractatoriarum non legit, profectò ignorat, quemadmodum Bertholdus Conſtantienſis presbyter, qui hoc Pontifice ordinem Romanum recenſuit, in chronico quod deduxit ab anno 1054. vſque ad annum 1100. in anno 1085. quo hic obiit Pontifex, perpetimonimento conſignat. Porro Tonſuræ Clericalis obſeruantiam Gre-

gorium VII. à viris Eccleſiaſticis accuratam non modò exegiſſe, ſed inſuper morem, barbam abradendi ab omnibus Clericis etiam Prælatis inuiolabiliter ſeruari voluiſſe, ex eius inſigni facto ac documento fit prorſùs perſpectum. Venerat Romam Iacobus Calaritanus in Sardinia Archiepiſcopus, vt reor, ad Concilium, vel pallij petendi causâ; gerebat barbam prolixam Græcorum more: Non permiſit hominem Gregorius voti compotem fieri, nec priùs ad ſedem redire paſſus eſt, quin Romanæ Eccleſiæ præſenti more, ad inſtar cæterorum præſulum & clericorum, barbam ad cutem vſque eraſiſſet. neque hîc ſtetit Pontificis zelus, datis ad Orzoccum Calaritanum iudicem litteris, ſeriò eum monuit, ac diſtrictè iuſſit, vt vniuerſum clerum, qui ſub eius præfectura conſtitutus erat, ad barbam deponendam penitus compelleret, ſic enim ſcribit epiſt. decima lib. 8. paulò ante medium. *Nolumus autem prudentiam tuam moleſtè accipere, quod Archiepiſcopum veſtrum Iacobum, conſuetudini ſanctæ Romanæ Eccleſiæ matris omnium Eccleſiarum, veſtræque ſpecialiter, obedire coëgimus: Scilicet, vt quemadmodum totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus, ab ipſis Chriſtianæ fidei primordiis barbam radendi morem tenuit* *. *Ita & ipſe frater noſter Archiepiſcopus veſter, raderet. Vnde Eminentiæ quoque tuæ præcipimus, vt ipſum ceu paſtorem & ſpiritualem patrem ſuſcipiens & auſcultans, cum conſilio eius omnem poteſtatis tuæ clerum barbas radere facias atque compellas: res quoque omnino renuentium, niſi demùm conſenſerint, publices, id eſt iuri Calaritanæ Eccleſiæ tradas: & ne vlteriùs ſe intromittant, conſtringas; nec non ipſum* (Archiepiſcopum) *ad honorem Eccleſiarum defendendum promptiſſimè adiuues.* At de hoc ritu radendi barbam, quem Gregorius his ſuis apicibus, in Eccleſia Occidentali à fidei ortu, aſſerit perenni conſtantiâ obſeruatum ab vniuerſo Clero infrà aptiori loco diſſeremus. Nunc traditionis Tonſuræ perſequenda, pro inſtituto tramite, rectâ lineâ eſt ſeries. Sedente adhuc Gregorio VII. habuit Guillelmus Archiepiſcopus Rothomagenſis Synodum Prouinciæ ſuæ apud Illebonam pro diſciplinæ Eccleſiaſticæ aſſertione. In quo Concilio Clericos, qui coronas ſuas dimiſerint, grauibus pœnis decreuit coërcendos haud minùs ac ſi Eccleſiam violaſſent, aut patrâſſent homicidium. Sub Paſchali II. Papa, qui Vrbano II. anno 1099. ſucceſſit, Concilium habitum eſt Pictauienſe II. ad reformandos mores, per Ioannem & Benedictum Cardinales, Apoſtolicæ ſedis Legatos in Gallia anno 1109. Kalendis Decembris, cuius Synodi à Tonſuræ ſeu coronæ diſciplinâ Canonicæ ſanctiones auſpicantur. Statutum enim fuit can. 1. *Vt nullus præter Epiſcopum coronas benediceret*, (id eſt per Tonſuræ ſignaculum quemquam cooptaret in clerum) exceptis abbatibus, qui illis tantummodò coronas faciant, quos ſub regula B. Benedicti militaturos ſuſceperint. 2. Vt nemo in faciendis coronis forcipes vel manutergia exigat. Vide can. 18. Concilij II. Rom. ſub Vrbano II. anno 1099. celebrati. Extat tom. 26. magnorum Concil. p. 687. & huius ipſius Concil. Pictau. c. 13. p. 769. Felix fuit hoc ſæculum ſancti Bernardi ortu & ſplendore, qui ſummo non tantùm Galliæ, ſed & Eccleſiæ vniuerſalis bono natus ſui æui Moyſes, Helias & Hieremias fuit. Signis enim vt Moyſes effulſit, zelo alter vt Helias exarſit, effuſiùs vt Hieremias lachrymarum proflu-

* Vix hoc ſtare poteſt cum iis quæ infrà, in appendice, de barbæ mediocritate à Clericis ſeruandâ, ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimentis, & Canonicis ſanctionibus conſignantur.

Digitized by Google

uia emiſit, quibus ſui temporis reatus elueret, moréſque Cleri & populi miſerè corruptos, priſtinum in decus Chtiſtianæ virtutis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reuocaret; verbis & ſcriptis, vitia ſtatûs vtriuſque inſectatus, monitis & exemplis, precibus, piáque omni inſtantiâ conatus labanti Chriſtianæ Reipublicæ opitulari. Vox eius adhuc in libris reſonat, ſpiritúſque ille ſcintillat zeli Apoſtolici plenus, quo Cleri præſertim deprauatos mores acriter reprehendit. Mitto libros *de Conſideratione*, quibus lugubri ſtylo deplorat cuiuſque ordinis ſacræ militiæ pudendos ac lugendos lapſus. Paſſim inuehitur aliis in opuſculis aduerſus Clericorum ac etiam Monachorum negligentiam. Tract. de perfec. ſuſt. c. 29. auaritiam perſtringit: in epiſtola ad Henricum Senonenſem, ambitionem arguit; in tract. ſuper verba Domini ad partem Euangelij; *dixit Simon Petrus ad Ieſum*, culpat nimium in propinquos amorem, damnat carnis & ſanguinis in ſacrarum rerum hæreditate dominationem, veſtium luxum & ſupellectilis faſtum, Serm. 33. ſuper Cantica, aculeatis verbis retundit. Sed quantumcumque exundâſſet diſciplinæ Eccleſiæ neglectus, eò tamen tunc perueniſſe ex ſancti viri lamentationibus, inſignis non apparet Cleri corruptela, vt teſſeræ Clericalis militiæ, Tonſuræ nimirum perferendæ vel proruperit pudor, vel obliuio paſſim irrepſerit. Nam raro S. Doctor affectati neglectûs Clericos Catholicos hac in parte fugillat, minimè parciturus, ſi in re tanti momenti deſides, vel immorigeros quoſcumque inueniſſet; Cùm ipſis Templi militibus, ſalutis monita præbens, ſedulò eoſdem cohortetur à genio, & moribus ſectatorum militiæ ſæcularis cauere, qui fœmineo more comam (nutritis longè ac profuſis crinibus) protendebant; cùm militum Templi exigat norma, capillos tondere, indecorúmque ſit iuxta Apoſtolum homini, præſertim Chriſtiano, comæ profuſioris geſtatione delectari. Porro qui in militibus ſæculi cæſariem laxiorem non ferebat; in Clericis quomodò capillorum luxum, & Tonſuræ, quæ ſelectæ profeſſionis ſignaculum eſt, incuriam, abſque grauiſſima reprehenſione toleraſſet? Eius igitur hac in re ſi perpetuum eſſet ſilentium, apertum eſſet diſciplinæ tunc ſeruatæ (ſaltem in Gallia) circa hanc teſſeram militiæ Clericalis teſtimonium. Verùm de hac diſciplina minimè S. hic Pater vbique tacuit. Siquidem Serm. 65. ſup. Cant. neglectûs Tonſuræ arguit Pſeudo Clericos & Sacerdotes, qui clanculùm hæreſis ſemina ſpargebant, ſectarum perditionis iam effecti magiſtri. *Et certè vinearum demolitio* (inquit) *teſtatur vulpem. Clerici, & Sacerdotes populis Eccleſiiſque relictis intonſi & barbati, apud eos textores & textrices inuenti ſunt. An non grauis demolitio iſta? An non opera vulpium hæc?* Porro ſcribens ad Eugenium PP. lib. 4. de Conſiderat. c. 6. vbi agit de ipſius Pontificis domeſticis, Sacerdotibus & Clericis: *Domum Epiſcopi* (ait) *decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas. Horum diſciplina cuſtos, Sacerdotes domeſtici, aut cæteris honeſtiores, aut fabula omnibus ſunt. In vultu, in habitu, in inceſſu, illorum qui circa te ſunt, nihil reſidere impudicum, nihil indecens patiaris. Diſcant à te Coëpiſcopi tui, comatulos pueros & comptos adoleſcentes ſecum non habere. Certè inter mitratos diſcurrere calamiſtratos non decet.* Interfuit idem S. Bernardus Concilio Rhemenſi ab ipſo

Digitized by Google

Eugenio celebrato, anno 1147. in cuius Synodi dictæ ab Othone Friſingenſi generalis, ſtatutum eſt can. 2. *Ne tam Epiſcopi, quàm Clerici, in Tonſura, intuentium* (Laïcorum,) *quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum.* Quod Decretum citat, & de eius neglecta tandem à nonnullis obſeruantia dolet & queritur S. ipſe Bernardus lib. 3. de Conſid. c. 5. ad ipſum Eugenium. Coæuus fuit eidem S. Bernardo, ipſique amiciſſimus (vt ex litteris vtrimque miſſis perſpicuum fit) Hugo à S. Victore, ſui ſæculi cognominatus (haud immeritò) Auguſtinus; cuius præclara, quæ ſuperſunt opera, quàm copiosè fluenta delibârit fontis diuinæ ſapientiæ, quàm accuratè perſcrutatus ſit Eccleſiaſticæ doctrinæ ac politiæ theoremata, patenti ſunt indicio: Ipſe porrò lib. 1. Eruditionis theologicæ de Sacramentis, c. 32. inſcripto de ordinibus, ſic agit de Tonſura, vt conſtantem eius rum fuiſſe in Eccleſia ritum inſinuet, obitérque eius obſeruationis documenta interpretetur. *Videamus*, inquit, *ne ſanctitatis ſigna inaniter geſtemus, ſcilicet Tonſuram, coronam, ornamenta etiam noſtris officiis deputata: ſed eis, quæ exteriùs apparent, interiora dignè reſpondeant. Capillos ſiquidem antè præcidimus, & ab eis ſenſuum inſtrumenta liberamus, vt hoc ſigno curarum illecebras frequenter redeuntes, & cogitationes ſuperuacuas à cordibus noſtris reſecare diſcamus: Summitatem capitis in modum coronæ radimus, vt mentem, quæ noſtrum ſuperius eſt, ad ſuperna contemplanda & deſideranda, liberam habere doceamur.* Hactenùs Hugo à S. Victore. Cui ætate compar extitit Petrus Cellenſis dictus, à Monaſterij nuncupatione, quod regebat ad muros Trecenſes; Vir ſua ætate, doctrina & pietate clariſſimus, ad quem hoc titulo ſanctus Bernardus epiſtolam ſuam 293. ſcripſit, ipſemet verò nobiliſſima præſtantis ingenij, Deóque defixæ mentis monimenta reliquit: nempe libros *de panibus, de tabernaculo, & de conſcientia*, præter epiſtolarum libros nouem: Cæterùm lib. 7. ep. 16. quam iam factus Abbas ſancti Remigij Rhemenſis, dirigit ad Petrum S. Chryſogoni Cardinalem, dum ei amicum quemdam commendat, ſimul eum orat, vt Tonſuram Clericalem ab ipſo ſuſcipere cupienti (quam eleganter vocat *primitias Clericatûs*) conferre dignetur. *Præ cæteris*, inquit, *ad præſens hoc vnum poſtulat, vt de manu veſtra Clericatus primitias, id eſt coronam accipiat; Hoc etenim ſigno accepto, magis ſe obligatum erga obſequium veſtrum, non immeritò, deinceps arbitrabitur, & vos tanquam plantæ veſtræ bonum, iure prouidebitis.* Factus eſt Petrus ipſe poſteà Epiſcopus Carnotenſis, ſuffectus Ioanni Sariſberienſi, qui ad eum ſcribit epiſtolam ſuam 280. Eiuſdem porro non ſemel meminit Alexander III. in ſuis epiſtolis & reſcriptis. Anno 1171. glorioſo martyrio occubuit S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, de cuius lethali vulnere in capitis verticem inflicto, quô corona eius abſciſſa fuit, hæc Matthæus Paris litteris indidit, in Henrico III. *Immolatus itaque martyr glorioſus ante altare S. Benedicti, lethale vulnus recepit in illa corporis parte, quâ olei ſacri perfuſio ſpecialiùs illum Domino conſecrauerat. Nec ſatis fuit eis ſanguine ſacerdotis & nece Eccleſiam profanare & diem ſacratiſſimum inceſtare, niſi coronâ capitis amputatâ funeſtis gladiis, iam defuncti eiicerent cerebrum, & pauimentum crudeliſſimè ſpargerent cruore.* Et infrà. *Non eſt paſſus in quolibet membro, ſed in*

eo corporis loco quò tonſuram acceperat, vt in ſortem Domini admitteretur, & quem ſacri perfuſio olei Domino conſecrauit. Celebris fuit hac eadem ætate fama Petri Bleſenſis, Galli natione, Bathonienſis in Anglia Archidiaconi, doctrinâ, eloquentiâ, ſacrarum litterarum peritiâ, religione quoad vixit nulli ſecundi, at humilitate, quæ ſumma in docto viro virtus eſt, facilè omnibus ſuis coæuis præcellentis: ex cuius virtutis ſtudio & cultu, Sacerdotio abſtinuit, cuius ſiquis alius, digniſſimus erat, imò & Epiſcopatûs, quem bis oblatum recuſauit. Magnus hic profectò vir varios ſermones habuit ad Clericos in Synodo; quos dum inſtruit, de Tonſuræ ſignaculo, ſic compellat ſerm. 40. *Primò Dominus ex omni natione, quæ ſub cœlo erat, elegit filios Iſraël in populum peculiarem ſibi: De his autem ſublegit filios Leui, qui tanquam miniſtri ſpeciales in tabernaculo Domini deſeruirent ritu perpetuo; de quibus nihilominus prælegit Aaron & filios eius in Sacerdotes, qui precibus & orationibus ſuis indignationem Domini in populum placarent. Ad hunc modum ſanè primò elegit vos, cùm per aquam & ſpiritum ab vberibus ſeparauit vos; Subelegit autem, cùm in ſortem ſanctorum vos vocauit, & in ordinem Clericatus promouens, characteriſticâ quadam Tonſura capitis, à communi grege fidelium vos ſegregauit; Prælegit autem, cùm poſuit vos ſuper capita hominum, diſpenſatores familiæ ſuæ, vt detis illi cibum in tempore. Magnum eſt itaque quòd elegit, maximum quòd prælegit. Quantùm enim eſt quòd ad eleuationem manuum veſtrarum Regum capita inclinantur? Quòd qui benefici & maiores ſunt inter homines, reges hominum & regna, munera vobis offerunt? Omnis Eccleſia vos Patres confitetur, & expectat interceſſores.* Et lib. 1. Commentariorum in Iob, ſub eius typo, & Chriſti archetypo coronam Clericorum adumbratam ſolerti quo aſſolet acumine inſinuat. *Et notandum* (inquit, pag. 493. opuſc.) *quod tonſo capite (Iob) in terram corruens, adorauit. In eo quòd tondet caput, quòd in terram corruit, quòd adorat, notatur humilitas, quæ in Iob præcipuè commendabilis erat in habitu, in opere, in affectu. Non eſt nouum quòd tondentur Clerici, quòd in capite coronantur: Exemplum Tonſuræ habemus in Iob, exemplum coronæ habemus in Chriſto, qui ſpineam coronam in ſignum humilitatis geſſit in capite ſuo. Quidam enim Gentiles Petro Apoſtolo, caput raſiſſe dicuntur in Chriſti opprobrium & contemptum, quod tamen ipſe non immemor ſpineæ coronæ Chriſti patienter & promptâ voluntate ſuſtinuit. In huius humilitatis memoriam Priſcilla & Aquila ſeipſos, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, totonderunt. Paulus etiam totondit ſe in Cenchris. Tondet itaque ſe Iob in ſignum humilitatis, conſiderans ſe conteri & humiliari flagellis, ampliùs ſe humiliat, & manum adiuuat flagellantis.* Et rurſus in opuſculo quod prænotat, *Canon Epiſcopalis*, ſeu de inſtitutione Epiſcopi ad Ioannem Wigornienſem Epiſcopum, ex Tonſuræ teſſera illius animum auellit à caducarum rerum affectibus, ad ſublimia verò deſideria igneis erigit aculeis. *Nemo poteſt* (inquit) *duobus dominis ſeruire, Deo & mammonæ. Non excidat à te quando in Tonſura capitis, quando electus es, in ſortem Domini, renunciaſti ignauiæ Laïcali. In die autem conſecrationis tuæ, ſuper abrenunciatione ſæcularium emiſiſti vota, quæ diſtinxerunt labia tua, Alligatus es verbis oris tui, vbi ad conſecrantis interrogationem ſine exceptione aliqua promiſiſti quòd de cætero à terrenis negotiis, & turpibus lucris te alienares, tuámque ſollicitudinem*

diuinis ſemper negotiis mancipares; Quid tibi ad fiſcales redditus, vt vel horula breui curam poſthabeas animarum. Hactenùs Petrus Bleſenſis de Tonſuræ Clericalis ſacro charactere & myſtico ritu. Sunt qui volunt obiiſſe hunc auctorem paulò ante annum 1190. at manifeſtè falluntur: Vixiſſe enim vſque ad Pontificatum Innocentij III. qui ſedere cœpit anno 1198. apertè patet ex binis epiſtolis quas ad ipſum ſcripſit, iam Apoſtolico Præſulatu fungentem, ſcilicet epiſtolam 151. quæ incipit, *Si ex abundantia cordis.* & epiſtolam 152. cuius eſt initium, *Eram Decanus Eccleſiæ*, &c.

CAPVT XIII.

Ab Innocentio III. ad Martinum V. anno 1417. electum in Concilio Conſtantienſi.

CONCILIVM Lateranenſe Oecumenicum ab hoc Pontifice conuocatum fuit anno ſalutis 1215. cui ipſe præfuit, Epiſcopi verò 412. inter quos de præcipuis Patriarchis Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus interfuerunt. Quo in celeberrimo Catholicæ Eccleſiæ conuentu (cui etiam aſtiterunt, præter Antiſtites, ſupra 800. inferiores Prælati) de fide & moribus actum eſt, ſanctionéſque de iis præclaræ fuerunt editæ ac promulgatæ, quæ ſummo Chriſtiani orbis conſenſu receptæ, in ius commune poſteà Eccleſiæ Vniuerſalis relatæ ſunt. Quarum vna quæ inter canones ſerie XVI. collocatur, hæc de habitu & Tonſura ac conuerſatione decernit Clericorum. *Clerici officia vel commercia ſæcularia non exerceant maximè inhoneſta; Mimis, ioculatoribus, & hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſâ neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint: Coronam & Tonſuram habeant congruentem, & ſe in diuinis officiis & aliis bonis exerceant ſtudiis diligenter*, &c. Quæ quòd ſpectant ad veſtium modeſtiam, aptiùs in tractatu de priuato Clericorum habitu inferiùs texendo, proferentur. Sub Honorio III. acta eſt in Anglia Oxonienſis Synodus anno 1222. cuius can. 33. huius tenoris eſt: *Et nec ipſi* (Decani, Archidiaconi, &c.) *nec alij Clerici comam nutriant, ſed honeſtè tonſi & coronati incedant, niſi fortè iuſta cauſa exegerit habitum transformare*, &c. Præfuit huic Synodo Stephanus Cantuarienſis Archiepiſcopus: Interfuerunt porro Prouinciæ Cantuarienſis Suffraganei. Sub Gregorio IX. Concilium Londonienſe itidem in Anglia celebratum fuit in Eccleſia ſancti Pauli anno 1237. præſide Othone Legato Apoſtolicæ ſedis, cui aſſiſtebant duo Angliæ Metropolitæ Cantuarienſis, & Eboracenſis cum Comprouincialibus ſuis, actúmque eſt, in cauſa vindicandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ. In cuius ſtatutis canon eſt ſpecialis, ſerie 14. de Clericorum habitu, maximéque de Tonſura ab omnibus inuiolabiliter perferenda, adeò vt qui hac in obſeruatione negligentes forent ab Epiſcopis ſuis compellerentur, ſic enim edicit Concilium; *Et vt poſſint Epiſcopi*, &c. *ad*

honeſtatem veſtium, tonſuram & coronam decentem alios coarctare, prouideant vt à ſuis Clericis commenſalibus hæc prius faciant obſeruari, &c. Anno 1254. præeſſe cœpit Alexander IV. De quo ſub annum 1255. Matthæus Paris ſua in hiſtoria Regum Angliæ ita refert: *Conſtituit vt ſiquis Clericus in aliquo deprehenderetur crimine, & ſui corporis periculo, Eccleſiaſtico ſuffragio deſtitueretur, ſi Clericali & legitima careret Tonſura.* In Synodo prouinciali Senonenſi à Petro de Charny Archiepiſcopo ſuis cum Comprouincialibus celebrata anno 1269. * hæc ſanctio fuit promulgata: *Clerici qui coronas benedictas habuerunt & reliquerunt, vſque ad dignam ſatisfactionem excommunicentur.* Gregorio X. ſedente coacta fuit anno 1274. à F. Archiepiſcopo Saltzeburgenſi, Apoſtolicæ ſedis legato, Synodus prouincialis cui ipſe præfuit, aſſiſtentibus ſuis Coëpiſcopis, eadem in cauſa reſtituendæ in integrum Eccleſiaſticæ diſciplinæ: quo in conſeſſu Edictum promulgatum eſt, ſerie inter decreta Synodica XI. quo Clericis & maximè presbyteris comam nutrire prohibetur, Tonſuram gerere iniungitur & coronam ſpectabilem: *Edicto perpetuo prohibemus* (inquit hoc ſacrum Conſiſtorium) *ne Clerici comam nutriant, maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, vt pateant eis aures. Cæteri inferiores Clerici, in Tonſura non multùm diſcrepent ab eiſdem, coronam & deſuper congruentem habeant, veſtes non deferant niſi clauſas, quas omnino prohibemus à latere aperiri.* Prouincialis Synodus Rothomagenſis, apud Pontem-Audomari ab Odone Archiepiſcopo, die Aſcenſionis Domini habita eſt anno 1279. cui interfuere Comprouinciales Epiſcopi pro diſciplina & moribus vindicandis, inter cuius Decreta Concilij, hoc memoriâ dignum aduersùs Clericos ſigni ſacræ militiæ deſertores, fuit promulgatum: *Denique ſi poſt præmiſſas monitiones Clerici in apoſtaſia Tonſuræ & habitus Clericalis remanſerint, & ſe in negotiis ſæcularibus permiſcuerint, & contingat quod à perſonis, atque iudicibus ſæcularibus in criminibus fuerint comprehenſi, non præcipimus eos per cenſuram Eccleſiæ liberari.* Ingens ſcelus eſſe profectò debet quod apoſtaſiæ adæquatur, & in cuius deteſtationem Clerici brachio ſæculari relinquuntur. In eadem cauſa Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformandæ anno 1286. Rauennatenſe Concilium indictum fuit à Bonifacio Archiepiſcopo, atque ab eo cum ſuffraganeis celebratum, cuius decreta non per canones digeſta ſunt, ſed per rubricas propriis titulis prænotatas. Tertiæ earumdem propria eſt inſcriptio, *de honeſtate & habitu Clericorum*, tenor autem huiuſmodi verbis conſtat: *Licèt ſit canonicâ ſanctione ſtatutum vt excommunicentur Clerici arma portantes, & vt habitum, coronam & Tonſuram deferant congruentem, & ſæpe ab Eccleſiarum Prælatis iuriſdictionem habentibus Clerici noſtræ prouinciæ moneantur ne in præmiſſis excedant, eorum tamen paruipendentes monitionem non videntur de excommunicatione curare: volentes prædictos ſpiritualia vincula contemnentes, temporali pœnâ ab his compeſci propter quæ non modicè derogatur Eccleſiaſticæ honeſtati, ſtatuimus vt*, &c. *qui compertus fuerit habitum, coronam vel Tonſuram incongruentem portare, notabiliter pro vice qualibet in quinquaginta ſolidos condemnetur.* Hæc ibi. Circa idem tempus florebat in Gallia Aquitanica Guillelmus Durandus, aliàs Durantes Epiſcopus Mimatenſis, Iuriſconſultus inſignis qui præter *Re-*


*Extat hæc Synodus Prouincialis Senonenſis deſcripta in veteri Codice MS. Cenſuali Pariſ. ex quo meâ operâ deſumptam M. Lud. Bail Theologus Pariſ. & Subpœnit. typis excudendã nuper curauit, inſeruitque ſuæ appendici poſtremæ ad Summam Conciliorum.

pertorium Iuris , & *Commentaria in Canones Concilij Lugdunenſis* , & *ſpeculum* quod in tria volumina diſtinctum Cardinali Othabono, poſteà Hadriano Papæ V. dedicauit, opus celebre conſcripſir prænorarum, *Rationale diuinorum officiorum*, libros octo complectens. In 2. rractar ex profeſſo *de Miniſt. & Ordin. Eccleſ.* porro cap. 1. n. 26. cur Clericorum cotona fuerir inſtitura diſquirir, poſteà vnde originem habuerir; cur Clerici parentibus auribus incedanr. Irem de forma coronæ Clericorum. Denique de figuræ circularis (quâ ronſura exprimitur) dignirate ac eminenria. Anno 1299. Guillelmus de Flaua Curia Archiepiſcopus Rothomagenſis, Synodum indixit & renuir cum ſuis Suffraganeis, apud B. Mariam de prato, pro diſciplinæ & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ defenſione: In Actorum primordio fulminat hoc Concilium conrta Clericos ſæculari defluentes luxu in veſtibus, calceis, &c. minúſque congruentem Tonſuram publicè deferenres; eóſque tanquam Dei obliros & officij ſui immemores, & præceptorum canonicorum conremprores, omni cum ſeueritare puniendos, priuilegióque & rirulo Eccleſiaſtico priuandos Synodus illa conſtirui. Idem fermè decernir Concilium Senonenſe Pariſiis actum anno 1323. can. penultimo. Sed vr exreras Synodos recenſeam, Concilium Rauenarenſe IV. habitum ſub Ioanne Papa XXII. anno 1317. à Raynaldo Archiepiſcopo cum ſuis coëpiſcopis, Rubrica 4. quæ inſcripra eſt *de vita & honeſtate clericorum & ornatu eorum*, hæc de Tonſura & corona inter alia ptæſcribir: *Coronam etiam condecentem portent, per quam deſignetur regalis eſſe generis, & ſperare ſe debere aſſequi partem hæreditatis diuinæ, quæ ſcilicet ſit rotunda, & ita tonſi ſint inferiùs, quòd aures pateant, ita quod ſi in ſacris fuerint, aut Beneficiati in Eccleſia Cathedrali vel Collegiata venerabili, ſecundùm conditionem ſui ſtatus portent latiorem; alij verò mediocrem vel minorem, ſuis ſtatibus condecentem: capita cooperiant pileo vel bireto vel armutia oblonga ad aures.* Hæc ibi. Concilium Toleranum coactum anno 1324. auctoritate Ioannis Archiepiſcopi & Primaris Toletani, non modò Tonſuræ ſupponit exigirque obſeruarionem inuiolabilem ar inſupet barbæ raſuram præcipir can. 2. cuius rirulus eſt de veſtibus Clericorum: *Quilibet etiam Clericus* (ſic verba habent) *barbam faciat ſibi radi quolibet ſaltem menſe*, * *nec crines deferat nobiliter* † *infra aures.* Anno 1388. celebrarum fuir iridem in Hiſpania Concilium Palenrinum, cui cum ſuis Suffraganeis, Toleranus, Compoſtellanus & Hiſpalenſis Archiepiſcopi interfuerunt, in quo norabilis Conſtiturio, edita eſt de Tonſura à Cleticis gerenda, & eius forma, quæ ſic habet ſub titulo Rubricæ 2. *Cùm in iure ſtatutum exiſtat quòd Clerici coniugati, qui cum vnicis & virginibus contraxerunt, ſi Tonſuram & veſtes deferant Clericales, priuilegium obtineant Canonis ab Innocentio Papa II. editi in fauorem totius ordinis Clericalis, & pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel dictis non poſſint à ſæcularibus iudicibus perſonaliter aut etiam pecunialiter condemnari, & nonnulli ex prædictis Clericis coniugatis, vt fide dignorum percepimus, Tonſuram aut veſtes deferant honeſtati ordinis Clericalis minimè congruentes: Ideò ſtatuimus quòd Clericus coniugatus, qui gaudere voluerit priuilegio ſupradicto, Tonſuram ſeu Clericam**, *quantitatis inferiùs deſcriptæ deferat, vel maiorem: & veſtem ſuperiorem non* † *virgatam,*

* Barbæ raſura ſingulis menſibus iteranda apud Hiſpanos.
† *notabiliter.*

* Id eſt Coronam Clericalem.
† *variegatam.*

tam, aut bipartitam, quæ tamen ad medietatem tibiæ, vel vltrà in longitudine protendatur. Tonſuræ autem formam ad omne ambiguitatis tollendum dubium hîc fecimus circumſcribi, quam in eadem menſura per ſingulos Prælatos, ſeu eorum Vicarios, vel Officiales, iubemus imprimi loco vtique publico & patenti, in valuis Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum maiorum Eccleſiarum locorum inſignium Diœceſeon earumdem.



CAPVT XIV.

A Martino V. ad Sixtum V.

MARTINVS V. Papa, extinćto pernicioſo Schiſmate, quod Eccleſiam Catholicam diù perturbauerat, electus fuit Pontifex in Concilio Conſtantienſi anno 1418. celebrato; in quo ad morum generalem reformationem ſtatim à promotione ſua intentus, pleraſque edidit Conſtitutiones, quæ actis & decretis prædicti Concilij inſeruntur: Inter quas ſpecialis eſt ſanctio de vita & honeſtate Clericorum, hoc tenore: *Martinus Epiſcopus*, &c. *inter cæteros Prælatorum & Clericorum exceſſus, hoc maximè inoleuit, quod ſpreta in veſtibus forma Eccleſiaſticæ honeſtatis plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt Laicis conformari, quódque mente gerunt habitu profitentur; Vnde præter cætera, quæ circa veſtes, Tonſuram & habitus Clericorum tam in formis, quàm in coloribus, atque comam ſeu capillos vitámque & honeſtatem Clericorum iura ſtatuunt, & quæ nimium collapſa ſunt tam in ſæcularibus quàm in regularibus, ſacro approbante Concilio innouamus & præcipimus diligenter obſeruari.* Sedente eodem Pontifice, acta fuit Pariſiis anno 1428. Senonenſis Synodus à Ioanne de Nantone Archiepiſcopo & eius Suffraganeis, in qua ſunt edita ſtatuta de reformatione morum.

Tonſuræque geſtario Clericis diſtrictè iniuncta eſt ſecundùm conſtitutiones canonicas ſub pœnis in iure præſcriptis. Eodem ſæculo ſub Sixto IV. videlicet an. 1473. Alphonſus de Carillo Toletanus Præantiſtes Concilium, conuocauit in oppido de Aranda, cui Comprouinciales Epiſcopi interfuerunt, ideóque huic Concilio, Toletani titulum indiderunt. Ibi actum de morum Cleri præſertim reformatione, editúſque Canon ſerie 14. quô Synodus Clericos tam cælibes quàm coniugatos gerendæ patenti Tonſuræ diſtrictè aſtringit, tantáque ſeueritate animaduertit aduersùs immorigeros, vt planè exutos velit priuilegio Clericali, relinquátque iudicum ſæcularium arbitrio, etiam criminaliter, ſicut meros Laïcos, omni legum ac canonum rigore puniendos: Quo in decreto ſpeciali notâ dignum eſt, hos Patres ſtatuiſſe vt Tonſuræ Clericalis circulus adæquaret vnius Regalis ſuperficiem. Edidit Leo X. Seſſ. 9. Concil. Lateran. anno 1514. diuerſas de reformatione morum ſanctiones: ibi verò poſt Bullam de reformatione Curiæ, propria eſt Conſtitutio de Cardinalibus, quos monet & obligat familiæ propriæ, eam curam ſedulò adhibere, vt Clerici eorum domeſtici, etiam non Sacerdotes, temperatè ac modeſtè omnia faciant, nec modò in ſacris conſtituti, at ſimplices etiam beneficiati *comam neque barbam, non nutriant; ab omnique veſtium* luxu & quacumque rerum ſuperfluitate vt abſtineant ſic præcipit, vt non ſerico, ſed panno, aut corio tantùm in veſtibus & calceis velit vti. Miſſus fuit ab Hadriano VI. Laurentius tituli ſanctæ Anaſtaſiæ preſbyter Cardinalis Campægius nuncupatus, ad Germaniam Legatus de latere, in qua anno 1524. Ratiſbonæ exiſtens præclaram edidit conſtitutionem ad abuſus remouendos & vitam Cleri reformandam. Articulo autem 2. quô decernit quæ ſeruanda ſpectant ad Eccleſiaſticæ conuerſationis, circa veſtes & habitus, honeſtatem. *Nulla*, inquit, *arma induant, niſi itinerantes: barbam & comam non nutriant, coronam & Tonſuram deferentes, tum ſummoperè curantes, ne quem Laïcorum indecentia veſtitus offendant, vt ſacris canonibus cautum eſt.* Idem ſtatuit Concilium Senonenſe anno 1527. ab Antonio à Prato tituli ſanctæ Anaſtaſiæ preſbytero Cardinali, Senonenſi Archiepiſcopo, Clemente VII. ſedente celebratum cum ſuis Suffraganeis: Capite enim 24. decretorum ad mores pertinentium, hæc edicit de Tonſura & corona Clericali: *Ipſi quoque Clerici in ſacris præſertim conſtituti, & eorum commenſales neque comam relaxent, aut barbam nutriant, ſed Tonſuram, coronam, ſeu raſuram habeant honeſtè raſam ſecundùm ordinem ſuum.* Concilium I. Colonienſe anno 1530. ab Hermanno Archiepiſcopo (qui poſteà lapſus eſt in hæreſim) pro reformatione clericorum indictum fuit. Pars 2. decretorum huius Synodi (nam prior gradus & munera reſpicit) ad mores ſpectat, tractátque præſertim de vitæ honeſtate & canonicâ conuerſatione Clericorum c. 26. indictam eis Tonſuram à ſacris canonibus, cum reliquo Clericalis militiæ apparatu, graui commendat hortatu. Parte 3. monita iterat & ſignatim ca. 8. de veſtitu Clericorum decernens, aduersùs Tonſuram negligentes ſic ſeuerè animaduertit; *Canones*, (*Honorius III.* c. ex parte de priuil. & exceſſib. priuil.) *Clericum non alligatum coniugio, habitum ac Tonſu-*

ram Clericalem deferentem poſt tertiam monitionem, Clericum verò coniugatum ſtatim priuilegio exuant Clericali, adeò vt ſic in maleficiis deprehenſi animaduerſionem ciuilium Magiſtratuum non euadant. Ne autem quiſpiam excuſationem non facti aut præuiæ monitionis prætexat, hac noſtra Synodali conſtitutione, omnes (quotquot ſunt in noſtris Diœceſibus conſtituti) Clericos qui habitu minùs decenti vtuntur, (in quo præſertim comprehenditur Tonſura) *monemus vt intra tres menſes quorum ſingulos pro ſingulis delationibus, tertium verò vbi peremptorium terminum præfigimus, habitum qui Clericos deceat reaſſumant, alioquin ipſo facto nullâ poſthàc alia monitione expectandâ, in cenſuras ac pœnas conſtitutionum canonicarum incurſuri.* Inter ſtatuta Synodi Diœceſanæ Auguſtenſis anno 1548. edita ab Ottone Cardinale, & Epiſcopo Auguſtano cap. 10. ordinatur, vt Clerus huius Diœceſis in habitu, corona, Tonſura & inceſſu decorum ſeruet. Et c. 12. vt habitus & Tonſura diligenter etiam à monachis ſeruetur. Concilium Moguntinum ſequenti anno coactum à Sebaſtiano Archiepiſcopo in cauſa fidei, & morum cap. 74. eorum ſtatutorum *quæ ad mores* pertinent, hoc ipſum decernit; *Singulari cura intendere debere quemlibet Prælatum, vt Clerici barbam non nutriant, coronam & Tonſuram deferant: tum ſummoperè curandum, ne quem Laïcorum indecentia veſtitus offendant, vt ſacris Canonibus cautum eſt.* Cæterùm Oecumenicum Concilium Tridentinum, quàm arctè commendârit eiuſdem ſignaculi Clericalis obſeruationem abundè patet, ex variis quas edidit hac de re ſanctionibus, Seſſ. 23. cap. 6. ita decernit ſacro-ſancta ipſa Synodus. *Nullus prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus, ante 14. annum beneficium poſſit obtinere. Is etiam fori priuilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut habitum & Clericalem Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſeruiat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Vniuerſitate de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos verſetur: In Clericis verò coniugatis ſeruetur conſtitutio Bonifacij VIII. quæ incipit*, Clerici qui cum vnicis; *modò hi Clerici alicuius Eccleſiæ ſeruitio vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſeruiant vel miniſtrent; & Clericali habitu & Tonſura vtantur, nemini, quoad hoc priuilegio vel conſuetudine, etiam immemorabili, ſuffragante.* Et c. 17. vetat Clericis in quatuor minoribus conſtitutis licentiam perfungendi officio in Eccleſia concedi, *niſi Tonſuram & habitum geſtent Clericalem;* Iubétque his (etſi cælibes eſſent) Clericos coniugatos quoad eiuſmodi officia ſuffici, dummodò non bigami ad ea munia obeunda idonei, & Tonſuram ac habitum Clericalem in Eccleſia geſtent.

Exarſit ſanctus Carolus Borromæus zelo reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ſacríque Concilij Tridentini ſuper hâc editis conſtitutionibus toto animi, cordíſque enixu inſudauit: quamobrem in primo Concilio Mediolanenſi, quod habuit anno 1565. cum ſuis Coëpiſcopis ſpeciale hoc edictum promulgauit, de Clericorum veſtitu, & reliquæ vitæ moderatione. *Epiſcopi ex ſacri Tridentini Concilij auctoritate, per edictum ad menſem ab eis proponendum, moneant omnes & quaſcumque eccleſiaſticas perſonas, quæ aut ſacris initiatæ ſunt, aut dignitates, perſonas, officia, beneficiáve qualiacumque Eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtineant, etiamſi ſtudij causâ abſint,*

& in Gymnaſiis publicis, aut vbiuis locorum ſint: vt qui in prouincia manent, ad duos menſes, qui verò extra prouinciæ fines, ij ad quatuor, Clericalem habitum ſumant ordini ſuo ac dignitati congruentem, hâc conſtitutâ pœnâ, vt qui non paruerint, ſi in ſacris ordinibus ſunt, ab omni ordinum ſuorum munere ſint ſuſpenſi, & beneficiorum ſuorum omnibus anni vnius fructibus iure ipſo priuati ſint, quos Epiſcopus piis locis arbitrio ſuo attribuet, ſin autem beneficium nullum eccleſiaſticum obtinent, alias pœnas luant Epiſcopi iudiciô, &c. *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteríque Clerici Clericali Tonſurâ ſint inſigniti ad eam formam, quam ratio vniuſcuiuſque ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit. Ita ſint abraſi capillo vt Tonſura conſpicua ſit omnibus, comam verò & barbam ne ſtudioſè nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant; Barba ab ſuperiori labro ita recidatur, vt pili in ſacrificio Miſſæ, Chriſti Domini corpus & ſanguinem ſumentem non impediant.* Idem S. Carolus in Concilio IV. Mediolanenſi anno 1576. celebrato ſub titulo *de iis quæ pertinent ad ſacramentum ordinis*, ſtatuit, vt qui aliquo maiori, minoríve ordine initiandus eſt, teſtimonium præter pleraque ſuperioribus ſanctionibus præſcripta, afferat, de prima Tonſura, &c. In V. Concilio Mediolanenſi, quod anno 1579. habuit, ſub programmate *de examinis præficiendorum ratione*, repelli vult ſanctiſſimus Antiſtes à parochialis Eccleſiæ impetratione, quiſquis non cum decenti habitu, & Tonſura ſeſe examini obtulerit. *Siquis*, inquit, *vel Clericali veſtitu deformi, ab ordinis Eccleſiaſtici decore, aut diſciplinâ alieno indutus, vel ſine congruâ pro ſui ſtatus & ordinis ratione Tonſurâ acceſſerit, ne ad vllam examinis experimentive rationem, ei aditus fiat, niſi decenti veſte ámictus & Tonſurâ præſcriptâ ad illud redierit.* Eodem ſub titulo formulam præſcribit ſpecialem examinis eorum, qui primâ Tonſurâ initiari depoſcunt. *De iis autem* (ait) *qui primâ Tonſurâ initiandi ſunt, quæratur & inueſtigetur primùm, quam ob cauſam ſe Clericos fieri velint? An ſæcularis iudicij vitandi cauſa? An contentioſis litibus implicati? An rixam ſimultatémque exerceant? Quod item artificium teneant? Quáve in arte, quô ve in vitæ genere hactenùs verſati ſint? An tales ſint qui ſpem præbeant Eccleſiæ miniſtros vtiles ſe fore? A quo Sacerdote ſanctioris vitæ magiſtro inſtituti ſint ad Clericalis vitæ modum? An legere & pronunciare & ſcribere norint? tum in vtroque genere de iis periculum fiat, an doctrinæ Chriſtianæ præcepta inſtitutáque ſciant? An Epactæ intelligentiam habeant? Præterea an ſacramentum Confirmationis ſuſceperint?* In Concilio Rhemenſi à Carolo Cardinale à Lotharingia primæ Belgicæ Metropolitâ conuocato anno 1564. haud abſimile extat Decretum, ſtatuto IX. cuius prænotatio eſt, *De prima Tonſura*, ſeries autem huiuſmodi: *Principio nemo ad primam Tonſuram adoleſcentulus initietur, niſi qui Sacramentum Confirmationis anteà ſuſceperit fideíque rudimenta*, &c. *Nec ille fori Eccleſiaſtici priuilegio gaudeat, niſi beneficium eccleſiaſticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonſuram, deferens alicui Eccleſiæ ex mandato noſtro inſeruiat, vel in ſeminario Clericorum, aut in aliqua ſchola vel vniuerſitate de licentia noſtra, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos, verſetur. Vxorati deinde Clerici, niſi ſint monogami & actu alicui Eccleſiæ ſeruientes, Clericali omni priuilegio exuuntur.* Et ſtatuto XVII. cuius eſt titulus, *De vita & honeſtate omnium Clericorum*, pœnæ

Tom. 36. magnor. Concil. p. 625.

quælibet canonicæ contra eos innouantur, qui Tonſuræ gerendæ & habitus Clericalis ſanctiones temerare canonicas auſi fuerint. Cæterùm eodem ſæculo, hac de re conſtitutio celebris edita eſt à Sixto V. ſummo Pontifice, quam hîc viſum eſt inſtituto noſtro conſentaneum, pleno contextu ſubiicere, ne fortè, ſi foret prætermiſſa, à quoquam deſideraretur, nouas non habente apud ſe Pontificum conſtitutiones.

CONSTITVTIO SANCTISSIMI D. N. SIXTI PAPÆ V.
De habitu & Tonſura Clericorum, & militum Eccleſiaſtica Beneficia obtinentium.

SIXTVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm ſacro-ſanctam Dei Eccleſiam, quam Saluator noſter ſuo pretioſiſſimo ſanguine acquiſiuit, ſponſam ſibi elegerit, & nobis licèt indignis cuſtodiendam tradiderit, eidem ſine ruga, ſine macula, atque in omnibus ſuis membris placentem conſeruare debemus, vt in ea omnia ordinata, ſingula diſtincta inueniantur, & vt ineffabilibus circumamicta varietatibus, ſpecioſa in oculis ſuis appareat, quantùm fauente Deo valemus, idipſum munus exequi decreuimus.*

§. 1. *Quare animaduertentes, quòd qui in ſortem Domini ad eiuſdem Eccleſiæ decus & ornamentum ſunt vocati, ex eo Clerici nomen conſecuti, quíque cenſu Eccleſiaſtico viuunt, ſingulari aliquo ſigno à populo diſtingui debent, ne cui eorum iure dici poſſit, Quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Et ad hoc ipſum ſollicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, ne ſanguis eorum de manu noſtra requiratur, cum ingenti cordis noſtri dolore inuenimus complures ſupradictâ Domini ſententiâ iuſtè redarguendos: Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in veſtibus Laïcalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos priuilegio reddiderunt. Quapropter, licèt ſacris Canonibus, Conciliis generalibus & Apoſtolicis Conſtitutionibus, certus circa eorum qui Clericali charactere inſigniendi ſunt, habitum, ætatem & alias qualitates, ſit præſcriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali & Tonſura non incedentes impoſita pœna, nempe vt gratiis, immunitatibus & aliis priuilegiis Clericalibus minimè gaudeant: tamen cùm iniuria temporum & forſan dormientibus paſtoribus, inimicus homo lethifera tranſgreſſionis zizania ſuperſeminauerit.*

§. 2. *Nos propterea his & aliis rationabilibus de cauſis adducti, ne quis nimiâ ſiue paſtorum, ſiue temporum indulgentiâ & impunitate ſeu oſcitantiâ cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio de cætero abutatur, hâc noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione præcipimus & mandamus omnibus & quibuſcumque Clericis, non ſolùm in ſacris, ſed etiam aliis minoribus ordinibus conſtitutis & Clericali tantùm Tonſurâ inſignitis, & nedum beneficia Eccleſiaſtica qualiacumque etiam ſimplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illa vel ad ea ius habentibus, verumetiam penſiones ſuper quibuſuis fructibus, redditibus aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium & aliarum quarumcumque Eccleſiarum, ſeu Abbatialium, Capitularium & conuentualium menſarum, necnon Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, Prioratuum, Præceptoriarum, hoſpitalium, Canonicatuum, Præbendarum, dignitatum, perſonatuum, adminiſtrationum, officiorum & beneficiorum quorumcumque Ec-*

cleſiaſticorum, ſæcularium & quorumuis ordinum regularium, ſeu illorum diſtributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumentis & obuentionibus vniuerſis ſibi reſeruatas, aut fructus ipſos, prædiáve aut bona Eccleſiaſtica loco penſionum ſibi aſſignatos vel aſſignata ex quacumque conceſſione ſeu diſpenſatione Apoſtolica; præcipientibus etiam coniugatis, præſertim ſi iidem Clerici coniugati iuxta conſtitutionem piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, in Concilio Tridentino innouatam, priuilegiis clericalibus vti velint, tam in Romana Curia degentibus, quàm extra eam vbilibet gentium & locorum conſtitutis, vt ipſi, & eorum quilibet quantumuis exempti exiſtant, & quouis priuilegio vel immunitate gaudeant omninò qui in vrbe præſentes fuerint, intra quindecim dies; qui verò citra Montes, intra quatuor menſes; qui denique vltra Montes conſtituti ſunt intra octo menſes à die publicationis præſentium litterarum in Romana Curia faciendæ, Tonſuram, & habitum Clericalem, veſtes ſcilicet talares, aut Milites infrà dicendi quibus penſiones aut fructus, aliáve bona Eccleſiaſtica reſeruata ſunt, ſuæ militiæ conuenientem, quacumque remota excuſatione aſſumere & iugiter deferre. In futurum autem non niſi actu Clericis in habitu Clericali & Tonſura, & militibus infradicendis in militari incedentibus ſuæ militiæ propria, aut alia quæcumque Eccleſiaſtica etiam ſimplicia beneficia reſpectiuè conferantur, aut commendentur, aut penſiones, fructúſve aut bona Eccleſiaſticæ reſeruentur.

§. 3. *Alioquin ipſos & ipſorum quemlibet, qui quoad geſtandum habitum Clericalem & militarem ſupradictum, lapſo huiuſmodi tempore, eorum vnicuique vt ſuprà dictum eſt, præfixo, noſtris huiuſmodi præcepto & mandato nunc & impoſterum perpetuis futuris temporibus cum effectu non obediuerint, præter alias pœnas contra eos inflictas, etiam quibuſcumque dignitatibus, adminiſtrationibus, officiis, Canonicatibus, & Præbendis, ac beneficiis etiam ſimplicibus & præſtimoniis per eorum quemlibet in titulum, commendam, vel aliàs pro tempore obtentis, necnon penſionibus & fructibus ac prædiis boniſque Eccleſiaſticis huiuſmodi quocumque modo eis reſeruatis vel reſeruandis, omníque iure ſibi in eis vel ad ea quomodolibet competenti, harum ſerie ex certa noſtra ſcientia, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine priuamus, ac ſine vlla alia monitione, citatione, iudicis decreto, aut miniſterio ipſo facto priuatos declaramus; ac tam beneficia ipſa per priuationem huiuſmodi vacare, & liberè aliis conferri poſſe, quàm etiam penſiones caſſatas, extinctas eſſe & fore, ac fructuum, vel aliarum rerum reſeruationes ceſſare, & quemquam vlteriùs ad illorum ſolutionem minimè teneri, & ob non ſolutionem cenſuras & pœnas aliquas incurrere non poſſe nec debere decernimus; Ipſáſque dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, officia, necnon Canonicatus & Præbendas ac beneficia ſic pro tempore vacantia, collationi, prouiſioni & diſpoſitioni noſtræ & Rom. Pontif. pro tempore exiſtentis perpetuò reſeruamus.*

§. 4. *Statuentes ſic, in præmiſſis vniuerſis & ſingulis, per quoſcumque iudices & Commiſſarios etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublatâ eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, in quauis cauſa & inſtantia iudicari & definiri debere, nec non irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.*

§. 5. *Cæterùm milites quarumuis militiarum ſub regula aliqua approbata canonicè inſtitutarum, vel alios Romanæ Curiæ officiales, qui non vti Clerici, ſed potiùs tanquam milites iuxta priuilegia & diſpenſationes Apoſtolicas eis in genere*

vel in ſpecie per nos aut prædeceſſores noſtros nominatim conceſſa, & ſub felicis recordationis Pij Papæ V. prædeceſſoris noſtri conſtitutione, quæ incipit Sacro-ſanctum,&c. *huiuſmodi priuilegiorum forſan reuocatoria minimè comprehenſa, beneficia militiæ quam profeſſi ſunt regularia obtinent, ſeu penſiones ſuper quibuſue fructibus, redditibus & prouentibus Eccleſiaſticis, etiam prædictarum Eccleſiarum & beneficiorum ſæcularium, aut fructus ipſos ſibi reſeruatos percipiunt, aut obtinebunt vel percipient in futurum, ſiue Clericali charactere inſigniti ſint, ſiue non ſint: Qui verò Clerici ſunt, etiamſi ab initio, tempore reſeruationis penſionum ſeu fructuum huiuſmodi, regularem habitum nondum ſuſceperint, nec Militiis officiorum Rom. Cur. adſcripti fuerint, ſed poſt factas cuique reſeruationes, ante vel poſt publicationem præſentis conſtitutionis, milites effecti extiterint, ſub præcepto & mandato præfatis, de habitu & Tonſura Clericali deferendis nolumus comprehendi: Sed iis permittimus vti regulari militiæ quam profeſſi ſunt, conuenienti, vel ſi ipſi milites Rom. Cur. officiales fuerint, qui penſiones aut fructus, aliáve prædia aut bona Eccleſiaſtica ex diſpenſatione ſeu priuilegio Apoſtolico percipiant, habitu militari ſuprà ſcripto abſque alicuius cenſuræ vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu licitè vti valeant: Et nihilominus tam beneficia ſuæ militiæ regularia retineant, quàm etiam penſiones ſuper Eccl. & benefic. prædictorum etiam ſæcularium fructibus, ſeu bona, vel fructus præfatos ſibi pro tempore reſeruatos percipiant.*

§. 6. *Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, nec non conſuetudinibus, etiam longiſſimo & immemorabili tempore obſeruatis, quæ abuſus & corruptelæ potiùs cenſendæ ſunt; priuilegiis quoque indultis & litteris Apoſtolicis quorumcumque tenorum exiſtant; Quæ omnia nolumus cuiquam aduerſus præmiſſa in aliquo ſuffragari.*

§. 7. *Mandamus verò vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis ac locorum ordinariis, vt in ſuis quiſque Eccleſiis, ciuitatibus & Diœceſibus curent, præſentes litteras, earúmque exempla publicari & inuiolatè obſeruari.*

§. 8. *Et ne quis præſentium litterarum ignorantiâ ſe valeat excuſare, iubemus illas ad valuas Baſilicarum S. Ioannis Later. & Principis Apoſtolorum de vrbe, & in acie Campi Floræ, & in Cancellaria Apoſt. affigi & publicari; Earúmq; exempla inibi affixa relinqui, & deinde in eadem Cancellaria Apoſt. in lib. Quinterno appellato, inter cæteras Conſtitutiones perpetuas deſcribi & regiſtrari. Decernentes publicationem in Baſilicis præfatis, & in acie Campi Floræ faciendam, poſt lapſum temporis ſuperiùs præfixi, vnumquemque arctare & afficere, perinde ac ſi ipſæ præſentes litteræ ſingulis perſonis præfatis perſonaliter intimatæ fuiſſent.*

§. 9. *Volumus quoque earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccl. conſtitutæ obſignatis plenā, & indubitatam fidem in iudicio & extra adhiberi, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum,*&c.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1589. 5. *idus Ianuarij, Pontificatûs noſtri anno* 4.

Anno à Natiuitate Domini 1589. *indictione* 2. *die verò* 18. *menſis Ianuarij, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Sixti diuinâ prouidentiâ Papæ V. anno* 4. *retro ſcriptæ litteræ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerunt in valuis Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, & S. Petri principis Apoſtolorum de vrbe, nec non Cancellariâ Apoſtolicâ, & Acie Campi*

Google

Floræ; vt moris eſt, per nos Hieronymum Lutium & Ioannem Baptiſtam Bagni ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ Curſores. Alex. Parabiacus Mag. Curſ.

CAPVT XV.

A Sixto V. vſque ad Vrbanum VIII.

IMPENDERVNT ſedulam curam, etiam ante hoc Pontificium Decretum, Galliarum Antiſtites, in ſacris Conceſſibus, quos reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ deſiderio poſt Oecumenicum Tridentinum celebrârunt, pleriſque in huius regni Chriſtianiſſimi prouinciis; Vt Clerici cuiuſque nominis & gradus Tonſuræ & coronæ prout decet, & ſacri Canones iubent, gerendæ, memores eſſent, hâncque militiæ Eccleſiaſticæ teſſeram vbique & ſemper conſpicuam omni præciſâ excuſatione ac remoto prætextu perferrent. Conuenerunt apud Melodunum anno 1579. Henrici III. Chriſtianiſſimi Regis permiſſu, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Decani & alij proceres ſtatus Eccleſiaſtici regni Galliarum, vbi pleraque præclara ſtatuta ad fidei Catholicæ tutelam & morum diſciplinæ reſtitutionem ſpectantia, piè ac prudenter ediderunt. Extat in huius ſacri conuentus Actis, ſub titulo *de Sacramento Ordinis*, propria conſtitutio de vita & honeſtate Clericorum, in qua ſic de Tonſuræ obſeruantia admonentur: *Non eos pudeat Tonſuram Clericis indictam portare.* Ratio huius commonitionis hæc erat, quòd delicatuli quidam Clerici, maximè è nobilitate, tametſi opimis frui Sacerdotiis honeſtum & vtile cenſerent, dedecori tamen ſibi eſſe putabant ſacram perferre Tonſuram (ſuæ ſcilicet profeſſionis indicem) ne mores ad huius vitæ præſcriptum componere adigerentur. Rothomagenſe Concilium, quod anno 1581. Carolus Cardinalis Borbonius Archiepiſcopus Rothomagenſis cum ſuis Coëpiſcopis habuit, de hac queritur Clericorum præſertim nobilium vanitate. Poſtquam enim reprehendit Synodus eos qui in habitu ſordes affectare videbantur, continuò ſubiungit: *Alij contrà, præſertim nobiliores Clerici, exquirunt delicias, ac ſui ſtatus & ordinis pertæſi, more induuntur ſæculari. Omnes, vt reuocemus ad modeſtiam, hortamur & præcipimus vt Tonſuram in capite & Coronam habeant ſuis ordinibus congruentem & honeſtè raſam, nec barbam alant miniſterio altaris indecoram: Qui ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, non paruerint per ſuſpenſionem ab ordinibus, ab officio & beneficio; nec non ſi ſemel correcti denuo in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum huiuſmodi coërceantur.* De qua barbæ ſaltem in ſuperiori labro reſectione, ob tremendi Myſterij reuerentiam ita decernit Concilium Prouinciale Rhemenſe ſub Ludouico Cardinale à Guyſia & Metropolite habito an. 1583. tit. de Clericis, *Porro Tonſura Clericali pro qualitate gradus, & ordinis ſui in capitis vertice apertè conſpicua ſemper inſigniantur, barbam verò aut omnino non geſtent (quod magis probamus) aut ſaltem totam à ſuperiori labro*

ob

ob ſacræ communionis reuerentiam tondeant vel radant. Qui verò in his ſe negligentes præſtiterint, & ter moniti per edictum à ſuperioribus non paruerint, ſuſpenſione ab ordinibus, officiis, beneficiis & horum fructibus ſeu prouentibus annuis plectantur. Si autem correpti denuò deliquerint, eorum beneficiorum priuatione coërceantur, iuxta Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi, cuius initium eſt, Quoniam innouanda. Concilium Burdegalenſe eodem anno celebratum ab Antonio Preuotio Metropolita, & ſuis Comprouincialibus, ſimplices Clericos, qui etiam minora beneficia obtinuerunt, poſt menſem à conſtitutionis huiuſmodi promulgatione, obſtrictos fore decernit, Tonſuræ & habitui Clericali gerendis ordini ſuo aut dignitati congruentibus, ſub pœnis in ea contentis. Concilium Turonenſe eodem anno coactum à Simone Maillé Archiepiſcopo, idem conſtituit ſub inſcriptione *de capitulis, dignitatibus, & canonicis.* Idem & Concilium Bituricenſe ſub Reginaldo Archiepiſcopo habitum anno 1584. Titulo de Clericis can. 2. Idem & ſancitum ab Alexandro Canigiano Archipræſule Aquenſi, & eius ſuffraganeis in Synodo Prouinciali celebrata anno 1585. ſub Sixto V. titulo *de vita & honeſtate Clericorum;* Vbi poſtquam actum ſpecialiter de ſimplicibus Clericis, ſic de ſacris ordinibus initiatis ſancitum eſt; *Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteríque Clerici, Clericali Tonſurâ ſint inſigniti, ad eam formam quam ratio vniuſcuiuſque ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit. Ita ſint abraſo capillo, vt Tonſura perſpicua ſit omnibus: comam verò & barbam ne ſtudioſè nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant,* &c. *Qui verò Clericus cum ſuis etiam gradus, ordinis, dignitatis,* &c. Toloſanum Concilium itidem Prouinciale, quod Franciſcus Cardinalis de Ioyoſa, ſuis cum Collegis Prouinciæ Toloſanæ Epiſc. habuit an. 1590. tit. *De presbyteris & Clericis*, Sixti V. laudata conſtitutione, ſubiungit, *Tonſura ſit conſpicua, non ea quidem in omnibus Clericis vna, ſed maior Sacerdotalis, digitis tribus vndequaque à vertice pateat; duobus Diaconalis, ſemidigito Subdiaconalis anguſtior, minorum ordinum omnium minima, & digito vndique ſit deducta.* Burdegalenſe Concilium, cui præfuit Franciſcus Cardinalis de Sourdis, ſedis huius Archiepiſcopus anno 1624. ita edicit cap. 13. quod *de vita & honeſtate Clericorum* prænotatur: *Omnibus Eccleſiaſticis noſtræ prouinciæ cuiuſcumque dignitatis, ſtatus & conditionis exiſtant, iniungimus, vt iis veſtimentis, quæ ab vltimo prouinciali* (Concilio) *ſibi præſcribuntur, incedant induti, coronam Clericalem geſtantes; ne ſit illis pariter capillatura impariter attonſa: Non ſuperioris labij barba arte elaborata aſſurgat,* &c. *Quòd ſi qui ſuæ ſortis, calicis & hæreditatis Domini immemores, eadem à ſe* (artificia) *non abiiciant, & canonicum ſeu Clericalem tanti momenti ad exiſtimationem Eccleſiaſticam conſeruandam, ornatum induere renuerint, ij omnes quamprimùm à ſuo ordinario ter moneantur, vt infra competentem terminum Clericalem habitum, & coronam geſtare habeant, aut ſecus creſcente contumaciâ, omnibus ſuis beneficiis priuentur, & de cætero ad alia obtinenda inhabiles cenſeantur. Alij autem non beneficiati priuilegiis Clericatus ſui non gaudeant & ad beneficia Eccleſiaſtica nequaquam promoueantur,* &c. *ſecus agentes cenſuris Eccleſiaſticis & aliis pœnis,* &c. *afficiendos,* &c. *declaramus.*

Non potuit certè Eccleſia Catholica ſeduliore curâ, maiori conſenſu, frequentiori interminatione, ac rigidiori cenſura inſiſtere aduer-

ſùs Clericos, hoc ſignaculum ſacræ militiæ perferre negligentes: Ritum hunc ab Apoſtolica imitatione quin & inſtitutione receptum, ardentioribus monitis, crebrioribus legibus, vlláque maiori pietatis potuit inſtantiâ commendare, continuâ magis ſollicitudine aut grauiori auctoritate incutere, aſſerere & tueri. Cœlum enim & terram mouit; cœlum lachrymis, votis & precibus; terram mandatis, decretis, cenſuris, anathematibus, omníque quâ potuit vi ac induſtriâ vt traditio hæc firma, intemerata ac ſacroſancta vbique à dicatis Deo hominibus, Clericis cuiuſuis gradus & ordinis obſeruaretur. Cæterùm quanti hanc eſſe momenti exiſtimauerit, facilè hinc cuique datur intelligi. Toto enim enixu extendit lacertos vt ritum hunc inuiolabili obſeruantiâ toto, quo patet orbe, ſtabiliret; nunquam profectò tantùm curæ, tantùm operæ aſtruendæ adiaphoræ conſuetudini, qualem hunc ritum eſſe volunt ſectarij recentiores, impenſura. Verùm quo loco & gradu habenda ſit illa traditio, operæpretium fore non inane arbitror, ſequenti tractatu exactè ac enucleatim ire diſquiſitum.

FINIS LIB. I.

Digitized by Google

LIBER SECVNDVS.

DE TRADITIONIS TONSVRÆ Clericalis certa notitia.

PRÆMONITIVNCVLA.

CATENA hæc aurea, quam nexu continuô ab ortu Eccleſiæ contexuimus, Nouatores ſuprà citatos vndequaque illaqueat & conſtringit, qui ritum ſactæ Tonſuræ anile commentum & Monachorum inuentum, primæ Eccleſiæ eiúſque Patribus incognitum fuiſſe effutire non verentur. Quàm hoc enim ſit à vero alienum, inſinuatio planè illa conuincit, quâ ritum hunc in Eccleſia ab initio huc vſque tantâ conſtantiâ cuſtoditum, euidenter demonſtrauimus. Vnde etiàm reſultat, non ſimplici conſuetudini, quæ ſenſim inualuetit abſque authentico principio, & vt ſegreges perperam perſuadere volunt, ex abuſu & ſuperſtitione ortum duxerit; ſed Catholicæ traditioni (quam ſi originem reſpicimus, Apoſtolicam non immeritò dixerimus) attribuendum eſſe. Id porrò vt exploratum cuique fiat, traditionis eiuſmodi ſactæ veros ac genuinos characteres hic expreſſum ire, operæpretium cenſuimus; quos ſubinde huic ritui (cuius originem à fonte Apoſtolico delibauimus) natiuâ ingenuitate conuenire, fuerit oſtendere petuium.

CAPVT PRIMVM.

De Traditionum ſacrarum multiplici differentia.

CVM Traditionis generali nomine Theologi paſſim ſignificent, *doctrinam viua voce acceptam, & continua ſucceſſione ab auctoribus in poſteros deriuatam, nec non conſuetudine perpetuâ firmatam, quæ licèt in libris ſacræ ſcripturæ canonicis expreſſim conſignata non ſit, tamen in aliis inſtrumentis, monimentiſque fide dignis, legitur conſcripta.* Hìc de nominis huius acceptione, quæ ſcientiæ Eccleſiaſticæ peritis notiſſima eſt, copioſiùs non reor mihi eſſe diſſerendum. Vt enim præfixum in ſcopum iaculum deſtinemus, ſat fuerit pro certo principio præſtituere, diuerſos eſſe ſan-

ctarum traditionum fontes, qui propriis cuiuſque originis vocabulis deſignantur: aliæ enim dicuntur diuinæ, ſeu Dominicæ; aliæ Apoſtolicæ, aliæ denique ſunt quæ Eccleſiaſticæ appellantur.

§. 1. *De traditionibus diuinis, ſeu dominicis.*

Serm. 8. de ieiun. 10. menſ.

DIVINÆ ſeu Dominicæ dicuntur, quæ ab ipſo Chriſto, ore proprio Apoſtolos ſuos docente (*in quibus*, vt rectè ait Leo Magnus, *tota Eccleſia ſalutare ſuum audiebat*) directè emanant, nuſquam tamen in Euangelicis & Apoſtolicis libris expreſſæ inueniuntur. Tales ſunt quæ ad materiam & formam ſacramentorum pertinent, pauca enim de iis in diuinis litteris habemus: & tamen certum eſt ſacramentorum eſſentiam, quæ in materia & forma potiſſimum conſiſtit, non potuiſſe niſi à Chriſto institui; quem ideò S. Ambroſius ſpeciali atque proprio epitheto *auctorem ſacramentorum* denominat lib. 4. de ſacram. c. 4. Propterea enim Apoſtolus de ſacramento Euchariſtiæ loquens, ad Chriſtum immediatè refert eius inſtitutionem, quam etſi ſe non vidiſſe dum fieret, ſed ab eo accepiſſe per reuelationem & poſteà verbo tradidiſſe, verbis expreſſis inſinuat. *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis*, 1. Cor. 11. Nec tamen eandem inſtitutionem accuratim deſcribit, de ſacrificij enim ritu nihil expreſſè comme minit: de materia autem calicis prorſus ſilet, eo quòd ipſam, nimirum viuæ vocis oraculo cùm eſſet apud eos deſignauerat. ſanè Chriſtus offerendo patri calicem noſtræ ſalutis, ſeu, vt elegantiùs loquitur S. Auguſtinus, *pretij noſtri poculum*, aquam vino miſcuit, ſicque vt fecerat, faciendum Apoſtolis ſuis præcepit. A quibus acceptum, traditúmque hunc myſticum morem diuinæ litationis, ſignatim docent & teſtantur S. Cyprianus lib. 2. ep. 3. ad Cæcilium, & S. Chryſoſtomus hom. in Matth. 83. vbi ex inſtituto refellunt ſecùs ſentientes aut agentes, quàm ipſa dominica traditio hactenùs inuiolabiliter propagata ſtatuebat atque exigebat. (Vide Can. 32. Trull. Niceph. lib. 18. hiſt. Eccleſ. c. 53. Innoc. III. de Myſt. Miſſ. c. 32. & Guidonem Carmelitam in hæreticorum Catalogo, vbi de Græcis.) Sic chriſmatis ſacramentum ſuis Dominum Apoſtolis tradidiſſe fateri neceſſe eſt; quod ideò S. Auguſtinus ſacro-ſanctum eſſe ſicut ipſum baptiſmum aſſerit lib. 2. cont. litteras Petiliani c. 104. Cyrillus autem Hieroſolymitanus Catech. 3. cum Euchariſtia conferendum cenſuit. Quod quia à Domino inſtitutum ſanctus Dionyſius Eccleſ. Hierarchiæ c. 2. parte 2. *Deïficum prorſus vnguentum* nominat; Clemens verò Alexandrinus *Domini ſigillum.* Aliæ ſunt porro aliquot traditiones, quas Patres diuinas idcirco ſeu Dominicas vocitant, quòd à Domino promanârint, ab eóque immediatè editas ac præceptas Apoſtoli Eccleſiæ in depoſitum diuino afflatu commendârunt, de quibus impræſentiarum haud opus eſt ſeriem ſpecialem contexere; cùm quæ cenſitæ ſunt, ſufficiant ad exemplum.

§. 2. *De traditionibus Apoſtolicis.*

APOSTOLICÆ autem traditiones propriè dicuntur illæ, quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen ſine afflatu Spiritus ſancti: & nihilominus haud extant ſcriptæ in Apoſtolicis libris, vel epiſtolis. Huiuſmodi ſunt 1. *ieiunium Quadrageſimale*, de quo S. Leo ſermone 9. de ipſa Quadrageſima diſertè ſcribit, *A ſanctis Apoſtolis per doctrinam Spiritus S. maiora hæc ordinata fuiſſe ieiunia*; Necnon *ieiunia quatuor temporum*, hæc enim idem S. Leo ſerm. 2. de ieiunio Pentecoſtes, & ſerm. 8. de ieiunio 7. menſis dicit Apoſtolicâ traditione obſeruari. 2. *Suffragia* quoque *pro defunctis*, de quibus ait ſanctus Chryſoſtomus hom. 60. ad populum; *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt vt in tremendis myſteriis defunctorum commemoratio fieret; ſciebant enim multam illis hinc contingere vtilitatem.* Sic *Aquam benedictam*, eſſe traditionem Apoſtolorum S. Clemens eorum diſcipulus teſtatur lib. 8. Conſt. Apoſt. c. 29. & S. Baſilius libro de Spiritu S. c. 27. Refert paſſim S. Clemens pleraſque alias traditiones, cùm ab Apoſtolis collectiuè inſtitutas, tum ab eorum quibuſdam ſingulari conſignatione proditas. Quod etiam notatum à S. Dionyſio comperitur. Sic Victor Papa & ſubinde Martyr, Quatuordecimanos auctoritate traditionis Apoſtolorum Petri & Pauli percellebat; quia *Paſcha*, quotannis celebrandum die Dominica immediatè ſequente plenilunium æquinoctij vernalis inſigni præcepto docuerant, vt videre eſt apud Euſebium lib. 5. c. 24. & 25. & lib. 3. de vita Conſtantini; S. Epiphanium hæreſ. 50. & 70. Theodoret. lib. 1. c. 9. Theophilum Alexandrinum lib. 1. Paſchali, & S. Ambroſium epiſt. 83. Ita & Stephanus PP. idémque Martyr Apoſtolorum traditione nixus, Africanorum Epiſcoporum, ab hæreticis tinctos rebaptizandos contendentium, impetum retundebat ſic effatus; *Nihil innouetur, quod traditum eſt ſeruetur.* Ab Apoſtolico ſiquidem fonte *deriuatæ conſuetudinis robore tenebatur orbis terrarum*, (ait S. Auguſtinus lib. 2. de baptiſ. c. 9.) *& hæc ſola à Stephano Papa opponebatur, inducere volentibus nouitatem.* Sic eſſe traditionem Apoſtolicam teſtificatur S. Dionyſius Eccleſ. hierarchiæ c. vlt. Vt baptizentur infantes, diſertéque idipſum aſſerit Origenes, *primus Eccleſiæ* dictus poſt Apoſtolos *Magiſter* lib. 5. in cap. 6. epiſt. ad Rom. Necnon S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi c. 23. & lib. 4. de bapt. c. 24. Cæterùm alij plurimi tum ritus, tum mores & præcepta, quin & dogmata, ab Apoſtolis tradita ſolo verbo, hincque ab Eccleſia obſeruata per ſuccedentium temporum vices à Patribus commemorantur, quæ hîc enumerare ſuſcepti operis ratio non exigit. Hæc verò omnia deſignari ab Apoſtolo palam eſt, vbi fideles cohortatur, ſtabiles vti permaneant in illorum obſeruatione: *State fratres*, inquit, *& tenete traditiones quas accepiſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.* Quod generale Apoſtoli monimentum VIII. Synodi Oecumenicæ Patres, ideò can. 1. præfigunt, vt huius auctoritate, ipſas Apoſtolicas traditiones in ſacroſancta obſeruantia fideles habere commonefaciant; paſsímque idipſum documentum SS. Patres incutiũt, cuius vi ipſas Apoſtolorum traditiones *2. Theſſ. 2. 15.*

efficaciùs commendent, atque contta hoſtes Eccleſiaſticæ doctrinæ & diſciplinæ, eaſdem maiori vigote tueantur.

§. 3. *De Eccleſiaſticis traditionibus.*

Ecclesiasticæ traditiones propriè dici ſolent conſuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis inſtitutæ, vel à nonnullis hominibus ſanctis, vel à populis in quibuſdam locis inuectæ, quæ paulatim tacito fidelium conſenſu vim legis paſſim obtinuerunt; Ita verbi gratiâ inſtitutum fuiſſe legimus à Teleſphoro Romano Pontifice, vt in Natali Domini rres Liturgiæ celebtentur. A Silueſtto, vt in vertice preſbyteri baptizatos ſacro chriſmate liniant. Ab Innocentio I. vt in Miſſa pacis oſculum præbeatur; vtque ieiunetur quolibet ſabbato: A Leone I. vt in ſacrificio à Sacerdote, *Orate fratres*, dicatur. Porro (quoda Sanctorum inſtituta pertinet) ſic S. Mammertus Viennenſis Metropolites, Rogationum Proceſſiones ſeu Litanias in triduo ante feſtum Dominicæ Aſcenſionis celebres inſtituit, vt notat Vſuardus in Martyrologio die 2. Maij, vbi ira eiuſdem meminit: *Viennæ S. Mammerti Epiſcopi & Confeſſoris, qui ob immenſam cladem, ſolemnes ante Aſcenſionem Domini litanias inſtituit.* Has Gallicana Eccleſia in I. Concilio Aurelianenſi c. 27. comprobauit, vniuerſalis autem Eccleſia hinc in morem generalem deduxit, ſuóque ſacro Codici pium & præclarum adeò inſtitutum, vbique & ſemper obſeruandum inſeruit, *de Conſec. diſt. 3. c. Rogationes.* Ita & S. Odilo Cluniacenſis Cœnobiarcha, Commemorationem omnium fidelium defunctorum in craſtino feſti omnium Sanctorum quotannis ſolenniter agendam in omnibus Cluniacenſis ordinis Monaſteriis, ſpeciali conſtitutione præcepit. Húncque ritum, primùm hinc per totam propagatum Galliam, ſedes Apoſtolica ſubinde probans, vniuerſum per orbem ſuſcipiendum & obſeruandum generali ſanctione decteuit: quaproprer ipſa Romana Eccleſia, Catholica & Apoſtolica ipſius inſtitutionis, à facto S. Odilonis primitùs detiuatæ, ſuis in ſacris diptychis conſignauit memoriam, ſic enim notatum legitur in Romano Martyrologio, ipſis Kalendis Ianuarij, *Apud Cluniacum S. Odilonis Abbatis Cluniacenſis, qui primus commemorationem omnium fidelium defunctorum primâ die poſt feſtum omnium Sanctorum in ſuis Monaſteriis fieri præcepit: quem ritum poſteà vniuerſalis Eccleſia recipiens comprobauit.* Cæterùm quoad traditiones quæ ex ſpeciali populari more, in generalem tandem obſeruationem, vnanimi populi Chriſtiani conſenſu tranſierunt, exempla hîc etiam pauca quidem, ſed inſignia, facilè poſſunt indigitari. Teſtis eſt S. Hieronymus ſcribens contra Vigilantium, morem hunc fuiſſe celebrem in Oriente, vt cùm in Eccleſia legebatur Euangelium luminaria accenſa admouerentur. *Per totas Orientis Eccleſias*, inquit, *quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum*; Quem ritum poſteà Eccleſia Occidentalis imitata, generalem in praxim tranſuexit; vnde priſcus Ordo Romanus tit. de off. Miſſæ: *Acceſſuro ad altare Diacono, præcedunt antè*

duo Acolythi cum duobus ceroſtratis. Et rurſus, *duæ candelæ præcedunt Euangelium, propter geminam dilectionem, Dei videlicet & proximi; vel propter duo teſtamenta quibus illuminatur genus humanum.* Sic frequentis vſus Communionis ex ſpeciali more Romanæ Eccleſiæ, in orbem defluxit, (vide ſanctum Hieronymum in epiſt. ad Lucinum, & in apologia ad Pammachium pro libris, & Gennadium in lib. de Eccleſ. dogmat. apud S. Auguſtinum tom. 3.) Et feſtum Corporis Chriſti ex Gallicana in vniuerſalem Eccleſiam propagatum eſt, accedente Decreto Vrbani IV. Summi Pontificis natione Galli, patria Trecenſis, qui cùm eſſet Leodij Archidiaconus, initiatum diuino monitu hunc Chriſti corporis anniuerſarium triumphum, éxque concordi ſelectorum Theologorum ſententiâ (inter quos, conſultus à B. Iuliana ſymbolum pridem contulerat) à Roberto Epiſcopo probatum, celebrari quem viderat ſumma deuotione & gaudio ſpirituali: demum Apoſtolicæ Sedis factus Pontifex, generali perennique decreto, vbique, quotannis deinceps obſeruandum præcepit, quemadmodum luculenter inſinuat libellus cui titulus eſt: *Tractatus hiſtoricus de prima & vera origine feſtiuitatis ſacratiſſimi corporis & ſanguinis Domini: Eius progreſſu, & gratiis, priuilegiiſque, quibus poſtmodum ſummi Pontifices eam decorârunt; Ex authenticis hiſtoriis & documentis collectus, ſtudiô & induſtriâ Ioannis Chapeauilli Canonici & Vicarij Leodienſis.* Extat ad calcem voluminis geſtorum Epiſcoporum Traiectenſium & Leodienſium, quæ edita primùm in lucem Leodij prodierunt apud Chriſtianum Ouuerk anno 1612.

§. 4. *De traditionum alio diſcrimine deſumpto ab ipſa materia.*

VERVM diſcrimen traditionum, non ſolùm ex illarum auctoribus, ſed etiam ex materia quâ conſtant, attendi & colligi debet. Rationes ſiquidem materiæ traditionis, in duplici differentia conſiderantur. Quædam enim ſunt de fide, v. g. Quòd B. Maria fuerit ſemper Virgo; Quòd quatuor tantùm ſint Euangelia: quædam verò ad mores ſpectant, vt ſunt illæ de quibus ante mille quingentos annos Tertullianus in libello de corona militis c. 3. & 4. diſertè ſic & grauiter ſcribebat, *Et quandiu per hanc lineam ſerram reciprocabimus* (inquit) *habentes obſeruationem inueteratam, quæ præueniendo ſtatum fecit: hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo comprobauit, quæ ſine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum prius non eſt? etiam in traditionis obtentu exigenda eſt, inquis, auctoritas ſcripta, ergo quæramus an & traditio non ſcripta, non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinio vindicamus. Denique vt à baptiſmate ingrediar, aquam adituri, in Eccleſia ſub antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius, dehinc ter mergitamur ampliùs aliquid reſpondentes, quàm Dominus in Euangelio determinauit, inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus; éxque ea die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus, Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus man-* Ibidem, ſed aliquantulùm prius.

*datum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſtem vſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri aliquid decuti in terram anxiè patimur. Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacumque nos conuerſatio exerceat, frontem crucis * ſignaculo terimus. Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtulas ſcripturarum, nullam inuenies; Traditio tibi prætendetur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix: rationem traditioni, conſuetudini, fidei patrocinaturam, aut ipſe perſpicies, aut ab aliquo qui perſpexerit diſces.* Ita diſſerebat tam verè quàm ſcitè Tertullianus, de ritualium traditionum ſacroſanctâ theoriâ & auctoritate. Perſimilem textum S. Baſilij ex lib. de Spiritu ſancto affert Burchardus in canonica ſua compilatione, vt animaduertit Rhenanus ſcribens in præſignatum Tertulliani locum, quem in adnotationibus ad eundem obſeruauit & deſcripſit verbatim Pammelius.

* Signi crucis traditio Apoſtolica.

§. 5. *De alia differentia traditionum, ſumpta ex conſideratione loci & temporis.*

CÆTERVM aliter etiam traditiones ſacræ diſtinguuntur, ex conſideratione ſcilicet loci & temporis. Ex his enim indiciis aliæ dicuntur vniuerſales, aliæ particulares ſeu locales: Aliæ perpetuæ, aliæque temporales nuncupantur. Traditio perpetua eſt, quæ inſtituitur vt ſemper obſeruetur; huiuſmodi ſpecimina conſpicere eſt in exemplis ſuprà triplici ſerie principij expoſitis. Temporalis autem cenſetur quæ inſtituitur ad certum tempus, vt obſeruatio legalium quarundam cæremoniarum, quæ ſeruandæ erant vſque ad plenam Euangelij promulgationem, vt faciliùs Eccleſia ex Iudæis & gentibus coaleſceret. Huiuſmodi fuit Synodica illa ſanctio, quâ Apoſtoli in Hieroſolymitano Concilio fidelibus præceperunt *, vt à ſanguine & ſuffocatis abſtinerent. Idcóque cùm pro tempore tantùm edita fuiſſet illa prohibitio, ceſſante causâ ob quam inuecta fuerat, etiam & eius obſeruatio deſiit; abiiſſéque iam in deſuetudinem ſuo tempore S. Auguſtinus commemorat lib. 32. contra Fauſtum c. 13.

* *Actuum* 15. *v.* 20. & 29.

Porro vniuerſalis quæ nuncupatur traditio, ea eſt quæ vniuerſo orbi Chriſtiano ſeruanda præſcribitur, qualis eſt Paſchatis, Pentecoſtes & ſimilium feſtorum maiorum obſeruatio, de quibus ita ſcribebat ſanctus Auguſtinus epiſt. 118. ad Ianuarium cap. 1. *Illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſeruantur, &c. Sicuti quod Domini Paſsio & Reſurrectio, & Aſcenſio, & aduentus è cœlo Spiritus ſancti, anniuerſariâ ſolemnitate celebrantur, & ſi quid tale aliquid incurrerit, quod ſeruatur ab vniuerſa quacumque ſe diffundit Eccleſia, vt mos ille eſt celeberrimus, quo à ieiunis tantùm ſacramentum Euchariſtiæ ſumi ſolet, atque debet, &c. Et liquidò apparet quando primùm acceperunt Diſcipuli corpus & ſanguinem Domini,* non

non eos accepiſſe ieiunos. Nunquid tamen propterea calumniandum eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quod à ieiunis ſemper accipitur? Et hoc placuit Spiritui ſancto, vt in honorem tanti ſacramenti, in os Chriſtiani priùs Dominicum corpus intraret quàm cæteri cibi. Nam ideò per vniuerſum orbem mos iſte ſeruatur, ſicut & mos ille quo vniuerſalis Eccleſia conſueuit triduum mortis Chriſti ſacratiſſimum non ſolùm per memoriam, (Nota hîc S. Auguſtinum memoriam myſterio opponere, quæ paſſim Caluiniſtæ permiſcent & confundunt; Myſterium autem longè præcellentius eſſe memoriâ, eundem hoc ipſo teſtimonio innuere) *at per myſterium accuratiſſimum colere, generalis quoque cenſendus eſt.* De quo idem S. Auguſtinus ep. 119. ad eundem Ianuarium c. 14. *Attende*, inquit, *igitur ſacratiſſimum triduum crucifixi, ſepulti, ſuſcitati Domini*, &c. Et c. 15. *Adiuncta eſt ipſorum dierum obſeruatio per Patrum Concilia, & orbi Chriſtiano perſuaſum eſt, eô modô Paſcha celebrari oportere.* Huiuſmodi eſt etiam ritus perinſignis, & antiquiſſimus, quo inter tremenda myſteria, quoties celebrantur, propria fiat fidelium defunctorum ad altare commemoratio, de qua ſic idem ait Auguſtinus ſerm. 34. de verbis Apoſtoli. *Hoc à patribus traditum vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cùm ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur.*

Particularis verò traditio ea eſt, quæ certis tantùm in locis vim habet, ſeruatúrque in vna ſingulari, vel pluribus Eccleſiis, non autem vbique; qualis erat temporibus Sanctorum Ambroſij & Auguſtini mos ieiunandi in Sabbato, ob memoriam Dominicæ ſepulturæ, quo de ritu ex profeſſo diſſerit S. ipſe Auguſtinus ep. 86. ad Caſulanum preſbyterum, vbi versùs finem hæc ſignanter ait: *Hinc exorta eſt iſta in regina illius veſte varietas, vt alij ſicut maximè populi orientis, propter requiem ſignificandam mallent relaxare ieiunium; Alij propter humilitatem mortis Domini ieiunare ſicut Romana, & nonnullæ Occidentis Eccleſiæ.* Tamen Mediolanenſis quæ Romæ adeò vicina eſt, morem hunc non tenebat. Vnde ſolennis illa prodiit, S. Ambroſij ad poſtulatum ipſius S. Auguſtini pro matre ſua, ipſum hac de re conſulentis, reſponſio; *Quando hîc ſum non ieiuno Sabbato; Quando Romæ ſum, ieiuno Sabbato, & ad quamcumque Eccleſiam veneritis eius morem ſeruate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere:* Subindicans non Romæ ſolùm, ſed alibi etiam proprias vigere Eccleſiaſticas conſuetudines, quæ in iis locis ſeruari debent à quibuſcumque ibi degentibus, vel eò accedentibus orthodoxis, cùm vt pax cum proximo conſeruetur, & ſcandalum præcidatur; tum vt etiam prudentia exerceatur, exhibeatúrque nihilominùs humilitas. Quibus ex cauſis S. Auguſtinus in prænotata ep. 118. ad Ianuarium, ſcitâ ſuâ hâc abſoluit inſigni coronide: *His vt potui diſputatis moneo, vt ea quæ prælocutus ſum ſerues quantum potes, vt decet Eccleſiæ prudentem ac pacificum filium.* Qua ſpecie ſe gerebant Ægyptij Epiſcopi, cùm in Concilio Calchedonenſi haud ſemel interpellati à Patribus, vt epiſtolæ S. Leonis Papæ ad Flauianum, quam ipſi Patres, *Titulum fidei* appellabant, ſubſcriptionis ſuæ planæ & abſolutæ calculos apponerent; accommodatâ ad intentum modeſtiâ, reſponderunt, orbatione ſua (nam depoſi-

to Dioſcoro vacabat Alexandrina Patriarchalis ſedes) ſe quominus Patrum placitis hac in re obſecundarent præpediri, neque enim ſibi ex ſtatuto more licere, cuiquam definitioni ſubſcribere, niſi ex ſententia proprij Patriarchæ ſui, qui eis præire exemplo ac decreto ſuo conſueuerat. *Miſeremini nobis & expectetis* (dicebant ad Patres) *Archiepiſcopum noſtrum: vt ſecundùm antiquam conſuetudinem, illius ſequamur ſententiam: Quia ſi contra voluntatem præſidis noſtri, aliquid faciamus, ſicut præſumptores & non ſeruantes ſecundùm canones antiquam conſuetudinem, omnes Ægyptiacæ regiones in nos inſurgent. Act.*4. Et infrà. *Nouit Dei amantiſſimus Arch. Anatolius, quia talis conſuetudo in Ægyptiaca regione obtinuit.* Peculiarem etiam peruereremque fuiſſe morem Eccleſiæ Mediolanenſis, vt pedum lotio, quaſi ſacramentum, magna cum myſterij exiſtimatione, & religionis obſeruanria mox poſt baptiſmum in ea celebraretur: Ipſemet eius antesignanus S. Ambroſius liquidò docet & teſtatur lib. 3. de ſacr. c. 1. *Non ignoramus*, inquit, *quòd Romana Eccleſia hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc autem conſuetudinem non habet, vt pedes lauet. Vide tamen ne propter multitudinem declinârit*, &c. Longum eſſet ſingula exempla perſequi localium eiuſmodi Traditionum, quas tamen eſſe ab omnibus venerandas, ſi congruant pietati, Patres communi ſententia docuerunt. Qua de re ſpectabile eſt ipſius ſancti Auguſtini ad Ianuarium ep. 119. c. 18. monimentum. *Miror autem quid ita volueris vt de iis quæ variè per diuerſa loca obſeruantur, tibi aliqua conſcriberem cùm & non ſit neceſſarium, vt vna in iis ſaluberrima regula obſeruanda ſit, vt quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem melioris vitæ, vbicumque inſtitui videmus, vel inſtituta agnoſcimus, non ſolùm non improbemus, ſed etiam laudando & imitando ſectemur.* Quam regulam adeò probauit ſanctus Gregorius, vt Auguſtinum Anglorum primum Metropolitam à ſe delectum piè & prouidè admoneret, ne quæ in Romana tantùm Eccleſia circa ſacros ritus obſeruari didicerat, apud Anglos propagare & inſtituere niteretur, ſed ad nouellæ huius Eccleſiæ commodum ac decorum quæcumque alibi laudabiliter obſeruari nouerat, imitanda ſibi aliiſque ſeruanda proponeret. *Nouit*, inquit, *fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit eſſe nutritam, ſed mihi placet vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicana, ſiue in alia qualibet Eccleſia inueniſti, quod plus poſſit Deo placere id ſollicitè agas*, &c. Et infrà. *Ex ſingulis ergo quibuſcumque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Hæc ſanctus Gregorius, alludens ſcilicet ad vocem Apoſtoli, qui depoſiti nomine, traditiones non ſcriptas deſignabat, quas vti quoddam *depoſitum* * commendabat ſummâ fide & obſeruantiâ reuereri. Et verò pleræque Eccleſiæ, præter traditiones communes, ſuas itidem proprias & peculiares obtinent, diutino ſeruatas vſu: quas, ſi piæ & laudabiles ſint, ſanctus Hieronymus docet in ep. ad Lucinum, in locis vbi vigent, æque ac illas quæ vbique diffuſæ cernuntur, cuſtodiendas eſſe.

1. Timoth. 6. 10.

Cæterùm præter has multiplices traditionum denominationes, aliæ ſunt inſuper, quæ à modô quo præſcribunrut ſuam ſortiuntur appellationem. Traditiones ſiquidem aliæ dicuntur neceſſariæ, aliæ liberæ:

Neceſſariæ ſunt quæ dantur in forma præcepti, vt Dominicæ diei ſanctificatio, Paſchaliſque ſolennitatis die Dominicâ, proximè ſequenti decimam quartam Lunam Martij, celebratio; Quadrageſimæ & aliorum ieiuniorum obſeruatio. Liberæ autem traditiones appellantur quæ aſſignantur in forma conſilij, vt aſperſio aquæ benedictæ, & ſi quæ ſunt aliæ eiuſdem claſſis.

CAPVT II.

Diſquiſitio, cuius gradus, aut ſpeciei ſit Traditio Tonſuræ Clericalis. An ſimplex Eccleſiaſtica?

IAM verò his præmiſſis, quæ, vt vis traditionis, quam excutimus atque vindicamus, magis eniteat præſtituere omninò opus fuerat: perfacile eſt diſcutere atque elicere, cuius generis & auctoritatis ſit, ipſa de quâ quæſtio impræſentiarum vertitur traditio. Nec enim ritum illum perennem, quem, ſuprà, viguiſſe in Eccleſia illibatum, per ſæculorum XVI. curricula, quæ ab ortu fidei hactenùs effluxerunt, tam continuâ, quàm conſpicuâ deſcriptione patefecimus, certam & exploratam eſſe traditionem ſegreges negare poſſût: cùm Tertullianus æquè verè ac ſcienter pronunciet, cõſuetudinem genuinam eſſe traditionis prolem. *Conſuetudo*, inquit, *ſine dubio de traditione manauit, quomodò enim vſurpari quid poteſt, ſi traditum priùs non eſt?* Cùm igitur axioma illud inconcuſſum ſit, iam non neceſſe eſt inquirere, num vſus ille tam celebris ſpectabiliſque, quem ſuprà fusâ ſerie rerum, temporum & perſonarum expreſſimus, pro certa & explorata traditione cenſendus veniat (hoc enim iam perſpicuum & euidens manet): Sed ſolùm expendere ſupereſt, quænam qualiſque traditio exiſtimari debeat; nec enim hoc priùs conſtiterit quàm continuò appareat, eius quanta ſit auctoritas, quantúmque valeat eius obligatio, ex cuius nexu, traditionis eiuſdem obſeruationem ſtricti eſſe iuris euadet ſubinde quàm certum & exploratum.

Et primùm quidem traditionem ipſam non eſſe adiaphoram vel liberam, ſed neceſſariam multiplici ex ratione reſultat. Prima, quòd non tradita ſit per modum conſilij, ſed præcepti, vt liquet ex inductis ſuprà canonicis ſanctionibus: ex quibus nonnullæ ſunt, quæ negligentes Tonſuræ Clericalis obſeruationem, non pœnis duntaxat mulctæ pecuniariæ, aut carceris, vel ſuſpenſionis aut interdicti, ſed etiam excommunicationis coërcent, at quæ grauiſſima eſt omnium animaduerſio pœnarum Eccleſiaſticarum, etiam percellunt anathemate. Secunda, quoniam ſancti non ſolùm vocitârunt, ritum, morem, vſum, ſed debitum, obſeruationem Tonſuræ & Coronæ, quam eô nomine exigunt diſtrictione grauiſſimâ, adeò vt expungendos fore decernant ex albo Clericali & Sacerdotali, atque omni priuilegio exuant Eccleſiaſtico hac in re delinquentes, vtque meros Laïcos tradant poteſtatibus ſæculi, iudiciis capitalibus

haud ſecùs ac ex fæce vulgi homines, ſi quod crimen etiam quod delictum commune dicitur admiſerint, abſque vllo ordinis intuitu plectendos. Tertia, eò quòd grauiter peccare cenſuerunt, quicumque militiæ Eccleſiaſticæ adſcriptus hanc eius ſpectabilem teſſeram perferre ſciens & lubens prætermitteret, ſuperníque iudicij vindicias immorigeris eiuſmodi interminati ſunt; interque Sanctorum præcipuas curas ac exempla, ſtudium gerendæ Tonſuræ & coronæ perpetuum annumerarunt, quod gratum Deo, ſupernæ approbationis indiciis plerumque fuiſſe, actorum eorumdem ſcriptores, cæteríque Eccleſiaſtici Hiſtorici ſummô conſenſu, ſemper ac vbique teſtati ſunt, vt patet ex inſinuationibus præmiſſis.

Porro particularis illa nequit dici quoque traditio, ſed vniuerſalis cenſenda eſt, quæ vt B. Vincentius Lirinenſis ſapienter docet, ſemper, vbique & ab omnibus comperitur obſeruata. At verò palam eſt ex præſignata inductione, traditionem illam quam contra nouatores defendimus, ab Eccleſiaſticis viris omni tempore, omni loco, atque ab vniuerſis Cleri ordinibus cuiuſque nationis ſummâ fuiſſe religione cuſtoditam. Nam nullum notari poteſt inſigne temporis interſtitium, quô illam oſtendere poſſint non ſeruatam vel aliquando intermiſſam, aut proſcriptam ab vlla Chriſtiana gente. Pulchrè igitur ac appoſitè huic inſinuationi adſtipulatur hæc vniuerſalis traditionis genuina regula à præfato S. Vincentio Lirinenſi ante annos 1200. aſſignata, illo celebri in opuſculo quod edidit aduersùs profanas hæreſeωn nouitates cap. 3. *In ipſa Catholica Eccleſia magnoperè curandum eſt, vt id teneatur quod ab omnibus creditum eſt* (idem eſt cuſtoditum): *hoc enim propriè veréque Catholicum, quod ipſa vis nominis ratióque declarat, quæ omnia verè vniuerſaliter comprehendit; ſed hoc ita demum fit, vt ſequamur vniuerſitatem hoc modo: ſi hanc vnam fidem & traditionem veram eſſe fateamur, quam tota per terrarum orbem confitetur atque ſeruat Eccleſia. Antiquitatem verò ſi ab his nullatenùs ſenſibus recedamus, quos ſanctos, Maiores ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt; Conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa vetuſtate, omnium ſacerdotum pariter & magiſtrorum definitiones ſententiáſque ſectemur. Oportet enim* (ait præclarè, veréque S. Auguſtinus lib. 2. contra Iulianum c. 1.) *vt populi Chriſtiani eloquia ſanctorum (parique ratione exempla) profanis nouitatibus anteponant, eíſque potiùs eligant adhærere quàm vobis*, vtique nouatoribus, deflectentibus à trita & tradita iam olim à Patribus via Catholicæ doctrinæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ.

Sed nec Eccleſiaſtica duntaxat cenſenda venit præmemorata Tonſuræ ac Coronæ Clericalis traditio: quæ enim merè ac propriè Eccleſiaſtica dicitur, ea eſt quæ ſuccreſcente Chriſtiana pietate, vel ab Eccleſiæ vniuerſalis Præſulibus ſolenni aliquo ſenatuſconſulto, aut ſummæ Sedis decreto ſpeciali, inſtituta, vel quarundam particularium Eccleſiarum more inuecta primùm, ſenſimque poſtmodum propagata & recepta, communi tandem conſenſu, vbique vim obtinet. De quo genere traditionum ſic S. Auguſtinus ep. 86. ad Caſulanum, *In iis rebus de quibus nihil certi ſtatuit ſcriptura, mos populi Dei, vel inſtituta Maiorum pro lege tenenda ſunt.* At verò indicari nequit à quo Papa, vel alio quouis antiſti-

te, vel Synodo primùm inſtituta fuerit Tonſura Clericalis; vel à quo ſpeciali populo ortus hic mos pedetentim exereſcendo, ſeſe vniuerſalem in Eccleſiam diffuderit: aut ſignare tempus quo in Eccleſia iam per orbem diffuſa vſitatus non fuerit, aut quando tandem incœperit, excepto ipſo fermè primordio Chriſtianæ Religionis. Cum hac enim cœpiſſe ipſam traditionem quam tuemur, ſuprà euidèter eſt oſtenſum. Eſt verò genuinus hic Eccleſiaſticæ traditionis, ſeorſim à Dominica vel Apoſtolica conſideratæ character, vt iis à principiis vel horum aliquo fluxerit; tempúſque proprium indigitari poſſit, quo poſt Apoſtolos, vel viros Apoſtolicos cœperit, cùm eorum ætate in Eccleſia non vigeret. Cæterùm non equidem inficior notari poſſe varia Pontificum & Conciliorum decreta, quibus Clericalis Tonſuræ & Coronæ Sacerdotalis obſeruatio, viris Eccleſiaſticis diſtrictè commendatur: Sententiæque nonnullæ Sanctorum Patrum, & hiſtoriographorum ſacrorum graues ſcitu enarrationes, quibus myſtici huius ritus religio incutitur: ſed hæc omnia monimenta originem coætaneam ipſius obſeruationis non indicant, at potiùs ſupponunt præexiſtentem, longéque anteriorem aſtruunt & confirmant. Hîc verò id dictum volumus ad traditionis huius quam defendimus inſigniorem, quàm meræ Eccleſiaſticæ titulum, annoſiorémque originem (quæ videm ipſo natiui primordij iure competit) adſcribendum, non verò tantillum ponderis detrahendum Eccleſiaſticæ cuilibet traditioni: cuius magnam eſſe vim auctoritatis in ipſa Catholica Eccleſia confitemur; à S. Auguſtino ſiquidem edocti, fiduciâ ſecuræ vocis, ſeruandum illibatè aſſerimus, *quod in gubernatione Domini Dei & Saluatoris Ieſu noſtri Chriſti, vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* lib. 7. cont. Donatiſtas c. 53. Cuius ſancti Doctoris hanc alteram memoratu dignam ſententiam, in limine ferè ſcriptam epiſt. 118. ſui libelli 1. ad inquiſitiones Ianuarij, ceu oraculum tam certum, quàm pium affatim reueremur; *illa quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur, datur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel à plenariis Conciliis, quorum ſaluberrima eſt in Eccleſia auctoritas, commendata atque ſtatuta retineri.* Verùm illa pro qua certamus traditio, erat in vſu vniuerſalis Eccleſiæ antequàm Concilium vllum Oecumenicum conſediſſet, nec ab aliis regionalibus, (vt ipſe nominat ſanctus Auguſtinus paſſim, Synodos locales) Conciliis, inſtituta comperitur, aut Pontificiis ſanctionibus inuecta, aut ex particularis Eccleſiæ priuato more in communem praxim propagata dici poteſt; cùm ex præmiſſa Chronologica inductione pateat euidenter omnibus eiuſmodi prædicamentis Eccleſiaſticæ quæ dicitur traditionis, eſſe vetuſtiorem.

CAPVT III.

Apoſtolicam eſſe Traditionem ex præfixis principiis colligitur.

QVAMOBREM Apoſtolicam eſſe Traditionem fateri neceſſarium eſt, iuxta axioma illud celeberrimum ſancti ipſius Auguſtini; *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolicâ traditum rectiſſimè creditur*, lib. 4. de bapt. cont. Donatiſt. c. 24. Atqui traditionem præmemoratam talem eſſe liquidò conſtat ex præmiſſis: vnde conſequitur nonniſi de origine Apoſtolica promanâſſe; hácque ex primordiali vena deriuatam, eodem titulo Apoſtolicæ auctoritatis, quâ hactenus viguit, eſſe retinendam. Accedit quod Martinus Pereſius Ayala Guidixienſis Epiſcopus, in inſigni ſuo opere quod Philippo Hiſpaniarum principi anno ſalut. 1548. dicauit, & inſcripſit *de Diuinis, Apoſtolicis & Eccleſiaſticis traditionibus*, aſſertione 10. tertiæ partis rectè docet, Apoſtolicas traditiones rectè vocari, quas antiqui ſcriptores Catholici ab Apoſtolis deriuatas eſſe agnoſcunt, vel quæ tantâ antiquitate pollent, vt ferè in ipſa naſcenti Eccleſia ſeruarentur, etiamſi in ſcriptura nulla extet memoria, quæ ab Apoſtolis innuat deriuatas eſſe. Non enim, inquit ſanctus Auguſtinus ep. 118. anteſignata, omnia quæ facta ſunt ab Apoſtolis, etiam ſcripta in codice ſacro inueniuntur: verumtamen facta eſſe ex aliis monimentis probantur. Porro hîc in fortiori argumento conſiſtimus, nec enim ſolùm apertis inſinuationibus euicimus ab ætate Apoſtolica hanc Eccleſiæ traditionem floruiſſe (cuius etiam veſtigia in actis Apoſtolorum non obſcura ſuperſunt) ſed pleraque inſuper attulimus veterum fide dignorum teſtimonia, quibus Apoſtolicæ originis & auctoritatis ius ineſſe ipſimet traditioni, (cuius piam & neceſſariam exequimur defenſionem) agnoſcunt atque fatentur.

Vide citatos auctores etiam infrà in ſolutione 2. argumenti Nouatorum, ſub finem.

CAPVT IV.

Quo obiectiones diſcutiuntur ac diluuntur, quibus Nouatores hanc Traditionem impugnant.

I. ARGVMENTVM,

Ductum ex locis ſacræ ſcripturæ: cum propriis ad ſingulas auctoritates reſponſionibus.

AB axiomate inter Catholicos recepto, Nouatores igitur primum arripiunt argumentum: Res, inquiunt, in confeſſo eſt apud Pontificios Theologos, traditionem quamlibet Apoſtolicam vel Eccleſiaſticã admitti quidem poſſe extra ſacræ ſcripturæ expreſſam auctoritatem: at nullã penitùs recipi poſſe, quæ ſacræ ſcripturæ vllatenus repugnet. Quo poſito principio, ſic argutatur; Illa traditio vt ſpuria & non legitima explodenda eſt, quæ ſacræ ſcripturæ auctoritati aduerſatur: Atqui traditio illa de Tonſura Clericali & raſura Sacerdotum palam ſacræ ſcripturæ contradicit, itaque repudiari debet. Minorem propoſitionem de qua ſolâ controuerti poteſt, pro virili ideò muniunt & confirmant, adductis variis ſcripturæ locis, quibus traditionem, quam aſtruimus, refragari euictum ire nituntur.

PRIMVS locus eſt ex Leu. c. 19. vbi Dominus ait, *Non attondebitis comam in rotundum, neque radetis barbam:* Quem locum ſic vertit Vatablus; *Non attondebitis in rotundum comam veſtram, Ægyptiorum Sacerdotum more.* Vixerant enim Iſraëlitæ hactenùs inter Ægyptios: quorum ne morem hac in re imitarentur, hoc decreto voluit Deus præpedire. Nec Ægyptiis modò ſolenne fuit, comam attondere in rotundum: Gentiles enim cùm ſe Diis (id eſt dæmonibus) conſecrabant, in circulum attondebant capita ſua; quin iis capillos ſuos dedicabant, quemadmodum memoriæ prodidit Lucianus in Dea Syria ſub finem, S. Cyrillus lib. 16. de adoratione, Theodoretus in Commentariis de obſcuris quæſtionibus in Pentateuchum ad c. 19. Leuit. in ℣. prænominatum q. 28. Præcidere voluit Dominus idcircò Iudæis æmulationem profani huius Ethnicorum ritus, à quibus vt fide, religione, cultu; ſic & moribus & habitu voluit diſtinctum fore populum ſuum. Hinc verò Ethnicæ imitationis ſtudium cùm ſit vetitum Chriſtianis, conſectaneum eſſe volunt Nouatores, morem illum, quo Clerici & monachi verticem in modum circuli attondere ſolent, à Chriſtiana pietate prorſus abhorrere, vt pote diuina lege prohibitum.

Sunt qui reſpondeant, hoc præceptum fuiſſe cæremoniale, vt circumciſio fuit, & ſacrificia cruenta, & id genus alia, quæ vt vmbræ, ortu ſolis iuſtitiæ Chriſti diſcuſſæ ſunt; ceſſauit enim Lex cæremonialis Euangelio coruſcante. Dicunt & alij, Dominum non tam morem attonden-

Digitized by Google

di caput in rotundum prohibuiſſe, quàm intentionem malam; vetuiſſe ſiquidem non abſolutè ne hoc facerent, ſed ſolùm propter malum finem, ſcilicet cultum dæmonis, propter quem Ethnici id vſurpabant, vt citati Patres memorantur. Addunt inſuper nihil affine eſſe Clericis vel monachis cum iſtis infidelibus, nam comam nequicquam rotundam efficiunt, ſed radunt duntaxat vel tondent verticem, capillis infrà relictis, ſed modicè reſectis ad ſacræ profeſſionis & militiæ indicium.

Sed ad genuinam reſponſionem, planam & expeditam viam ſternit Heſychius Epiſcopus Hieroſolymitanus, ſynchronus S. Gregorij Rom. (qui ad eum ſcripſit ep. 40. l. 9.) in commentariis ſuis ſuper Leuiticum. Is enim peruio intellectu ſenſum citatæ legis aperuit, Tondere, inquit, comam in rotundum, non eſt comam ſcindere ſed otnare. Fauet editio Septuaginta Interpretum, qui ſic vertunt verba legis prædictæ, οὐδὲ ποιήσετε σισόην ἐκ τῆς κόμης, non facietis Siſoën ex coma veſtra. Videntur LXX. vocem Siſoën accepiſſe ab Hebræo *tſiſit*, id eſt cincinus, vti patet Ezech. 8. 3. Nam Suidas Lexicographus Siſoën interpretatur πλεξαίδιον, id eſt capillum plicatum; Quo ſenſu vſus eſt S. Petrus 1. ep. 3. ℣. 3. vbi Siſoën videtur vocare τριχῶν πλοκῶν, id eſt capillorum plicationem, tametſi vulgaris interpres *capillaturam* poſuerit: S. Paulus 1. Timoth. 2. 9. vocat πλέγμασι, id eſt intortos crines; Latini vocant capillitium calamiſtratum, ſiue calamiſtris in cincinnos reflexum. Sua igitur verſione Septuaginta inſinuant præcitatâ lege Leuit. 19. cincinnos vetari. Adſtipulatur Hebræus codex, quem periti huius linguæ aſſerunt ad verbum expreſſè ſic habere, *Non circulabitis, non facietis rotundum, vel non cincinnabitis extremitatem capitis veſtri.* Ratio eſt quia cincinnati & calamiſtrati capilli, ſignum ſunt mollis & effœminati animi: Ideóque viros dedecent maximè veri Dei cultores. Quamobtem meritò Tiburtius in vita S. Sebaſtiani Torquatum cincinnatum, ſe Chriſtianum nomine cenſentem increpat: cúmque ambo religionis causâ iudici ſiſterentur, quæſitúſque de fide Torquatus reſpondiſſet ſe eſſe Chriſtianum: *Credìſne vir illuſtriſſime,* inquit Tiburtius, *hunc eſſe Chriſtianum, qui in ſui lenocinio moliendo capitis fimbrias admittit,* &c. *nunquam tales peſtes Chriſtus dignatus eſt habere ſeruos ſuos.* Et reuerà hic à fide mox defecit, quam antè per ſimulationem, vt conſtitit, profeſſus fuerat. Natrant verò acta præcitata inter indicia futuræ eius apoſtaſiæ, *quòd capillos ſuper apicem frontis, tonſoris arte componebat;* hanc artem Deus deteſtatur, & piis viris vetat. Vnde prudenter ac religioſè conſulit auctor inſignis epiſtolæ ad Demetriadem Virginem apud S. Hieronymum, *Cincinnatulos pueros & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pelliculas, quaſi quaſdam peſtes & venena pudicitiæ deuitet* *. Tales eſſe Clericos non decet, quibus ideò non comæ reſectionem & raſuram verticis, ad exemplum modeſtiæ & contemptum mundani luxus diuinô præceptô eſſe vetitam, eſt quòd nouatores cauillentur: At econtrà lege ipſa, quam ex Leuitico obiiciunt, prohibitum fuiſſe iis qui cultum Dei caſtè exequi volunt, artem illam profanam Ethnicorum æmulari, comam attondendi ſcilicet in rotundum, capillitiô calamiſtratô, ſiue calamiſtris in cincinnos reflexo. Appoſitè huc ſpectat

* *Vide S. Bernard. de Conſ. lib. 4. c. 6.*

quod

quod Syneſius ait apud Cælium lib. 15. Antiq. c. 8. *Nullus comatus, qui idem non ſit Cynædus.* Et quod S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. *Cincinni*, inquit, *non ornamenta, ſed crimina ſunt, lenocinia formæ, non præcepta virtutis.* Idcirco Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. c. 3. cincinnos fuiſſe notat quaſi titulum meretricium.

Atque hactenùs ſatis ad rem de prima ſcripturæ ſacræ auctoritate, perperàm à nouatoribus contra Tonſuram Clericorum propoſitâ. Supplendum infrà opportuniori loco quicquid fuerit de figura rotunda Tonſuræ; atque etiam de barbæ raſura notandum.

II. Locus, qui ex codice diuino contra ritum ſacrum de quo contendimus depromitur, ex eodem lib. Leuit. c. 21. deſumptus eſt, & ſic habet, *Dixit quoque Dominus ad Moyſen, loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos*, &c. *Non radent caput neque barbam.* Sed ſi ſcripturam ita decurtatam allegare aduerſariis placet, quæcumque ſanè iis libuerit, tam pro, quàm contrà, centonibus ex diuino codice ſuum ad intentum decerptis confirmabunt, vel infirmabunt; At peſſimum foret hoc in Dei rebus procedendi genus, verbis legis dilaceratis, & in tranſuerſum detractis, legem impugnare: Patenti indicio ea eſt quæ ex Leuit. c. 21. contra Tonſuram Clericalem intenditur auctoritas. Quod dictum eſt de raſura detorquent ad Tonſuram, & quod ſancitur de raſura ipſa vetita priſcis Sacerdotibus in aliquo ſpeciali caſu, nempe in luctu propinquorum, abſolutè & ſemper vetitum eſſe Sacerdotibus Chriſtianis comminiſcuntur, luculenter id monimento probat ſacer textus, ſi non mutilus, at integer proferatur, ita ſiquidem ad verbum præfert, *Loquere ad Sacerdotes filios Aaron, & dices ad eos, Ne contaminetur Sacerdos in mortibus ciuium ſuorum; niſi tantùm in conſanguineis & propinquis, id eſt ſuper patre & matre, & filio & filia, fratre quoque & ſorore virgine: ſed nec in principe populi ſui contaminabitur. Non radent caput, neque barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras.* Quemadmodum nempe in luctu eiuſmodi facere Gentiles conſueuerant. Nam ſi alioquin per ſe nefas eſt capillos, vel barbam radere, peccabant Nazaræi qui ſolenni ritu à Sacerdote radebantur, & capillos ſuos igne ſacrificij cremandos ad oſtium tabernaculi fœderis offerebant, Numer. 16. Peccauit & Ezechiel qui aſſumpto gladio, ductôque per caput & barbam, pilos raſit ſuos, & ponderauit & diuiſit, Ezech. 5. 1. Quin & ipſe peccauit vas electionis Paulus, qui totondit caput in Cenchris, quoniam habebat votum ſuper ſe, Act. 18. 18. Imò cum ipſo graue piaculum admiſerunt Iacobus frater Domini, & ſeniores qui erant cum eo Hieroſolymis, ipſimet Paulo conſulendo, vt aſſumptis ſecum viris quatuor, ſanctificaret ſe iuxta legem cum illis, & raderent ſimul capita, prout ipſemet Paulus cum eis effecit Act. 21. 23. & 24. Si enim res per ſe mala eſt & abſolutè à Deo prohibita, vt ex Leuitici citato loco aduerſarij eliciunt, à quoquam abſque piaculo nuſquam potuit vſurpari. At quàm ſit hoc à verô alienum, liquidò patet tam ex legis ipſius pleno contextu, quàm ex præmiſſis Prophetarum & Apoſtolorum exemplis.

III. Locus ex Hieremia producitur c. 9. vbi Deus comminatur ſe vi-

ſitaturum, *ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam*; Sed nihil hic locus contra Tonſuram Clericalem facit, at Iudæos perſtringit, qui Gentilium more comam in gyrum accurabant; morem infidelium, quibus vicini ac confines erant profanâ induſtriâ imitati. Multarum ſiquidem gentium confinium nempe Ægyptiorum, Idumæorum, Ammonitarum, Moabitarum, & Saracenorum mos erat comam in circulum attondere, ſicut igitur iſtæ gentes circumciſionem mutuatæ erant à Iudæis, ita & Iudæi qui mixti ferè erant cum eis, artem faciendi criſpos capillos & ex horum concurſu citros efformandi imbiberant. Quo artificio iam notatos fuiſſe Iudæos in caſtris Xerxis militantes, auctor eſt Ioſephus lib. 1. cont. Apion. Vnde patet locum illum ex Hieremia depromptum, luxum Iudæorum duntaxat perſtringere, nihil autem facere contra Tonſuram Clericalem, quæ non luxus prutitû, at modeſtiæ causâ geri conſueuit à viris Eccleſiaſticis.

IV. Locum afferunt ex cap. vlt. prophetiæ Baruch, vbi Hieremias in epiſtola quam dirigit ad Iudæos abductos exules in Babyloniam, proponit iis pudendos idolorum Sacerdotes, *habentes tunicas ſciſſas, & capita & barbam raſam.* At hic locus nihil iuuat Clericalem Tonſuram impugnantes, nec enim ſunt pſeudo-numinum cultores, at veri Dei adoratores ac miniſtri, nec tunicas ferunt ſciſſas, maiórque pars eorum barbam non radit, & ſi qui radunt, alia de cauſa faciunt quàm ij ethnici ſacrificuli, vt infrà oſtendetur. Sed fortè inſtabunt aduerſarij, tametſi hodierni Sacerdotes, Deorum quos Ethnici colebant, non ſint cultores, attamen in hoc ſe culpabiles & irridendos præbent, quòd impios illos ſacrificulos in capitis raſura imitantur. At inſtantia iſta nullius eſt momenti; Neque enim Tonſura idem eſt ac raſura, neque Clerici ex ſacrificulorum Iſidis, quos ſugillat Hieremias imitatione attōdunt vel radunt verticem, at ex Traditione Apoſtolica & Eccleſiaſtica lege; in memoriam ſpineæ coronæ Domini eiúſque regni ſignificationem. Addi poteſt, quod Hieremias non reprehendit abſolutè Sacerdotes Babylonicos, quòd tunicas ſcinderent, aut raderent capita, ſed hoc quod ſuperſtitiosè facerent in honorem fictitiorum ſuorum numinum, vt conſtat ex loci inſpectione. Aliàs etiam Paulum inſimularet, qui cum Barnaba tunicam aliquādo iuſto dolore diſcidit, & barbā raſit myſtico ritu, cum delectis à ſe ſociis, Act. 21.

V. Locus ſuperioribus haud abſimilis eſt apud Ezechielem c. 44. Vbi Deus leges præſcribens Sacerdotibus ſuis diſertè ait, *Caput autem ſuum non radent.* Sed ſi addantur verba quæ ſequuntur immediatè, ex eis plana & peruia reſultabit reſponſio: mox enim ſequitur, *neque comam nutrient, ſed tondentes attondent * capita ſua.* Ex quo liquet comæ Tonſuram ſactis viris à Deo non prohiberi, ſed præcipi; porro vetari duntaxat eam raſuram, quam vſurpabant ethnici Sacerdotes, qui pilos radebant, vel in luctu, vel eô fine, vt idolis offerrent.

* *Attondebunt* legit S. Hieron. eo loco, & rectè.

Nihil igitur habent Errones noſtri ex ſacris ſcripturis, quô Tonſuræ Clericalis ritum conuellant, fruſtráque ſudauit Hortenſius Landus, qui in eorum gratiam prætaxatas auctoritates contra hunc ſacrum morem produxit, libro quem inſcripſit de barbarum perſecutione.

II. ARGVMENTVM.

Elicitum ex vmbratili defectu internæ proprietatis genuinæ Traditionis Apoſtolicæ.

TRADITIO Apoſtolica debet ab initio fluere: (axioma Epiphanij eſt lib. ad Serapionem de Spiritu ſancto) Atqui ea quæ fertur de Tonſura Clericali minimè oſtendi poteſt ab initio fluere, ſcilicet ipſomet fonte Apoſtolico; igitur nequaquam Apoſtolica cenſenda eſt. Quòd autem non fluxerit ab initio ſeu Apoſtolica ſcaturigine, inde probari poſſe videtur, quòd ortum duxerit ab Anniceti Papæ (ſi modò eius rata ſit Epiſtola ad Galliæ Epiſcopos) inſtitutione, ſic enim notatum reperitur in Chronico excerpro ex diuerſis Chronicis ſummorum Pontificium, & Imperatorum ab initio mundi vſque ad annum Domini 1474. quod aliàs Chronica compendioſa vocitatur, éſtque Tom. 1. illuſtrium ſcriptorum Germanicorum inſerta; in hac ſiquidem ſub ann. Domini 149. de Anniceto ſic ſignatum habes: *Annicetus Papa à Petro X. ordinatus ſedit annis 11. menſibus 6. Hic conſtituit vt Clerici habeant coronas in modum ſphærulæ, & quòd comam non nutriant.* Paſſus eſt ſub M. Antonino. Adſtipulatur huic teſtimonio Marianus Scotus in Chronico lib. 2. ætate 6. quin Damaſus, ſeu Anaſtaſius, vel quiſquis ſit auctor libri Pontificalis, in ipſo Anniceto.

RESPONSIO.

AT reſponſio eſt in promptu. Negamus planè inſtitutam fuiſſe primùm ab Anniceto Tonſuram Clericalem, at ab eo eiuſdem obſeruatiónem duntaxat commendatam confitemur, ipſiúſque verba ſanctionis, quæ in Ius Eccleſiaſticum relata eſt can. *Prohibete.* diſt. 23. planè inſinuant. *Prohibete fratres*, inquit, *per vniuerſas regionum veſtrarum Eccleſias, vt Clerici iuxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Vbi morem reſcidendi comam non inſtituit, ſed ab Apoſtolo innuit promanâſſe. Nec obſtat quòd verba Apoſtoli ad Corinthios *, *Vir ſi comam nutrit, ignominia eſt ei:* ad quæ reſpexiſſe videtur * 1. Cor. c. 11. 14.
hac in ſanctione Annicetus, ad ſolos Clericos non ſpectent, ſed generaliter omnes fideles complectantur: Nam ſi modeſtiæ causâ id omnibus Chriſtianis præcepit Apoſtolus, à Clericis potiſſimum ſatis liquet hoc ipſum obſeruandum fuiſſe, ſic enim ratiocinatum fuiſſe patet Annicetum ex ipſius verbis, quæ in epiſtola extant, vnde Canon ille *Prohibete*, deſumptus eſt. *Clerici*, inquit, *qui Laïcis & ſimplicibus, virtutis, honeſtatis, pudicitiæ & grauitatis exemplar eſſe debent, ac ſe ipſos tanquam ſignum purioris vitæ rudioribus ad imitationem prudenter adhibere.* Et infrà; *Sicut diſcreti debent eſſe in conuerſatione, ita & in Tonſura & omni habitu diſcreti debent apparere.* Cui documento ex Apoſtolico axiomate delibato conſonat can. *Duo ſunt Chriſtianorum genera;* ex verbis expreſſis S. Hieronymi 12. q. 1. c. 7. Igitur Annicetus præceptum Apoſtoli promulgauit, & Cleri-

cis ſpecialiter applicauit, vt iis quibus potiſſimùm competebat; Non autem morem illum inſtituit; Quapropter citati Auctores cautè & circumſpectè monita eius referendo, dicunt quidem illum conſtituiſſe, non autem inſtituiſſe illam Tonſuræ diſciplinam. Liber Pontificalis n. XII. *Hic conſtituit vt Clerus comam non nutriret ſecundùm præceptum Apoſtoli.* Idem totidem verbis Marianus Scotus loco citato. Vnus eſt Platina, qui poſuit verbum *inſtituit*, pro *conſtituit*. *Inſtituit* (ait) *ne Clericus comam nutriret vllo modo, ſecundùm Apoſtoli præceptum.* At ex ipſa verborum ſerie ſatis liquet, hoc verbum *inſtituit* poſitum pro *conſtituit*, aliàs pugnantia periodus iſta includeret: Si enim hoc inſtituit Anicetus iuxta præceptum Apoſtoli, non ipſe, ſed Apoſtolus primus auctor huius ritus fuerat. Addi poteſt quòd amanuenſis vitiô *inſtituit* pro *conſtituit*, fortaſsè irrepſerit apud Platinam, qui cùm exſcripſerit manifeſtè verba Pontificalis, & Marianum Scotum ſecutus ſit, veriſimiliter ſcripſiſſe videtur *conſtituit*, non *inſtituit*. Quòd ſi tamen mordicùs nouatores verbo *inſtituit*, quod eſt apud Platinam, tanquam ab ipſo expreſſum fuerit, inhæreant, parui erit momenti illorum argumentatio tam fragili ab auctoritate ducta; Non eſt enim Platina auctor vetus, neque irrefragabilis, vt ab eius ore oraculum peti poſſit. Dixerit, ſenſerit, ſcripſerit Tonſuræ Clericalis inſtitutionem, etiamſi vis primariam, ab Aniceto profectam: Errauit apertiſſimè, nam ſuprà ex Gregorio Turonenſi probatum eſt Tonſuram eiuſmodi fuiſſe inſtitutam à S. Petro Apoſtolo. *Petrus Apoſtolus*, ſcribit ipſe Gregorius lib. 1. de gl. Martyr. c. 28. *ad humilitatem docendam, caput deſuper tondi inſtituit.* Amalarius Fortunatus lib. 4. c. 39. de Eccleſ. off. fretus expreſsâ Bedæ auctoritate idipſum indubitanter affirmat; quod etiam aſſerit Petrus Bleſenſis cap. 1. explanat. in Iob lib. 1. Vbi etiam S. Paulo ritus huius traditionem adſcribit: Diſertè etiam ſcribit S. Iſidorus hunc vſum ab Apoſtolis fuiſſe introductum lib. 2. de Eccleſ. off. c. 14. At nemo eſt ex ſignatis teſtibus, quo cum Platina conferri poſſit, ſiue antiquitatem ſpectes, ſiue doctrinam, ſiue virtutem: Vnius B. Iſidori auctoritas, vel S. Gregorij Turonenſis infinito interuallo, dictis Platinæ antecellit, quem pleriſque titulis ſuperant, vel vnicus Beda, aut ſolus Fortunatus, vel etiam Petrus Bleſenſis.

III. ARGVMENTVM.

Tractum ex can. 7. q. 1. c. 12.

CITATO canone, *Duo ſunt*, diſertè legimus, hanc coronam, quam Clerici in vertice ferunt, eoſdem *habere ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ*, 12. q. 1. c. 7. Falſum igitur quòd ab Apoſtolis Petro & Paulo, vel horum altetutro prodierit primùm ille ritus.

SOLVTIO.

RESPONDEO negando conſequentiam; Quod enim à Petro & Paulo Apoſtolorum Principibus & Romanæ Eccleſiæ fundatoribus traditum

fuit, rectè dici poteſt à Romana Eccleſia fuiſſe profectum; Sic S. Cyprianus lib. 1. ep. 3. ad Cornel. & lib. 2. ep. 10. ad eundem ſcribit, ab Eccleſia Romana *ortam eſſe Sacerdotalem vnitatem*, vtpote *ab Eccleſia principali*, prout expreſsè vocat, *& Petri Cathedra*, quæ centrum eſt & matrix Catholicæ vnitatis, illic à S. Petro fundatæ & conſecratæ, qui Apoſtolorum vertex, ouiúmque omnium cuſtos, & dominici gregis generalis paſtor ab ipſo Chriſto conſtitutus fuerat. Sic Carolus Magnus Romanam Eccleſiam eleganter appellat in Capitulari Aquiſgranenſi c. 80. *Matrem Sacerdotalis dignitatis:* ſcilicet vt præmonet ex S. Petri iure & honore qui in ipſam redundat; *In memoriam* (inquit) *B. Petri honoremus ſanctam Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* At ſpecialis cauſa eſt cur etiam traditio Tonſuræ Clericalis, Romanæ Eccleſiæ feratur accepta, quia nimirum (ait Amalarius lib. 2. c. 6.) etſi deriuatus primùm fuerit à S. Petro iſte ritus, tamen deinde Eccleſiæ ipſius curâ, & vniuerſali deinde cæterarum conſenſione roboratus fuit.

IV. ARGVMENTVM.

Ex alio prætenſo defectu proprij characteris veræ traditionis Apoſtolicæ: quæ ſcilicet eſſe debeat ſemper eadem, & ſuo principio conformis.

VERA traditio ſeu Apoſtolica, ſeu Eccleſiaſtica eadem eſſe debet ac conformis. (ſic Patres paſſim docent de veræ traditionis notâ.) Porrò traditio de Tonſura Clericali non eſt eadem nec conformis, ergo non eſt vera, ſed ſpuria traditio. Quòd verò ſit varia & non conformis, hinc palam eſt; quòd aliter in Oriente ſe habeat, aliter in Occidente; Nam Græci verticem quidem attondent, porrò infrà prolixos ferunt capillos, ſnque humeros ipſos defluentes. Reſecant verò Latini in circuitu capitis, prætérque nudatum pilis verticem, etiam circa aures & frontem inferiorémque capitis circulum comam deciſam gerunt. Inſuper promittunt barbam Græci, Latini radunt. Aliter porrò Clerici, aliter Monachi perferunt Tonſuram & coronam, ſiquidem Clerici exiguam, Monachi diffuſam paſſim habent, minimô circulô inferiùs pilorum exiliûm relictô. Tondentur Clerici tantùm, Monachi raduntur; nec nupera eſt ritus huius varietas in Eccleſia Occidentali, cùm in vnica Anglia eſſet iampridem diuerſa figura Tonſuræ, quemadmodum luculenter teſtatur Beda lib. 5. c. 22. hiſtoriæ Gentis Anglorum.

RESPONSIO.

ISTA obſeruationis diuerſitas nõ excludit traditionis veritatem. Sanè de Paſchalis modô celebrationis, pridem diutina fuit cõtentio inter Orientales & Occidentales, at de Paſchæ feſto celebrando nulla vnquam fuit cõtrouerſia: Tam Græci nimirum quàm Latini Paſcha celebrabant, & ce-

lebrandum ex traditione Apoſtolica vbique quoad rem inconcuſſa fatebantur, etſi in modo diſcreparent nonnihil. Sic ieiunium quadrageſimale traditionem Apoſtolicam eſſe Patres vnanimiter docent. Tamen nonnulla de modô celebrandæ quadrageſimæ varietas interceſſit, cùm omnes quidem quadrageſimam obſeruarent, at aliter hi, aliter illi computarent quadrageſimalis dies ieiunij. Legendus Bellarminus lib. 2. de bonis operibus in particulari c. 15. quo ex inſtituto tractat de quadrageſimæ varietate. Ita planè Tonſuræ Clericalis Apoſtolica traditio aliter atque aliter apud Græcos & Latinos vſu inualuit. Seruandam omnes vnanimiter conuenerunt, atque quoad verticis tonſionem mos conformis vbique fuit, ſed Græci infra coronam capillos promittebant, Latini comam decidebant, adeovt capilli crines ſuper aures defluere non ſinerent: Barbam Græci prolixam, Latini vtplurimùm detonſam ferebant. Apud Græcos vix raſura recepta, quæ apud Latinos, præſertim apud Monachos iam olim vſurpata fuit. De huiuſmodi diuerſitate infrà acturi ſumus, iuuante Deo, vbi de Tonſuræ & coronæ forma ac figura, barbæque prolixitate, tonſione vel raſura erit proprio loco diſſerendum. At quicquid ſit interim, ſemper conſtat Traditionem Tonſuræ ab Apoſtolorum æuo ad hæc vſque tempora conſtanti vſu, toto orbe tam à Clericis, quàm Monachis fuiſſe obſeruatam, licèt in Tonſuræ modô & figura aliqua interceſſerit varietas, quæ minimè ſpectat ad rei ipſius ſubſtantiam.

V. ARGVMENTVM.

Ex leuitate materiæ. In quâ traditionem Apoſtolicam conſtituere non deceat.

SVMITVR quinta obiectio à leuitate materiæ; ſi enim de rebus minimis atque leuiſſimis traditio Apoſtolica prætenditur, ingens pondus auctoritatis ipſis detrahetur veris traditionibus Apoſtolicis. Vulgare illud Iuriſperitorum ſcitum eſt: *De minimis non curat Prætor.* Multò minùs exiſtimandum eſt Apoſtolos de minimis rebus traditiones ſemper & vbique obſeruandas promulgâſſe. Cùm & ipſe Apoſtolus Paulus formam Catechiſmi præſcribere ſuæ ſollicitudinis eſſe non cenſuerit. * Quapropter vbi ſermo erat de fide, eiuſmodi inſtitutionem lubens volens prætermiſerit: *Quapropter* (ait Hebræor. 6. ℣. 1. & 2.) *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, non rurſum iacientes fundamentum ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum ac reſurrectionis mortuorum & iudicij æterni.* Vnde hoc ducitur argumentum: Apoſtoli de rebus minùs neceſſariis documenta præſcribere noluerunt, id eſt nihil ſcripto, vel verbo de rebus eiuſmodi tradiderunt; non eſt igitur veriſimile eoſdem quicquam tradidiſſe de Tonſura, quæ res exigui momenti eſt, vtpote neque ſpectans ad fidem, neque neceſſaria ad ſalutem.

* Falſum eſt quòd Apoſtolus non curauerit de catechiſmo: Ex ipſo enim loco manifeſtè apparet quòd catechesim chriſtianã Hebræis ipſis antè tradiderit, quapropter ſignatim ait, *non rurſum iacientes fundamentum*, quod iam ſcilicet poſuerat. Vberiúſque ibidem pollicetur ſe catechiſmum traditurum; *Et hoc*, inquit, *faciemus, ſi Deus permiſerit.* Catechiſticæ ſunt eius epiſtolæ: in quarum certis capitibus etiam ſummam chriſtianæ fidei per certos articulos aſſignat & exponit.

Responsio.

Negatur Tonſuræ Clericalis diſciplinam, rem eſſe adiaphoram, minimè neceſſariam, & nullius vel parui eſſe momenti. Fatemur non eſſe dogma fidei omnibus neceſſarium ad ſalutem: ſed ritum tamen eſſe omninò neceſſarium ad diſtinctionem Cleri & populi, ſine qua differentia ſpectabili, eſſet quod dolebat Propheta, *ſic populus, ſic Sacerdos*, proinde nullus ordo in Eccleſia foret, in qua tamen omnia fieri cum ordine Apoſtolus exigit & præcipit. 1. Cor. 14. ℣. 40. Errant grauiter profectò, qui Apoſtolos ſcripto vel verbo dogmata fidei duntaxat tradidiſſe arbitrantur. Patet ex eorum ſcriptis non ſolùm ſollicitos fuiſſe de doctrina, at etiam de diſciplina & moribus Eccleſiæ: Pulchrè ideò, veteque S. Baſilius lib. de Spir. ſancto c. 27. * aduertit atque monet quædam ſcripto, quædam verbo Apoſtolos tradidiſſe: Vtroque autem modô non dogmata tantùm fidei, ſed ſanctiones morum & ſacros quoſdam ritus continuâſſe ad poſteros: Eiuſmodi autem eſſe ritum Tonſuræ Clericalis patet ex præfixa inductione: quæ quòd non ſit traditio adiaphora vel libera, inde fit exploratum, quòd non per modum conſilij, ſed præcepti, & non quidem temporalis, ſed perpetui, fuerit conſignata. Adeò diſtricto iure obſeruationis, vt excommunicatione, ac etiam (quod ſummum animaduerſionis Eccleſiaſticæ genus eſt) anathemare ſacri canones immorigeros Clericos ſtatuant percellendos, quin etiam apoſtaſiæ notâ eos inurant, qui hoc externum ſignaculum Eccleſiaſticæ profeſſionis geſtare palam aſpernantur, tanquam eiuratores ſui ordinis & ſacræ militiæ deſertores. Grauis igitur eſt res momenti, & proinde non indigna Apoſtolorum ſollicitudine & auctoritate; ſi enim Apoſtolus quò hominum ſæcularium luxui reſtringendo proſpectum iret, dedecus eſſe, perenni ac indelebili ſcripto declarauit ſi vir comam geſſerit profuſam 1. Cor. 11. 14. quomodo indignum ſuâ curâ exiſtimâſſe putandus eſt, ſaltem verbo modum ſacris Eccleſiæ miniſtris circa eandem rem præſcribere, etiámque ab iis non exegiſſe rigidiorem diſciplinam, quos cæterorum fidelium exemplaria eſſe volebat *in verbo & conuerſatione*, 1. Timoth. 4. proinde in actu, in habitu, in omnique externo apparatu: In quo etiam docebat internæ puritatis lumina debere elucere. tit. 2. 7. Pulchrè priſcus ſapiens *, *Longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla; plus enim ex moribus, quàm ex verbis trahimus.* Ita ſe geſſit Paulus Apoſtolus, vt Clericalis modeſtiæ in tonſura, non modò documentum, ſed exemplum iterum atque iterum propriis actibus præberet: Act. 18. & 21. Petrus quoque omnium coryphæus, qui etiam exemplo Clericis præluxit, & vt mos iſte eſſet in Eccleſia perpetuus (quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt) inſtituit. Nec mirum ſi de Clericali Tonſura ſanxerit diſciplinam, qui de mulierum conpeſcendo in crinibus artificio quocumque obſeruanda in perpetuum monimenta dedit 1. ep. 3. 3. has quidem docuit verbo, at Clericos exemplo; quòs tenerioribus affectibus adhortatur, inſignioribúſque titulis compellat, *vt ex animo fieri* ſtudeant *for-*

* Idem theorema prodidit ante S. Baſilium Orig. lib. 1. côt. Celſum, & Euſeb. Cæſ. lib. 1. demonſt Euangel. cap. 6.

* Senec. ep. 6.

ma gregis 1. ep. 5. 1. 2. 3. Nec eſt quod regerant aduerſarij: conſtat quidem ex ſcriptis Petri, illum commonuiſſe fœminas fideles de modeſtia ſeruanda in capillorum cultu. At nihil in eius epiſtolis proditum eſt de Clericali Tonſura, cuius auctor nihilominùs ſupponitur. Iam enim ex hoc ipſi aduerſarij tacitè concedunt diſciplinam compeſcendæ comæ in Clero, ſtatuendíque ſignaculi quô à plebe ordo diſcerneretur, non fuiſſe indignam cura Apoſtoli, vt de hac traditionem ſtatueret. Proindéque à leuitate materiæ ductum ſuprà argumentum, aduerſus hanc traditionem patet funditùs corruere. Cæterùm non eſſe neceſſum, vt quicquid Apoſtoli tradiderunt ſcriptis eorumdem ſit inſertum. Tradiderunt enim quæ docuerunt, non tantùm ſcripto, ſed & ſermone, quemadmodum Paulus expreſsè ſcribit ad Theſſalonicenſes, vbi pari gradu ſeruanda monet quæ tradidit, *ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam:* Vnde veteres illi Apoſtolorum diſcipuli, non ſolùm attentè eorum ſcripta perlegebant, vt ex eorum ſerie depromerent ſalutis theoremata, at ſedulò inſuper obſeruabant quicquid docuiſſent viuæ vocis oraculo, hæcque tam præſentibus eroganda, quàm commendanda poſteris, memoriæ infigebant. Sic Irenæus lib. 3. contra hæreſes c. 3. ſignatim aſſerit Polycarpum ſuum didaſcalum, Apoſtolorum verò auditorem, docuiſſe ſemper quæ ab Apoſtolis ipſis didicerat, eadémque Eccleſiæ tradidiſſe, cuius viri Apoſtolici Polycarpi è diſciplina prodiens, dux fidei in Galliam Benignus preſbyter Apoſtolus Burgundiæ, detonſum verticem in ſignum Chriſtiani Sacerdotij ferebat, vt acta eius obſeruant. Ita & Papias Ioannis auditor apud S. Hieronymum, Libello de ſcriptoribus Eccleſiaſticis n. 29. propriæ praxis inducitur zelator & teſtis, in commentariis quos explanationes ſermonum Domini inſcripſit, vbi ipſa in præfatione affirmat ſe non varias opiniones ſequi, ſed Apoſtolos dictorum ſuorum auctores habere: *Conſiderabam*, inquit, *quid Andreas, quid Petrus dixiſſent, quid Philippus, quid Thomas, non enim mihi tantùm libri ad legendum proſunt, quantum viua vox, vſque hodie in ſuis auctoribus perſonans.* Sed enim non ex dictis Apoſtolorum eorum diſcipuli, tantummodò traditiones delibarunt, quas Eccleſiæ poſtmodùm refuderunt, ſed etiam ex eorum factis, quorum teſtes cùm eſſent, exempla ad ſequendum fidelibus aſtruxere, ſicque quaſi per canalem continuum, Apoſtolicæ ad patres ſunt traditiones deriuatæ, quas deinde acceptas ab Apoſtolis aſſeruerunt, ſuíſque hoc titulo conſignarunt monimentis, ac decretis etiam Synodalibus, obſeruandas, conſtanti iam auctoritate confirmârunt. Eſſe verò eiuſmodi traditionem de quâ diſſerimus, ex eius genuinis characteribus & lineamentis ſuprà expreſſis protſus eſt manifeſtum. His igitur rationibus, ſatis validè refringitur ſegregum argumentatio, deducta à leuitate materiæ, ob quam non veriſimile eſſe perſuadere volunt, Apoſtolos fuiſſe auctores traditionis de Tonſura, cùm hæc aiunt non ſpectent ad fidem neque ad ſalutem; tametſi enim non tradita ſit per modum dogmatis, ſed ritus, vt ſignum crucis, & pleraque alia religioſa inſtituta ſuprà à Tertulliano recenſita, tamen, quia per viam præcepti Clericis tradita eſt, qui eam lubens tranſgrederetur grauiter peccaret, non quia læderet fidem,

ſed

ſed quia violaret obedientiam, quâ quiſque Chriſtianus, & Clericus maximè, parere obſtringitur traditionibus Apoſtolicis, quandoquidem vt ait vas electionis Paulus, qui ſpernit ab Apoſtolis ſancita vel tradita, *hominem non ſpernit, ſed Deum, qui per Spiritum ſuum ſanctum locutus eſt in eis*, 1. Theſſ. 4. Nec etiam immunis foret ab infidelitatis reatu, qui erroris argueret Eccleſiam ritum hunc ab initio acceptum obſeruandum, auctoritate grauiſſima proponentem & defendentem. Enimuerò, vt ait S. Auguſtinus, non ſolùm inſolentiſſimæ eſt inſaniæ id oppugnare quod vniuerſæ iam Eccleſiæ complacuit, ſed ex Domini Euangelico oraculo, qui Eccleſiam non audit, cenſendus eſt vt ethnicus & publicanus; *Credendum eſt enim* (ait ipſe S. Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſ. c. 19.) *teſtimonio Eccleſiæ, quam veracem eſſe Chriſtus teſtatus eſt.* Vnde vox illa præclara S. Chryſoſtomi*, *Traditionem Eccleſiæ fide dignam putamus. Traditio eſt, nihil quæras ampliùs.* hom. 4. in 2. Theſſ. 2.

* ὥστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιόπιστον ἡγώμεθα. παράδοσίς ἐστι, μηδὲν πλέον ζήτει.

VI. ARGVMENTVM.

Ex imbecillitate teſtimoniorum, quæ deſumpta ſunt ex Sanctorum vitis & paſſionibus.

TRADITIO, vt iure credatur, & rectè recipiatur certa eſſe debet: Vtque ſit certa debet certo principio & ſolido fundamento niti; ſed illa quæ fertur de Tonſura Clericali fluxa & incerta eſt, vt pote omni deſtituta ſolido fundamento: igitur neque fide digna, neque admittenda eſt, ſed potiùs, vt ſpuria & commentitia eſt explodenda. Quòd verò omni certo principio careat, inde patet, quòd præfixa inductio, ex quâ videtur eius probatio elici, compacta ſit ex Sanctorum vitis, apocryphiſque hiſtoriis, à nugiuendis propolis, & fabularum conſarcinatoribus, haud ſine magno veræ religionis ludibrio conſcriptis & compilatis: quemadmodum de vitis SS. in genere Melchior Canus Pontificius Theologus candidè fatetur lib. 11. Locorum Theologicorum c. 6. pag. 650. *Dolenter hoc dico*, inquit, *potiùs quàm contumelioſè, multò à Laërtio ſeueriùs vitas Philoſophorum ſcriptas, quàm à Chriſtianis vitas Sanctorum*, &c.

RESPONSIO TRIPLEX.

I. ECCLESIÆ auctoritas eſt certum principium & ſolidum fundamentum traditionis cùm Apoſtolicæ; tum Eccleſiaſticæ: Eccleſiæ verò auctoritas elicitur ex vnanimi eiuſdem vſu & conſenſu, vnde ſanctus Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 7. *Quæ cuſtodiuntur*, inquit, *per vniuerſam Eccleſiam, neque in litteris Apoſtolorum, neque in Conciliis poſteriorum inſtituuntur, nonniſi ab Apoſtolis tradita & commendata creduntur*, & lib. 4. c. 24. *Quod vniuerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur:* Et lib. de vnitate Eccleſ. cap. 19. *Credendum eſt enim teſtimonio Eccleſiæ*, quæ vt docet Apoſtolus, *columna eſt, & fundamentum*

veritatis, 1. Timoth. 3. ſed verò teſtimonium & conſenſus Eccleſiæ patet ex præmiſſa inductione, in qua demonſtratum eſt ritum hunc ſemper & vbique, ac ab omnibus cuiuſuis gentis Clericis cuſtoditum, quemadmodum etiam præceptum & traditum, conſtantíque diſciplinâ commendatum.

DIGRESSIVNCVLA

De Hiſtoriæ Sanctorum auctoritate: Et actorum eorumdem, legitimo delectu.

II. ACTA Sanctorum etiam, quæ ſuſcipiantur cum hônore digna ſunt, nam eorum fidem reſtantur, & religioni adſtipulantur, pro qua, & in qua mortui ſunt. Vnde Synodus 70. Epiſcoporum Romæ habita ſub Gelaſio diſertè *recipit geſta Sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant. Item vitas Patrum*, &c. Piè ac præclarè ſanctus Bernardus obſeruat atque monet ſtudium fuiſſe ſemper in Eccleſia, geſtas res Sanctorum litteris committendi, quibus fideles ſanctam ad imitationem fidei ac iuſtitiæ ipſorum Beatorum excitarentur: *Semper equidem operæpretium fuit* (ait in præfatione ſuper vitam S. Malachiæ) *illuſtres Sanctorum deſcribere vitas, vt ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam poſt mortem viuunt, multóſque ex eis qui viuentes mortui ſunt ad veram prouocant & reuocant vitam.* Diúque anteà, idipſum aduerterat atque commonuerat Caſſiodorus, dum in inſtitutione diuinarum lectionum c. 32. ait, *Paſſiones Martyrum legite conſtanter*, &c. *qui totum per terrarum orbem floruêre, vt ſancta imitatio vos prouocans, ad cœleſtia regna perducat.* Perirent inſignia hæc commoda Eccleſiæ, & ſalutaria fidelium ſubſidia, ſi acta Sanctorum obliterarentur. Id verò apprimè callens antiquus ſalutis hominum hoſtis, iam olim in mentem Ethnicorum induxit, ſedulô ſtudiô & operâ, Sanctorum acta abolere. qua de re queritur admodum dolenter Prudentius hymno 1. de Coronis, verſûs medium, hac ſerie:

O vetuſtatis ſilentis
Obſoleta obliuio!
Inuidentur iſta nobis,
Fama & ipſa extinguitur:
Chartulas blaſphemus olim
Nam ſatelles abſtulit.
Ne tenacibus libellis
Erudita ſæcula,
Ordinem, tempus, modúmque
Paſſionis proditum,
Dulcibus linguis per aures
Poſterorum ſpargerent.

Quod flammis per Ethnicos facere iamdudum molitus eſt, hodie etiam per ſectarios conatur, quia acta vitáſque Sanctorum calumniis aſpergunt, atque traducere omnibus modis contendunt in deriſum & contemptum. Et verò vt ſpeciem quam huic conatui obducunt, non genuinam, at fucatam eſſe in promptu deſpicere ſit, diſſimulare nolim nonnulla Sanctorum geſta, minùs purè & accuratè deſcripta fuiſſe à quibuſdam quàm optandum fuiſſet. Noua non eſt hæc querela, nam Gelaſius Papa in Synodo 70. Epiſcoporum, *decreto de libris* ſuprà citato, notanter ait, aliqua Martyrum acta ab anonymis eſſe ſcripta auctoribus, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflüa, conficta etiam vel corrupta quædam, ab heterodoxis, aut minùs apta, quàm rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putari; eſſe etiam quaſdam aliquorum Sanctorum paſſiones, quæ ab hæreticis perhibebantur conſcriptæ, *hácque propterea in Eccleſia Romana non legi.* Porrò de ſtylo, & minùs elaboratâ dictorum ſerie, mendíſque etiam & næuis per incuriam admiſſis in hiſtoriæ contextum, grauiter ante annos 800. expoſtulauit Paſchaſius ſanctæ memoriæ Abbas Corbeienſis, præfatione in paſſionem Sanctorum Rufini & Valerici. *Religioſius ſanè vt credimus*, inquit, *obſequium ac ſanctis Martyribus dignum, vt quorum doctrinâ vitæ nobis iter oſtenſum eſt, quorum exemplis ad virtutum ſtudia imbuti ſumus, quorum precibus ſaluamur ac præſidio protegimur, eorum quoque victorias ad noſtræ fragilitatis inſtitutionem monimentis inſeramus, nec perire per negligentiam patiamur: vtilem nimis atque ſalutarem cunctis legentibus prouentum. Si enim veſtis exigua particula vel modicus reſoluti corpuſculi puluis, de Sanctorum memoriis comparatus, ineffabile fidelibus præbere patrocinium creditur, quis dignè vel explicare vel cogitare valeat eorum vitas virtutéſque, quantam ſalutis miſericordiam conferant deuotis mentibus cùm replicantur? Inde namque fides firmatur, pietas nutritur, mundi contemptus naſcitur, deſiderium ſupernorum generatur, &c. ad reſurrectionem denique ex mortuis, ad immortalitatis bonum perpetuæ hiſtoria ſanctorum incendium eſt ſanctitatis.* Et infrà; *Cùm hæc ita ſe habeant, nonne videtur indignum dum eorum oſſa thecis aureis veſtiantur, & pretioſo lapide adornentur, ſi ſordidè & negligenter ab eis geſta habeantur? quod fit quando vel ad memoriam poſteritatis non ſtatuuntur, vel violata ad dignitatis habitum non reformantur. Non quòd virtutum inſignia & geſta ſanctorum ſtupenda fucos verborum atque ornamenta requirant orationis; ſed quòd ſimplex eorum atque naturalis probatio, diſtincta tamen & honeſta debet ſpecie enitere, ne ſermo confuſus & horridus non inſtruat, ſed offendat auditorem. Porro quemadmodum vita ſanctorum diligenter atque aptè deſcripta, laudes eorum dilatat, ita quoque negligentiùs habita gloriam eorum diminuit, Eccleſiæ famam obnubilat, Chriſti victoriam abſcindit.* Hæc verè, grauiter, ac modeſtè Paſchaſius. Ex cuius dictis ſic attemperatis, vt nullum ſpecialiter notet vitæ Sanctorum collectorem, ſed ſolùm ſimplici querela expoſtulet de neglecto in quibuſdam actis Sanctorum memoriæ conſignatis accurationis ſtudio, verborum nitore, ordinis congruâ ſerie, colligere quidem licet quædam minùs aptè, ac diligenter quàm decuiſſet fuiſſe litteris mandata, ſed non omnia, vnde aliquod ſequi fatetur gloriæ ipſorum Sanctorum detrimentum, quin

famæ Eccleſiæ & Chriſti victoriæ hinc offundi aliquatenùs claritatem. At neutiquam ex quorumdam corruptelis elici poſſe concedit quod nouatores maximè volunt, omnium hiſtoriarum de Sanctorum geſtis futilitatem, nullitatem, contemptum, exploſionem. Duriùs ſanè & minùs conſideratè quàm par fuiſſet locutus eſt Melchior Canus dum loco ſuperiùs ſignato Sanctorum hiſtorias generaliter, & ſine delectu inconditæ conſcriptionis ac narrationis parum ſyncerè notauit; omnéſque paſſim earum auctores inertiæ, incuriæ, leuitatis, oſcitantiæ, incultique ſtyli ac horridioris eloquij ſugillauit: Et quod peius eſt, Laërtium multò ſeueriùs vitas Philoſophorum ſcripſiſſe, quàm à Chriſtianis auctoribus res geſtæ Sanctorum litteris proditæ ſunt, non eſt veritus aſſerere. Extant ſiquidem hodiéque Sanctorum pleræque hiſtoriæ à viris grauiſſimis, ſolertiſſimis ac diſertiſſimis conſcriptæ, quibuſcum ſi ſcriptas à Laërtio Philoſophorum vitas, vel à Plutarcho virorum ethnicorum illuſtrium conferas, ſiue nitorem ſermonis ſpectes, ſiue narrationis venuſtatem, hiſtoriæque accuratum ſtudium, tanto interuallo Laërtius & Plutarchus, cæteríque eiuſmodi à Chriſtianis ſcriptoribus ſuperantur, quantùm Sancti Philoſophis antecellunt, inter quos nulla comparatio eſſe poteſt. Abſit inuidia dicto: Pauli vna Eremitæ vita à ſancto Hieronymo deſcripta quicquid Laërtius ſcripſit vnquam de Philoſophorum geſtis tantùm exuperat, quantùm ab auro vincitur plumbum, & achatem vel lapillum opacum quemuis adamas, vel ſmaragdus pulchritudine ac pretio tranſcendit. Sed non tanto cum rigore de Cano reor ſentiendum, quanto ipſe de ſe maioribus cenſuit. Sunt qui doleant (nil dico de ſancto Antonino, cui & Vincentio omnem abdicat in re hiſtorica auctoritatem lib. 11. de locis capite penultimo) S. Gregorium Magnum & Venerabilem Bedam, non modò ſanctiſſimos, ſed & prudentiſſimos hiſtoriarum piarum ſcriptores, tam acri perſtrictos fuiſſe cenſura, vt in iis deſiderent ſeueritatem iudicij, & curam maiorem in delectu. Alij ſunt enim, qui hæc & alia in eo deſiderent. Benignè ſanè explicandus eſt, in eo quòd ſcriptores hiſtoriæ Sanctorum vni Laërtio Philoſophorum hiſtorico, non modicâ intercapedine poſtponit. Nempe par eſt credere illum ægrè tuliſſe quidem nonnullas farragines de vitis Sanctorum incultas, inconditas, ineptas à quibuſdam minùs ſolertis ingenij, & fortaſſe inſulſis auctoribus contextas fuiſſe, quæ potiùs religioni ſunt indecoro quàm ornamento, id verò de omnibus non cenſuiſſe: Plurimas enim extare non neſciuit iis legibus conſcriptas, quibus ſeria ac ſyncera hiſtoria coërceri debet; Atque fuiſſe Sanctorum nonnullorum res geſtas ab emunctæ naris, memoriæ commendatas ſcriptoribus, & qui doctrinâ, eloquentiâ, grauitate, religione, pietate non magis enituerunt, quàm ſpectati fuerunt veritatis ac integritatis amore, diligentiæque ſtudiô extitere perſpicaces; Proculdubio iſte vir doctus ac ſolers non ignorauit: hos igitur ſua hac cenſura facilè mihi perſuadeo non comprehendiſſe; Proinde ex eius dictis axioma non elici quod Nouatores incutiunt, Omnes hiſtoriæ Sanctorum ſcriptores caruiſſe iudicio, doctrina, grauitate, hi-

Poza lib. 2. Elucidat. Mariani tract. 15. c. 1. p. 708. & t. 12. c. 2. p. 652.

ſtoriæque leges vel ignoràſſe, vel contempſiſſe: Proinde vniuerſa eiuſmodi hiſtoriæ monimenta flocci pendenda, eſſéque indigna omni fide; quod manifeſtè falſum eſt, & rei Chriſtianæ adeò exitioſum, vt ſi ſemel admittatur, pereat oportet omnium ſæculorum fides, ipſáque religio, quæ interna fide & externa eius profeſſione nititur, magna ex parte nutabit, quin ex proſcriptione hiſtoriæ Sanctorum ingens diſpendium patietur. Nihil enim poſt edita à S. Luca Apoſtolorum acta, quæ in quarto Neronis anno deſinunt*, hoc eſt Chriſti 60. eſſet in ſcriptis quo poſſet religionis Chriſtianæ propagatio demonſtrari: Nam ſi fabulæ ſunt & commenta quicquid de Sanctorum, per quos Deus Eccleſiam ſuam fœcundauit, prouexit, rexit, illuſtrauit, memoriæ proditum eſt, vt certa de iis notitia non ſuppetat, ipſa Eccleſia fulcris, luminibúſque quibus conſtat & fulget quaquà ſub ſole patet, penitus deſtituetur; Excidet propheticum illud, *in memoria æterna erit iuſtus*, inanéque fiet illud Apoſtoli ad fideles perenne monimentum; *Mementote Præpoſitorum veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbum Dei; quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem.* Hebr. vltimo. Nec enim poſteri Maiores ſuos intueri valent niſi in actorum ſpeculis, quæ nullibi elucent, niſi vbi res ab eis piè ac præclarè geſtæ per ſcripta memorantur, & legentium oculis obiiciuntur; hinc illud Auguſtini: *Paſſio ſancti huius cùm legeretur, non ſolùm audiuimus ſed etiam oculis ſpectauimus.* Serm. 2. de Sancto Stephano. Non modò ad virtutum exempla ſcilicet imitandum, ſed & fidem quæ operum bonorum eſt baſis & columna: *Ideo paſſiones Sanctorum Martyrum, & aliorum Beatorum geſta* (ait Hadrianus Papa in ſcripto de imaginibus ad Carolum Magnum) *ſacri canones cenſuerunt**, *vt liceat in Eccleſia legi, cùm anniuerſarij dies eorum celebrantur.* Non tamen omnia promiſcuè acta Sanctorum in Eccleſia legi debent: quaſcumque Sanctorum hiſtorias hîc non defendimus, ſed delectum adhibendum eſſe ingenuè confitemur, iuxta Concilij Africani ſanctionem, quâ vetat quicquam in Eccleſia legi, quód non Synodali iudicio fuiſſet, vel aliàs ritè comprobatum; nempe vt habetur can. 12. Concilij Mileuitani ſub Innocentio I. niſi quæ comprobatæ in Synodo fuerint, vel à prudentioribus tractatæ (quorum hac in re ſcripta in Eccleſia legi poſſe, Eraſmus ipſe admittit) ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus ſtudium compoſitum ingeratur. Vide can. *Placuit* diſt. 12. & can. *Siquis* diſt. 92. & cap. *ſiquis Epiſc.* in Concil. 11. q. 3. & Clement. 1. *de celebrat. Miſſarum.* Regulæ autem ſunt quædam ſatis aptæ & conducibiles ad legitimum diſcrimen conſtituendum, inter probatas Sanctorum hiſtorias, & eas quæ reiici debent à communi, & priuato fidelium vſu. Aliæ ſunt porrò negatiuæ, aliæ poſitiuæ. Negatiuæ, quæ quibuſdam rationibus illas excludunt quæ admitti non debent: Poſitiuæ, quæ recipiendas indicant, quæ propriis characteribus ingenuitatis ſunt præditæ. Primum ad genus quod ſpectat, hîc ordine ſuo prodeunt.

* *S. Hieronymus in Catalogo, vbi de Luca Euangeliſta.*

* *Can. 13. Concil. African. Et can. 47. III. Concil. Carth.*

REGVLÆ EXCLVSIVÆ.

Regulæ negatiuæ, ſeu excluſiuæ quinque.

PRima hæc eſto. Gelaſius Papa in Synodo iure reiicit eas omnes Sanctorum hiſtorias, quæ ab infidelibus, ſuppoſititiis vel titulis, vel abſque auctorum nominibus ſunt conſcriptæ. Nec mirum ſi religionis Chriſtianæ odio, vtque eam inducerent in horrorem vel deriſum, Ethnici litteratores Sanctorum Martyrum acta confixerint, quibus impia & impura quæque, pro libitu, & commentitia inſeruerunt, cùm Euſebius teſtis ſit lib. 9. hiſt. c. 2. ſub Maximino Imperatore circa annum 311. Acta quædam Pilati, & Saluatoris noſtri nomine conficta fuiſſe, ingentibus referta blaſphemiis, & præcepto Imperatoris vbique publicata, ac ipſos etiam pueros à Ludimagiſtris doceri iuſſa. Hæc igitur & alia eiuſmodi, ſi quæ inuenirentur, quæ ad Sanctorum memoriæ infamiam ac dedecus inferendum ab impiis conficta eſſent, hoc ipſo nomine reiecta ac damnata intelliguntur.

II. Quæ ab hæreticis ad ſpargendum perfidiæ virus edita ſunt vel corrupta eo ipſo quòd aliquid contra fidem, & ſanam doctrinam continent, vt execrabilia reſpuenda ſunt, perinde ac illa quæ in ipſorum Sanctorum contumeliam & diffamationem, odio Catholicæ fidei ab ipſis hæreticis fuerunt diſſeminata, ex quorum colluuie Geſbertus Voëtius Vltraiectenſis Ludimagiſter, in inuectiua quã non ita diù publicauit contra Sanctos, quos chimæricus ipſe ſcriptor chimæricos nuncupat, non quidem ex hominum numero, ſed ex Sanctorum catalogo proſcribit, quos ſanctos fuiſſe negat, criminatúrque fuiſſe ſibi ſimiles, *Nempe hæreticos aut improbos & perſecutores Eccleſiæ, aut fatuos, aut phantaſticè ſuperſtitioſos*; nefando quidem auſu, at priſcis & nouis hagiomachis vſitatiſſimo, qui non alia de cauſa Sanctorum memoriam deturpare contendunt, quàm vt fidem peſſundent Catholicam, quam Sancti aduerſus omnium hæreſeon perfidiam, ad extremum vſque vitæ ſpiritum prædicârunt ac defenderũt.

III. Vt ſpuriæ & fabuloſæ patenter reiectæ & damnatæ cenſendæ ſunt commentitiæ illæ hiſtoriæ, quas nominatim reprobat Gelaſius in prædicto decreto de apocryphis: Tametſi Apoſtolorum titulis ad fucum ſint faciendum inſignitæ. *Item* (inquit) *Itinerarium S. Petri*, &c. *Actus nomine Andreæ, actus nomine Philippi, actus nomine Thomæ, actus nomine Thadæi.*

IV. Acta illa etiam reiicienda ſunt, quæ de Sanctis ignotis circumferuntur. Hinc ſapienter Poſſeuinus in Kalendarij Ruthenorum recenſione, tom. 3. Apparatus ſacri pag. 173. reſecat è Sanctorum venerandorum claſſe eos, vel qui hactenùs Eccleſiæ Catholicæ incogniti, vel apertè ſchiſmatici extiterunt. *Quammultorum*, inquit, *memoria in eorum anniuerſariis habetur, quorum Eccleſia Catholica ſemper memoriam fecit. At item in eodem Kalendario ſunt multi, quos non agnoſcimus, ſiue quoniam fuere ſchiſmatici, ſiue quòd eorum vita nobis haud innotuit*, legitima ſcilicet notificatione. Iam olim in Concilio Francofordienſi, lex edita eſt aduerſus eorum præſumptionem qui Sanctos nuperos abſque auctoritate colendos inducunt, iiſque geſta quæuis appingunt abſque auctoritate, ſic enim

decernit illa Synodus c. 42. *Vt nulli noui ſancti colantur aut inuocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; ſed ij ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum & vitæ merito electi ſunt.* At nos fuſiùs de his aliàs, ſcilicet in Apologetico Theologico pro pio & orthodoxo Sanctorum cum Chriſto regnantium cultu, titulo de Sanctorum vindicatione, quam Canonizationem vocitant.

QVINTA. Hiſtoriæ Sanctorum etiam probatorum, ex Synodali Gelaſij decreto ſuperiùs citato, repudiantur, quæ ineptè & ridiculè ab anonymis idiotis, vt ait, editæ, ea continent quæ deſultant à vero rerum ordine, ſcaténtque mendaciis, ludicris & ineptis narrationibus. Addit Paſchaſius, & ea acta quæ crudi non modò ſtylo contexta ſunt, at barbaro, petulco & horrido, taliſque qui dum non inſtruit ſed offendit auditorem, gloriam Sanctorum minuit, Eccleſiæ famam obnubilat, & Chriſti offendit victoriam. Hac tamen ex lege non ita ſeuerè agendum, vt vno quaſi falcis plus æquo reſecantis ictu, Acta Sanctorum omnia & omnino abſcindantur, & reiiciantur quæ rudi eloqtio deſcripta, quibuſdam etiam næuis aſperſa ſunt. Nam quod ſpectat ſtylum, bene & prudenter admonet præfatus Paſchaſius, geſta Sanctorum non requirere verborum fucos, ac exquiſita orationis ornamenta. Cicero de claris Oratoribus, Romanorum hiſtoriam nimiis exornationibus mendoſiorem redditã clariſſimè profitetur; meliori ratione Paſchaſius exquiſitiorem cultum, & pompam ſermonis arbitratur noxiam fore Sanctorum geſtis deſcribendis: cùm nonnulli plus delectarentur eloquentiæ floribus, quàm ipſorum Beatorum exemplis afficerentur; ſermonúmque artificio illuſtratas eorum actiones, ſibi perſuaderent, plus quàm ipſa geſtorum veritate. Sufficere igitur ſimplicem narrationis ſeriem, nec opus eſſe phaleratis verbis, at ſatis eſſe ſi naturali, diſtincto, & honeſto loquendi genere, præclaræ eorum actiones exponantur. *Lex enim omnium artium* (ait præclarè S. Auguſtinus de doctrina Chriſtiana) *veritas eſt, quæ artificioſo non indiget ornatu; ſuapte vi ſiquidem nitescit, magiſque elucet nuda, quàm vllo pigmentu amicta.* Sancti Deo placuerunt, ſimplicitate humili, & Eccleſiæ profuerunt grauitate verecundâ. Eodem quo in vita ſe geſſerunt candore, gaudent ſua exempla poſteris commendari. Non igitur illorum acta litteris prodita diſplicere debent aut reſpui, quòd paſſim ab auctoribus minùs diſertis aut eloquentiæ ſtudioſis fuerint memoriæ conſignata, quin potiùs, eò magis in pretio haberi debent, quò ſimpliciori ſtylo, modò veraci, & digeſtâ ad captum lectorum etiam infirmorum ſerie, expreſſa fuerint. Satis erit ſi vt fucus verborum, ita dictionis barbaries abſit ab hiſtoriæ contextu. Cæterùm nec propter quaſdam narrationis labes, geſtorum eorumdem deſcriptio abiicienda erit. Amanuenſium oſcitantia plerique ſolœciſmi, erroréſque etiam alij non leues irrepſerunt; præſertim in annorum numeris, in perſonarum nominibus, in locorum indiciis, rerúmque etiam aliquarum deſignationibus. Lapſi ſunt auctores ipſi aliquando in iis, aliiſq; memoriæ defectu, iudicij deliquio, credulitate nimia, librorum penuriâ vel minùs veridico tũ vſu. Sed hæc & alia eiuſmodi non modò in hiſtoricis Vitæ SS. ſed & ipſis Theologis contigerunt:

Nævi etiam in Patribus ſanctiſſimis, doctiſſimis, ſolertiſſimis reperiuntur. Solius ſcripturæ ſacræ diuinitùs inſpiratæ priuilegium eſt, vt omni mendo & errore careat. Non deroganda tamen cæteris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimentis, ſuo iure debita fides, auctoréſque, quia alicubi impingunt, haud ideò è teſtium numero proſcribendi. Alij cæteris accuratiùs, alij negligentiùs reuerà ſcripſerunt. Rariùs aberrarunt aliis nonnulli: frequentiùs alij quoque aliis lapſi ſunt, atque etiam grauiùs. Interponendus eſt igitur delectus, vt cautioribus maior fides, minor verò crebriùs impingentibus tribuatur. Adeò vt tamen non eius qui terſiori ſtylo ſcripſerit, ſed qui certiùs, veriùs aut veriſimiliùs, amplior ſit in dictis auctoritas. Porrò ſunt res quædam ab vno duntaxat ſcriptore litteris mandatæ, quædam à multis. ſi vnus plurimis aduerſetur, æquum eſt (modò non ſit rerum, quas commemorat, ſingularis relator contemporaneus, & præſertim oculatus teſtis, ſitque cæteroqui non ſuſpectæ fidei) vt plurium teſtificatio, vnius ſolitarij auctoris narrationi præponderet; ſi contradictores non patiatur, ſolúſque quæ refert recenſeat: aliàs, modò res non ſit contra fidem, neque contra bonos mores, admitti poterit ac debebit huius vnius, licèt ſuffulta, ſcriptoris ſuffragio: Si verò Catholicæ fidei repugnet analyſi, indecorique quicquam contineat, tum indigna fide, digna verò perenni obliuione reputabitur; quin ſi ſcriptor ſit aliàs Catholicus, & circumſpectus, non hæc ab eius calamo fluxiſſe, ſed à maligno & hæreſi corrupto interpolatore inrruſa fuiſſe in primordialem eius contextum, iure merito poterit exiſtimari. Fraudem enim fuiſſe familiarem hæreticis ſemper, ſcripta orthodoxorum corrumpendi, additionibus, deciſionibus, ſimulationibus, aliiſque fallendi modis, res eſt in monimentis Patrum verſato cuilibet explorata. Prætermitti verò hîc non debet, vbi ſunt auctores vel coætanei, vel diuerſarum ætatum & nationum vnanimes, teſtantúrque conſtanti ſuffragio id ipſum de aliquo dogmate præſertim, vel ritu Eccleſiæ, vel de Sancti cuiuſpiam dicto vel facto, quò dogma eiuſmodi vel ritus obſignetur; tum minimè audiendos eos eſſe, qui hâc in re hiſtoricos illos hallucinatos, deceptos, vel fallaces eſſe criminarentur; tum enim non vt doctores priuati, ſed vt teſtes authentici & concordes doctrinæ & praxis Eccleſiæ Catholicæ, & Sanctorum fidei, & obſeruantiæ, ſcriptores eiuſmodi recipiendi ſunt; Iuxta illud cedro dignum documentum Vincentij Lyrinenſis, Commonitorio 1. aduerſus profanas vocum nouitates c. 39. *Maiorum Catholicorum ſententiæ congregandæ ſunt*, &c. *quibus tamen hac lege credendum, vt quicquid vel omnes, vel plures, vno eodémque ſenſu manifeſtè, frequenter, perſeueranter, velut quodam conſentiente ſibi Magiſtrorum conſilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmauerint, id pro indubitato, certo, ratóque habeatur.* Qua ratione, quam ſuprà confirmauimus ex Sanctorum actis & documentis traditio demonſtratur Catholica, notíſque his vndequaque inſignita, quibus Apoſtolicæ inſtitutionis ritus genuinus declarari poteſt. Atque hactenùs de regulis negatiuis, quibus acta Sanctorum illegitima, à germanis & ſynceris diſtinguuntur: excluduntúrque commentitiæ ac fabuloſæ narrationes de eorum geſtis, ab omni teſtandæ rei fide & ſuffragio.

Regu-

REGVLÆ POSITIVÆ SEV INCLVSIVÆ SEQVVNTVR.

CÆTERVM, vt regulas poſitiuas tandem exordiamur, quibus non iam defectus credibilitatis arguitur, at rationes aſſignantur ex quarum habitu & inſitione, hiſtoriis quæ proferuntur vitæ Sanctorum & mortis legitima conciliatur fides, adhibetúrque teſtificationis non incertæ auctoritas. Regulæ poſitiuæ, ſeu incluſiuæ.

PRIMA Regula hæc ſit, quam Gelaſius Pontifex citato canone, *ſancta Romana Eccleſia*, non obſcurè inſinuat; vt quicquid ſancta ipſa Romana Eccleſia legit, vel legendum proponit, authenticum habeatur, nec cuilibet liceat id indubium reuocare vel impugnare. quæ enim ea Eccleſia quæ omnium mater eſt & magiſtra ſuſcipit, recepta ab Eccleſia Catholica, toto iſto canone innuit, & aſſerit cum aſſidente ſibi Synodo, prænominatus Pontifex. Quo ex theoremate manifeſtè elicitur, geſta Sanctorum, quæ legenda ſunt inſerta ſacris Eccleſiæ ipſius Romanæ officiis, diptychis, Martyrologio, Breuiario, Miſſali, potiſſimum decretô Oecumenici Concilii recognitis, & Pontificia auctoritate obſignatis, extra aleam eſſe diſputationis, nec iam aditum iis patere vllum qui incertæ ea eſſe fidei, aut etiam falſum iis ineſſe contendere volent. Nec enim eſt, quòd obiiciant, hoc ipſo, quod Tridentinum Concilium ſtatuit Breuiaria aliáque ſacra officia repurganda eſſe, (ſeſſ. 25.) facilè intelligi errores in eorum irrepſiſſe ſeriem, nec enim correctione opus eſſet, vbi nihil mendoſum poſſet reperiri. Etenim non abnuimus in rituales libros, officiáque Eccleſiaſtica illapſas aliquot labes amanuenſium vitiô, Typographorum oſcitantia, priuatorum quorumdam audacia & temeritate, qui natiuam eorum ſeriem ſuis additamentis vel detractionibus, ac deprauationibus etiam ſub ſpecie pietatis alterare præſumpſerunt; quas Eccleſia Romana corruptelas probauit nunquam, & ideò ſuis è libris eiuſmodi ſacris eraſit, mox ac deprehendit. Non tamen tanta fuit vnquam deprauatio, vt fuerit vniuerſalis vel diuturna, aut etiam quæ ſubſtantiam rerum, & veritatis Catholicæ integritatem læderet. Sed verò, dato etiam quòd menda adeo grauia aliquando irrepſiſſent, notandi ea profectò & arguendi ante recognitionem locus fuit. At poſtquam ex Concilij decreto, publico Eccleſiæ nomine à delectis Patribus libri ipſi Eccleſiaſtici recogniti, expurgati, atque priſtino nitori reſtituti ſunt, ſediſque Apoſtolicæ iudicio approbati: quod exordio Miſſalis, Breuiarij, Martyrologij, &c. conſtat ex adſcripto diplomate Pontificio, certum eſſe & peremptorium. Iam nemini Catholicorum fas eſt, ſibi auctoritatem impugnandi librorum eiuſmodi tenorem arrogare, & arguere falſi, quod ſedis Apoſtolicæ decreto declaratum eſſe liquet, poſt initum mandato generalis Concilij ſerium ac accuratum, ſanum atque authenticum.

II. Regula, ex eodem ſumpta eſt Decreto Gelaſij. Vt quæ vitæ Sanctorum à S. Hieronymo, atque ſanctis, aut piis & probatis auctoribus eiuſmodi conſcriptæ ſunt, authenticæ cenſeantur, & legantur à Catholicis, vt piæ, veræ, & ſyncera. *Item vitas Patrum* (inquit cum Synodo Pon-

tifex) *Pauli, Antonij, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatiſſimus ſcripſit Hieronymus, cum omni honore ſuſcipimus. Item geſta Sanctorum Martyrum*, &c. Acta videlicet Proconſularia, vel paſſiones deſcriptæ ab earum ſpectatoribus, vt paſſio S. Andreæ à preſbyteris & Diaconis Achaiæ, Paſſio S. Cypriani à Pontio Diacono; vel ex certis delibata monimentis, vt Polycarpi ab Euſebio, & quæ refert Pothini & Sociorum ex Litteris Eccleſiarum Lugdunenſis & Viennenſis, &c. Item quæ epiniciis triumphalibus celebrata ſunt à Prudentio pio & orthodoxo coronatum eorumdem Sanctorum Martyrum præcone, &c. Aliorúmque Sanctorum hiſtoriæ, quas Sancti Patres litteris proſecuti ſunt, velut Vita S. Antonij ſcripta à S. Athanaſio; quam Euagrius Antiochenus, teſte S. Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Euagrio, in Latinam linguam transfudit; Vita S. Macrinæ Virginis ſcripta per eius fratrem S. Gregorium Niſſenum: à quo etiam encomium S. Baſilij eius fratris editum eſt; Vita S. Auguſtini collecta per Poſſidonium eius Diaconum, ſubinde Epiſcopum Calamenſem: Hiſtoria geſtorum S. Ioannis Chryſoſtomi deſcripta per Theodoretum lib. 5. c. 36. hiſt. Eccleſ. Vita S. Martini verſibus deſcripta per S. Paulinum Nolanum; ſoluta verò oratione per Sulpitium, nec non per Venantium Fortunatum Epiſcopum Pictauienſem; Item res geſtæ S. Benedicti à S. Gregorio Papa enarratæ toto lib. 2. Dialogorum: Vita S. Felicis Confeſſoris indita litteris à Venerabili Beda, prout res geſtæ Sanctorum Pontificum Vedaſti, Cutberti, necnon S. Patricij, & Vita S. Columbani, Vita S. Anſelmi ab Edinero eius contubernali delineata, &c. Paſſio Sanctarum Virginum & Martyrum Floræ & Lucillæ, nec non S. Mauri Epiſcopi Eugubini Vita à B. Petro Damiani Cardinale Epiſcopo Oſtienſi: Vita S. Malachiæ à S. Bernardo Abbate Claræuallenſi: Vita S. Franciſci, à S. Bonauentura Cardinale Epiſcopo Albanenſi litteris conſignata; Et aliæ propè innumeræ id genus, quas doctrina, pietate, grauitate, fide celebres ſcriptores editis monimentis Chriſtianæ poſteritati commendârunt. Sic enim decernit Gelaſius Papa cum Synodo: *Item opuſcula atque Tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à S. R. Eccleſia conſortio deuiârunt, nec ab eius fideli prædicatione ſeiuncti ſunt, ſed communionis ipſius, gratiâ Dei, vſque ad vltimum diem vitæ ſuæ participes fuerunt, legenda decernimus.* Quæ ſanctio, tametſi ſpecialiter opuſcula de rebus geſtis Sanctorum non deſignat, eadem tamen ſub generali opuſculorum ac tractatuum nomine comprehendit.

III. Regula, vt Sanctorum acta, quæ in Synodis maximè generalibus, citantur ac laudantur eo ipſo diſcreta ab apocryphis, ac computata pro authenticis cenſeantur, maximè ſi in Conciliis Oecumenicis citata fuerint. Hoc argumento Bellarminus libro de Scriptoribus Eccleſ. in Origene probat hiſtoricum librum, cuius eſt titulus *Pratum ſpirituale*, ante mille annos à Ioanne Moſco de piis exemplis conſcriptum, & Sophronio inſignis nominis Hieroſolymitano Patriarchæ dicatum, dignum eſſe fide, quia citatur in ſeptima Synodo generali. Ita & Acta S. Euphemiæ Virginis & Martyris auctore Aſterio Epiſcopo Amaſiæ edita & recitata in

ipſo Concilio act. 4. Et S. Anaſtaſij Perſæ vita & martyrium, libelluſque de eius miraculis; Item vita S. Mariæ Ægyptiacæ, martyrium S. Miropij & vita S. Theodori Abbatis eadem lecta actione; quoniam ad auctoritatem proferuntur, firmandi gratiâ Catholici dogmatis, ideò approbata intelliguntur; Quemadmodum acta martyrij S. Dionyſij Areopagitæ Lutetiæ Pariſiorum coronati, quæ in Concilio generali Florentino ad dogma obfirmandum de proceſſione Spiritus S. ex Patre & Filio, inducta ab Andrea Epiſcopo Rodienſi pro parte Romanæ Eccleſiæ, audientibus ac annuentibus Orientalis Eccleſiæ Patribus ſeſſ. 7. pro authenticis habita, hoc iudicio Oecumenicæ Synodi aliàs oſtendimus *. Auctoritatem enim habere Sanctorum acta ad doctrinæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ demonſtrationem ac etiam confirmationem, ſeueriores etiam Critici cenſuerunt, ex quibus Eraſmus lib. 14. ep. 21. ad liberarum electionum approbationem, actis vti nitique ſancti Nicolai non dubitauit.

* *In Tract. Polemico de Gallico Apoſtolatu S. Dionyſ. Areop. c. 9. art. 1. §. 1. p. 650. 651. 652. operis de myſticis Galliæ ſcriptoribus.*

IV. Regula; ſi Sanctorum geſta in Apoſtolico diplomate canonizationis eorumdem inſeruntur, vt paſſim fit: hac ratione non ſolùm pia & laudabilia ſed certa, & fide digna declarantur. Nec enim improbare fas eſt quod Papa probauit, ſed recipi debet omni cum reuerentia, & honore quod ipſe Chriſti Vicarius recipiendum proponit ad fidei, & iuſtitiæ Chriſtianæ documentum itidem ac monimentum, vnde Romana præcitata Synodus ſub Gelaſio I. decreta & reſponſa quæ Beatiſſimi Papæ, diuerſis temporibus ab Vrbe Roma direxerunt, *venerabiliter ſuſcipienda eſſe conſtituit.*

V. Regula hæc eſt, quòd vitæ Sanctorum à piis viris, & doctis collectæ ex diuerſorum auctorum ſiue notorum, ſiue ignotorum conſcriptionibus, quæ fidei Catholicæ analyſi conſentiunt, & nihil continent piis & probis moribus aduerſum, nec Eccleſiæ Catholicæ placitis aut ritibus vllatenus obuerſantur, ridiculiſque narrationibus non ſcatent, ſed quamuis ſimplici ſtylo, rudíque fortaſſis etiam, modò intelligibili, (ſeu, vt ait Eraſmus lib. 29. epiſt. 29. *ſi non facundô, ſaltem mundô & caſtô*) contextæ, pietatem ſpirant, fidem muniunt, ad bona opera prouocant, Sanctorum honeſtant memoriam, incutiunt imitationem, augent Eccleſiæ decus, Dei gloriam amplificant, ſalutíque fidelium ſuffragantur, piè etiam ac ſimpliciter recipiantur, iuxta illud Apoſtoli Philipp. 4. *De cætero fratres, quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*, &c. Cæterùm nequaquam ſum neſcius pleroſque, qui omnia diſcutienda volunt ad ſummos iuris apices, hîc exceptum ituros; Apoſtolus ante omnia exigit vt hæc quæ tenenda & imitanda generali monimento commendat, vera ſint. At Legendæ Sanctorum vtplurimùm conſarcinatæ ſunt mendaciis, ſcatent commentis, nihil quàm fabulas, nugas & nænias redolent, potiúſque eruditorum mouent riſum, quàm virtutem aut pietatem etiam indoctorum permoueant. Vetus eſt hæc querela. Cui breui reſponſo diſcutiendæ: Primùm dico negari non poſſe extare quaſdam Sanctorum hi-

ſtorias & vitarum collectiones, pleriſque aſperſas maculis, ac nonnullis erraris ſcarentes circa hiſtoriam & chronologiam: inſulſis etiam & anilibus narratiuneulis refertas, diſcrepantes nonnihil à grauitate Eccleſiaſtica, eruditorum aures & oculos offendentes, parúmque ædificãres imperitos. Has equidem non defendo. Scriptas eſſe conſtat à minimè malis hominibus, ſed qui minùs docti, accurati & ſolertes erant. Vnde factum vt nimiâ ſimplicitate ſuâ, falſa veris, ludicra ſeriis aliquando admiſcuerint, omnia obuia promiſcuè complexi, ſine delectu. Diſcernendum in his eſt pretioſum à vili; nec leue opus aut exile obſequium orbi Chriſtiano præſtiterunt plerique illuſtres doctrinâ, pietate, ſagacitate viri, qui à centum circiter annis, expurgandis eiuſmodi hiſtoriis, & ad amuſſim legitimæ hiſtoriæ, & narrationis nitorem congruum reuocandis curam quaſi certatim impenderunt. Temperatè tamen, & eô cum moderamine hoc in negotium progreſſi, vt cauerint diligenter à quorumdam exceſſu, qui nimio zelo exciti, funditus hæc omnia monumenta ſubuertunt, auctores primos in crimen vocant, nihil ab iis litteris inditum, quod falſum non ſit aut ridiculum, criminantur. At prudentiores, ac æquiores ſeſe illi qui exceſſum vitant eiuſmodi (ipſi Eccleſiæ nonnihil noxium) præbuêre: dum aurum à puluere ſecernunt, atque vniones & gemmas ſolerti mente ac manu colligunt in fæce; has eluunt, abſtergunt, expoliunt, auro inſerunt, ex quo hæ etiam maiorem ſplendorem mutuantur. Differunt igitur iſti ab illis, quòd hi aurum in luto quærunt; illi lutum in auro. Dico præterea maximam hiſtoriæ Sanctorum partem expertem huius eſſe diſcriminis: Nam vt ex præmiſſis inſinuationibus liquet, accuratè ac decorè fuiſſe à ſummis viris omnibúſque titulis ſanctitatis, ac doctrinæ inſignibus, ſaltem verò eximiæ pietatis & litteraturæ ornamentis præditis, litterarum monimentis conſignatam. Quamobrem hac ex parte quæ potiſſima eſt, nihil cauſæ Ariſtarchis noſtris ſuppetere, cur de hiſtoria Sanctorum querantur: cùm eo ſit illa loco, vt ſagittas eorum acerbitatis non timeat. Dico inſuper totam ferè iam Sanctorum hiſtoriam expurgatam, & vindicatam eſſe à peritiſſimis cenſoribus, eo ſtudio, ea fide, vt vix iam quid deſiderari poſſit amplioris curæ, laboris, operæ, ſolertiæ, fidei, à quoquam, qui piè, prudenter, candidè, modeſtè, temperatè, cum viris doctis & religioſis ſe geſſerit, réſque ab iis tractatas excuſſerit & expenderit iis legibus, quibus ſuas ipſe velit, & more ſuo exigit modeſtia Chriſtiana. Tametſi enim quid humani iis legendo, ſcribendo, recenſendo, euulgando exciderit (vt nemo eſt qui ab omni labe & lapſu ſit immunis) hoc leue, hoc exile eſt, ſiquid eſt, earum vindiciarum reſpectu quas feliciter in cæteris præſtiterunt. Hinc gratulabatur impensè ſanctiſſimus Pontifex Pius V. Laurentio Surio, tametſi nec primo nec vltimo hiſtoriæ Sanctorum vindici, de nauata ſtrenuè circa hanc operâ: *Dilecte fili*, inquit, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Librum Sanctorum Patrum vitas continentem à te nuper editum, atque ad nos miſſum libentiſſimè accepimus, qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in ſe continet à nobis ſemper deſideratum, & ad refellenda hæreticorum in eaſdem Sanctorum hiſtorias maledicta aptiſſimum, laudamus vehementer hunc pium laborem tuum.* Proin-

Diploma hoc Pij V. Romæ datum fuit apud S. Petrum die 2. Iunij anno 1570. Pôtificatus anno 5.

de & Poſterotum ſtudium, qui quod deetat Surio non omnia complectenti, ńeque æqualiter vbique intento ſumma fide & diligentia ſuppleuerunt, in diéſque vt ad plenum cumulum perficiant, modis omnibus enituntut. Cæterùm exempla vel teſtimonia quæ ſuprà ex paſſionibus, & vitis Sanctotum protulimus, ex iis non ſunt deſumpta farraginibus quæ corruptis ex actis, hiſtoriíſque Sanctorum conflatæ ſunt, ſed ex ſelectis monimentis deprompta, quæ hac tetta fuligine quam proximè deſcripſimus, non offunduntut, at inſito candote nitent, dignáque fide tam auctorum meritô, quàm nartationis gtauitate & antiquitatis auctoritate comptobantur. Haud ignoro tamen ſegreges pro erratis aſſumere, & quidem grauiſſimis, quicquid in Sanctorum hiſtoriis reperitur, quod cum ſuis paradoxis non concordat; Sanctotum ideò acta generaliter repudiant, quia à Sanctorum fide abhorrent, quæ in eotum actis* fit perſpecta: *Verùm* (aiunt) *ſcriptores illos, qui paßiones & geſta SS. libris ſuis commemorârunt, impegiſſe, erraſſe, delirâſſe.* At cettè non omnes, neque vbique, neque ſemper, neque potiſſimum in dogmate, more vel ritu Eccleſiaſtico, quem vnanimi cum Eccleſia Romana conſenſu teſtificantur, ſicut de ſigno ctucis, de ptece pro defunctis, de ieiuniis Eccleſiaſticis, de ſacrorum Miniſtrorum continentia, &c. conſtat: Signatim verò de Tonſura Clericali, ſuprà ex teſtimoniis auctórum omnis ætatis, nationis, gradus, & conditionis luculenter demonſtratum eſt. Potro conſenſus eiuſmodi non poteſt eſſe alius, quàm conſenſus Eccleſiæ Catholicæ: quem non modò in ritibus, ſed ipſis quoque dogmatibus ſequendum & tenendum pro certo doctinæ, fidei & obedientiæ fundamento, Philippus Melanchton, præcipuus Lutheri (Sectariorum parentis) Achates & ſymmyſta, non ſemel agnouit, atque vltrò confeſſus eſt, ſicut videre eſt in eius relatione de Conuentu Ratiſbonenſi anno 1541. facta ad Luthetum lib. 1. Epiſtolarum ep. 24. & ep. ad Catolum V. Imp. Ratiſbonæ exiſtentem menſe Mattio, lib. eodem ordine 25. & in reſponſo ſctipto ab eodem Melanchtone ſub nomine Friderici Ducis Saxoniæ, & Philippi Lantgtauij Haſſiæ ac reliquorum cum iis coniunctorum, dato Legatis ipſius Caroli V. quod extat eodem lib. ſerie 56. Igitur quòd ſacri ritus Tonſuræ Clericalis ttaditionem, etiam pet Sanctorum acta probauimus, accuratâ adeò & luculentâ inductione; hoc fteti argumento fecimus, quòd ex eorum harmonia conſenſus practicus Eccleſiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ, tam veteris, quàm mediæ & præſentis ætatis eliceretur. *Hæc enim* (vt vetba ſancti Auguſtini, ad ptopoſitum noſtrum, quia admodum huic conſentanea ſunt, tefetam) *non ideò commemoraui quod diſputatorum quorumlibet ſententiis* (& auctorum teſtimoniis) *tanquam canonica auctoritate nitamur: ſed vt appareat ab initio vſque ad præſens tempus, quo nouitas ipſa orta eſt, hoc apud Eccleſiæ fidem* (& diſciplinam) *tantâ conſtantiâ cuſtoditum.*

S. Auguſt. de peccator. meritis & remiſſ. c. 7.

III. Denique non ex ſolis Sanctorum actis, traditionem iſtam ab Apoſtolica fluentem origine, hactenùs in Eccleſia Catholica iure & vſu perpetuô oſtendimus viguiſſe; at etiam ex ſacris canonibus, ſcilicet Synodalibus & Pontificiis decretis, *totius orbis reuerentiâ conſecratis* *;

3. RESPONSIO.

* Phraſis Hincmaro familiaris, quam ex S. Leone mutuatus eſt.

quibus obuerſari, *cùm nihil aliud ſit* (vt Epiſcopi Gallicani , qui iudices in cauſa Contumelioſi Epiſcopi Regienſis, ante annos 1000. conſederunt, memorabili ſententiâ * proteſtantur, Tom. 1 Concil. Gall. p. 234. 236.) *quàm Spiritui ſancto repugnare:* reliquum eſt, vt qui iis obſequi detrectant, non tam infringere Patrum placita & Eccleſiæ temerare leges moréſque, ſe agnoſcant: quàm ipſi Deo, qui eam regit & inſpirat, auſu impio refragari, hoc ipſo reatu conuincantur.

* ſua in Synodica.

FINIS LIB. II.

by Google

DE TONSVRA CLERICALI LIBER III.

QVO DE EIVS DISSERITVR, forma, modo & figura, moralique, ac myſtico ſignificatu.

CAPVT PRIMVM.

De Tonſuræ diuerſitate.

SIMIAM Dei, eſſe Satanam, verè & appoſitè dixit dudum Tertullianus, lib. de baptiſmo c. 5. *Et hîc quoque*, inquit, *ſtudium Diaboli cognoſcimus, res Dei æmulantis.* Et in præſcriptionibus c. 40. *Sed quæritur à quo intellectus interpretetur eorum quæ ad hæreſes faciant? à Diabolo ſcilicet, cuius ſunt partes interuertendi veritatem, & ipſas quoque res ſacramentorum diuinorum in idolorum myſteriis æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos: expiationem de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mitræ, ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio, ſuo genio redimit coronam. quid quòd & ſummum Pontificem, in vnis nuptiis ſtatuit. Habet & virgines, habet & continentes.* Addamus & ſuos Tonſutatos.

Enimuerò Simon ille ſummus præſtigiator, qui Magi ideò tulit ſingulari quodam priuilegio cognomentum, ſignifer ille impietatis, primus hæreticorum parens, auctor quoque fuit (haud dubium quin diabolico afflatu, ſicut in cæteris quorum fuit artifex) Tonſuræ cuiuſdam ſpecialis, qua ſuos aſſeclas voluit inſigniri. *Ex quo audiuit à Petro*, (ait S. Irenæus lib. 1. aduerſus hæreſes c. 20.) *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri, non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone hoc, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo: In felle enim amaritudinis, & obligatione iniuſtitiæ video te eſſe. Et cùm adhuc magis non crediſſet Deo, & cupidiùs intendit contendere aduerſus Apoſtolos, vti & ipſe glorioſus videretur eſſe, & vniuerſam magiam adhuc ampliùs inſcrutans, ita vt in ſtuporem cogeret multos hominum: quippe cùm eſſet ſub Claudio Cæſare, à quo etiam & ſtatua honoratus eſſe dicitur propter magiam. Hic igitur à multis quaſi Deus glorificatus eſt.* Quamobrem myſtas proprios peſtilens hic impoſtor habe-

Digitized by Google

re voluit: & quoniam nihil magis ſpirabat quàm Chriſti euerſum ire fidem & cultum, Apoſtolóſque eius in omnibus oppugnare, Petrum præſertim eorum principem. quum igitur videret ipſum inſignem Tonſura & corona, quam Clericis veri Dei miniſtris gerendam in memoriam ſpineæ coronæ Saluatoris, ſuſceptique pro eo ludibrij monimentum, & ſacri officij indicium (vt ſuprà demonſtratum eſt) inſtituit: aliam & ipſe ex oppoſito adinuenit, qua ſectæ ſuæ myſtagogas, ſuo quaſi charactere proprio notatos, à Chriſtianis Sacerdotibus ſecerneret, & ſuis addictos innueret impiis obſequiis.

Apud Venerabilem Bedam, extat huius ſuperſtitioſæ Tonſuræ à Simone Mago inuectæ memorabile monimentum. Extincta ſiquidem ſucceſſu temporis fere vbique terrarum impia ſecta * nefandi illius impoſtoris Simonis, quæ dudum vſque ad intimos ſinus maioris Britanniæ penetrauerat; adhuc tamen neſcio quo ex ſemine latenti propagatus ſupererat, etiam apud Chriſtianos inſulæ huius incolas, vſus propudioſus huiuſmodi Tonſuræ, cuius auctor fuerat, ab ea quam Petrus Apoſtolus inſtituerat, diuerſæ. Erant porrò illi Chriſtiani ſchiſmatici, vt pote à Romanæ Eccleſiæ communione ſegregati, & tamen potiùs ab eius quibuſdam ritibus, quàm fide & doctrina diſcrepantes: cùm Ceolfridus Abbas (Bedæ ipſius præceptor) vir doctus & monaſtica religione venerabilis, Cœnobij Apoſtolorum Petri & Pauli in Anglia poſt obitum Benedicti, ſanctæ quoque conuerſationis Ætheriarchæ, gubernacula ſuſcepit. Hic rogatus à Nartano Pictorum Rege, epiſtolam didacticam de Catholico Paſchate, & Tonſura Romana ſcripſit, cuius lectione, ad Eccleſiæ vnitatem & ſuſceptionem canonicorum Apoſtolicæ ſedis rituum de Paſcha & Tonſura Clericali, ſchiſmatici illi feliciſſimo ſucceſſu redierunt. Totam illam ſeriatim deſcribit Beda lib. 5. hiſt. Eccleſ. Gentis Anglor. c. 22. Quamobrem cùm prolixiori ſit contextu, & facile ſit cupientibus integram legere apud ipſum Bedam, ſuperſedeo hîc tranſcribere. quæ ad rem dumtaxat faciunt inſigniora verba hîc referam. Poſtquam igitur Ceolfridus Abbas diſſeruit de Tonſura in vertice geſtata, in modum coronæ à S. Petro, & Clericis ab eo commendata, in memoriam Dominicæ Paſſionis, ſignum mortificationis & contemptus gloriæ mundi indicium, continuo tenore ſubiungit. *Cæterùm Tonſuram eam, quam Magum ferunt habuiſſe Simonem, quis rogo fidelium non ſtatim cum ipſa magia primò deteſtetur & meritò exſufflet? Quæ aſpectu in frontis quidem ſuperficie, coronæ ſpeciem videtur perferre, ſed vbi ad ceruicem conſiderando perueneris, decurtatam eam, quam te videre putabas inuenies coronam, vt meritò talem Simoniacis, & non Chriſtianis, habitum conuenire agnoſcas, qui in præſenti quidem vita, à deceptis hominibus putabantur digni perpetuæ gloriæ coronæ: ſed in ea quæ hanc ſequitur vitam, non ſolùm omni ſpe coronæ priuati, ſed æterna inſuper ſunt pœna damnati. Neque verò me hoc ita proſecutum exiſtimes, quaſi eos qui hanc Tonſuram habent* (ſine vllo ſcilicet cum Simone eiúſque clientibus commercio) *condemnandos iudicem, ſi fide & operibus vnitati Catholicæ fauerint. Immò confidenter profiteor plurimos ex eis ſanctos, ac Deo dignos extitiſſe, ex quibus eſt Adamnanis Abbas & Sacerdos Columbenſium egregius, qui*

* Simon ille primus Hæreſiarcha fuit. Eius autem dogmata præcipua hæc fuerunt. 1. Dona Dei pecuniæ pretio comparari poſſe. Hinc auctor extitit ſimoniacæ prauitatis. 2. Mundum non eſſe creatum à Deo. 3. Se ipſum eſſe Deum, qui in Samaria apparuit vt patrem, in Iudæa vt filium, in gentibus vt Spiritum Sanctum. 4. Liberum arbitrium non eſſe. 5. Opera bona non eſſe neceſſaria. 6. Animas migrare de corpore in corpus. Vide Sanctos Irenæum & Epiphaniú.

cùm

cùm Legatus ſuæ gentis ad Aldfridum Regem miſſus, noſtrum quoque monaſterium videre voluiſſet, mirámque in moribus & verbis prudentiam, humilitatem, religionem oſtenderet, dixi illi inter alia colloquens, Obſecro ſancte frater, qui ad coronam te vita, quæ terminum neſciat, tendere credis, quid contrario fidei tuæ habitu, terminatam in capite coronæ imaginem portas. Et ſi conſortium B. Petri quæris, cur eius quem ille anathematizauit Tonſuræ imaginem imitaris? & non potiùs eius cum quo in æternum beatus viuere cupis; etiam nunc habitum te quantùm potes, diligere monſtras? Reſpondit ille, Scias pro certo, frater mi dilecte, quia etſi Simonis Tonſuram ex conſuetudine patriæ habeam, ſimoniacam tamen perfidiam tota mente deteſtor, ac reſpuo: Beatiſſimi autem Apoſtolorum Principis, quantùm mea paruitas ſufficit, veſtigia ſequi deſidero. At ego credo inquam verè quod ita ſit, quòd ea quæ Apoſtoli ſunt Petri in abdito cordis amplectimini, ſi quæ eius eſſe noſtis, etiam facie tenetis. Namque prudentiam tuam facillimè diiudicare reor, quòd aptius multò ſit, eius quem toto corde abominaris, cuiúſque horrendam faciem videre refugis, habitum vultus, à tuo vultu iam dicato ſeparare, & è contra eius, quem apud Deum patronum habere quæris ſicut facta vel monita cupis ſequi, ſic etiam morem habitus te imitari condeceat. Hæc tunc Abdānano dixi, qui quidem quantùm conſpectis Eccleſiarum noſtrarũ ſtatutis profeciſſet probauit, cùm reuerſus ad Scotiam multas poſteà gentis eiuſdem turbas ad Catholicam temporis Paſchalis obſeruantiam ſua prædicatione correxit; Tamen eos, qui in Hij inſula morabantur, Monachos, quibúſque ſpeciali iure præerat, necdum ad viam ſtatuti melioris reducere valebat; Tonſuram quoque ſi tantùm ſibi auctoritatis ſubeſſet emendare meminiſſet: Sed & nunc tuam prudentiam, Rex, admoneo vt ea quæ vnitati Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ concinunt, vnà cum gente, cui te Rex regum & Dominus dominantium præfecit in omnibus ſeruare contendas. Sic enim fit vt poſt acceptam temporalis regni potentiam, ipſe beatiſſimus Apoſtolorum princeps, cæleſtis quoque regni tibi tuíſque cum cæteris electis libens pandat introitum. Gratia te Regis æterni longiori tempore regnantem ad noſtram omnium pacem cuſtodiat incolumem, dilectiſſime in Chriſto fili. Hæc epiſtola cùm præſente Rege Nartano, multíſque viris doctioribus eſſet lecta, ac diligenter ab iis qui intelligere poterant in linguam eius propriam interpretata, multùm de eius exhortatione gauiſus eſſe perhibetur, ita vt ſurgens de medio optimatum ſuorum conſeſſu, genua flecteret in terram Deo gratias agens, quòd tale munuſculum de terra Anglorum mereretur accipere. Et quidem anteà noui, inquit, quia hæc erat vera Paſchæ celebratio, ſed in tantum modò rationem huius temporis obſeruandam cognoſco, vt parum mihi omnino videtur de his anteà intellexiſſe: Vnde palam profiteor, vobíſque qui aſſidetis præſentibus proteſtor, quia hoc obſeruare tempus Paſchæ cum vniuerſa mea gente perpetuò volo, & hanc accipere debere Tonſuram, quam plenam eſſe rationis audiuimus, omnes qui in regno meo ſunt, Clericos decerno; Nec mora, quæ dixerat auctoritate regiâ perfecit. Statim namque iuſſu regiô mittebatur ad tranſcribendum, diſcendum, obſeruandum per vniuerſas Pictorum prouincias, circuli Paſchæ decemnouales oblitteratis per omnia erroneis octoginta & quatuor annorum circulis. Attondebantur omnes in coronam miniſtri altaris & monachi, & quaſi nouo ſe diſcipulatui beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri ſubditam, eiúſque tuendam patrocinio gens correcta gaudebat. Hæc Beda, qui ſequenti Cap. refert quem-

admodum Hiienſes monachi tandem cum ſubiectis ſuis monaſteriis prędicanre Ecberro, ritus Catholicos ſinr amplexi, renirenribus adhuc quibuſdam tamen apud Britones, *Qui capita*, vt ait, *fieri ſine corona prætendebant*, id eſt ſemicirculari duntaxar inſigniri Tonſurâ, non orbiculari: ſed demum omnes tam Paſchalem titum, quàm Tonſuræ Clericalis, Romana in Eccleſia traditum, & ſeruatum morem vnanimirer ſunt amplexi.

Verùm in Epiſtola Ceolfridi præcirata aliqua ſuperſunt, quæ vt non carent difficultate, ſic opus habent diſcuſſione: *Et quidem ſcimus* (inquit) *quia neque Apoſtoli omnes vno, eodémque ſunt modô attonſi: neque nunc Eccleſia Catholica, ſicut vna fide, ſpe, & charitate in Deum conſentit, ita etiam vna atque indiſſimili totum per orbem Tonſuræ ſibi forma congruit.* Videri enim poteſt durum inrellectu quòd Apoſtoli fuerint in hoc ritu Tonſuræ ab inuicem diſcrepantes: cùm vr canir de iis Eccleſia, ſicut *vna fides, ita vnus ſpiritus fuerit in eis.* Datô nihilominus quòd fuerit eorum diuerſa hac in re praxis, inquirendum inde ſupereſt quænam qualiſque fuerir illa quæ inter eos interceſſit Tonſuræ differentia, quænam etiam & qualis extiterir diuerſitas circa ipſius Tonſuræ fotmam, quæ multiplex & varia fuiſſe iampridem in Eccleſia à præfato Ceolfrido perhibetur: Verùm vt ſingula hæc diſcutiamus.

Obſeruãdum imprimis eſt Apoſtolos, erſi in fide ſpe & charitare fuetint vnanimes, quoad exrernam tamen Eccleſiæ politiam varias quaſdã rheorias & praxes circa rem eandem, pro gẽtium diuerſo genio & captu induxiſſe: Paret hoc in Lirurgiis Apoſtolicis, quarum ritus diuerſi ſunt, tametſi idem ſacrificium in iiſdem celebretur. Hinc Ioannes V. Rom. Pont. Edaldo Metropolitæ Viennenſi dudum ſcribebat; *De officiis Miſſarum, de quibus in litteris veſtris requiſiſtis, ſciat charitas veſtra quia variè apud diuerſas Eccleſias fiant. Aliter enim Alexandrina Eccleſia, alter Hieroſolymitana, aliter Epheſina, aliter Romana facit.* Vtebatur ſiquidem Alexandrina Liturgia S. Marci, à quo fuerar inſtituta: Hieroſolymitana Iacobi fratris Domini, qui primus eius Epiſcopus fuerat: Epheſina Ioannis, qui ibi reſidens vniuerſas Aſiæ Eccleſias texerat vel erexerat, arque ibidem demum obierat, ſacris theoriis imbuta, rem diuinam celebrabar. Romana verò rirus à S. Petro traditos in ſacrificio obſeruabat, hactenúſque intemeratè cuſtodir: Ira & de Paſcharis ſolennitate titus fuit diuerſus; Ioannem enim Epheſi degenrem, quô Iudæos cum gentibus copularet, tradidiſſe vt quartadecimâ Lunâ primi menſis, ſiue incideret in Dominicam, ſiue in aliam quamliber, Paſcha celebrarerur, Hebræorum ſcilicer more, teſtis eſt Polycrates Epheſiorum Epiſcopus, apud Euſebium & S. Hieronymum. Perrum tamen ſtaruiſſe Romæ, vr die rantùm Dominica poſt quartamdecimam Lunam proximè ſuccedente fierer Paſcharis celebratio, nimirum quô veteris legis morem anriquatum Euangelicæ legis ſplendore, ritu hoc nouo & Chriſtianis ptoprio, declararer. Tolerauit Eccleſia aliquandiu Orienralium motem, vſquedum ſynagogâ cum honore ſepultâ, ampliùs opus non eſſet illa conniuentia ad Iudæos pedetentim ab vmbris legis ad lucem fidei deducendum: At cùm agnouit

Circa annum 685.

Aſiaticos ritui eiuſmodi vmbratili, & ante adiaphoro, ac ſubinde inutili & tandem periculoſo, retinendo pertinaciùs immorari, coëgit eos tandem illum deſerere, & Romanum, quem vniuerſali Eccleſiæ perpetua lege obſeruandum Petrus Apoſtolorum apex præſcripſerat, quémque totus ferè orbis vnanimi religione ſeruabat, pariter amplecti. At ſic non actum de Tonſura; in cuius ritus obſeruatione Orientales, & Græci maximè, ab Occidentalibus diſcrepârunt, non quidem quoad rei ſubſtãtiam: nam Tonſuram circularem in vertice vtriuſque Eccleſiæ miniſtri inuariabili more pettulerunt, at differunt Græci à Latinis, quòd hi breues capillos ita gerant, vt pateant aures, reciſis in circuitu capitis vndequaque crinibus: Græci verò infra detonſum verticem comam promittant, atque capillos in fronte quidem repreſſos, ſuper aures & humeros ferè ſinant defluere. Proferunt quidem Iconiſmos ſanctorum Patrum, qui Orientalem ipſam Eccleſiam effuſis doctrinæ & pietatis ſplendoribus illuſtrârunt, in huius ſui ritus præſidium. Contentionis funem hîc nolim eum iis trahere, quamuis ſi ex Sanctorum Græciæ Patrum imaginibus argumentum ſumendum eſſet, præcipuorum facile eſſet expromptum ire vetuſtas effigies, quæ Græcorum morem potiùs refellant, quàm probent, Latinóque ritui ſatis perſpicuè patrocinentur. Sanè S. Baſilij Magni genuina imago in Codice MSS. Baſilij Macedonis Imperatoris ante annos ferè 800. depicta, & ex antiquioribus ſimulacris expreſſa (qui Codex in Bibliotheca Chriſtianiſſimi Regis conſeruatur) vt prolixam habet barbam, ſic capillos gerit modeſtè detonſos circumquaque, adeò vt nequaquam aures tegant ſed ſuper has videantur quaſi de induſtria deciſi. Non volitant ſuper collum & humeros, at vndequaque ſic deſecti parent, vt in iis Clericalis modeſtiæ nihil deſiderari poſſit. Antiqua porrò S. Epiphanij effigies operibus eius præfixa, atque ex peruetuſto exemplari fideli manu delineata, eodem prorſus modò illum repræſentat, prolixâ ſcilicet barbâ inſignem, at capillatura breui, miniméque defluenti in aures. Extat etiam in frontiſpicio operum S. Chryſoſtomi, ſpectabilis eius imago, deſumpta ex vetuſta admodùm Icone Conſtantinopoli olim depicta, æneíſque expreſſa typis, in qua ſanctiſſimus Doctor & Antiſtes (ea ſpecie qua in Græcorum menologio fuiſſe memoratur) erectus, & plano vultu conſpicitur modica ſtatura, magno capite, ampla & rugoſa fronte, oculis introrſum recedentibus, venuſtis tamen & gratioſis, preſſis ob maciem genis, rara, breui & caneſcente barba, Tonſura circulari in vertice ſatis latè patenti & admodum conſpicua, apertis auribus, capillis deſuper datâ operâ teſtrictis. Tametſi verò huiuſmodi imagines ex antiquis, & authenticis exemplaribus depictæ parùm Græcis faueant, comam infra tonſionem verticalis coronæ longè latéque promittentibus: nihilominùs quia vetuſtæ etiam Apoſtolorum effigies, prolixis capillis Hebræorum more notabiles paſſim cernũtur, inficiari prorſus nolo Græcos in profuſiori hoc capillorum vſu, Apoſtolorum formam & figurã poſſe ſibi, haud abſque aliqua ſpecie veri prætendere. Tamen in actis S. Benigni preſbyteri & Martyris, qui à S. Polycarpo miſſus in Galliam, Celticam prouinciã, flamine, flumine, ſanguine Chriſti cultui dedicauit, detonſi capitis indi-

cio deſignatus ab accuſatoribus ſuis, Imperatori Aureliano ipſe Chriſti Sacerdos perhibetur; in ſchola autem viri apoſtolici Polycarpi enutritus, haud præſumi debet, aliis ab eo præceptis aut exemplis imbutus, quàm quibus ipſe Polycarpus ab Apoſtolis, ſpeciatim verò à Ioanne, cuius primarius extitit alumnus, inſtitutus fuerat. At verò ſi ita eſt quòd theoriam detondendi capitis, Benignus à Polycarpo, Polycarpus ab Apoſtolis, nominatim verò à magiſtro ſuo Ioãne didicerit: quô pactô ſubſiſtere poteſt perpetuus mos ille Pictorum, qui Apoſtolos ſemper crinitos & prolixis capillis ſpectabiles, repræſentare ſolent? Nec enim eſſe iidem ſimul, & ſemel potuerunt tonſi & hirſuti. Hic porrò locus eſt fauendi Græcis percommodus, ſi dixerimus, detonſo quidem in orbiculi ſpeciem ſummo capitis faſtigio inceſſiſſe Apoſtolos; infra tamen coronam illam verticalem prolixos capillos more gentis geſſiſſe: Atque hunc morem traxiſſe Græcos in exemplum: Latinos tamen imitatos peculiarem Petri Apoſtoli morem, qui ex quo ab impiis fidei quam prædicabat deriſoribus, per ignominiam inſignem, tonſus non modò, at raſus fuerat, deinceps ludibrium vertens in gloriam & honorem, raſo vertice & tonſo capite proceſſerit, morémque hunc eâ lege firmauerit, quâ, eodem vti ritu voluit & obſtrinxit de cætero Sacerdotes.

Sed verò hic quiſpiam forſan obiiciet: Si res ita ſe habet, cur ſummi Põtifices ſucceſſores Petri, ritus huius ab eo inſtituti, vbique ſtabiliendi vindices ſeſe non iam olim præbuerunt; cùm de Paſchatis ſolennitate eo ritu quem tradiderat ipſe Petrus peragendâ, totis contenderint viribus, nec deſierint à cœptis, quouſque mos ille à Petro traditus vbique gentium obtinuiſſet; ſiquidem Ceolfridus ſanctus ille ac priſcus Abbas, ea in Epiſtola, cuius ſuprà meminimus, ſic notanter ſcribit; *Nunquam Patribus Catholicis ſicut de Paſchæ, vel fidei diuerſitate conflictus, ita etiam de Tonſuræ differentia, aliqua fuiſſe controuerſia legitur.*

Sed ratio huius rei eſt, quòd Paſchæ celebratio, eo ritu quo Orientales actitare volebant, Iudaïſmum reducebat, Chriſtianiſmo derogabat haud parùm. Porrò fidem quæ lædunt dogmata, religionis fundamentum concutiunt. Verùm ritus ille diuerſus Tonſuræ neutrum incommodum afferebat, quandoquidem Tonſuram ipſam Clericalem, Traditionem Apoſtolicam omnes ex æquo faterentur, at circa modum obſeruantiæ variabant, quæ vſus diuerſitas ipſam rei ſubſtantiam minimè deſtruebat, nec ſecum periculoſum, quoad purum Dei cultum, trahebat errorem.

In Hiſpania hæreticos, vt reor, Arianos (nam Gothi hoc contagio infecti, eô Hiſpaniam nonnihil inquinârunt) proprium Tonſuræ modum vſurpâſſe, quem Catholici quidam Clerici propudioſa ac exitiali imitatione ſecuti ſunt, ex can. 41. Concilij IV. Toletani an. 633. celebrati elicimus, qui ſic habet: *Omnes Clerici vel Lectores, ſicut Leuitæ & Sacerdotes detonſo ſuperius toto capite, inferius ſolam circuli coronam relinquant. Non ſicut huc vſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur, qui prolixis vt laïci comis, in ſolo capitis apice modicum circulum tondent. Ritus enim iſte in Hiſpania hæreticorum fuit; Vnde oportet vt pro amputando Eccleſiæ ſcandalo hoc ſignum dedecoris auferatur, & vna ſit Tonſura vel habitus, ſicut totius Hiſpaniæ eſt vſus. Qui autem hoc non cuſtodie-*

rit, fidei Catholicæ reus erit. Scilicet quia hæreticos imitando in Tonſuræ vſu, ſe hoc ſigno eorum prodere videbátur, etiam in dogmate nefando, ſectatores. Attamen ipſe ille ritus, quem commendat Concilium Toletanum, Hiſpanis ferè proprius erat, quo ſcilicet Clerici non Clericali Tonſura *, ſed monaſticâ iubentur inſigniri, detonſo ſcilicet ſuperiùs roto capite, inferiùs ſolâ circuli coronâ relictâ. Cùm cætero toto Occidente ſic differrent Clerici à Monachis, vt hi quidem detonſo ſuperiùs toto capite, inferiùs ſolam circuli figuram relinquerent; At Clerici coronâ in apice expreſſâ toto infrà capite pilos non raderent, ſed perferrent vſque ad aures modeſtè detonſos, quemadmodum ex canonibus, & exemplis ſuperiori libro huius tractatus depromptis, aduertere licet.

* Ioannes Mariana lib. 6. Rerum Hiſpaniæ c. 5. ita hunc exprimit canonē; *Viri ſacrati non verticem tantùm, ſed caput totum capillis in corona figuram conformatis, radunto.*

Radunt Æthiopes ſeu Abyſſini Sacerdotes caput in vertice, in circulum, per modum ſuperioris coronæ. Ad quam formam Rex Æthiopiæ, qui ex quo regio diademate inſignitus eſt *Neghus* communi omnibus Regibus huius regni vocabulo appellatur, poſtquam Sacerdotali more vnctus & coronatus eſt, *Maſih* incipit nuncùpari. In Catalógo ſiquidem omnium Æthiopiæ regum, qui ab inundato terrarum orbe (hoc ſcilicet ab exordio, Monarchiæ ſuæ Æthiopes originem referunt) vſque ad noſtra tempora imperârunt, qui libellus tam Græcis huc vſque, quàm Latinis ignoratus, non ita diu ex Æthiopica lingua in Latinam tranſlatus eſt, hæc leguntur in ipſo ferè limine: *Cùm verò eum coronant appellant Neghus: Poſtremò cùm vertice capitis in coronæ modum abraſô vngitur à Patriarcha, vocant Maſih, hoc eſt vnctum.* Multa enim illi munia tribuunt circa Eccleſiæ politiam, adeò vt præter actus ordinis ſacri proprios, pleraque ſint illi cum Patriarcha (quem *Abunna* vocant) communia, quædam etiam ſingularia habet. At Patriarcha longo dignitatis interuallo Epiſcopis antecellit: qui ſolus ordines conferendi, ordinatos deponendi, & excommunicandi quoſlibet obtinet poteſtatem: Solus ideò ipſe cœlebs, & qui nunquam vxoratus fuerit, nec eſſe poſſit; eligitur à Monachis Abyſſinis degentibus Hieroſolymis ad cuſtodiam ſancti Sepulchri, éxque eorum duntaxat aſſumitur conſortio: electus porrò, ab Alexandrino Patriarcha, Cophtorum Primate confirmatur, & inde cum ſolenni comitatu venit in Æthiopiam ad Ioannem Pretioſum (vulgò *Prete Gianni*) Abyſſinorum Principem, à quo functurus Pontificali officio, actiones ac prouentus recipit ampliſſimos; Nec eo defungente vità alius ſubſtitui poteſt, quàm Monachus Hieroſolymitanus, Abyſſinus origine. Huic duodecim ſubſunt Canonici ſeu Aſſeſſores, quorum operâ & conſortio ac conſilio vtitur in rebus gerendis. Ex his Epiſcopos potiſſimùm delectos conſecrat: Illi verò ab Epiſcopis ex Sacerdotum numero eliguntur. Præter hos omnes Cleri proceres ſignaculo Clericali conſpicuos, plurima habet ſub ſe Sancti Antonij monaſteria, quorum Monachi non cucullis, ſed pileis, tunicíſque prælongis coloris crocei vtuntur, ſtatutíſque reguntur propriis, in cæteris obſeruationibus reliquis monachis ſimiles.

Græci toto ferè Oriente diffuſi, vt fidei antiquæ magna ex parte

deſertores, ſic & rituum iam immemores plurimorum, quos patres eorum ſummâ religione cum vniuerſali Eccleſia dudum obſeruauêre, barbas quidem admodùm ſtudioſè nutriunt, adeò vt imberbes Sacerdotio indignos cenſeant, capillos promiſſos, & à capite in dorſum dependentes Nazaræorum more geſtant, Tonſuræ verticalis aut coronæ, vt priſci canones iubent, gerendæ parùm ſolliciti.

Georgiani at verò Aſiæ populi, maris Euxini accolæ, has qui regiones habitant, quæ olim Albania & Iberia dictæ, nunc vnico vocabulo Georgia appellantur; Iugi Turcici hactenùs expertes, vt non ita abhorrent à Romanæ Eccleſiæ doctrina, ac Græci; Ita nec rituum negligunt paſſim, vt illi, veterum obſeruantiam. Viri quidem Laïci ferè vt Græci paſſim capillos & barbam nutriunt, pileóſque diuerſi coloris geſtant. At Clerici Tonſurâ vbique pergunt inſignes, in vertice coronas rotundas habent, quemadmodum Latini Clerici. Quin & Laïci auito ex more coronas in capite perferunt, at quadras, quo à viris ſacris internoſcantur; quemadmodum oculatus teſtis memorat Cotouicus itineris Hieroſolymitani & Syriaci l. 2. c. 6. p. 200. 202.

In Occidente porrò ſoli Poloni ſunt, apud quos Laïci Tonſuram gerunt à ſede Apoſtolica illis iniunctam. Nota eſt hiſtoria. Cazimiro ſiquidem eorum Rege, Cluniacenſi ex Monaſterio, vbi aſceta & Diaconus erat, ad regnum reuocatô indulgentiâ Benedicti IX. ſummi Pontificis, anno 1041. ſanctione Apoſtolica indictum eſt in rei geſtæ memoriam, vt cæſariem capitis & comam deinceps barbaro more Poloni ipſi non nutrirent, ſed omnes rotundâ capillorum Tonſurâ infra aures eſſent, inſtar Religioſorum, vt rerum Polonarum ſyncerus ſcriptor Longinus refert apud Baronium, ſub annum Domini 1041. Tom. Annal. XI.

CAPVT II.

De forma & modo Tonſuræ Clericalis, eiuſdémque circulari figura.

FORMAM hîc non vſurpamus pro vna ex cauſis naturalibus, quæ ſunt efficiens, materialis, formalis & finalis: neque etiam pro forma informante ratione ſubiecti; neque pro natura per ſe ſubſiſtenti, quæ reſultat ex coniunctione materiæ & formæ; neque pro actu puriſſimo nulli admixto potentiæ, neque pro formali intentione cuiuſdam formæ: neque pro venuſtate & pulchritudine: neque pro formâ argumenti, vel libri diſpoſitione, quæ quadruplex eſſe poteſt; diffinitiua, diuiſiua, diſcurſiua & inquiſitiua: neque pro forma quæ dat eſſe rei, vt pote eius quæ ſit perfectio vel exemplar: At pro ſpecie externa atque modo, rem quibuſdam ſpatiis determinante, & lineamentis repræſentante; ſeu charactere & ſigillo, quô figura quæ-

dam imprimitur, & ſpectantium oculis ſubiicitur, per ſe ſcilicet patens externis ſenſibus, ſine vlla operatione intellectus, & etiam ſine vlla neceſſaria relatione ad quoduis ſpeciale ſignificatum. Item pro rei quantitate, proportione & expreſſione, vnde dicitur res magna vel parua, lata vel ſtricta; rotunda, quadrata, vel triangularis. Sic enim intelligunt canonum conditores quando præſcribunt Tonſuræ & coronæ formam, id eſt modum & quantitatem, ſpeciem, & proportionem.

Hôc igitur ſenſu formæ nomine intellecto, obſeruandum imprimis eſt, canones antiquiſſimos ſimpliciter præcepiſſe Clericis, vt comam non alerent ſed conſtringerent ad breues capillos (vt ſeruatum à S. Cypriano Prudentius meminit). Canon *Prohibete* deſumptus ex Anniceti decretali epiſtola ſuperiùs vindicata, ſic duntaxat habet; *Prohibete fratres per vniuerſas regionum veſtrarum Eccleſias, vt Clerici, iuxta Apoſtolum, comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* diſt. 23. cap. 21. Vbi menſuram coronæ non determinat, nec pro ordinum gradibus ſtatuit differentem. Sic canon *Duo ſunt*, qui prænotatur ex dictis S. Hieronymi decerptus. 12. q. 1. c. 7. coronæ meminit omnibus Clericis communis, nullo modo diuerſæ. Hoſtienſis citatus gloſ. *& Tonſuram*, Clementin. lib. 3. tit. *de vita & honeſt. Clericorum* cap. *Quoniam;* diſtinguit quidem Tonſuram Clericalem à monaſtica; Idémque docet, quod maiorem Tonſuram & altiorem & rotundiorem habere debeat Monachus, quàm Clericus. Sunt qui cenſeant raſuram Clericis non conuenire, ſed Monachis: At in can. præcitato *Prohibete*, Clericis præcipitur vt radant caput in modum ſphæræ; Verùm de vertice id accipiendum, & poſteriores indicant Canonicæ ſanctiones, & praxis vbique recepta, vigénſque etiamnùm oſtendit. Monachis verò Eccleſiaſticæ leges caput non tondere modò, ſed radere, non tantùm in vertice, ſed in toto capitis circuitu, relictô duntaxat tenui pilorum inferiori in parte circulô, paſſim præcipiunt. Iámque obiter ſuprà notauimus hoc diſcrimen, quo Clerici à Monachis perpetua ferè Eccleſiæ politia fuerunt diſtincti atque nunc vſque diſcernuntur, ipſo raſuræ, Tonſuræ & coronæ externo, ſolenníque ſignaculo.

Sed tamen de Clericis miror, quo auctore hæc additiuncula ad marginem gloſæ *debet*, ex titulo canonis *Prohibete*. diſt. 23. irrepſerit, *corona non debet eſſe magna:* cùm canones antiqui ſpectabilem debere eam eſſe adeò ſtatuant, vt vertex nudus appareat: quarti Concilij Toletani canon ſuprà relatus, id apertè inſinuat. Medij æui autem & poſterioris decreta cenſuris grauibus ſubiiciunt Clericos, qui adeò paruam ferunt coronam, vt vix conſpici poſſit. Concilium Saltzeburgenſe ſub Gregorio X. habitum vix admittit diſcrimen inter Tonſuram & Coronam Clericalem & Sacerdotalem: *Edicto perpetuo* (inquiunt illi Patres) *prohibemus ne Clerici comam nutriant, maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, vt pateant eis aures: cæteri inferiores Clerici non multum in Tonſura diſcrepent ab eiſdem, coronam & deſuper congruentem habeant.* Rauennatenſis Synodus paulò pôſt celebrata, exigit etiam latâ hac de re propriâ ſanctione, vt Clerici

coronam & Tonſuram deferant congruentem. Rothomagenſis Synodus nouem poſt annos coacta graui animaduerſione plectendos decernit Clericos minùs congruentem Tonſuram deferentes. Concilium Rauennatenſe IV. conuocatum anno 1317. graduum rationem habuit, ſecundùm quorum ſubordinationem, iubet Tonſuræ & Coronæ ſeruari proportionem, *Ita quòd* (ait ſacer ille Senatus) *ſi in ſacris Clerici fuerint aut beneficiati in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata venerabili, ſecundùm conditionem ſui ſtatus portent latiorem, alij verò mediocrem, vel minorem, ſuis ſtatibus condecentem.* Palentinum Concilium ita grandem tamen, vel minoribus Clericis præſcribit (prout expreſſo ſuperiùs in exemplari patet) vt vix ſit apud nos vel preſbyter, qui maiorem communi vſu deferat. Modum tamen & differentiam adhibuit Concilium Toletanum habitum ſub Sixto IV. can. 14. quô Clericos quidem omnes aſtringit Tonſuræ patenti deferendæ: *Statuimus vt de cætero prædicti Clerici tam coniugati quàm non coniugati, Tonſuram quantitatis vnius regalis,* &c. *deferant.* Quæ forma ad circumferentiam accedit minoris panis azymi conſecrandi pro fidelium priuata communione. Senſim igitur vbi Tonſura excreuerit, per ſingulos ordinum gradus, iuſtâ menſurâ poterit preſbyteralis corona, ad magnitudinem hoſtiæ pro ſacrificio conſecrandæ, proportionaliter peruenire. Commendauit S. Carolus in Concilio V. Mediolan. hanc Tonſuræ & coronæ cuiuſque gradus, & ordinis Eccleſiaſtici conuenientiam, ſub titulo, *De ratione examinis præficiendorum,* vbi decernit, repulſam paſſuros ab examine qui acceſſerint, ſine congrua pro ſui ſtatus ratione Tonſura. Concilium Rothomag. quod ſub Cardinale Borbonio Archiepiſcopo & Legato, conſedit anno 1581. diſtrictè ibidem præcipit omnibus Clericis, vt Tonſuram in capite, & coronam ſuis ordinibus congruentem habeant. Idipſum iubet Concilium Bituricenſe anno 1585. à Reginaldo Archiepiſcopo & Primate conuocatum, huiuſmodi decreto: *Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, clericali Tonſura ſint inſigniti, ad eam formam, quam ratio vniuſcuiuſque ordinis, Epiſcopi arbitrio poſtulabit, ita ſint abraſo capillo, vt Tonſura perſpicua ſit omnibus.* Id præcipit quoque Concilium Toloſanum celebratum à Franciſco Cardinale de Ioyoſa, cum Archiepiſcopatus ſui Coëpiſcopis, quibus non ſatis viſum eſt, iniungere Clericis generaliter, coronam vt perferrent congruentem proprio cuiuſque gradui, at menſuram etiam vnicuique ordini conuenientem inſuper placuit præſcribere: *Tonſura ſit conſpicua* (ait ſacer iſte conſeſſus) *non ea quidem in omnibus Clericis vna, ſed maior Sacerdotalis digitis tribus vndequaque à vertice pateat; duobus Diaconalis, ſemidigito Subdiaconalis anguſtior: minorum ordinum omnium ſit minima, & digito vndique ſit deducta.* Atque hactenùs de forma, modô & menſura Tonſuræ clericalis.

Iam de figura differendum. Figuræ nomen multiplici ſignificatione ſumitur apud Philoſophos & Theologos ſcholaſticos: ex quorum theorematibus S. Bonauentura tres figuræ diſtinguit acceptiones diſt. 48. art. 2. q. 3. in fine lib. 4. *Vno modo,* inquit, *figura dicitur diſpoſitio ex clauſione linearum, & hæc non perit, quantum ad terram quæ omnino eſt orbicularis: Secundo*

cundo modo dicitur figura, exterior rei facies, ſiue pulchritudo; Sic 1. Cor. 7. dicitur, peribit figura huius mundi, & hæc tranſibit: Sicut dicitur in gloſ. non ſubſtantia, ſed pulchritudo: Tertio modò figura dicitur fictio vel fragilitas, à fingo fingis, vt vaſa figuli, & ſic etiam pertranſibit noſtra ſubſtantia; ſcilicet diſpoſitio partium quoad terram, & pulchritudo & fragilitas. Capitur etiam figura pro quacumque re vel pro quocumque exemplo ducente in veritatem rei, & ſic in antiquo Teſtamento manna repræſentabat ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Sumitur & figura pro imagine repræſentante imaginatum, vt imago Crucifixi repræſentat Chriſtum. At prætereà vſurpatur figura pro eo quod extremum eſt, & pro terminis quantitatis, etenim ſumitur pro rei ſenſibilis delineatione, qua ſcilicet còrpus, vel quid corporale, circumſcribitur, eadémque determinatum aſpectu percipitur; quo ſignificatu pro expreſſione ipſa etiam ſumitur, qua res quæuis taliter aut taliter dicitur figurata, & ſic non ad ſolidum corpus tantùm, ſed itidem ad apparens, ſuperficialénique ſpeciem quamcumque, referri poteſt figuræ nomen. Cæterùm eo modo hîc illud accipimus, quo reſponderi ſolet cùm quæritur, quænam ſit rei figura, recta vel obliqua, circulatis vel triangularis? Inquirenti ſiquidem qua figura exprimi debet Tonſura Clericalis? rectè & appoſitè ſatisfaciet qui dixerit, rotundâ, ſeu circulari: quæ enim alia figura expreſſa fuerit, ab vſu & legibus Eccleſiæ Catholicæ deſultabit, nec erit ſignaculum legitimum clericalis militiæ, ſed hæreſis aut ſchiſmatis (cui adhæreat alterius Tonſuræ cuiuſuis figuræ gerulus) patens & notorium indicium.

Externis enim ſignis eiuſmodi infideles, hæretici & ſchiſmatici ſe ab Eccleſiæ fide & ritibus, iam olim (vt doctis ignotum non eſt) diſſentire & abhorrere quaſi ex condicto prodiderunt. In Oriente etiamnum Turcæ, vt Chriſtianis inſultent, tres in vno Deo perſonas adorantibus, iureiurando cùm aliquid firmare volunt, vnum duntaxat ſurſùm digitum erigunt, videlicet indicem, quo ſignificari dicunt Deum eſſe vnum ſine participe, vnitatémque ideò ſe agnoſcere & adorare: porrò abnuere hoc ſignaculo Trinitatem. Sic Soli Euangelico cornutam Lunam opponunt, quam Meskitis ſuis imponunt loco Crucis, per quam Sol iuſtitiæ & gratiæ Chriſtus vniuerſo orbi manifeſtatus eſt. At verò Iacobitæ, Dioſcori & Eutychetis infauſta (quæ etiamnum ſupereſt Hieroſolymis, Damaſci, Alapiæ, Edeſſæ, Muſſulæ aliiſque in Syriæ & Meſopotamiæ vrbibus) progenies, vt ſuum errorem de naturarum in Chriſto permixtione ſigno aliquo exteriore teſtentur & confirment, vnico tantùm digito efformant ſignum crucis, vnicam hoc modò naturam, vt perſonam exprimentes & profitentes. Neſtoriani verò (qui & Chaldæi) ipſum econtrà duobus digitis figurant ſalutiferæ Crucis ſignum, quòd duas in Chriſto vt naturas conſtituant, ita & perſonas comminiſcantur. Græci ſchiſmatici ſuo etiam modò Chriſtiano ipſo ſignaculo abutuntur; Enimuerò vt ſe crucis ſigno muniant, non vti Latini formam crucis manibus exprimunt, ſed ductæ à ſummo ad imum lineæ tranſuerſam ab vno latere duntaxat addunt, vt hoc facto Spiritum Sanctum à Patre ſolo procedere profiteantur.

Luſit Diabolus, vt ſuperiùs memoratum eſt, etiam in Tonſuræ & coronæ differentia. Cùm enim tradidiſſe Apoſtolos non neſciret, vt qui veri Dei miniſtri eſſent comam non alerent, Tonſura verò & corona inſignirentur; Arripuit continuò ex libidine diuinos ritus ac honores æmulandi hunc morem, ſed cum aliquo diſcrimine: vt pruritum contradicendi Deo ſibi medullitùs inſitum non obſcurè proderet, Simonem excitauit Magum, quem Simoni Petro Chriſti ſummo Apoſtolo, quaſi parem pari opponeret. Reſtitit igitur Petro Archiapoſtolo vafer ille apoſtata & funeſtus impoſtor, verbis non modò & operibus, ſed & ſignis; Paradoxa oppoſuit impia veræ fidei dogmatibus, quam Petrus prædicabat; Vera Petri miracula præſtigiis, ſignáque vera ſignis mendacibus impugnauit: Aſſeclas etiam primarios propriâ teſſerâ inſigniuit.. Petrus Clericos veri Dei miniſtros tonſuram gerere iuſſerat; Simon nefarios ſuos ſymmyſtas impióſque cultores etiam tonſurâ voluit eſſe norabiles: ſed quia orbiculari Tonſura Chriſtianos Sacerdotes Petrus inſignes eſſe voluerat, Simon ſemicirculari clientes ſuos, ab illis peculiari quaſi ſignaculo ſtatuit dignoſci, quemadmodum ſuperiori capite ex Bedæ Venerabilis hiſtoria copioſiùs fuit enarrarum.

Apud Græcos irrepſiſſe abuſus circa Tonſuræ ritum, ex genio ſchiſmatico quô aguntur, Latinorum aliqui expoſtulant. Audiendi ramen minimè ſunt, qui eos eo nomine criminantur quòd Tonſuram Clericalem, iterare ſoleant. Rectè enim hunc errorem redarguit Iacobus Goarius Theologus ordinis Prædicatorum in notis ſuis ſuper Euchologium
* Pag. 377. edit. Pariſ. ſeu Rituale Græcorum, rit. de prima capillorum tonſione, vbi ait*: *Duplicem etiam hodie apud Græcos, ſicut quondam apud Latinos, capillorum fieri præciſionem Clericalem: vnam & præcipuam, ante Eccleſiaſticos ordines ſuſcipiẽdos Eccleſiaſtica lege præmittendam: minorem aliam, quæ & detonſum, ſupra ſæcularium ordinem non vehit.* Alij ſunt qui Tonſurá quidem Clericalem perſeuerare apud Græcos fatentur: tamen non conferri cuipiam aſſerunt, niſi cum Lectoratu. Hos prefatus Goarius etiam reprehendit in notis ad tit. de ordinatione Lectoris n. 4. Tonſura (inquit) præuia ad ordines diſpoſitio, nuſquam apud Græcos cum Lectoratus officio confunditur, quin potiùs iuxta Eccleſiæ legem κατὰ τάξιν, licèt ἀδιαιρέτως, lectoratui præmittitur. Ea verò ſuſcepta in Clerum ſe cooptari Clericóſq; euadere, ab antiquo facti ſunt cerſiores. Et infrà n. 9. *Non confunditur (pace quorumdam doctorum, hac tempeſtate ſcribentium dixerim) Clerici lectoriſque apud Græcos inſtitutio. Illius enim terna crucis ſignatione, capillorum tonſione & ſanctæ Trinitatis inuocatione perficitur conſecratio: Huius autem iterato triplici crucis ſigno, manus Pontificis attactu & oratione, inauguratio fieri conſpicitur in ſequentibus. At licèt capitis detonſio coniungi ſoleat lectoratus ordini, in ea tamen Clerici dignitatem ſtare, Canoniſtæ Græci non obſcurè profitentur, Matthæus Blaſtares in Nomocanone verbo κληρικὸς, & Balſamon pluribus locis. Tum in Photij Nomoc. tit. 1. c. 31. Tum ſcholio in can. 33. Trullanæ Synodi.* Quibus verbis attamen Gôarius cauſam ſatis legitimam apertè indigitat, cur illi recentiores Latini ſcriptores, confundi apud Græcos collationem Tonſuræ Clericalis, cum ordine Lectoratus exiſtimauerint. Nempe quòd à Græcis ſimul cum Lectoraru con-

feratur: præter morem vtique priſtinum adhuc in Romana Eccleſia conſtanter obſeruatum: à cuius ſcitis & ritibus quoties Græci receſſerunt, toties aberrarunt à recta Eccleſiæ Catholicæ fide & politia.

Errores alios (Abyſſinos ſcilicet) lubens hîc prætereo, ſuprà obiter deſignatos, qui Tonſuram, Clericalis honoris canonicum ſignaculum, ad laïcos vſque extenderunt, ſolo hoc diſcrimine interpoſito, quô non quidem à Tonſura, ſed à Tonſuræ figura hi ab illis dignoſcuntur, dum Clerici rotundam ferunt, laïci quadram gerunt, vertici inſitam. At verò Romana Eccleſia in petra exaltata, ſemper ſolida, conſtans & inuicta manet; vtque fidem intemeratam cuſtodit, ſic ritus inuiolabiles ſeruat ab Apoſtolis iampridem ſibi traditos. hîc vel vnus argumento eſt manifeſto, quem nunquam ab origine mutauit, vt Clerici comam deciderent, & in vertice tonſuram non quadram, non triangularem, non ſemicircularem gererent, ſed perfectè rotundam.

Circularis ſiquidem figura Deo grata, in eius cultu iam olim frequens & celebris fuit; Leuit. 3. *Iubentur Sacerdotes hoſtiarum ſanguinem per circuitum altaris fundere.* Num. 3. *Columnæ atrij Tabernaculi debent diſponi per circuitum.* 3. Reg. 7. *Salomon perfecit columnas templi, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum vt tegerent capitella, quæ erant ſuper ſummitatem malogranatorum: fecit & mare fuſile decem cubitis à labio vſque ad labium rotundum per circuitum; quinque cubitos habebat altitudinis, & funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius.* 2. Paralip. 4. *Vidit Ioannes dilectus Domini thronum eius, & Iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Apocal. 4. 3. *Et in circuitu ſedis, ſedilia 24. & ſuper thronos, 24. ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ,* &c. *Et in circuitu ſedis quatuor animalia plena oculis antè & retrò.* Ibidem & c. 5. *Angeli ſunt in circuitu throni.* Sed & Arca fœderis circumdabatur *coronâ aureâ in circuitu*, Exod. 25. & quatuor circuli aurei annexi erant quatuor angulis, duo in latere vno, & duo in altero. Et menſa panum propoſitionis habebat labium vnum per circuitum, & in ipſo labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper eam *coronam aureolam*: quatuor quoque *circulos* in quatuor angulis per ſingulos pedes. Subter coronam erant *circuli aurei* per quos mitterentur vectes quibus ipſa menſa portaretur, eodem cap. & cap. 26. præcepit Moyſi Dominus vt faceret quinquaginta *circulos aureos*, quibus cortinatum vela iungerentur: inſereret quoque columnis *per circulos* velum hyacinthinum & purpureum, intra quod poneret arcam teſtimonij, quô & Sanctuarium, & Sanctuarij Sanctuaria diuiderentur. Currum porro gloriæ Domini vidit * Ezechiel euectum quatuor rotis volubilibus ſic in orbem connexis, *vt rota eſſet in medio rotæ*, erántque *oculi & circuli in circuitu rotarum*, quas Cherubim, quò volebant, impellebant. * Ezech. 10.

Cæterùm Deus non tantùm delectatur circulis, ſed & ipſe circulo deſignatur: Noſter ſiquidem & circulus eſt & centrum, *in quo* (vt ait Apoſtolus Act. 17.) *viuimus & mouemur & ſumus*: Ideò Hebræi ineffabile Dei nomen, non ſine aliqua religione circulo claudere conſueue-



rant, tribus *Iod cametz* ſubſcribentes, in hunc modum *.

Et veteres Platonici * bonitatem in centro collocabant, pulchritudinem in circulo: centri nomine Deum intelligentes, circulo mentem, quæ aſſiduè circa Deum voluitur, ſignificantes; vel potiùs Deum aſſimilantes centro, ſimul & circulo; centro propter bonitatem, circulo propter æternitatem & immenſitatem quâ cuncta comprehendit. Sed noſtri Theologi *Verbum abbreuiatum* & *in carne manifeſtatum* cenſent etiam circulo optimè deſignari: adeò vt in Chriſto natura humana circumferentiæ loco ſit, centrum ſit diuina, quia immobilis & immutabilis. Pulchrè, eleganter & acutè Sanctus Bonauentura explicans illa verba Dauidis Pſal. 11. *Impij in circuitu ambulant. Deus*, inquit, *humanatus dicitur eſſe circulus, vt circumferentia humanitas, centrum autem diuinitas dicatur: circumferentiam facit pes circuli mobilis, in centro eſt pes immobilis; nam humanitas mobilis, ſed diuinitas immobilis eſt. Impij in circuitu ambulant, quia humanitatem, non diuinitatem credunt*. Nam Iudæi Chriſtum hominem aſſerunt, Dei filium diffitentur. Cæterùm Chriſtus ſimul eſt circulus & centrum. Dicit Dominus ipſe, *Ego ſum* A & Ω *principium & finis*, & tamen principium & finem non habet, vt circulus qui vndequaque rotundus eſt & nulla ex parte finitur, nuſquam incipit, nuſquam deſinit, vndequaque ſibimet ſemper æqualis. & ſimilis proinde & immutabilis. Quamobrem Apoſtolus de Chriſto ait (vnico noſtro centro & circulo, cùm ipſe ſit via, veritas & vita) *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula*. Heb. 13.

* *Cælius Rhodiginus in Exord. lect. Antiq.*

Apoc. 1.

Græci Euchariſtiam conſecrant in pane vt plurimùm quadrato, tametſi enim & rotundam figuram aliquando adhibeant, frequentiùs tamen & libentiùs quadrâ vtuntur, quemadmodum ex ſigillo ipſorum oblationis conſtat, quod lib. 3. Panopliæ Epiſcopalis cap. 5. typis excuſum protulimus. Patet etiam ex eorum Liturgia. quòd ſi quandoque rotundam admittunt formam in pane conſecrando, quadram in circulo exprimunt, & quatuor ſemper adhibitis inciſuris ex toto pane eximunt ad conſecrandum. Parum hoc eſſet, ſi ſuo ritu contenti eſſent; Sed hòc nomine ſugillare nos Latinos non verentur, quòd in azymis hoſtiam offeramus figurâ circulari: *Non rectè in hoc quoque faciunt Latini* (ait Simon Theſſalonicenſis) *nam Chriſtus incarnatus eſt; corpus verò conſtat ex* (quatuor) *elementis*; Pulchrum reuerà acumen, & dignum homine Græco! qui tamen huius ſuæ argutiæ leuitatem ipſe non neſciens, alias ſubinde congruentias accommodat, vt quod nimirum totus mundus quatuor partes habet, cuius verbum fabricator exiſtit. Et quia omnes fines mundi, cæleſtia item & terrena, verbum incarnatum ſanctificauit; poſtremò etiam, quia figura huiuſcemodi panis crucem exprimit, per quam ipſi affixus ſaluator, oblatus & mortuus eſt. ſed ſi his conuenientiis niti liceat, cur non etiam triangulari figu-

Pag. 144.

râ Græci garruli exprimunt conſecrandam oblationem? quia Chriſtus tertia die reſurrexit, & mittens Apoſtolos ſuos prædicare Euangelium, vniuerſum per orbem, iuſſit vt docerent omnes gentes baptizantes eos in nomine diuinæ Trinitatis. Plura his ſimilia addi poſſent, quæ operæpretium non eſſe arbitramur. Paucis vt rem expediam, candidè dico haud damnatos fuiſſe Græcos vnquam à Romana Eccleſia, hæreſis vel erroris, propter quòd quadrangulari figura efforment Euchariſtiæ materiam, iiſque perſuaſi congruentiis ſic faciant, quas ſuprà expreſſimus. Crucis memoriam in hoc celebrari diuino myſterio ipſa Romana indubitanter agnoſcit, vnde imaginem Crucifixi Domini paſſim imprimendam ſtudet azymis conſecrandis, ac crucis ſignaculum pluries efformat in ſacrificio. Cæterùm perperàm ipſa inſimulatur erroris à Græcis ideò quòd circulari figura in oblatione vtatur, ſiquidem mos iſte ab initio religionis inualuit, & apud veteres Græcos etiam obſeruatus eſt, quemadmodum ex teſtimonio liquet Sancti Epiphanij in Ancorato circa medium. * *Videmus*, inquit, *quod accepit Saluator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quod ſurrexit in cœna & accepit hæc, vbi gratias egiſſet dixit, Hoc meum eſt hoc.* ** *Et videmus, quod non æquale, neque ſimile, non imagini incarnatæ, non inuiſibili Deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim eſt rotundæ formæ, & inſenſibile quoad potentiam, & voluit per gratiam dicere; Hoc meum eſt hoc. Et nemo non fidem adhibet ſermoni; Qui enim non credit eſſe ipſum verum, ſicut dixit, is excidit à gratia & ſalute.* Id etiam teſtatur ſanctus Chryſoſtomus hom. 83. in Matth. ad caput 26. vbi ſic docet & compellat Sacerdotem; *Qua igitur re, non oportet eſſe mundiorem eum qui hoc ſacrificiò participaturus eſt: quos radios ſolares manus non deberet excedere, quæ hanc coronam pertractat.* Vbi oblationem conſecrandam idcirco deſignat coronæ nomine, quòd formâ expreſſa ſit circulari: Quo nomine coronæ ex antiquo vſu Sanctus Gregorius deſignaſſe hoſtias offerendas inuenitur lib. 4. Dialogor. capite 55. vbi conſecrandas duas hoſtias (vt vocamus) *oblationum coronas* appellat, ob figuram ſcilicet circularem, quâ erant confectæ. At verò hæc figura quàm aptè & conuenienter vſitata ſit in hoc myſterio, ipſa ex ratione patet, quam præfatus Simon Theſſalonicenſis ex Latinorum dictis obiter refert atque notat. *Verùm Latini aiunt* (inquit) *figuram circularem diuinitatem Chriſti ſignificare, quæ principio & fine caret;* Nec enim cuiuſquam momenti eſt quòd contrà obiicit. *At nos qui rectè ſentimus, ait, quorſum hæc? non enim de diuinitate nunc ſermo eſt, ſed myſterium incarnationis & paſſionis prædicatur, & quæ ad humanitatem & crucem ſpectant exprimuntur.* Spectabilis profectò argutia! Quaſi verò hîc Myſteria Incarnationis & paſſionis commemorarentur propter ſolam humanitatem, diuinitate ſeclusâ? Nonne Verbum caro factum eſt? Nonne qui paſſus in cruce erat Deus & homo? An ſola humanitas vel ea præcipuè nos ſaluat & viuificat? Vel ſolùm mortis hîc celebraretur memoria; & non etiam reſurrectionis & aſcenſionis & regni Chriſti, cuius vt prædixit Angelus *non erit finis?* Continet diuinum hoc myſterium totius diſpenſationis Domini perenne moni-

* Ὁρῶμεν ὅτι ἔλαβεν ὁ σωτὴρ εἰς τὰς χεῖρας αὐτοῦ, ὡς ἔχει ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ, ὅτι ἀνέστη ἐν τῷ δείπνῳ, καὶ ἔλαβε τάδε. καὶ εὐχαριστήσας εἶπε, τοῦτό μού ἐστι τόδε. καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσον ἐστὶν, οὐδὲ ὅμοιον, οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς καὶ ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν. καὶ ἠθέλησε χάριτι εἰπεῖν, τοῦτό μού ἐστι τόδε, καὶ οὐδεὶς ἀπιστεῖ τῷ λόγῳ. ὁ γὰρ μὴ πιστεύων εἶναι αὐτὸν ἀληθινὸν, ὡς εἶπεν, ἐκπίπτει τῆς χάριτος.

** Sancti Patres vulgò ſecretare cauebant verba conſecrationis, vt ex hoc patet S. Epiphanij loco, & teſtimonio S. Baſilij lib. de Spiritu Sancto c. 7.

mentum; proinde circulum illum repræſentat, *quô à patre exiuit & venit in mundum*, demúmque *exiuit à mundo & redit ad patrem*; circulo illo perfecto de quo patrem ipſum obteſtans, in ſuæ paſſionis procinctu

Ioan. 17. dicebat: *Ego te clarificaui ſemper ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi vt facerem, nunc autem ad te venio, & hæc loquor*, &c. *vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis.* Hæc eſt illa anacephalæoſis, quam filius Dei pro noſtra ſalute & felicitate peracturus in mundum venerat. Qua expletâ Apoſtolus gratulabundus exultat, *Gratias*, inquit, *agamus Deo* (& vbi, & vnde, Deo maiores gratiæ quàm per ſacrificium

** Vide S. Chryſoſt. hom. 26. in Matth. Et S. Aug. lib. 1. cont. aduerſar. leg. & prophet. c. 8.*

Miſſæ rependuntur; quod ideò Euchariſtia ſeu gratiarum * actio nuncupatum eſt?) *qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum*, &c. *quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem* (gratiæ) *inhabitare & per eum reconciliare omnia, in ipſum* (quia ipſe eſt initium & finis) *pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt.* Col. 1.

Peractô ſacrificiô tulit mos veterum, circulum in ara illinire ex ſanguine hoſtiarum, quem phialâ religioſiſſimè collegiſſent, idque erat

Pierius Valer. lib. 39. Hierog.

ſacrum illud verbum τελείωσθε, quod perfectionis indicium eſſe dicebant: decere enim vt perfecta ſint & ab omni parte abſoluta, quæ in Dei, omnis perfectionis principij & exemplaris honorem cultúmque fiunt. Ideò Chriſtus Dominus factus Patri obediens in cruce vſque ad mortem, noſtræ redemptionis peractô ſacrificiô, circulum impletum ſuæ patientiæ, obedientiæ, humilitatis, noſtróque pro peccato ſatisfactionis, & æternorum bonorum (quorum Pontifex erat, quæque nobis promeruerat) pretij pronunciauit, dum voce clamauit magnâ, *conſummatum eſt*. Nec enim quicquam reliquum erat, quod votis omnium hominum & Angelorum adimplendis, & diuinæ iuſtitiæ ac gratiæ clarificandæ deſiderari poſſet. Hócque itidem monimento docuit, omnes in poſterum Sacerdotes, quos vice ſua æterni nouique Teſtamenti miniſtros delegerat, vt ſacrificium illud quod in memoriale perenne ſuæ mortis, & teſtimonium extremæ ſuæ in nos charitatis inſtituerat, Deo patri nunquam offerrent quin memores eſſent, tantum opus quantâ poſſent puritate, humilitate, pietate & reuerentiâ exequendi: Circulum igitur perfectæ deuotionis, & obſeruantiæ à ſe exigi intelligerent, omníque ſtudio cõtenderent hunc ſuis actibus & affectibus exprimere. Cúmque omnes Eccleſiaſtici gradus ad huius ſacrificij celebrationem ſpectent, atque tam inferiores quàm ſuperiores Clerici potiſſimùm ad altaris miniſterium ordinentur, omnéſque ordines vt in Sacerdotio cõſummantur, ita in tremendi huius ſacrificij peractione terminantur, quæ omnium ſit ſumma & perfectiſſima, vt pote prima & vltima rerum ſacrarum linea, & ſupremus myſteriorum omnium Chriſtianæ Religionis apex; Idcircò circulo ſacræ tonſuræ ſe conſignatos animaduerterent, vt ad perfectionem Chriſtianam deberent totis viribus eluctari. Nec ſatis enim eis eſſe incipere, neque etiam proficere, niſi & in ſe perfici, & cæteros perficere, quàm ardenti deſiderio conniterentur, vt tandem creditæ perfecto diſpenſationis circulo, cum

Apoſtolo qui meruit vas eſſe electionis, poſſent, exilientes de feliciter peracto palæſtræ huius decurſu, epinicium iſtud meritò ſibimet occinere, *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* 2. Timoth. 4.

Pudeat, circulum inchoare & non abſoluere: In Euangelio Dominus ſtultum illum hominem meritò habendum iudicat, *qui cœpit ædificare & non potuit perficere.* Angelus in Actis S. Furſæi, iram Dei interminatur Doctoribus Eccleſiæ & rectoribus animarum, qui opus Dei imperfectum relinquunt, *Viri namque* (ait) *dimidij operis ſunt*, ſcilicet qui dicunt & non faciunt, vel qui faciunt, at non perficiunt, opera etiam bona, quæ exordiuntur. *Circulus* (ait Philo libro de victimis) *perfectiſſima eſt figura*, perſeuerantia verò eſt virtutum corona: Etſi enim *omnes virtutes ad brauium currant, ſola tamen perſeuerantia coronatur*, ait Petrus Bleſenſis ep. 56. Admonetur igitur quiſque Sacerdos & Clericus ipſo ſignaculo quod in vertice gerit, ſibi forti animo contendendum ad coronam gloriæ & honoris, quam Chriſtus ſolis ſuis pugilibus, qui fidei & iuſtitiæ integrum agonem percurrunt, pollicitus eſt: *Eſto*, inquit, *fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. Qui igitur vſque ad finem non perſtiterit fortis & fidelis, minimè hoc præmio potietur: *non enim coronabitur*, ait vas electionis, *niſi qui legitimè certauerit*, at ille non legitimè depugnat, qui certare quidem incipit, ac priuſquàm vicerit, retrocedit.

Tonſura, quam in modum coronæ perferunt Clerici, excellentiæ eorum dignitatis indicio eſt, ſiquidem noui Teſtamenti regale eſt Sacerdotium, *Et hoc deſignat corona in eorum capite, can. Duo ſunt. 12. q. 1.* At dolet non immeritò S. Bernardus quòd *totus zelus Eccleſiaſticus ferueat pro dignitate tuenda*, quòd *totum honori detur, ſanctitati nihil aut parum.* Videre eſt enim paſſim Clericos de ſua dignitate gloriari, iactare Sacerdotij ſuper omnes mortalium apices, diuinum decus; quod etiam illâ ſacrâ, quam gerunt, coronâ ſignificari non infrequenter prædicant. Nec falſa eſt illa gloriatio, ſi quis ſic glorietur vt non in ſeipſo, *ſed in Domino glorietur*; Vt enim Domini regnum, ita & Sacerdotium, opus & donum eſt, hócque illo etiam præſtantius: ſed re bona, illi non benè vtuntur qui in alium finem, ab eo in quem ab auctore ordinata eſt, detorquent. Piè & cordatè S. Chryſoſtomus hom. 60. ad popul. tumentes Eccleſiæ miniſtros ob dignitatis honorem & ſplendorem ornatus, hac apoſtrophe perſtringit: *Ad vos miniſtrantes hæc dico. Deus hoc vos inſigniuit honore, non vt albam & ſplendentem tunicam circumeas induti, ſed vt talia dona & myſteria diſcernatis; Hoc veſtra dignitas eſt, hoc ſecuritas, hoc omnis corona.* Et verò non ad typhum, ſæculique faſtum, dignitatis ſacræ tam ſplendida inſignia Eccleſia conceſſit Clericis, ſed ad myſteriis conciliandum congruum decus, & viros Eccleſiaſticos commonefaciendum potiùs muneris & oneris, quàm honoris cogitatione erigendum. Appoſitè ideò & eleganter ſuum Eugenium Bernardus ſic compellabat; *Curam potiùs hæreditaſti quàm gloriam: Blanditur Cathedra,*

ſpecula eſt. Inde denique ſuperintendis, ſonans tibi Epiſcopi nomine non dominium, ſed officium, diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro. De conſider. lib. 2. c. 6. Et infrà eodem cap. *Agnoſce hæreditatem tuam in Chriſti cruce, in laboribus plurimis. Exi in agrum Domini tui,* &c. *non tanquam dominus, ſed tanquam villicus videre & procurare vnde exigendus es rationem.* Neque ab hoc ſenſu abludit præcitatus canon *Duo ſunt*, conflatus ex dictis S. Hieronymi, qui vbi dixiſſet *in ſignum regni Clericos corona verticali* inſigniri, mox ſubiungit, ne de hoc inſigni regio faſtuoſi & deſides perperam ſuperbirent, ſed apprimè perpenderent quorſum hæc corona? *Hi namque ſunt reges, ſi ſe & alios in virtutibus regunt; & hoc deſignat corona in capite: hanc habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum regni* (non quod hoc in mundo poſſidetur) ſed *quod in Chriſto expectatur.* Chriſtus profectò non priùs in cœlo ſalutatus fuit Rex Angelorum, quàm in cruce fuit inſcriptus Rex Iudæorum: nec coronam adeptus eſt honoris & gloriæ, niſi poſtquam ſerto contumeliæ fuit redimitus; ſpineam portauit coronam, antequàm diadema decoris & virgam regni de manu Patris reciperet: *Videmus Ieſum*, ait Apoſtolus, *propter ignominiam paſſionis gloria & honore coronatum.* Non eſt idcirco quòd Clerici ſibi de corona hac, qua inſigniuntur, admodùm blandiantur, ſignum eſt Chriſti humilitatis & patientiæ, doloris & anguſtiæ, ac denique mortis, non autem maieſtatis, principatus, poteſtatis & gloriæ. Pulchrè apud Bedam Ceolfridus Abbas ſanctiſſimus: *Quia Petrus in memoriam dominicæ paſſionis ita attonſus eſt, idcirco & nos qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus ipſius paſſionis ſignum in vertice, ſummâ videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Et infrà. *Formam itaque coronæ, quam ipſe in paſſione ſua ſpineam portauit in capite, vt ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt exportaret & aufferret à nobis, ſuo quemque in capite per Tonſuram perferre, vt ſe etiam irriſiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant, vt coronam vitæ æternæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper expectare, próque huius perceptione, & aduerſa ſe mundi, & proſpera contemnere deſignent.* Hæc vir ille ſanctus, piè & Chriſtianè.

Coronam hanc igitur Clerici potiùs in ſignum humilitatis & patientiæ, quàm honoris & gloriæ perferre debent. Quamquam fortunata vice ſpinæ flores aliquando immarceſſibiles germinabunt, cùm Dominus lugentes Sion conſolabitur, *& dabit eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.* Rectè Petrus Abbas Cellenſis libro 2. myſticæ expoſitionis Moſaïci Tabernaculi: *In circulo*, inquit, *humilitatis exaltatur: nam qui ſe humiliter demittit, in cælum tandem euehetur, quod humilitatis fructus eſt.* Planta enim humilitas eſt, quæ cœlum pro fructu habet, quemadmodum præclarè dixit S. Baſilius Epiſcopus Seleuciæ orat. 28. *Cælum rotundæ eſt figuræ, æternitatiſque domicilium eſt, ideò humilitas qua acquiritur, non ineptè circulo comparatur.* Vulgare adagium eſt, *Minorem circulum maiore contineri;* Sed hîc econtrà, minor maiorem comprehendit dum obtinet, ſuóque merito includit.

Sed & ex alia ratione circulo, humilitas comparatur; debet enim illa, vt

vt vera ſit, nos ab omni parte munire, vt noſtra omnia humilitatem ſapiant, humilitatem redoleant, nihil à nobis exeat, quod per humilitatis circulum, qui nos ambire debet, non tranſeat; Perfectus circulus non erit, ſi aliqua fictam tantùm humilitatem præ ſe ferant, cætera tumoris plena ſint atque iactantiæ: nihil tamen ſublimius vera humilitate, quam ideò rectiſſimè S. Nilus orat. de ſuperbia, nominauit *domus coronam.* Perfectum illum circulum ambitúmque eapropter Deus ſignatim commendauit, cùm in nouæ domus ædificatione præcepit vt murus tecti in circuitu fieret, qui velut corona, ambiret totum ædificium, ſicque præcaueretur caſus; Deut. 22. *Cùm ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum ne effundatur ſanguis in domum tuam, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.* Quod diuinum edictum eleganter ſic ediſſerit S. Dorotheus doctrinâ 14. *Tectum charitas eſt, quæ eſt perfectio virtutum omnium vti tectum domus. Poſt tectum quoque circùm corona opus eſt; eſt enim in lege præceptum; ſi ædificaueritis vobis domum circùm coronam illi apponite, ne cadant paruuli veſtri ab alto. Corona hæc humilitas eſt, ea enim coronat & ſeruat virtutes omnes, & omnis virtutis perfectio eget humilitate.* Audin tu Clerice, qui coronam in vertice geris ſeu circularem tonſuram, quid ea deſignat? Eſt quaſi in faſtigio ſuper tectum circulus, quæ ædificium ſimul & tectum vndequaque circumcingit & ornat, munit & tuetur. Nihil abſque hac virtute igitur in te pulchrum, nihil perfectum, nihil tutum exiſtimes. Cæterùm cum hac, meritò reliqua non tantùm pulchra & perfecta, ſed in tuto poſita eſſe, eſt quod pro certo habeas perſuaſum.

CAPVT III.

Significationes cùm morales, tum myſticæ explicantur, Tonſuræ Clericalis.

MIRA fuit iampridem populorum circa pilos varietas: Nam apud Romanos olim, capillos & barbam radere, ingenuitatis indicium erat: intonsâ verò eſſe comâ & barbâ, nota erat ſeruitutis. Ferunt enim ante annum CCCLIV. ab Vrbe condita tonſores in Italiam non veniſſe, Romanóſque vſque ad hæc tempora fuiſſe intonſos: Tum verò Ticinius Mena, Tonſores primus omnium ex Sicilia in vrbem adduxit, & mos inoleuit vt ingenui qui eſſent, attonderent comam, barbam at verò raſitarent, quod ſeruis inhibitum erat, qui cæſarie intonſa, hirtóque capillo eſſe iubebantur. Franci ex quo ſui iuris facti, in Romanos inſurrexerunt, econtrà crinitos Reges habuerunt, regióque prognatos genere ab eodem indicio internoſci voluerunt: promiſſa enim barba, intonſúſque capillus regiæ nobilitatis inſigne erat notiſſimum. Cuius moris monimento verſus eſt Claudiani ad Stiliconem,

Ingentia quondam
Nomina, crinigero flauentes vertice Reges.

Et verò Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Franc. ſcribit multos memoriæ tradere Francos digreſſos finibus Pannoniæ, primùm circa ripas Rheni incoluiſſe, deinde tranſito Rheno Thuringiam tranſmeâſſe, ibíque *reges crinitos* ex nobilitate delectos, qui pagis aut ciuitatibus præeſſent, & militiam ducerent, creauiſſe. Clodionem attamen, quem primum à Phatamundo, qui inuaſerit Gallias Franci numerant, ideò *comatum* appellatum quidam putant, quòd capillos intonſos primus geſſerit. At ſunt qui ſecùs opinentur, freti præſignato Claudiani teſtimonio, quo Marcomerem Clodionis auum, ac Sunnonem maiorem eiuſdem patruum decantat Reges crinigero vertice flauentes, hoc eſt flauos & crinitos à cæſarie intonſa & rutilante. Vnde etiam in actis S. Ægidij, Francorum Princeps, cui in ſylua Nemauſenſi venanti vir ille ſanctus innotuit, *Rex Flauus*, communi Regum Francorum cognomentô nuncupatur*. Quicquid ſit, hoc eruditorum neminem fugit à Francorum ſaltem in Gallias ingreſſu, Reges crinitos extitiſſe, continuóque more, quandiu viguit prima ſtirps regia; de cuius regibus teſtimonium eſt illuſtre Eginardi Caroli Magni alumni, dum ita litteris commiſit: *Et opes*, inquit, *& potentia regni penes Palatij Præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos ſumma imperij pertinebat, erant; neque Regi aliud relinquebatur, quàm vt regiô tantùm nomine contentus, crine profuſô, barbâ ſummiſſâ, ſoliô reſideret ac ſpeciem dominantis effingeret.* Locùs hic non eſt per ſingula exempla diſcurrendi, quæ eruditis explorata ſunt. Apud Græcos conſtat Philoſophos minimè raſos, ſed omnino intonſos fuiſſe: vnde iſtud Plauti dicterium in Rudente; *Capillum promittam opportunum eſt, occipiámque hariolari.* Apollonium Tyanæum inſignem illum præſtigiatorem inceſſiſſe comatum, teſtis eſt Philoſtratus, ac Domitiani iuſſu per opprobrium fuiſſe raſum. Et verò Hebræos iam olim raſuram etiam apud vulgus, ingenti probro duxiſſe docet ſacra hiſtoria, dum memorat Hanonem Regem Ammonitarum per ludibrium Legatos Dauid decaluâſſe & raſiſſe: ſicque ad ipſum remiſiſſe præciſis etiam tunicis: qui cùm hoc Dauid ſignificâſſent, iuſſi ſunt ab eo manere in Hiericho, donec crines eorum repullulâſſent, 1. Paral. 19. Tonſuram tamen vſui fuiſſe Hebræorum in certis ritibus facilè colligitur ex ſacris ſcripturis, Num. 7. Nazaræi non tondebantur & in omni tempore ſeparationis ſuæ cautum erat, ne nouacula ſuper eorum caput tranſiret (niſi quando fortuito caſu mortuus fuiſſet quiſpiam coram eis). Huc ſpectat illud Angeli ad matrem Samſonis, cuius ortum prænunciabat, *Non tanget caput eius nouacula, erit enim Nazaræus Dei, ab infantia ſua, & ex matris vtero*, &c. Iudic. 13. Verùm reliquis Hebræis tonderi fas erat ex ipſa Lege, quæ etſi ipſis vetet, ne comas tondeant in rotundum Gentilium more, abſolutè tamen non prohibet illos modeſtiæ gratiâ attonderi, barbam ſolùm radi inhibet Leuit. 19. quanquam Sacerdotibus barbam, & capillos radere vetitum omnino eſſet, Leuit. 21. Ezech. 44.

*Vide diſceptatiunculam mihi dicatam, R. D. Aloyſij à Limbourg, cœnobij S. Ægidij apud Legiam Eburonum Abbatis, de S. Ægidij ætate. Inſerta eſt faſciculo opuſculorũ meorum Miſcellaneorũ Pariſiis edito apud Robertum Stephanũ anno 1629. in limine mei opuſculi de ipſo S. Ægidio.

Ferunt apud Indos, qui maximum aliquod delictum perpetrauerat, iuſſu Regis conſueuiſſe tonderi. Iam olim apud Francos itidem moris fuit, vt raſura vel tonſura eſſet ſignum ignominiæ. Gregorius Turonen-

Digitized by Google

ſis lib. 2. hiſt. Franc. c. 41. refert Charaticum Regem à Clodouæo vinctum, & per dedecus tonderi iuſſum. Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum ex priſcis monimentis denarrat, antiquis Francis in pœna fuiſſe grauiſſima, tonderi. Apud Longobardos mos idem obtinuit, ſicut patet ex lib. 1. Legg. Longob. tit. de damn. in via dato, lege fin. qua Imperator Ludouicus ſic ſtatuit, *Volumus, vt ſi qualibet perſona, in finibus regni noſtri, ignem in ſylua comminare auſa fuerit, diligenter inquiratur; & ſi ſeruus comprobatus fuerit hoc feciſſe, dominus eius ad flagellandum & caput tondendum tradat, aut pro eo quicquid damni fecerit emendet.* Nec aduerſus viles perſonas hoc pœnæ genus pridem apud Longobardos vſurpatum, ſiquidem cùm Aribertus ipſorum Longobardorum XXVI. Rex, Fæodonem Regem & Rotharium ducem Bergonum cepiſſet, eorum barbam & caput radi iuſſit, & apud Taurinum in exilium retruſit, prout memorat Paulus Diaconus, huius gentis hiſtoriæ lib. 6. c. 6.

Aliud tamen eſt tondere capillos, aliud verò caput radere: hoc paſſim ignominiæ, illud honoris aliquando & religionis apud Ethnicos indicium fuit. Athenienſes cùm ex ephœbis exceſſiſſent primitias crinium deferebant, & quum anteriorem comam circa tempora, aut poſteriorem crinem Apollini & fluminibus tonderent, æuo ſuccedente, Theſeus anteriorem capillum Delphis dedicauit. Vnde Theſeis tonſura prodita eſt, cuius exemplo iuuenes, quum ex ephœbis exceſſiſſent anteriorem comam Phœbo, aut Æſculapio, aut Liberio obtulêre; idque omnibus Græcis vulgo factitatum fuiſſe demonſtrat Petrus Victorius lib. 6. Variarum c. 22. Ex Homero id etiam elicitur ΙΛ. Ψ. vbi ait Achillem dedicaſſe crinem Σπερχείῳ ποταμῷ. Et ΟΔ. γ. refert Neſtorem Palladi ſic ſacrificaſſe. Apud Romanos moris fuiſſe magnæ indolis adoleſcentibus primam lanuginem diis conſecrare, res notior eſt, quàm vt probatione indigeat. Plinius quoque tradit lib. 16. hiſt. natur. Codd. 44. Veſtalibus ademptum capillum, & ad Loton quandam arborem in Lucinæ area delatum. Generaliter verò Gentiles capillos ſuos diis dedicaſſe tradit Lucianus in Dea Syria, ſub finem. Cuius moris vt apud Ethnicos celebris, etiam Chriſtiani auctores pridem meminêre, vt videre eſt apud Cyrillum lib. 18 de adoratione, Theodoretum ad cap. 19. Leuit. q. 28. & Anaſtaſium in qq. S. Scripturæ q. 64. &c. Qui auctores non hoc nomine reprehendunt hunc morem, quaſi per ſe malus eſſet: ſed quòd in cultum pſeudonuminum impenderetur; Sic Apoſtolus reprehendit Gentilium ſacrificia; *quoniam quæ immolant gentes, dæmoniis immolant & non Deo*, 1. Cor. 10. 19.

Deo ſiquidem iam olim probatam capillorum deciſionem, quæ fieret voti cauſa, ex Numerorum c. 7. vbi ritum Nazaræorum præſcribit, perſpicuum eſt, *Omni tempore ſeparationis ſuæ nouacula non tranſibit ſuper caput eius, vſque ad completum diem, quo Domino conſecratur. Sanctus erit creſcente cæſarie capitis eius*, &c. *Cùm dies quos ex voto decreuerat complebuntur, adducet eum* (Sacerdos) *ad oſtium tabernaculi fœderis, & offeret oblationem eius Domino*, &c. *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi fœderis, cæſarie conſecrationis ſuæ; tollétque capillos eius & ponet ſuper ignem qui eſt ſuppoſitus ſacri-*

ficio pacificorum, &c. *Iſta eſt lex Nazarei, cùm vouerit oblationem ſuam Domino, tempore conſecrationis ſuæ.* Ex quo ritu defluxiſſe Clericalis Tonſuræ morem, auctoribus Apoſtolis, S. Iſidorus docet lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 14. *Huius exempli vſus*, inquit, *ab Apoſtolis introductus eſt, vt ij qui in diuinis cultibus mancipati Domino conſecrantur, quaſi Nazarei, id eſt ſancti Dei, crine præciſo innouentur.*

Prima igitur hæc cauſa eſt huius ritus, *ſignum conſecrationis*, ſcilicet, qua qui Clero adſcribitur diuino cultui, & obſequio ſeſe profitetur ſpeciali quadam deuotione conſecratum. Et hæc ideò dicitur *prima Tonſura*, quæ initiati verticis ſignaculum eſt, dum quiſpiam diuinis miniſteriis ſe primùm inſcribit, & tyrocinium militiæ cœleſtis profitetur, detonſo leuiter ab Antiſtite capillo cap. *cùm contingat* c. 11. *de ætate & qual.* & c. 1. diſt. 79. Dicúntque interpretes primam hanc Tonſuram vel coronulam eſſe ianuam omnium ordinum, in Clement. 2. *de Vita & honeſt. Cleric.* d. cap. *cùm contingat.* Adeò vt qui ea teſſera caret, ſit eo ipſo incapax beneficiorum Eccleſiaſticorum, quia per eam cæremoniam fit Clericus. Et ideò Tonſuræ canonicam ſuſceptionem probare oportet, nec ſufficit habitum fuiſſe aliquem pro Clerico, niſi de litteris Tonſuræ doceat, vt ait Dominicus Conſt. 91. incip. *Præmitte primo.* Sunt qui putent Tonſuram ſic eſſe ſignaculum clericatus, vt exteriori indicio repræſentet interiorem characterem, quem Theologi animæ initiati docent imprimi virtute diuina, & nunquam ideò poſſe ab homine deleri vel auferri. ſed vt verum hoc eſſe in ſacris ordinibus non debet reuocari in dubium, ſic de prima Tonſura, qua fit ſimplex Clericus minimè admittendum eſt: quia nullus character in anima per eam imprimitur, cùm nullam conferat poteſtatem, nec vllum miniſterium in Eccleſia obeundum. Vnde conſtans eſt Theologorum & Canoniſtarum ſententia, quòd Tonſura ipſa non ſit ordo, ſed mera diſpoſitio ad ordines, & velut tyrocinium, ſine quo ad militiam dudum accedere non licebat l. 1. de Tyrann. lib. 12. c. ſicut enim ex tyronibus milites arceſſebantur, ita nonniſi ex clericis ſimplicibus, ſeu prima Tonſura inſignitis, vt ex Seminario Eccleſiaſtico, aduocantur ad ordines non minores tantùm, ſed & maiores ſacræ militiæ: Qua de re extat præclara commonitio, Synodi Epiſcoporum Illyrici, Valentiniani pridem iuſſu, & Liberij auctoritate celebratæ, ad Epiſcopos Diœceſis Aſiæ, Phrygiæ & Carophrygiæ apud Nicephorum, hiſt. Eccleſ. lib. 11. c. 30. hoc tenore*: *Commonefacere etiam vos volumus de creandis, vel etiam creatis Epiſcopis, eorúmque adminiſtris, vt ſcilicet legantur ex ſacræ mentis & doctrinæ, qui magiſtratum Epiſcopalem geſſerint, Præfectis, ſiquidem extent, ſin minus ex ipſis preſbyteris. Conſimiliter preſbyteri & Diaconi ex ipſo ſacrorum Clericorum ordine* (gradatim ſcilicet) *vt omni ex parte irreprehenſibiles ſint, qui non ex curia, vel ex militari magiſtratu ſint lecti.* At ex Clericorum conſortio, qui ſaltem fuerint iam Eccleſiaſticæ militiæ adſcripti: cuiuſmodi ſunt illi qui Tonſura prima inſigniti ſunt. Et verò etſi Tonſuram imprimere characterem internum omnino denegemus, tamen ſignum ipſam eſſe externum planè fatendum eſt: ſignum autem eiuſmodi eſſe non poteſt ſine aliqua ſignificatione, cùm ſignum quantum in ſe eſt, im-

* Περὶ τούτου χάριντες, καὶ ὑπομιμνήσκειν ἔχοντες ἐχαρίξαμεν τουτὶ ὑμῖν τὸ γράμμα, καὶ περὶ τῶν καθισταμένων ἐπισκόπων ἢ καθισταθέντων συλλειτουργῶν, ἐὰν μὲν εἶεν ἐκ τῶν ἐν τέλει χρηματιζόντων ἐπισκόπων ὑμεῖς· εἰ δὲ μὴ ἐξ αὐτοῦ τοῦ πρεσβυτερίου, ὁμοίως τε καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἱερατικοῦ τάγματος, ἵν' ὦσιν ἀνεπίληπτοι πανταχόθεν, καὶ ἀπὸ τοῦ βουλευτηρίου καὶ στρατιωτικῆς ἀρχῆς.

portet aliquid manifeſtum quoad nos, quo manuducimur in agnitionem alicuius occulti, ſecundùm S. Thomam in 4. diſt. 1. q. 1. a. 1. Ita Tonſura ſignum eſt contracti à ſuſcipiente, cum Deo & Eccleſia cuiuſdam pacti; quo ſeſe diuino cultui & Eccleſiæ miniſterio non inuitus addixit. Sicut igitur Apoſtolus ſe dignoſci Chriſti ſeruum *à ſtigmatibus Domini ſui*, puta vulnerum cicatricibus, quæ in corpore perferebat: Ita Clericum qui in ſortem Domini ſponte ſua tranſlatus eſt, ex mundi mancipio hoc tonſuræ ſignaculo diſcerni, à ſecularis militiæ tyronibus, dicere eſt omnino myſticæ ſignificationi conſentaneum. Triplex ſignum paſſim agnoſcunt Philoſophi, cõmemoratiuum, prognoſticum, diſtinctiuum: Trina hæc acceptio conuenit Tonſuræ Clericali; Commemorat ſiquidem initiati Eccleſiaſticæ militiæ ſolennem adſcriptionem: vocationem eius ad gradus Eccleſiaſticos, & virtutis optatos progreſſus præſignat. Denique hac teſſera inſignem, à vulgo hominum diſcernit, eſtque velut nota quædam diſtinctiua ſacræ dedicationis, & profanæ ſeruitutis. Appoſitè ideò Petrus Bleſenſis ſic Clericos ſerm. 40. in Synodo compellat: *Ad hunc modum ſanè primò elegit vos Dominus*, &c. *cùm in ſortem Sanctorum vocauit vos, & in ordinem Clericatus promouens characteriſtica quadam tonſura capitis, à communi grege fidelium vos ſegregauit: prælegit autem cùm poſuit vos ſuper capita hominum, diſpenſatores familiæ ſuæ.*

Secunda hinc cauſa elicitur. *Dignitas eſt* (ait Tertullianus) *ſeruum eſſe potentis*: Longè igitur maior, immo omnium maxima, Dei omnipotentis; nam vt vetus habet adagium, *ſeruire Deo regnare eſt.* Mos Romanorum erat tùm ſeruum manumittebant, hoc ei indulgere, vt vilem & intonſum capillum abiiceret, túncque primùm raderetur. Hinc Iuuenalis Satyra 2.

Si potes & debes, pulſandum vertice raſo
Præbebis quandoque caput.

Et Plautus,

Vt ego hodie raſo capite, caluus accipiam pileum.

Qui libertatis ſcilicet index erat. Quo die igitur quiſpiam diuinum elegit obſequium, & ſe Dei famulitio adſcriptum profitetur, deponit craſſam & ſeruilem cæſariem: nam ex quo Dei ſeruus eſt, fit liber, nec ſeruire incipit, ſed regnare auſpicatur. hinc *regale Sacerdotium* appellat ſummus Apoſtolorum Petrus. *1. Pet. 2. 9.* Verùm cùm Clericus ſimplex initiatur, minimam tantùm ſuſcipit Tonſuram: detonſio enim capillorum in hac prima Tonſura leuis eſt, nec rationem continet eandem, quam alij ferunt ſacri ordinis miniſtri, nam vertex tantùm depilatur capitis. *Pontifex forficibus incidit vnicuique* (habet liber Cæremonialis *) *extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum*, &c. Vt non omnino coronati, regali illa Eccleſiaſtica & militari Tonſura, ſed ad coronam per ſymbolum exiguæ eiuſmodi coronæ vocati, ſi velint ad eam per gradus contendere legitimos. *Non enim coronabitur* (ait vas electionis 2. Timoth. 2. 5.) *niſi qui legitimè certauerit*: Quonam conflictu? niſi eo, quem ſe feliciter aliquando iniiſſe & obiiſſe gloriatur, *Bonum*, inquit, *certa-*

* *Pontif. Rom. tit. de Clerico faciendo.*

men certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui; Denique repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam retribuet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex; non ſolùm autem mihi. quibuſnam igitur? niſi ei ſimilibus, ad quos Apoſtolorum Princeps dicebat, 1. Pet. 5. 2. *Paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes, non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo: Et cùm apparuerit princeps paſtorum percipietis immarceſsibilem æternæ gloriæ coronam.* Ad hoc præmium Clerici cùm initiantur, inuitantur, tonſuræque primæ ſignaculum, eis aperit aditum ad ſupernam illam Eccleſiaſticæ militiæ coronam, vnde Pontifex poſtquam illis tonſuram indidit, ſic pro eis orat: *Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſeruitute ſæcularis habitus, hos famulos tuos emunda, vt dum ignominiam ſæcularis habitus deponunt, tua ſemper in æuum gratia perfruantur: Vt ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ eos geſtare facimus in capitibus, ſic tua virtute hæreditatem ſubſequi mereantur æternam. Per*, &c.

Tertia ſignificatio Coronæ & Tonſuræ hac in oratione inſinuatur, dum ait Pontifex, *vt ſicut ſimilitudinem coronæ tuæ eos geſtare facimus in capitibus*, ſpineæ ſcilicet, vt exponit S. Germanus Archiepiſcopus nouæ Romæ, in ſua Theoria rerum ſacrarum. *Tonſura*, inquit, *capitis Sacerdotis & rotunda eius pilorum media ſectio, vice coronæ eſt ſpineæ quam Chriſtus geſtauit.* Quod ipſum theorema annotauit Ceolfridus Abbas apud Bedam lib. 5. de geſtis Anglorum cap. 32. *Neque verò* (ait) *ob id tantùm in coronam attondimur, quia Petrus ita attonſus eſt, ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ Paſsionis ita attonſus eſt: Idcirco & nos qui per eandem paſsionem ſaluari deſideramus, ipſius paſsionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Et infrà: *Ita etiam oportet eos qui vel monachi votum, vel gradum clericatus habentes, arctioribus ſe neceſſe habent pro Domino continentiæ frænis aſtringere, formam quoque coronæ quam ipſe in paſſione ſua ſpineam portauit in capite, vt ſpinas & tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt exportaret & auferret à nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre, vt ſe etiam irriſiones & opprobria pro illo libenter ac prompto animo ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant, vt coronam vitæ æternæ quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſe ſemper expectare, próque huius perceptione & aduerſa ſe mundi & proſpera contemnere deſignent.* Quam ſignificationem obſeruauit quoque Petrus Bleſenſis Explanationis in Iob cap. 1. ad illa verba, *Et tonſo capite corruens in terram, adorauit.* Diu antè Alcuinus eandem ſignificationem notauerat lib. de officiis Diuinis, tit. de Tonſura Clericorum; *Fertur B. Petrus primus huiuſmodi Tonſuram ſibi feciſſe ad ſimilitudinem ſpineæ coronæ Domini:* Addit continuo tenore, *ſiue vt Clerici à Laicis non ſolùm differant habitu, verùm etiam Tonſura:* Ita & Rabanus Maurus de inſtitut. Clericorum lib. 1. c. 3. *Sunt quoque quidam Doctorum* (inquit) *qui aſſerunt diuerſas ob cauſas Petrum Apoſtolum hunc ritum primum ſumpſiſſe: Primitùs vt formam & ſimilitudinem Chriſti in capite geſtaret, dum pro redemptione noſtra crucis patibulum ſubiturus à nefanda Iudæorum gente, acutis ſpinarum aculeis*, &c.

DIGRESSIVNCVLA.

Num Chriſtus fuerit decaluatus ante crucifixionem.

HONORIVS Auguſtodunenſis, Gemmæ animæ, ſeu de antiquo Miſſæ ritu lib. I. c. 194. *Chriſtus ſummus Sacerdos* (inquit) *in caluaria crines depoſuit, dum ſe ipſum acceptum ſacrificium in ara crucis obtulit. Per circulum ergo crineum coronam præferimus, per nuditatem raſuræ caluitium Chriſti exprimimus. Mos quippe apud Antiquos erat, quòd captiuos decaluabant, quos crucifigere volebant, vnde ſcriptum eſt, de captiuitate nudati inimicorum capitis, ideò locus in quo decaluabantur, Caluaria dicebatur, in quo Dominus decaluatus putatur.* Quæ eſt tamen huius auctoris ſingularis autumatio: vt pote à nullo alio ſcriptore quod ſciam hactenùs memorata vel ſignata. Quoad rem ſpectat; oraculum iſtud Iſaiæ 50. 6. in Chriſto patiente lubenter agnoſcimus impletum, *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me:* Sic enim actum reipſa S. Matthæus teſtatur c. 26. *Tunc expuerunt in faciem eius & colaphis eum ceciderunt*, ſcilicet in domo principis Sacerdotum. S. Marcus hoc ipſum memorat c. 14. 65. *Et cœperunt*, inquit, *quidam conſpuere eum, & velare faciem eius & colaphis cædere.* Apud Pilatum verò rursùm fuiſſe inquinatum ſputis, cæſum colaphis, flagellis dilaceratum, arundine percuſſum, ſpineáque redimitum coronâ, tum deductum ad mortem, cruci affixum, iidem Euangeliſtæ, quibus alij conſentiunt, expreſſè referunt; Quòd raſus fuerit aut decaluatus, nec à Prophetis prædictum inuenimus, nec factum vllus eſt Euangeliſtarum qui memoriæ prodiderit: Patres nuſquam notauerunt in ſuis commentariis. Porrò hac de re hiſtorici, Chronographi, perpeti ſilentio tacuerunt. Viderit igitur ipſe Honorius (cæteroqui vir grauis) vnde rei adeò memorabilis, at omnibus ante eum incognitæ, hauſerit notitiam. Minimè at verò illi fauet Caluariæ nomen, quod ſic dictum malè diuinat à decaluatione reorum, qui ibi decaluarentur cùm plectendi eſſent extremo ſupplicio. Scribit Ioannes: *Exiuit Ieſus in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha.* Nomen autem Golgotha natiuâ origine Syriacum eſt, porrò apud Hebræos Grammaticos pronunciatur Gulgoleth, & ſignificat cranium hominis ſiue viui, ſiue mortui; Inde per ſynecdochen totum caput, & à verbo deſcendit כלל, quod ſignificat voluere, propter rotunditatem capitis, ratione cuius eſt volubile. S. Epiphanius hæreſ. 46. in fine legit Gulgatha: alij aliter. Veriorem exiſtimat Cardinalis Toletus noſtram vulgatam Lectionem, admonétque Chriſti tempore Hebræam linguam nonnihil à puritate ſua degeneraſſe. Communi igitur lectione retentâ, quærere ſupereſt vnde hic locus Caluaria diceretur? S. Epiphanius citato loco anxiè de huius nominis ſignificatione inquirit, eóque demum deuenit, vt à caluaria, ſeu cranio primi hominis illic reperto traxerit originem. *Vndenam igitur Caluariæ nomen obtinuit? quòd nimirum primi hominis illic caluaria reperta ſit, eiúſque reliquiæ defoſſæ, ob id Caluariæ locus appellatus eſt? quocirca illic ſcriptura dictum*

illud impletum eſt, Surge qui dormis, & excitare à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Doctiſſimus Petauius ſuis in Epiphanium eruditiſſimis animaduerſionibus huic opinioni non repugnat, quam ait tritam eſſe ſententiam. Et reuerà à B. Athanaſio tenetur ſerm. de cruce & paſſione, nec non ab Origene 32. in Matth. S. Baſilio in c. 5. Iſaiæ, S. Chryſoſtomo hom. 84. Ambroſio lib. 5. ep. 19. Auguſtino tract. 84. in Ioann. quin & B. Cypriano ſerm. de reſurrect. Attamen reclamat Sanctus Hieronymus, & aſſerit locum iſtum Caluariæ appellatum, propter damnatorum capita quæ illic reſeruabantur. Quam velit vtriuſque ſententiæ partem ſequi Honorius, neutra eum iuuat. Nec enim à decaluatis capitibus reorum, vt vult, ante necem; ſed vel à cranio primi parentis, vel à capitibus reorum ibidem interfectorum, quæ poſt necem eorum reſeruarentur, Caluariæ dictum hunc locum patet, tam ab etymologia nominis, quàm grauiſſimorum illorum Patrum iudicio. Quòd ſi inſtiterit, non repugnare vt ab exſiccatis etiam interfectorum capitibus, & aëris iniuria exeſis capillorum eorumdem radicibus, Caluariæ obtigerit huic loco nomen: non anxiè refragabor, ſed in Chriſto nihil prorſus ſimile contigiſſe dici poteſt, quem integrum ſepultum, & iacuiſſe in ſepulchro incorruptum, & tertia die reſurrexiſſe in gloria triumphantem, Euangelium teſtatur, fides docet, Eccleſia credit & prædicat, omnéſque fideles certiſſimè profitentur. Attamen fidei non repugnat, quòd Chriſto, à perſecutoribus, quidam crines euulſi fuerint, qui hactenùs aſſeruentur: nam & S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ teſtis oculatus refert, ſua ætate viſam fuiſſe Hieroſolymis in porticu Eccleſiæ S. Sepulchri columnam, cui Chriſtus alligatus fuerat dum flagellaretur, cruore eius etiamnùm rubicundo tinctam. De capillis verò ipſius Domini quibuſdam in Eccleſiis, reliquiæ venerabiles oſtenduntur: egóque ipſe, qui hæc ſcribo, vidi & aliquoties contrectaui vaſculum cryſtallinum, ſeu pixidem diaphanam vtraque extremitate occluſam aureo operculo, in quâ conditi erant Chriſti capilli aliquot, coloris caſtanei ſeu auellanæ: inſcriptio verò erat inſculpta ſuperiori operculo, *De capillis Domini N. Ieſu Chriſti:* porrò inferiori, hæc ſubnotatio, *Clemens PP. VII.* qui ſcilicet cùm Maſſiliæ ageret cũ Rege Franciſco Magno, pretioſum hoc pignus piâ munificentiâ donauerat Comiti de Brienne & de Rouſſy Principi Luxemburgico, qui ſorori ſuæ R. D. Antoniæ Abbatiſſæ Hederenſi ſubinde dedit, à qua in munus traditum eſt R. Dominæ Catharinæ Alphonſinæ de Vrſinis eius pronepti, & ſubinde eiuſdem Monaſterij Abbatiſſæ, penes quam eodem loco piè aſſeruatum tantum munus, mihi haud ſemel ab ipſa conceſſum eſt conſpicere ac venerari. Verùm quia à corona Domini ſpinea huc deflex imus, quò redeamus in rectum diſſertationis huius tramitem, diſcutienda venit quæſtio, An Chriſtus cum corona ſpinea fuerit crucifixus, nec ne?

ALIA

ALIA DIGRESSIVNCVLA.

An Chriſtus cum corona ſpinea fuerit crucifixus?

PICTORES recentiores abſque corona Chriſtum in cruce iam paſſim repræſentant, conniuentibus aliquot doctis, quibus non diſplicet Dominum ita crucifixum intueri: aiunt enim Chriſtum fuiſſe ante paſſionem exutum ſuis veſtimentis, vt nudus affigeretur ſtipiti, quo nudus moreretur, vt nudus natus fuerat. Probabile igitur eſſe, etiam ſerto illo ſpineo depoſito, crucifixum, maximè cùm antequàm è prætorio ad mortem educeretur, ab Euangeliſtis memoretur fuiſſe exutus ludibrioſa illa veſte, ſeu chlamyde, quà à militibus illuſionis cauſa indutus fuerat. Verùm contraria ſententia vera eſt, ſcripturæ vtpote ipſius & Patrum auctoritate munita. Acutè ſiquidem Cardinalis Toletus, & ſolerter retorſit argumentum illud ex eo ſumptum, quod illuſoria veſte Chriſtus exutus fuerit, antequam de Prætorio Pilati crucifigendus exiret: *Cum ſpinea autem corona in cruce fuiſſet*, inquit, *indicat Matthæus c. 27. cùm enim narraret ad crucifixionem fuiſſe ductum, dicit chlamyde exutum, de corona verò nihil dicit, cùm tamen paulò antè capiti eius fuiſſe impoſitam cum chlamyde retuliſſet.* Addi poteſt Chriſtum ſub Regis Iudæorum inſcriptione fuiſſe affixum cruci, proinde & regio ſub ſchemate: Nec titulo enim Regis Iudæorum eius capiti præfixo, magis quicquam poterat conuenire quàm corona: Accedunt omnes picturæ & priſcæ imagines vbique gentium expreſſæ, in quibus ſemper cum corona refertur Chriſtus in cruce patiens vel mortuus. Tertullianus adſtipulatur dum ſcribens aduerſus Iudæos *ait, *Chriſtum inhærentem cornibus crucis, corona ſpinea in eius capite circumdata.* Quem ideò ſic S. Gregorius orat. 1. de paſſione compellat ac alloquitur: *O Domine Ieſu Chriſte adoro te in cruce pendentem & coronam ſpineam in capite geſtantem.* Et reuera: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per proprium ſanguinem ingrediens in ſancta*, ſuo vt ſacrificio æternæ noſtræ redemptionis lytrum perſolueret, & opus ſalutis oblatione illa cruenta conſummaret, cùm Sacerdos ſimul eſſet & victima, non debuit abſque corona in ara crucis comparere. Figuris hoc fuiſſe in veteri lege præſignatum, piè & eleganter canit Eccleſia Pariſienſis in feſto ſuſceptionis ſanctæ ipſius coronæ, dum ita modulatur,

> * Tertull. l. cõt. Iud. c. 13. circa med. *Iſaac cum ligno refernatus eſt, ariete oblato in vepre cornibus hærente: Et Chriſtus ſuis temporibus lignum humeris ſuis portauit inhærens cornibus crucis corona ſpinea in capite eius circumdata.*

> In hymno Laudum.

Legis figuris pingitur
Chriſti corona nobilis;
Implexa ſpinis victima,
Ardénſque teſtatur rubus.
Arcam corona cinxerat,
Menſæque ſacræ circulum,
Arámque thure fumidam
Corona nectit ambiens.

Et in alio hymno, quo Chriſtum reſpicit & lamentatur morientem,

> In hymno veſpertino.

Horret reuulſis crinibus
Spinis cruentatum caput,

R

Et vultus ille decolor
Mortem propinquam reſpicit.

Chriſtus moriens igitur ſpineâ coronâ redimitus erat: quod & Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi. c. 8. etiam ſenſit & docuit *, *quem Iudæi exacerbauerunt* (inquit) *vt ſe Deum oſtenderet; hoc de eo in altum ſublato* (nimirum crucifixo) *teſtati ſunt: Chriſtum videlicet Deum eſſe, diademà iuſtitiæ ei ſuper omne nomen exaltato appendentes, per ſpinam ſemper florentem.* Cui ſubſcribit Iſidorus Peluſiota, lib. 1. ep. 95. & Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus orat. *in ſepult. Domini*, quem decuiſſe coronari aiunt, vt victorem ipſa ſua in morte triumphantem, vt pote chirographum quod contra nos erat abolentem & cruci affigentem, ſpináſque maledictionis euellentem, exurentémque igne ſuæ charitatis, & merito paſſionis.

Ὃν αὐτοὶ παρεπίκραναν ἀποδεῖξαι, τὸ κύριον, τούτῳ αὐτῷ ὑψουμένῳ μεμαρτυρήκασι, τὸ διάδημα τῆς δικαιοσύνης τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα ἐπηρμένῳ περιάψαντες, διὰ τῆς ἀειθαλοῦς ἀκάνθης.

Sacerdos Miſſam celebrans, in qua Chriſti mortis memoria recolitur, & meritum eius paſſionis applicatur, Chriſti obit vices: quamobrem vt voce, ſic myſtica veſtium panoplia, hoc ſacrificium offerens vtitur. Quid enim, quæſo, amictus refert, niſi triſte illud velamen, quo vt expiaret Euæ primæ noſtræ matris exitioſos obtutus, in paraſceue ſuæ tragicæ immolationis, ſacra eius facies obducta fuit? quid alba aliud, quàm tunicam illam candidam repræſentat, qua in Herodis palatio inter aulicorum cachinnos, & Phariſæorum furores, ludibrij cauſâ, at innocentiæ patenti indicio, fuit indutus? Zona quid? niſi vincula & indignos nexus illos refert, quibus Rex ipſe omnium tam Angelorum, quàm hominum, quaſi vile mancipium, immo turpis crucifer ab impiis conſtrictus eſt? Manipulus (quem mapulam veteres Myſtæ vocitabant) ſudores illos, à nobis abſtergendos perpetuis lachrymarum profluuiis, nonne in memoriam reuocat, quos ipſe Dominus factus in agonia vſque ad ſanguinem, exundauit? Caſula ſeu planeta, nónne illius veſtis eſt ſpeciës purpureæ, ſeu radioſæ, at infamis chlamydis, qua illum Pilatus illudendum expoſuit? Dixerim Pontificale pedum, arundinis illius eſſe loco, quam Chriſtus ipſe portauit ſceptri ridicula ſpecie, vt ſapientia ipſa æterna abſcondita in carne, tot probrorum nebulis in oculis hominum, ſtultitia putaretur. Crux ipſa per ſe loquitur, quæ caſulæ hæret inſignis: nam illius ſignaculum eſt, quæ ipſi Chriſto (cùm velut agnus innocens ad lanienam duceretur) ab impiis impoſita, ſanguinéque eius in aram conſecrata, omnia mundi peccata eluit, & ſcala cœli, clauis paradiſi, ſpeique omnis noſtræ & felicitatis, columna, baſis, anchora, alueus, fons & ſcatebra totius benedictionis effecta eſt. At quid ſignat illa corona, quæ in vertice Sacerdotis, adeò inſigniter expreſſa conſpicitur, quàm ludibrioſum & funeſtum illud ſertum, conſertum ex ſpinis, quibus hoſtia illa, ſalutis noſtræ parens, ſua in immolatione paſſa eſt inſigniri?

Vtinam, & ô vtinam! Sacerdotes, ſacrum ad altare proceſſuri, hæc ſui apparatus myſteria, ea qua par eſſet, religionis reuerentia recolerent, & ſeria mentis attentione meditarentur: quique eis miniſtrant Clerici, vel quotquot vt miniſtrent, pro ſuo cuiuſque modulo atque gradu, ordinati ſunt, & partem horum inſignium præferunt, hæc recogitarent,

intimo piæ perpenſionis ſenſu! Salsè quidem & congruenter dixiſſe quiſpiam apud Græcos laudatur (quod poſthac in prouerbium abiit) *δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις. Cùm ſeruus ſis, comam habes! Quàm fœdum eſt ſub ſpinoſo capite* (ait Theodidactus Bernardus) *membra videre delicata!* quàm propudioſum, at verò, Sacerdotem Chriſti vicarium, typum, imaginẽ, & miniſtrum; Clericúmque quemuis ſacri huius miniſterij participem, vel pudere de corona ſpinea Domini ſui; ſignaculúmque eius abiicere penitus, aut occulere: vel ſi illud, vt tenetur, geſtat, cauſæ & ſignificationis, ob quam coronam illam gerit, ita eſſe immemorem, vt ſub aculeato hoc diademate non erubeſcat, non horreat mulcere carnem illecebris, deliciis mundi inhiare, luxum ſpirare, faſtúmque ſæculi; & Chriſti ſpinas ac dolores non ſentire, at obtundere, inhumanâ, feralique prorſus cordis duritia! Abſit, & ô abſit, Domine IESV, tuis à ſeruis tantum dedecus, tantum ſcelus, tantum piaculum!

Culpis ſatæ mortalium,
Te, Chriſte, ſpinæ vulnerant:
Euelle noſtras, cordibus
Tuáſque noſtris inſere.

Quarta Tonſuræ Clericalis ac Cotonæ ſignificatio, iam operæpretium explicanda venit: cum aliis quibuſdam non inferioris notæ obſeruata pridem à Sancto Paulino Nolæ Epiſcopo, epiſt. 7. ad Seuerum, vbi docet Tonſuram ipſam ſymbolum eſſe 1. mœrentis hominis. 2. caſti, & otnatu pudicitiæ inornati. 3. terrena contemnentis & cœleſtia meditantis. Hos ſignificatus ſigillatim elucidemus: quorum primus quarti hîc, ordine diffuſiore, locum obtinet.

Sanè, vt ab Ethnicorum moribus exordiamur, capillorum raſutam ſeu tonſuram conſtat indicem fuiſſe triſtitiæ: memoriæ proditum legimus à Plutarcho in Lyſandro, Argiuos victos à Lacedæmoniis, amiſſis Tytiis deplotandæ calamitatis causâ, capillos, barbámque reſecâſſe: contrà verò victores Lacedæmonios in argumentum publicæ lætitiæ, barbam relaxaſſe & comam. Huc illud collineat Senecæ lib. 5. de benef. cap. 6. in luctu ac rebus aduerſis tonderi moris fuiſſe. Athenienſes *ἀπατούρια* celebrantes, vt parentes defunctos lugerent, capite raſo ſolitos fuiſſe prodire in medium: Xenophon auctor eſt lib. 1. de geſt. Græcor. Herodotus lib. 9. Perſas refert Maſtidij cæde auditâ, ſeipſos & equos & iumenta totondiſſe, & in prouerbio fuit, iis qui ſummo dolore afficiebantur, ad viuum vſque tonſos eſſe, quaſi hos malum non leuiter attigiſſet: ſic enim chorus Sophoclis in Aiace miſerrimam Techmeſſam alloquitur, *ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο*, id eſt, hóc mali nuncium te ad viuum pertingit. Iulius Firminus lib. de errore profanarum Religionum, ita de Ægyptiis ſcribit: In abdito habent Oſiridis ſepultum idolum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, vt miſerandum caſum regis ſui, turpitudine dehoneſtati fleant capitis. Qui res ab Alexandro geſtas litteris executi ſunt, Plutarchus in eius vita, Arrianus de eius geſtis; Ælianus lib. 7. de var. hiſtor. cap. 8. eum referunt mortuo Epheſtione amico, propugnacula vrbium obuiarum diripuiſ-

ſe, equóſque & mulos tonderi iuſſiſſe in ſignum mœſtitiæ & luctus. Scribit Suetonius in Caligula cap. 5. mortuo Germanico patre Cæſaris, regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & vxorum capita raſiſſe, ad maximi luctus indicium. Ea de cauſa etiam Neoptolemum filium Achillis, poſtquam vindicatam necem ex Alexandro interfecto à Philoctete, vidit patris Achillis, lugendi initium ſumpſiſſe, & vnà cum Phœnice & Myrmidonum exercitu crines ſepulchro depoſuiſſe, pernoctaſſéque in eodem loco, teſte dicto Cretenſe lib. 4. de Bello Troiano, qui & lib. 5. adiungit, Poſt Aiacis funus peractum, omnes Reges comas apud tumulum depoſuiſſe.

Sed obiter prætermiſſis profanis, ſacræ auctoritatis pleraque moniimenta ſuppetunt, ſeruati huius ritus apud veros Dei cultores. Iob exemplar illud patientiæ, tot aduerſis afflictus ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit. Et Ieremiæ iubet Deus, vt populi ſui ſcelera lamentaturus, & ruinam inde reorum ceruicibus impendentem: *Tondeat capillum ſuum & proiiciat, & ſumat in directum planctum, quia proiecit illos Dominus*, cap. 7. Sic & Michæas cap. 1. filiam Sion prouocat ad luctum, ob admiſſas Samariæ abominationes: *Decaluare*, inquit, *& tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum ſicut aquila, quoniam captiui ducti ſunt ex te.* Triſte & luctuoſum nuntium ferè idem Iſaias denunciat, vbi ait cap. 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit, & erit pro ſuaui odore fœtor, & pro criſpanti crine caluitium.* Funeſtius nunquam fuit flagitium eo quod Iudæi in Chriſti nece admiſerunt: Porrò idem Propheta occiſionem Domini, tonſionis nomine vt ſigno incomparabilis mœſtitiæ, enunciauit c. 53. *Sicut ouis*, inquit, *ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet & non aperiet os ſuum.* Deniqueexcidium Hieruſalem, & diſperſionem Iudæorum Deus per raſuram ſignificauit, dum ait Ezechieli Prophetæ; *Et tu fili hominis, ſume tibi gladium acutum, radentem pilos, & aſſumes eum & duces per caput tuum & per barbam tuam, & aſſumes tibi ſtaturam ponderis & diuides eos*, &c. *tertiam partem combures in medio ciuitatis*, &c. *& aſſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius, tertiam verò aliam diſperges in ventum, & gladium nudabo poſt eos.* Eſdræ c. vltim. Nehemias in ſignum indignationis decaluauit quoſdam, qui purè loqui Iudaïcè neſciebant; atque ad pœnitentiam ſpontaneam temeratæ legis hoc facto cæteros Hebræos prouocauit. Synagogam vt ſepeliret Paulus cum aliquo honore, cæremoniam aſſumpti luctus etiam Iacobi monitu vſurpauit, Act. 21. *Sunt nobis* (inquit Iacobus cum ſuis Senioribus, ad Paulum) *viri quatuor votum habentes ſuper ſe: His aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis vt radant capita ſua*, &c. *Tunc Paulus aſſumptis viris, poſterâ die purificatus cum illis intrauit in Templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio.* Prolixior forem ſi coaceruandis ex Chriſtiana hiſtoria exemplis huius ritus accuratum impenderem ſtudium. Sat fuerit meminiſſe antiquæ politiæ, qua pœnitentibus comam deponere ſacris Canonibus præceptum erat. Huc ſpectat can. 12. Concil. III. Tolet. *De*

his qui pœnitentiam poſcunt, vt ſi vir eſt, priùs tondeatur, ſi fœmina priùs habitum mutet; necnon can. 15. Concil. Agathenſis ſub Clodouæo I. cuius titulus eſt Qualiter maiores, qualiter minores pœnitentiam accipiant, tenor verò eſt eiuſmodi; *Pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt impoſitionem manuum, & cilicium ſuper caput à Sacerdote ſicut vbique conſtitutum eſt conſequantur; Si autem comas non depoſuerint, aut veſtimenta non mutauerint abiiciantur, & niſi dignè pœnituerint, non recipiantur*, &c. Hæc autem canonica ſanctio relata eſt in ius publicum Eccleſiæ diſtinct. 50. can. 63. cuius gloſa ſuper vocabulum, *Comas*, non importunè hîc poſſe videtur recenſeri; ſic autem habet: *Comas.*] *Sed nunquid deponet mulier* comam? cùm etiam ei ſolennis pœnitentia imponitur? vt 32. quæſt. 2. de his. Reſpon. Non. quia habet eam in ſignum ſubiectionis. 30. diſtinct. cap. 2. *Ideò autem comam deponat vir, quia amodò viuet in habitu Clericali. Infr. de Conſec. d. 5. dictum & 81. diſtinct. dictum & 33. quæſt. 2. admonere. & infr. cauſa cap. vlt.* habitus igitur Clericalis eſt ſignum pœnitentiæ, quæ cum mœrore & luctu tranſigenda eſt: comæ verò depoſitio, eſt huius luctus & triſtitiæ indicium. At hoc eſt quod delicatuli noſtri Clerici grauiter ferunt. Durus eſt hic ſermo, nec eorum quiſquam facilè poteſt illum audire, Clericatus habitum eſſe ſymbolum pœnitentiæ, & Tonſuram eſſe ſignum hominis mortificati, & animi mœrentis, adeóque pœnitentis; Reclamabunt non dubito, canonéſque obiicient, qui huic ſententiæ videbuntur refragari: ſiquidem Epaonenſe Concilium can. 3. ſtatuit, vt qui pœnitentiam profeſſi ſunt, ad Clericatum penitus non vocentur: Arelatenſe IV. cap. 3. Vt nullus pœnitentem audeat ordinare; quòd ſiqui ordinati fuerint preſbyteri, vel Diaconi, Agathenſis Synodus cap. 43. decernit ne conſecrent, vel miniſtrent. Quin pœnitentem, qui per ignorantiam fuerit ordinatus, gradu deiici iubet Cabilonenſe Concilium I. in Synodica: Carthagin. IV. Concilium abſolutè quoque vetat pœnitentem Clericum ordinari, cap. 68. Quòd ſi Epiſcopus ſciens talem ordinauerit, ordinandi poteſtate deinceps ſit priuatus. Ibidem hincque colligi enim videtur ſtatum Clericatus à pœnitentium ſorte penitus abhorrere, proinde eſſe abſurdum quòd pœnitentes inſtar Clericorum ſint habitu: vel habitus ipſe Clericalis, & Tonſura ſit ſignum animi pœnitentis & mœrentis. Verùm etſi pœnitentia publica Clericis vetita ſit, vnde Leo Magnus in reſponſionibus ad inquiſitiones Ruſtici Narbonenſis, inquiſit. 2. *Alienum eſt* (inquit) *à conſuetudine Eccleſiaſtica, vt qui preſbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, hi pro crimine aliquo ſuo, per manus impoſitionem, remedium accipiant pœnitendi: quod ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit ſecundùm quod ſcriptum eſt, Sacerdos, ſi peccauerit, quis orabit pro eo?* priuata tamen pœnitentia ſemper Clericis ſacrati ordinis conceſſa eſt. Vnde Sanctus Leo immediatè ſubiungit: *huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa.* Subſcribit Arauſicanum I. Concilium ſub eodem Leone celebratum cap. 4. quo decernit, *pœnitentiam deſiderantibus Clericis non negan-*

dam: Quæ ſanctio in ius Eccleſiaſticum relata eſt 26. quæſt. 6. c. *Qui recedunt*, &c. ſed hæc omnia & obiecta & reſponſa, nihil ad rem faciunt. Dico igitur in ſtatu pœnitentiæ duo eſſe conſideranda, crimen quod publicæ eiuſmodi pœnitentiæ cauſam dedit, piaculíque admiſſi notam, per ſigna externæ ignominiæ, vt quòd cingulum militiæ non ferant, à conuiuiis & alba veſte abſtineant, cilicium ferant, ieiuniis ferè continuis macerentur: & pœnitentiæ ipſam virtutem, in quantum mœrores continet, gemitus effundit, luctum agit & ſpiritum præfert contritum & humiliatum. Hæc ſanè ſigna virtutis pœnitentiæ Clericum non dedecent, imò decent quàm maximè, vt adeò pœnitentibus in piis eiuſmodi exercitationibus, & inſignibus animi dolentis & mœrentis, vitámque ſeueriorem ducentis, Clerici metirò Laïcis in exemplum ac ſpeculum proponantur. Legendus S. Hieronymus epiſt. 2. ad Nepotianum de vita Clericorum, vbi illud præſertim notandum eſt; *Non ornentur veſte, ſed moribus, nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur*, &c. *ornatus vt ſordes pari modo fugiendæ ſunt; ſint pura ieiunia, caſta, ſimplicia, moderata. Nolo te dilatare fimbrias, tot te regulæ quot ſpecies gloriarum percurrant; vis ſcire quales Dominus quærat ornatus? Habeto prudentiam, iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem: his cæli plagis includere*, &c. *nihil hoc monili pretioſius. Docente te in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur, lachrymæ auditorum laudes tuæ ſint.* Organum igitur & ſpeculum debet eſſe Clericus pœnitentiæ. Verùm adhuc fortaſſis replicabunt compti nitidíque Clericatus defenſores: Suprà conceſſum eſt Clericum non perferre debere pœnitentiæ dedecus, ſed præferre virtutem, atqui Tonſura & pulla veſtis pœnitentiæ publicæ indicia ſunt, ab his igitur debet Clericus (ne ordini ſuo probrum inferat) abſtinere, tantùm abeſt vt præbere exemplum huiuſmodi ignominiæ ſua ex profeſſione teneatur; ſed hæc argutia eſt futilis, quemadmodum enim ait Sanctus Auguſtinus, non pœna, ſed cauſa facit Martyrem, dedecus pœnitentiæ non ab habitu procedit, ſed reatu. Decernit Concilium Barcinonenſe, actum anno 540. *Vt nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat*, can. 3. & can. 6. *Vt pœnitentes viri, tonſo capite, & religioſo habitu vtentes ieiuniis, & obſecrationibus vitæ tempus peragant.* Iſta Tonſura, iſte habitus in pœnitentibus ſignum eſt culpæ, in Clericis & Aſcetis modeſtiæ, & teſſera Eccleſiaſticæ profeſſionis. Quamobrem Clerici & Monachi propter hæc inſignia labe aliqua non notantur. Pœnitentes etſi rei ſint, tamen ex eô quòd genio ſæculi habitúque abiecto imitari ſtudeant clericalem modeſtiam, & ſeueriorem vitæ diſciplinam, inde criminoſi non ſunt, at fiunt ſancto ex propoſito tantùm coram Deo, & Angelis eius magis commendabiles, quantùm deſpicabiles ipſo pœnitentiæ ſtatu, & habitu lugubri diſciplinæ Clericalis, in conſpectu mundi aſſeclarúmque eius oculis, eſſe videntur. Scitum illud eſt Ambroſij, *Arma Sacerdotum lachrymæ ſunt* (de baſilicis non tradendis) hócque aliud, ep. 6. *Dignitas Sacerdotalis ſibi vendicat ſobriam à turpibus grauitatem, & ſeueram vitam:* hócque non minùs ſcitè, quàm acutè ab eodem dictum: *Sacerdotis officium eſt munus Spiritus Sancti* (lib. de Viduis) *qui poſtulat pro nobis ſci-*

licet gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. quod fecit Apoſtolus, omnium Sacerdotum & Clericorum exemplar, vnde ſic Epheſios conteſtabatur, *Vos* *ſcitis à prima die qua ingreſſus ſum in Aſiam, qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim, ſeruiens Domino cum omni humilitate & lachrymis*, &c. *quomodo nihil ſubtraxerim vtilium quominus annunciarem vobis, & docerem vos publicè & per domos teſtificans Iudæis atque gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum Ieſum Chriſtum:* Act. 20. Eiuſdem Apoſtoli, illud eſt, *qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt, cum vitiis & concupiſcentiis* Gal. 5. 24. Inquirendus eſt igitur Clericus qui tonſuram negat eſſe teſſeram luctus & mœroris, militiámque clericalem pœnitentiæ normam & crucis imitationem, cuius ſit? an Chriſti miles, an ſæculi? *Igitur Clericus* (ait B. Hieronymus ep. 2. ad Nepotianum præcitata) *qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata nitatur eſſe quod dicitur, ſi enim κλῆρος Græcè, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, quia de ſorte ſunt Domini: vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt: qui autem vel pars Domini eſt, vel Domini partem habet, talem ſe exhibere debet, vt ipſe poſſideat Dominum & poſſideatur à Domino:* illo, inquam, Domino de quo Apoſtolus 1. Cor. 2. 2. ait, *Nihil me arbitratus ſum ſcire inter vos niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum;* Ideò per legem Chriſti, ego legi mundi mortuus ſum, vt Domino viuam. *Chriſto enim confixus ſum cruci. Mihi* igitur *abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu* *Chriſti per quem mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. De cætero nemo mihi moleſtus ſit, ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto;* nempe vulnerum cicatrices, quæ pro eius fide & gloria, hominúmque conuerſione & pœnitentia, toto cordis affectu procuranda, libentiſſimè pertulit. Characterem Domini ſe per Tonſuram gerere in corpore ſuo Clericus ſcire debet. Quamobrem Pontificalis liber præcipit, vt cùm tondetur Clericus ab Epiſcopo, hic proferatur ſuper eum verſiculus, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi:* Calix Domini eſt calix Clerici; ſed quæſo qualis eſt calix iſte, niſi is de quo dicebat Petro ipſe Chriſtus; *Calicem quem dedit pater, non vis vt bibam illum?* Et Zebedæis fratribus, *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Calicem ſcilicet laboris & doloris, triſtitiæ & mœroris, æſtus, luctus & mortificationis, quam ſi Clericus in calice Domini bibit, participare debet; vnde ipſe dicebat diſcipulis ſuis, *Vos contriſtabimini, mundus autem gaudebit.* Hic calix, hæc pars eſt eorum, qui militiæ Chriſti adſcribuntur, qui ſe in eius diſciplinam committunt, qui vocem eius audiunt & exempla eius ſequuntur: qui profuſis affectibus ei placere ſtudent, aſſimilari contendunt, réque ipſa non nomine ſolo Clerici ſunt, at verè & meritò de ſorte, quæ in eo eſt, gloriantur. Hi iure ſibi ſimilibúſque ſuis occinere poſſunt cum Propheta Pſal. 79. *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum nobis dabis in lachrymis, in menſura. Et non diſcedimus à te, magnificabis nos & nomen tuum inuocabimus. Domine virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus*, Perficientes eam, ſcilicet, *quam plantauit dextera tua;* zelo vtique animarum incenſi, quas pro ſuſcepto gratiæ miniſterio ſanctificare & ſaluare, viribus totis contendimus, *portan-*

Act. 20.
Gal. 2. 19.
Gal. 6. 14.
Pſal. 79.

tes pondus diei & æſtus, vt vinea tua floreat in conſpectu tuo: Extendat palmites ſuos à mari vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines eius, donec vmbra eius operiat montes, & arbuſtos eius cedros Dei.

Quinta ratio eſt purificatio & mundicies, quam raſio ſeu Tonſura ſignificat. Id adumbratur Deuter. c. 21. quo Deus hæc Iſraëlitis iubet: *Si egreſſus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, & videris in medio captiuorum mulierem pulchram & adamaueris eam, volueríſque habere vxorem, introduces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt; ſedénſque in domo tua flebit patrem & matrem ſuam vno menſe, & poſteà intrabis ad eam*, &c. *& erit vxor tua.* Ad quem locum Caietanus: *Hi ritus*, inquit, *præſcripti ſunt vt mitigaretur aſperitas & inconcinnitas facti, nempe quòd Gentilis fœmina duceretur vxor in populo Dei, decuítque vt ipſa, his velut luſtrationibus ſanctificaretur, itáque mundata & purificata populo ſancto inſereretur, oblita non tantùm gentis & cognationis ſuæ, ſed & profanæ ſuperſtitionis.* Sed & prædictum fuit per Iſaiam Prophetam c. 7. futurum, vt in diebus Meſſiæ gentes eiuſmodi raſura inſignirentur, cùm ad veri Dei cultum tranſirent, idololatria relicta: *In die illa radet Dominus nouacula conducta (vel acuta) iu qui ſunt trans flumen Aſſyriorum, caput & pilos pedum & barbam totam.* Dilucidat hoc Iſaiæ vaticinium perpulchra diſſertatione Franciſcus Venetus lib. problematum ſacræ ſcripturæ tom. 6. ſect. 9. problem. 397. & 398. *Cur antiqui Sacerdotes barbam* (inquit) *nutriebant, hodie verò nequaquam? Nonne Chriſtus qui barbam & capillos nutriuit, dixit: exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci, ita & vos faciatis? Sed nonne hoc fit* (*inquiunt*) *in memoriam illuſionis Petro in Antiochia factæ? ſed cur Eccleſia imitatur illuſionem illam Petro à maleuolis factam? & ea quæ Chriſtus in documentum noſtrum, & de induſtria fecit, imitari reſpuit? An igitur id fit iuxta oraculum Iſaiæ dicentis, In illa die radet Dominus nouacula conducta, iis qui ſunt trans flumen Aſſyriorum, caput & pilos pedum & barbam totam?* Et quando & qua die id fiet? *Nonne quando Virgo concipiet & pariet filium, vt ipſemet paulo antè præmiſerat? Si nos oportet radi, quare Chriſtus raſus non fuit? Nonne ſuprà diximus quod lex iubebat radi eos, qui aliquid ſuperfluum habent priſtinæ & malæ conuerſationis*, &c. *Hinc Chriſto penitus ſancto, nihil radendum vel amputandum fuit: Nobis autem qui è gentilitate vocati ſumus, cùm penitus infecti eſſemus omnia ſuperflua amputanda fuerunt, propterea dicit oraculum de iis qui erant vltra Euphratem, qui gentilium regionem à terra ſancta diſterminabat*, &c. Hinc fortè fluxiſſe videtur ille mos, qui adhuc apud Moſcouitas ſeu Ruthenos perdurat, ſcilicet quo ſolent Sacerdotes baptizantes, infantium capillos abſcindere, eóſque ceræ etiam intricare, & in templo certo loco reponere, vt Sigiſmundus Liber Baro teſtis eſt in Comment. de morib. Moſcouit. & eorum ritibus in baptiſ. Apud Latinos raſura hæc ſeu tonſio in puerulis vel adultis baptizandis in vſu tamen paſſim non fuit, at lotio capitis ſimplex (ante ſuſceptionem baptiſmi) quæ fieri ſolebat Dominica Palmatum, ideò Capitilauum pridem vocitata, vt videre eſt apud S. Iſidorum lib. 6. Etymol. c. 18. & lib. 1. de Eccleſ. off. c. 27. ordin. Rom. tit. de ordine in die Palmatum, Alcuinum lib. de diu. offic.

eodem

eodem programmate, Rabanum lib. 2. de inſtitutione Cleticorum c. 35. hac clauſula concludentem, quam ex antetioribus auctoribus fere ad verbum deſumpſit; *Vulgus autem ideò hunc diem Capitalauium vocat, quia tunc moris eſt lauandi capita infantium* (quin & adultorum) *qui vngendi ſunt, ne fortè obſeruatione Quadrageſimæ ſordidatâ, ad vnctionem accederent.* Apud Polonos tamen moris fuiſſe dudum, vt primam comam puerorum tonderent cùm nomina ipſis imponetentur, littetis indidit Crometus lib. 2. hiſt. Polonicæ. veſtigium huius motis dudum apud Græcos recepti extat apud Gtegorium Nazianzenum in Apologetico, vbi ait περὶ ἀποθέσθαι χέδον τὴν πρώτην τρίχα: pro eo quod Latini dicunt, vixdum ex ephœbis exceſſerat, adhuc admodum infans. Neſcio ſi pridem in Gallia antequàm Franci rerum potirentur, mos iſte etiam non fuerit in vſu tondendi puerorum, quin & puellatum capillos religionis causâ. Huc enim ſpectate videntut Leges Salicæ in lib. Legg. Salicarum 28. tit. de homicid. paruulorum §. 2. & 3. ſic enim ibi: *Qui puerum crinitum* (id eſt Francum) *ſine conſilio aut voluntate parentum totonderit, malberg. ſchuiſara chrogmo* 2500. *denariis, qui faciunt ſolidos* 62. *& dimidium culpabilis iudicetur:* Suprà, id intelligendum mihi viſum fuerat de Tonſura Clericali, at potiùs de ea leui capillorum deciſione, quæ in Gallia fieret in initiatione Chtiſtiana, idéóque exoſa adhuc Francis ethnicis; perſuadere videtur hæc alia Lex Salica, quæ id ipſum in fœminis ac maſculis vetat: *Si verò puellam ſine patris aut matris auctoritate totonderit, theoctidia* 1800. *denariis qui faciunt ſolidos* 45. *culpabilis iudicetur.* Quidquid ſit, in odium Gallorum qui Chriſtum iamdiu colebant, fuiſſe editas eiuſmodi batbaras leges à Ftancis nondum Chriſtianis facile eſt intelligere. Ar hoc πάρεργον. Cæterùm iampridem motem fuiſſe Eccleſiaſticum, vt cùm ſactotum proceres Synodum aut ttanſlationem Sanctotum, vel dedicationem eſſent celebraturi, ipſi priùs lauarentur & raderentur, quo purioris admonerentur animi præparationis, ſacris actionibus adhibendæ. Nonnulla Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monimenta docent. Cuius ritus veſtigium etiam appatet in actis Concilij Rhemenſis à Leone IX. celebtati anno 1049. hac verborum ſetie: *Dum nocturnæ explerentur à fratribus vigiliæ, ad Sanctum remeauit Remigium, factóque ſibi balneo lotus & tonſus eſt, vt pote qui imminentem tanti patris ſolennitatem in craſtino celebraturus,* &c. Sed antiquius longè, nec minùs ſplendidū monimentum huius tonſionis Eccleſiaſticæ rirus ad munditiem & decorum indicandum in actis legitur S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis ſub Clothario II. Rege Francorum exilium paſſi, & ab eo reducis B. Winebaldi Abbaris Trecenſis pio & fauſto interuentu, ſic enim ibi: *Deinde ſimul ſe dant itineri, & Beatus Winebaldus ſanctiſsimum Præſulem lætus Regis obtutibus repræſentat; Lætatur Rex & proceres omnes gratulantur tanti Antiſtitis præſentiâ, contemplatúſque eum Rex, pietate flexus ad pedes eius humi proſternitur, veniámque ab illo deprecatur. Cernens verò eum afflictum, corpus eius macie confectum, caput intonſum, barbámque minimè raſam, ob cumulandum abſtinentiæ rigorem, tremens & eiulans Rex cum multo gemitu eius miſeriæ ſe reum fatetur, & ſancti viri delatoribus dira deprecatur, iubétque eum honorificè tractari, comámque, & barbam*

S

tonderi: poſtquàm verò ſuus decor ei redditus eſt, eum voluit Rex ſuo conuiuio intereſſe. Hæc in vita S. Lupi ab antiquo auctore fide digno ob grauitatem & ſynceritatem conſcripta, 1. die Septembris apud Surium, qui dum ſtylum, vt prænotat, expoliuit, aliqua mutauit quæ non fuiſſent mutanda: nam verbi gratia vbi ait, *Poſtquàm verò ſuus decor ei redditus eſt*, vetus officium S. Lupi in eius feſto ſic habet; *Tunc recepto decore Eccleſiaſtico:* vnde non priuatum morem, ſed hunc fuiſſe ritum Eccleſiaſticum elicitur, vt Præſules & Clerici ad nitorem & decorem comam, & barbam tonderent. Cæterùm S. Iſidorus lib. 2. de Eccleſ. off. c. 16. quod *de pœnitentibus inſcribitur*, moris tum fuiſſe innuit quibuſdam locis (nam alibi alium fuiſſe morem ſuprà obſeruatum fuit) vt pœnitentes comam nutrirent. vnde cauſam eſt aduertere cur S. Lupus in exilio comam & barbam adeò prolixam, & demiſſam pertulerit: quia etſi falſa delatione criminis fuerat accuſatus, & quaſi reus relegatus, tamen quamuis ſe inſontem non neſciret, pœnitentiæ hunc habitum (neſcio an ſponte, an coactè) præferebat: ſed cùm eius innocentia cognita eſt, dignitatique & Eccleſiæ ſuæ fuit reſtitutus, tunc *recepto decore Eccleſiaſtico* comâ detonſa ac barba, enituit in conſpectu Regis, cuius iuſſu ipſum mœſtitiæ & miſerationis habitum depoſuerat. Sed mihi excidere non patior quod præfatus Iſidorus ſuprà ſcribit, *Capillos pro vitiis in ſcripturis accipi:* Hi verò, inquit, *qui pœnitentiam agunt, capillos & barbam nutriunt, vt demonſtrent abundantiam criminum, quibus caput peccatoris grauatur.* Concil. Aquiſg. cap. 4. idem ex Iſidori dictis, ferè iiſdem verbis inſinuat: capilli enim pro vitiis accipiuntur, ſicut ſcriptum eſt Prouerb. 5. Crinibus peccatorum ſuorum vnuſquiſque conſtringitur: vir autem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: vt ait Apoſtolus 1. Cor. 11. qui cùm velit Epiſcopum ſine crimine eſſe, & cæteros Eccleſiæ miniſtros ſine offenſione & infamia 1. Timoth. 3. Ideò non crinitos eſſe, at detonſos, rectè ac congruenter illos fore, ad munditiem & puritatem quam exhibere debent, in Sacerdotali officio ac Clericali miniſterio, politia exigit Chriſtiana, ex Apoſtolica traditione profecta, prout ſuperiùs oſtendimus. Sulpitius narrat in S. Martini viri Apoſtolici geſtis, quòd cùm ad Epiſcopatum ſummâ Cleri ac populi conſpiratione, quin & diuino nutu ac afflatu vocaretur, nihil, liuidi aliquot homines, qui tantæ ſanctitatis lumen, quo dignum erat aſpectu, non ferebant, habuiſſe quod obiicerent ad eius electionem interturbandum, quàm quòd veſte & coma eſſet deſpicabilis: *Pauci tamen & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum Antiſtitem fuerant euocati, impiè repugnabant dicentes, ſcilicet contemptibilem eſſe perſonam, indignum Epiſcopatu eſſe hominem deſpicabilem, veſte ſordidum, crine deformem. Ita à populo ſententiæ ſanioris hæc illorum irriſa dementia eſt, qui illuſtrem virum, dum vituperare cupiunt, prædicabant: nec verò aliud facere iis licuit, quàm quod populus Domino cogente volebat.* Malignus eſt oculus inuidi, adeò vt feſtucam in oculo proximi perſpiciat, trabem in ſuo oculo non videat. Qui crines in Martino viro ſanctiſſimo reprehendebant, crimina ſua non aduertebant, quibus pluſquam ille capillis grauabantur. attamen perpendere debebant non fuiſſe tunc adhuc Martinum Sacerdotem, at

inferiorem Clericum ſcilicet Exorciſtam, necdum Pontificem, at Monachum, cui (vt dixit, ei non abſimilis ſcilicet S. Hilarion *) *ſupernacaneum eſſet munditias in cilicio quærere.* S. Paulinus qui eodem vixit ſæculo, etiam incultus erat crinibus, cùm Monachiſmum profitebatur, at ſubinde cooptatus in Clerum comam depoſuit, monentéque Seuero à Victore tonſus eſt, vt ipſe denarrat ad ipſum ſcribens Seuerum, quem ſic affatur ipſo in exordio ep. 4. ad eundem: *Venio nunc*, inquit, *ad maiorem patris erga me Victoris operam, qua me ſuis manibus tondere dignatus eſt: quod ipſum tamen beneficium tibi debere me voluit, mandato tuo dicens, ſe mihi artem ſuam prodere. Propterea rogaui eum vt quod penſa manu fecit, id impenſis orationibus ambo faciatis, videlicet vt exorato precibus veſtris Domino, peccata noſtra, quibus ſuper capillos capitis multiplicatis animam habemus impexam, non acciſione medij tondeantur, ſed ad viuum quaſi nouaculâ radente perimantur; Eſt autem nobis nouacula nunc ſalutiferæ, nunc peſtiferæ ſectionis: remedij & decoris nouacula nobis Chriſtus Deus eſt, qui cor noſtrum circumcidit, vitia radit, animæ caput leuigat, & faciem mentis accurat; nóſque vt illam in lege captiuam purgat & liberat horrido miſeræ ſeruitutis capillo: vt coniungendi Domino, velut illa in Iſraëlitæ viri nuptias tranſitura, criminibus carnis noſtræ, quaſi barbaris crinibus exuamur. Deinde ſenſibus innouatis, vt comis rudibus enteſcamus, vitámque noſtram quaſi Nazaræum crinem paſcentes, Deo in caſtitate & parſimonia conſecremus.* Hæc S. Paulinus doctè, piè & eleganter de puritate per Tonſuram Clericalem & raſionem monaſticam ſignificatâ; quam capillorum ſacram deciſionem, iterum ep. 7. ad eundem Sulpitium, eſſe ait indicium *animi ornatu pudicitiæ inornati*, &c.

* *Apud S. Hieronymum.*

Sextam, & ſeptimam ſignificationem Tonſuræ Clericalis, Honorius Auguſtodunenſis explicat lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, ſeu Gemmæ animæ, cap. 195. his verbis: *Petrus quoque Apoſtolus à gentibus captus, & ad ludibrium Chriſtianorum traditus, barbâ raſus & capite decaluatus* (fuit). *Quod ipſe deinceps in miniſterio fieri iuſſit, quod incredulos quamuis inſcios tamen Deo permittente in figura operatos intellexit, ſicut & crux olim fuit ſubſannatio, nunc eſt Eccleſiæ gloriatio: per caput principale animæ ſcilicet mens denotatur, quæ ſicut caput capillis, ita cogitationibus perornatur, quæ nouacula timoris Dei debet à ſuperfluis cogitationibus radi, vt nudâ facie cordis valeat cæleſtia contemplari.* Ex quibus dictis reſultat Tonſuram, monimentum eſſe contemptus rerum ſæcularium & meditationis cœleſtium, ſuperfluorum reſectionis, & liberalis etiam eorum diſperſionis, in Chriſti pauperum ſolatia.

Sanè ſiqui ſunt, qui terrena paruipendere debeant, Clerici ſunt, quorum ſors propria Dominus eſt. Aculeatè & cordatè S. Hieronymus ep. 2. ad Nepotianum de Clericorum vita. *Propterea vocantur Clerici* (inquit) *vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt; Qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum & poſſideatur à Domino: Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit, Pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt; quòd ſi quicquam præter Dominum habuerit, pars eius non erit Dominus, &c. Si autem pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio*

Raſio capitis eſt omnium temporalium depoſitio. S. Hieronymus vt refertur 12. q. 1. c. duo ſunt. ſuprà non ſemel ſignato. *Pſal.* 15.

partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Leuita & Sacerdos viuo de decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar. Obſecro itaque te, & repetens iterum iterúmque monebo, ne officium Clericatus genus antiquæ militiæ putes, id eſt ne lucra ſæculi, in Chriſti quæras militia, ne plus habeas, quàm quando Clericus eſſe cœpiſti, & dicatur tibi; Cleri eorum non proderunt eis. Nonnulli enim ſunt ditiores monachi, quàm fuerunt ſæculares, & Clerici, qui poßideant opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace Diabolo non habuerant. Vt ſuſpiret eos Eccleſia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos. Menſulam tuam pauperes & peregrini, & cum illis Chriſtus conuiua nouerit. Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem, & ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge. At vtinam Clericus ipſa hæc contagia fugiat, mundi amorem, honorum ambitum, diuitiarum cupiditatem, & quicquid terrenum ſapit & ſæculare dici poteſt. *Nemo militans Deo* (ait vas electionis 2. Tim. 2. 4.) *ſe implicat negotiis ſæcularibus*, quod monitum vt Clericis Eccleſia incutiat eo ritu illos docet, quo iuber comam coërcere, tondere capillos, & in ſuperiori parte capitis eradere. Rectè Sanctus Gregorius hom. 33. in Euangelia, capillos ait denotare abundantiam, terrenæ ſubſtantiæ copiam: *capilli quippe ſuperfluunt corpori.* & circa medium: *Et quid abundans rerum terrena ſubſtantia, niſi capillorum ſpeciem tenet, quæ dum ad vſum neceßitatis ſuperfluit, etiam abſciſſa non ſentitur:* facile eſt igitur Deum amanti, partem illam ſuperfluam decidere, quæ onerat poriùs quàm iuuat, deciſáque, vt ait ſuprà Paulinus, *anima caput leuigat, & faciem mentis accurat.* Porrò capilli etiam defluenres, animi cogitationes tendentes in hæc inferiora deſignant. Pulchrè id docet Sanctus Gregorius lib. 2. Moral. in Iob cap. 26. paulò poſt medium, ad illa verba, *Et tonſo capite corruens in terram adorauit. Nam quid moraliter per capillos*, inquit, *niſi defluentes animi cogitationes accipimus, vnde & aliàs Eccleſiæ dicitur; ſicut vitta coccinea labia tua, ſponſa, & eloquium tuum dulce. Vitta quippe crines capitis aſtringit; labia ergo ſponſæ ſicut vitta ſunt, quia exhortatione ſanctæ Eccleſiæ cunctæ in auditorum mentibus diffuſæ cogitationes ligantur, ne remiſſæ defluant, ne ſeſe per illicita ſpargant, ne ſparſæ cordis oculos deprimant, ſed quaſi ad vnam ſe intentionem colligant.* At Clerico non eſt ſatis capillos conſtringere, reſecare debet: ſiquidem mundanas cogitationes oportet (ſi ſuo nomine dignus eſſe velit) penitus ad viuum exſcindere, & crebrò raſitare, ne effluant, mentíſque obtundant ad ſuperna tendentis aciem.

Hierem. 12.

Nec minùs enim cauere debet Clericus ab iis, quæ cæleſtium meditationem impediunt, quàm ab iis quæ deprimunt ad inferiora (tametſi fermè perinde ſit, cùm quæ in ima detrahunt, à ſuperioribus auellant deturbéntque.) Ad hoc enim debet ea fugere quæ terrenis implicant, vt faciliùs ad ſuperna aſſurgere poſſit. Scitum eſt illud Ariſtophanis, ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον. *Scando aërem, ſolémque deſpicio.* Dignum Philoſophi ſtudium! qui ſcilicet indignum expurgatâ mente ſua arbitraretur, cum brutis in hæc terrena volutari, repere, hærere his fæcibus cum ſerpentibus & vermiculis: cùm ſibi ſuperna contemplari liceret, imò deceret intra ſe, caducis his abiectis & proculcatis,

mente efferri ſuper ipſum aërem, & ſolis pulchritudinem intueri, eius conſectari progreſſus, déque eius multiplici virtute & influxu admirando non minùs ſolerter quàm ſuauiter philoſophari. Abſit vt ethnici Philoſophi, quàm Chriſtiani, animo maior inſederit terrenarum rerum contemptus & ſupernarum affectus. Magiſtri in Chriſtiana Philoſophia vox eſt omnium qui Chriſtiano nomine cenſentur, incutienda præcordiis, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt*, Philipp. 2. At Clericis maximè, quorum profeſſio propria eſt, non ſolùm ad ſuperna & æterna viribus totis eluctari, vt cæteros fideles, ſicut aquila *quæ pullos prouocat ſuper illos volitans*, & ſuper alas ſuas efferens, ſurſum poſſit attollere, iiſque præire monitu & exemplo, omníque contentionis enixu ſecum attrahere. Cæſar cùm militem ſigniferum aliquando terga vertere videret, fertur arripuiſſe vt ſiſteret, dixiſſéque voce dignâ imperio; *Quorſum ignaue tendis? Non quò te vertis hoſtis eſt, nec pugna nec victoria? Redi ad prælium, & vultum conuerte vbi pugnat noſter exercitus: pedem reflecte in ſtadium, quo iam affulget triumphus.* Mihi videor audire Chriſtum, milites ignauos, Clericos ſigna deſerentes, & à cæleſtibus ad terrena delapſos, eatenùs increpantem: Quonam miſeri declinatis, voco ad æterna, & caducis inhiatis, cælorum vobis in ſanguine meo initiaui viam, quò contenderetis: anteſignanos conſtitui vt gregariis militibus præiretis: vos verò & proditis ſigna & agmina perditis, verſo ad mundana vultu, me, meáque promiſſa & præmia iamiam parata deſeritis, vt bonis ludicris & fugacibus, euanidíſque rebus potiamini: Reuertimini ad cor, ad ſalubriora redite conſilia. Non eſt vobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduersùs principatus & poteſtares: veſtra conuerſatio in cœlis eſt, vbi ego ſum via, vita, & gloria veſtra: Vbi erit corpus, illuc & aquilæ congregabuntur; Si generoſæ eſtis alites, pernici poſt me volatu feſtinate; ſi mecum conſurrexiſtis quæ ſurſum ſunt quærite, quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſunt ſuper terram. Hac voce mihi ſanè videtur Chriſtus, quotquot ſpeciali pacto ſe eius militiæ adſcripſerunt, Clericos arguere, hortari, impellere, vt ſua quæque ſurſum efferant deſideria, ſpretíſque mundi huius fallacis illecebris generoſo enixu, ad ſupernam æternámque felicitatem perpetim eluctentur, nihilque aliud quàm annos æternos, cum Propheta recogitent, quibus poſt vitæ huius labores & gemitus, ſummo frui bono, quod Deus ipſe eſt (cuius ſe ſe caſtris ſpontaneâ obſtrictione addixerunt) valeant promereri: duplicémque coronam, ſcilicet alteram de proſtrato hoſte, alteram de ciue ſeruato, ire poſſint reuectum. Eccleſia ſanè totis hoc præcordiis illis decus exoptat; dum enim primâ Tonſurâ inſigniuntur; ſic pro eis orat piâ Antiſtitis voce; *Oremus fratres chariſsimi, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, pro his famulis ſuis qui ad deponendum comas capitum ſuorum prò eius amore feſtinant, vt donet eis Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eis in perpetuum conſeruet, & à mundi impedimento ac ſæculari deſiderio corda eorum defendat, vt ſicut immutantur in vultibus, ita dextera manus eius virtutis tribuat eis incrementa, & ab omni cæcitate ſpirituali & humanâ oculos eo-*

rum aperiat, & lumen eis æternæ gratiæ concedat. Qui viuit & regnat in vnitate, &c.

VIII. Cæterùm abraſio capillorum non deſignat tantùm ſuperfluorum reſectionem, at etiam diſperſionem & erogationem in pauperes: tenax enim ſi ſit Clericus rerum ſuarum, vix temporalium bonorum contemptor erit, & amator æternorum; neque, ſi erga inopes fuerit parcus, poterit eſſe miſericors, quòd ſi abſque miſericordia fuerit, certè non video quomodo poſſit eſſe Clericus, qui nec cenſeri debeat Chriſtianus: verè enim ait S. Ambroſius, omnem ſummam Chriſtianæ Religionis eſſe in pietate & miſericordia. Miſericordia ſiquidem eſt ſalutis præſidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum; hæc eſt quæ iuſtos probat, ſanctos roborat, Deique veros oſtendit cultores, denique miſericordiæ virtus tanta eſt (ait S. Leo ſerm. de Epiph.) vt ſine illa cæteræ etſi ſint, prodeſſe non poſſint: nam vt eleemoſyna eſt filia miſericordiæ, ſic miſericordia proles eſt charitatis: at verò ſine charitate (ait vas electionis 1. Cor. 13.) *nihil ſum*, nec ſcientia, nec prophetia quicquam prodeſt, proinde nec dignitas Sacerdotalis, nec Tonſura Clericalis. Petit S. Ambroſius in ſuis Officiis quid magis commendat Chriſtianum? reſpondétque miſeratio charitatis: quod de quolibet Chriſtiano, multóque magis de Clerico dici poteſt. Quamobrem S. Hieronymus ep. 2. qua tractat ex profeſſo de vita & officio Clericorum, poſt cultum Dei & Eccleſiæ miniſterium ſtudiúmque puritatis & zelum animarum, nihil in Clericis commendabilius eſſe putat, quàm miſericordiæ & liberalitatis affectum erga proximos indigentes. *Menſulam*, inquit, *tuam pauperes & peregrini, & cum illis Chriſtus conuiua nouerit. Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere, ignominia Sacerdotis eſt propriis ſtudere diuitiis, ſi crucem Domini cogitamus, diuitias lutum putabimus.* Et infrà: *Officij tui eſt viſitare languentes; nobis animarum cura commiſſa eſt. Conſolatores igitur potiùs nos in mœroribus ſuis, (Laici) quàm conuiuas in proſperis nouerint: Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius enim eſt* (ait Dominus Act. 17.) *magis dare, quàm accipere:* Paulóque inferiùs. *Etſi dedecus cenſeat eſſe Clericis, ſecularium res familiares curare, concedit tamen vt diſpertiendis eleemoſynis, quas diuites ſeculi eorum hortatu voluerint impendere Eccleſiis vel pauperibus, poſſint diſpenſationem exercere. Procuratores & diſpenſatores* (inquit) *domorum alienarum atque villarum quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico quippiam rapere furtum eſt, Eccleſiam fraudare ſacrilegium eſt: accepiſſe quod pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus plurimis, vel cautum eſſe velle vel timidum, aut quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahere, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. Optimus diſpenſator eſt, qui nihil ſibi reſeruat.* Diſperſionis opum, capillorum deciſio vel raſura ſymbolum eſt. Memor ſit igitur Clericus quoties reſecat comam, & verticem radit, officij ſui non poſtremam partem eſſe, eleemoſynæ largitatem. ſi rem ita agit, *vnus de capite eius* (ſicut promiſit Dominus diſcipulis ſuis Matt. 10. 30. Luc. 12. 7.) *capillus non peribit.* Nihil pilo (præſertim ſeiuncto) contemptius iuxta parœmiam ἄξιοι τριχὸς, quo vtitur Ariſtophan. in Ranis; vnde & Latinis frequens in ore eſt, *pili non facio*; Attamen numerat ſeruorũ ſuorũ pilos Dominus noſter, quibus ait in Euang.

Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, vt quid? quia vt in natura ſunt capitis ornamenta, ſic in ſcriptura ſacra plerumque virtutes, & opera bona deſignant, maximè opera charitatis & miſericordiæ, vnde locus iſte cum hoc affinitatem habet, *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ in nomine meo, amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Matth. 10. 42. Marc. 9. 30. Capillus igitur qui non peribit, eſt eiuſmodi potus, quia quantùm tenue ſit opus, modò in Chriſti nomine fiat, ingenti retributione compenſabitur, iuxta illud Apoſtoli, *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leue*, &c. *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. 17. Id Clericis licet in B. Nicolao perſpicere, qui cùm minor adhuc eſſet Clericus, tres virgines à patre earum propè proſtituendas, ſua clanculari munificentia in pudicitia conſeruauit. Id & in S. Laurentio S. Romanæ Eccleſiæ Archileuita fas eſt intueri, cuius glorioſum martyrium, fuit eleemoſynarum partus, ex quarum meritis glorificato, coronato, triumphanti, inſigne illud epinicium Eccleſia idcirco gratulabunda concinit; *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.*

Nona, ex ipſis verbis Domini, *Nolite timere, veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, vnus capillus de capite veſtro non peribit*, naſcitur Tonſuræ Clericalis ſignificatio. Ignominiæ loco fuit, vt ſuprà pleriſque antiquitatis tam ſacræ, quàm profanæ inſinuationibus demonſtratum eſt, radi, tonderi, decaluari. Quibus addi poteſt Sacerdotes Hebræos non modò fuiſſe intonſos, at radi, pœnæ eis loco fuiſſe. Tritum eſt hæreticis deridere Catholicos Sacerdotes, quos per contemptum vocare ſolent *vnctos & raſos*. Abhorrent ab ipſo Tonſuræ nomine: ferre non poſſunt, vt de Tonſuræ vſu & origine in Eccleſia tantillam inſtituant diſſertatiunculam Religionis Catholicæ Aſſertores. Stapletonus ſtrenuus ille Catholicæ pietatis aduersùs profanas ſectariorum nouitates defenſor, id expertus teſtatur in Propugnaculo fidei primitiuæ Anglorum part. 2. c. 7. *Dum de Tonſura Sacerdotali ago*, inquit, (tractabat autem tantùm obiter) *Proteſtans cachinnum tollit*, eóque peruenit, eorum exitioſæ garrulitatis peſtilitas, vt etiam aliquot infecerit, qui inter Catholicos cenſentur; vnde ſubiungit idem doctor non ſine gemitu & dolore; *Et Catholicus fortè quiſpiam, tabe huius temporis infectus, non ita libenter me audiet.* Parum hoc eſſet, ſi Clerici plerique Tonſuram gerere probro non ducerent, quamobrem vel occultant, vt ſignum ignominiæ, vel abiiciunt penitus ex propudioſa verecundia. At non eſt quòd erubeſcant teſſeram militiæ cui adſcripti ſunt, characterem Domini ſui, ſignaculum Eccleſiaſticæ profeſſionis, quo diuinis ſunt obſequiis dedicati; meminiſſe eos oportet, Apoſtolos ſcandalum fuiſſe factos mundo propter Chriſtum; habitos fuiſſe ſtultos, cùm eſſent ſapientes, ſeductores, qui veraces, ſuique Apoſtolatus initia à probris & contumeliis inchoaſſe, *ſed ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*; Nec mirum cùm hæc opprobria, ſemina eſſe non neſcirent immortalis ſuæ gloriæ & felicitatis. Attendant cum his Chriſti diſcipulis igitur Clerici Domini ipſius promiſſa, *Nolite timere, veſtri capilli capitis om-*

nes numerati ſunt, vnus capillus de capite veſtro non peribit, at germinabit immarceſſibiles illius coronæ flores, qua honorandos à Paſtorum principe veros Clericos Primas Apoſtolorum Petrus prædixit. Martyres in cœlis de plagis pro fide & gloria Domini ſui à ſe olim ſuſceptis potiſſimùm gloriantur; ſúntque Theologi, qui doceant in die reſurrectionis nulla parte ſui corporis forebearos illos athletas formoſiores & ſplendidiores, quàm eâ, vel iis quibus vulnera lethalia perpeſſi ſunt pro diuinæ veritatis teſtimonio. Macte igitur tu Clerice! bono eſto animo; pro Chriſti ſeruitutis indicio ac profeſſione nunc raderis & irrideris, at dies veniet ille feliciſſimus aliquando, cùm illa ignominia tibi vertetur in honorem, quando ſcilicet tibi dabit Dominus, tuíſque conſortibus fidelibus ſuis ſeruis, *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris*. Iſaiæ 61. 3. Tanti vincula ſua faciebat Apoſtolus, vt nec pro Regis Agrippæ ſceptro & diademate dare voluiſſet: *Opto apud Deum* (inquit Act. 26.) *hodie talem te fieri, qualis ego ſum, exceptis vinculis his*. Quæ ſcilicet ſuper omne decus & pretium æſtimabat: quapropter vincti Ieſu Chriſti nomen ſuper omnem titulum efferebat, de hoc ampliùs gloriari ſolitus, quàm de ipſo Apoſtolatu & honorificentiſſimo vaſis electionis elogio. Quod & ignitus ille Martyr Ignatius fecit ſcribens ad Tharſenſes, *ſe non horrere nunc vincula, ſed potiùs ſibi, ſeu rem chariſſimam, reſeruare*. Ita quæſo Clericus Tonſuram, quam vt deriſionis ſignum mundus intuetur, vt pretioſos getat ſuæ ſeruitutis nexus, vt torquem aureum quo à Domino ſuo inſignitus eſt, vt pignus gloriæ & ſertum honoris, & circulum benedictionis, quem conuertet Dominus *in coronam de lapide pretioſo*.

Decimam denique, circuli & coronæ nomen, rationem mihi ſuggerit myſticæ ſignificationis Clericalis Tonſuræ. Attigit eam iampridem Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. off. c. 5. cuius eſt titulus de Tonſura. *Circulus*, inquit, *capillorum virtutem æqualitatis, rationi vndique conſentientem ſignificat*. Clericus itaque hoc ſignaculo admonetur, eſſe vt ſtudeat æqui amans & recti tenax, candoríſque & ſynceritatis animi obſeruantiſſimus; atque vt cum Poëta dicam, laudato à ſancto Auguſtino lib. de quantitate animæ,

Horat. *Fortis, & in ſe ipſo, totus teres atque rotundus.*

Honorius Auguſtodunenſis per circulum Clericalis Tonſuræ charitatem cenſet deſignari, lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, ſeu Gemma animæ c. 195. *Capilli*, inquit, *in circulum coæquantur, quia omnes virtutes conſummantur in concordia charitatis*. Qui enim diligit, ait Apoſtolus, *legem impleuit*. qui namque diligit (inquit S. Auguſtinus in Enchirid. c. 117.) credit & ſperat: Siquidem charitas, vt annulus gemmas, ſic fidem & ſpem includit; quamobrem *vinculum dicitur perfectionis*; circulúſque mirabilis, quo Deus ad hominem venit, & homo ad Deum rediit, qui eſt hominis principium & finis, idémque A & Ω.

Verùm de Charitate aliàs, quam S. Auguſtinus dum appellat *characterem diſcipulorum Chriſti* (lib. 2. de doctr. Chriſtiana, & Confeſſ. 13.) Clericorũ innuit proprium ac præcipuum eſſe ſignaculum. Atque hactenùs ſatis ſupérq; de Tonſuræ ac Coronæ Clericalis myſtica moralíq; theoria.

FINIS LIB. III.

LIBER IV.

DE CONFERENTE TONSVRAM Clericalem.

CAPVT PRIMVM.

Num quis ſibimet poſſit Tonſuram Clericalem conferre?

CERTVM eſt Tonſuram Clericalem non eſſe Sacramentum, ſed aliquid ſacramentale, an ſit, vel non ſit, ambigi poteſt. Hîc tamen operæpretium non puto hanc quæſtionem ire diſcuſſum. Sanè ſi eſſet Sacramentum, facilis eſſet lemmatis præfixi ſolutio: cùm dempto ſolo matrimonio (de quo tamen olim aliqui Theologi cum Canoniſtis dubitarunt, an ab alio quàm Sacerdote miniſtrari poſſet *: cùm recentiorum tamen vnanimis ſit ſententia non à Sacerdote hoc Sacramentum, ſed à partibus contrahentibus inuicem miniſtrari:) ac Euchariſtia, quam conſtat Sacerdotem actu ſacrificantem, ſibimet diſpenſare, at verò extra ſacrificium eandem ſuſcipere ab alio: regulariter nemo ſibimet Sacramentum impendit, nam nemo ſe baptiſat, confirmat, abſoluit, ordinat, vngit, & qui attentaret, id incaſſum, nec ſine reatu præſumptionis & temeritatis, abuſúſque grauis circa miniſterium rei ſacræ aggrederetur.

De Sacramentalibus nemo in dubium reuocat, nonnulla eſſe quæ ſibimet quiſque fidelium ritè, & rectè confert ac miniſtrat, v. g. aquam benedictam, ſignum crucis, panem benedictum, & id genus alia; Quamobrem ſi quis ad hanc claſſem referre velit Tonſuram de qua agimus, æquè potuerit contendere non eſſe illicitum hac in re proprio miniſterio vti: nec ſine aliqua veriſimilitudine hocquidem opinaretur.

Enimuerò, *Paulus* (Act. 18. 18.) *ſibimet totondit caput in Cenchris, habebat enim votum. Petrus* (ait Alcuinus lib. de diuinis officiis, Titulo de Tonſura Clericorum) *primus fertur huiuſmodi Tonſuram ſibi feciſſe ad ſimilitudinem coronæ ſpineæ Domini*, &c. Idem legitur apud Bedam loco non ſemel ſignato. Porrò Gregorius Turonenſis auctor eſt Clodoaldum Clodomeris filium, magnique Clodouei ex eo nepotem, *ſibi propria manu capillos inciſiſſe, Clericumque ſic factum eſſe* lib. 3. hiſt. Franc. c. 18. Pleraque alia eiuſmodi exempla notari poſſent, ſed hæc quæ ſunt illuſtriſſima ſatis eſſe videntur

* Guillelm. Pariſ. lib. de ſacram. tract. de Matrim. c. 9. q. 1. Durandus in 4. diſt. 25. Melchior Canus lib. 8. de locis Theolog. c. 5. vbi etiam citat S. Thomam pro ſua ſententia in 4. diſt. 1. q. 1. a. 3. & lib. 4. contra gentes c. 78. Quam ſententiam Canoniſtæ paſſim tuentur, variis Patrum & Pontificum auctoritatibus innixi. Quorum tamē teſtimonia gratis citari in huius opinionis ſubſidium, dēptâ vnâ sāctione Euariſti ex epiſt. 1. laudata apud Gratianum 30. q. 5. c. *Nullus*. Cardinalis Bellarminus inſinuat lib. 1. de matrimonio controuerſia a. c. 8. §. *at nihil omnino habent.*

ad inſinuandum non eſſe alienum ab inſtitutione Apoſtolica, & Eccleſiæ priſco vſu, vt quis ſibimet myſticam conferat Tonſuram.

Attamen abhorret à ritu & praxi legibúſque Eccleſiæ, vt quiſpiam præſumat ſeipſum cooptare in Clerum, Clericatúſque ſignaculum propriâ manu ac auctoritate aſſumere audeat. Ex innumeris porrò exemplis & canonibus ſuprà per ſeriem temporum ab initio productis, tam hoc fit perſpectum, vt ampliora proferre ad hoc confirmandum teſtimonia, prorſus ſuperuacaneum foret. Quæ verò obiecta ſunt exempla, nihil ad rem faciunt, enimuerò quòd Paulus totonderit caput ex voto ſic intelligi non debet, vt hoc propriâ fecerit manu, ſatis eſt quòd ſe tonderi curârit vt votum impleret, nam & aliâ vice cùm eundem obiret ritum ex Iacobi, & ſeniorum monitu, vbi habet ſacer contextus vulgatæ editionis, *& impende in illis vt radant capita.* Arias legit, *impende rituales ſumptus in lotionem & tonſuram capillorum.* In lege ex cuius ritu hoc fecit Paulus, Num. 6. qui voto huiuſmodi obſtrictus erat, *radi* iubetur *ante oſtium tabernaculi fœderis, cæſarie conſecrationis ſuæ.* Idque Sacerdotis miniſterio; nam continuò ſequitur, *tollétque capillos eius, & ponet ſuper ignem qui eſt ſuppoſitus ſacrificio pacificorum*, &c. *ſuſceptáque* (munera) *rurſum ab eo eleuabit in conſpectu Domini, & ſanctificata Sacerdotis erunt.* De Petri Tonſura tria obſeruanda ſunt, quæ ſuprà notauimus ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ codicillis.

Primum, quòd ab infidelibus decaluatus fuerit, in prædicationis ſuæ contemptum & deriſionem.

Secundum, quòd hoc ſignum ignominiæ ipſe verterit in pietatis monimentum, Tonſuram deinde gerens in memoriam Dominicæ paſſionis, & ſpineæ Chriſti Coronæ ſignificationem & recordationem.

Tertium, quòd hoc ipſum mnemoſynon inſtituerit, vt Clerici caput deſuper per modum circuli attonſum gererent, ſic enim ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum c. 28. *Petrus Apoſtolus ad docendam humilitatem* (ſcilicet ex Dominicæ memoria paſſionis) *caput deſuper tonderi inſtituit.* Nec dubium quin exemplo præluxerit iis quos ſuo decreto obſtringebat.

Tribus ex his principiis, conſtaſſe ſatis perſpicuum eſt Alcuinum virum doctiſſimum præfixum hoc theorema, *Petrum Tonſuram ſibi feciſſe* (id eſt gerendam inſtituiſſe & geſſiſſe primùm) *ad ſpineæ coronæ Domini ſimilitudinem.* Sed quid hoc facit (obſecro) ad probandum licere cuilibet Tonſuram ſibi conferre Clericalem? volebat Paulus vt in Eccleſia cum ordine omnia fierent, *nemóque ſibi honorem aſſumeret.* Petrus hoc Tonſuræ ſignaculum, proprium ſtatuit eſſe Clericis; ſe verò vt quiſque poſſet facere Clericum, nec verbo, nec exemplo docuit. Paſtoribus autem etſi vetuerit in Clerum affectatam dominationem, Clericis tamen debitam ſubordinationem efflictim commendauit. Qui enim volebat fideles omni humanæ creaturæ (in poteſtate conſtitutæ ſcilicet) ſubiici propter Deum, Clericos maximè ſuis ſenioribus, & prælatis debere docuit ſubiacere: *Subditi*, inquit, *eſtote ſenioribus.* Quibuſnam? iis nimirum de quibus paulò antè dixerat: *Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis paſſionum*

Chriſti, &c. *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei prouidentes*, nimirum ſolliciti proſpectum ire, ne quid temerè & inordinatè in Eccleſia fiat. Quod certè plus nimium foret, ſi omnes omnia ſibi pro libitu arrogarent, Laïci irruerent proprio motu in Eccleſiaſticos gradus, & ſeipſos ſine vocatione aut admiſſione vlla adſcriberent in album Cleticalis militiæ.

Cæterùm dicta Gregorij Turonenſis de facto S. Clodoaldi neutiquã paradoxum probant, ad cuius confitmationem arceſſuntur, ſunt enim eiuſmodi tenoris ad verbum: *Tertium verò Clodoaldum comprehendere non potuerunt, quia per auxilium virorum fortium liberatus eſt. Is poſtpoſitô regnô terrenô ad Dominum tranſiit, & ſibi manu propriâ capillos incidens, Clericus factus eſt, boniſque operibus inſiſtens presbyter ab hoc mundo migrauit.* Cuius loci vt genuinus ſenſus eruatur, reuocare in mentem iuuat, quæ ſuprà conſignauimus: Francicis ſcilicet legibus à Clodione editis fuiſſe diſtrictè vetitum, ne quis crinitum puerum, id eſt Francum ex ſtemmate regio, aut ſpectata nobilitate, tondetet abſque parentum conſilio aut aſſenſu. Dicit igitur Gregorius Turonenſis Clodoaldum filium Regis Clodomeris ſibi incidiſſe capillos, manu ptopriâ, hoc eſt propriô nutu & ptiuatâ auctoritate, abſque permiſſu patruorum Regum, quos non tutores ſuos, at perſecutores expertus fuerat. Extat etiamnum in antiquis formulis cap. 19. *Præceptum regium de Clericatu*, vbi Rex ſic eloquitur; *ille ad noſtram veniens præſentiam petiit ſerenitati noſtræ, vt ei licentiam tribuere deberemus. qualiter comam capitis ſui ad onus Clericatus deponere deberet.* Abſque eiuſmodi licentia, quam ſine vitæ periculo tum non potuiſſet Clodoaldus à patruis, paterni regni inuaſoribus expetere, ad Clericatum conuolauit, *capillos incidens manu propria*, hoc eſt ſua priuata voluntate. Quòd ſi tamen quis ex his verbis præfractè contenderit Clodoaldum propriâ manu & operâ ſuos incidiſſe capillos, nec refragabor anxius, ſequi dumtaxat at inficiabor, Clericum ſic factum fuiſſe. Quotidie videmus adoleſcentes ſe nobis ſiſtere, poſtulantes ad Tonſuram Cleticalem admitti, qui ſi profuſiorem gerunt comam, admonentur priuſquàm referantur in album primitiæ Clericatus, prolixam hanc cæſariem conſtrictum ire ad breuiores capillos; parent monitis, ſúntque nonnulli qui hæc etiam præuertant, ſiquidem priuſquàm ſe offetant Examinatorum aſpectibus, decenter ctines profuſiores curant ſibi decidi. Quòd ſi propria manu hoc facerent, an ideò eſſent Clerici? an Tonſuræ iuribus gauderent? an inſigniti Eccleſiaſticâ Tonſura cenſerentur? minimè verò. Verba hæc igitur Gregorij Turonenſis, *capillos incidens Clericus factus eſt*, accommodâ diſtributione ſic expendenda ſunt, cæſariem ipſe depoſuit, deinde Clericus factus eſt ſuſceptâ Tonſurâ, eo ſcilicet ordine ac ritu quo ſolet Eccleſia, nimirum vt in libro Sacramentorum S. Gtegorij, vetuſtis ex praxibus conſerto, ſub hoc titulo, *orationes ad Clericum faciendum*, præſcribitur, Præſulis auctoritate ac miniſterio, qui ſic poſt tonſionem noui Clerici demùm orat: *Præſta omnipotens Deus huic famulo tuo, cuius hodie capitis comam pro amore diuino depoſuimus, vt in tua dilectione perpetuò maneat, & eum ſine macula in perpetuum cuſtodias. Per Dominum.*

Cæterùm non valet comparatio Tonſuræ ad ſignum crucis vel aquam

benedictam, & id genus alia, ſiquidem priuatim quiſque poteſt ſibi aquam aſſumere benedictam, vel crucis ſignum fronti appingere, quia communis eſt iuris fidelium, neque hæc actio fit cum aliquo Chriſtianæ communitatis præiudicio, proinde Eccleſiæ opus non eſt permiſſione vel mandato. At nemo poteſt in Clerum cooptari, adſcribíque Eccleſiaſticæ militiæ (quod fit per primam Tonſuram) ſine Eccleſiæ auctoritate ac conſenſu, aliàs confluerct in Clerum pro meto libitu vniuerſum Laïcorum vulgus, & priuilegia omnibus peruia forent atque promiſcua, imò peſſum irent funditus, cùm priuilegium non ſit, nec eſſe poſſit, quod omnibus indifferenter commune eſt.

CAPVT II.

Epiſcopi proprium ius eſſe, ſuis conferre Diœceſanis Tonſuram Clericalem.

ECCLESIÆ Catholicæ conſtans & certum oraculum eſt, *vt vnuſquiſque à proprio Epiſcopo ordinetur;* in Trident. Concil. ſeſſ. 23. cap. 8. Quòd ſi Tonſura Clericalis ſit ordo, ſequitur ex hoc axiomate hanc à ſolo Epiſcopo poſſe ſuis Diœceſanis conferri de iure poſſe.

Quòd verò Tonſura ſit ordo docere videtur ſatis euidenter Innocentius III. in cap. *cùm contingat*, de ætate & qualitate præficiendorum, vbi diſertè ait, *Clericalem ordinem per Tonſuram conferri.* Hoſtienſis, in ſumma, *Tit. de Temp. ordin.* cenſet Tonſuram inter Eccleſiaſticos gradus & ordines, quem paſſim Canoniſtæ ſequuntur. Numerant enim ordines nouem à Tonſura ad Epiſcopatum incluſiuè, cùm Theologi Tonſuram & Epiſcopatum paſſim eximentes, ſeptem dumtaxat ordines recenſeant. Barboſa coaceruat auctoritates canonicas, & Eccleſiaſticorum Iuriſperitorum rationes, quibus hæc ipſa confirmetur opinio. *Tit. de off. & pot. Epiſc. alleg.* 2. §. 16. Haud opus eſt igitur repetendis eiuſmodi perſuaſionibus diutiùs immorari, cùm idem ſit dictum dicere ac actum agere: tametſi nauare ſi vellem opellam inſinuandæ huic opinioni, alia argumenta ac teſtimonia non deeſſent, ab iis quæ notauit: ſed lectoris tædium iure eſt, quod faſtidiamus. quamobrem nec viſum ex aduerſo, Theologorum argumenta hîc expromptum ire, quibus cum ſeptem dumtaxat ordines numerent: vt nec Epiſcopatum ordinem eſſe volunt (quem non ordinem conſtituere cenſent, at ordinum apicem, atque adeò Eccleſiaſticorum ordinum ipſum eſſe faſtigium) ſic Tonſuram excludunt à graduum, ordinúmque numero, vt pote quæ gradus non ſit, ſed mera dumtaxat diſpoſitio, iſagoge & præambulum, ianuáque & aditus ad gradum & ordinem: deſignationem denique eſſe potiùs ordinandorum, quàm allectionem. Verùm hoc diſſidium facilè conciliari poteſt, ſi dicamus, Tonſuram primam, latè ſumptam, ordinem cenſeri poſſe, in quantum ſignaculum eſt diſtinguens Clericos à Laïcis:

propriè tamen loquendo & ſtrictè non eſſe in ordinum numero recenſendam, cùm ordines conferantur ad aliquem actum ſpectantem celebrationem ſacrificij Euchariſtiæ, & hoſtiæ ſalutaris conſecrationem & oblationem; Porrò per Tonſuræ ſignaculum nulla circa hoc diuinum myſterium functio propria ſuſcipienti demandatur, ſed fit dumtaxat delectus perſonæ, quæ poſteà ſi votis merita ſuffragentur, ad eiuſmodi myſticos actus ſenſim promoueatur per gradus legitimos. Videndus S. Thom. in ſuppl. q. 57. a. 2. & in 4. ſent. d. 24. a. 2. & ibi Theologi ſequaces. Quo ſenſu Concilium Trident. Tonſuram ab ordinibus etiam quibuſuis minoribus diſtinguit; ſeſſ. 23. de Reform. cap. 6. *Nullus*, inquir, *prima Tonſura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus conſtitutus.* Et cap. 10. *Tonſuram vel minores ordines.*

Sed tametſi apud Theologos eo ſenſu quem inſinuauimus, Tonſura non ſit ordo, ſed ianua ad ordines cùm minores tum maiores: iure proprio & ordinario ſpectat ad proprium Epiſcopum ſuis diœceſanis hanc conferre, vnde cap. 4. tit. de Temporibus ordinat. & qualitate ordinandorum in 6. *Nullus Epiſcopus vel quiuis alius*, &c. *abſque ſui ſuperioris licentia, diœceſis alienæ Clericalem præſumat conferre Tonſuram*, &c. *prout eſt ſacris canonibus diffinitum. qui verò contrà fecerit* (vt in eo in quo peccauerit, puniatur) *per vnum annum à collatione Clericalis Tonſuræ dumtaxat, nouerit ſe ſuſpenſum.* Hinc Concilium Tridentinum aduersùs Abbates etiam exemptos, & collegia & capitula ſeuerè animaduertit, ſi quicquam hac in parte præſumant in Epiſcopi Diœceſani præiudicium. Seſſ. præſignatâ 23. c. enim 9. poſtquam modum impoſuiſſet Epiſcopo, circa familiares ſuos initiandos: ſic Abbates coërcet & Capitulares cœtus; *Abbatibus ac aliis quibuſcumque quantumuis exemptis, non liceat impoſterùm intra fines alicuius Diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram vel minores ordines conferre, nec ipſi Abbates & alij exempti aut collegia vel capitula quæcumque etiam Eccleſiarum Cathedralium, litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, vt ab iis ordinentur, concedant; ſed horum omnium ordinatio ſeruatis omnibus quæ in huius ſanctæ Synodi decretis continentur, ad Epiſcopos intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat, nonobſtantibus quibuſuis priuilegiis, præſcriptionibus aut conſuetudinibus etiam immemorialibus. Pœnam quoque impoſitam his qui contra ſanctæ huius Synodi ſub Paulo III. decretum, à Capitulo Epiſcopali ſede vacante litteras dimiſſorias impetrant, ad eos qui eaſdem litteras non à Capitulo, ſed ab aliis quibuſuis in iuriſdictione Epiſcopi, loco capituli ſede vacante ſuccedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimiſſorias contra formam decreti, ab officio, & beneficio per annum ſint ipſo iure ſuſpenſi.*

Cùm enim (ait idem Concil. cap. 16. eiuſdem ſeſſ.) *nemo debeat ordinari abſque iudicio ſui Epiſcopi*; nec itidem inſigniri primâ Tonſurâ, quæ vnica ianua eſt & aditus ad canonicam ordinationem: vnde etiamnum conſtanti more in Eccleſia obſeruatur, vt regulariter, & abſque priuilegio ſpeciali, nemo poſſit ab alio, quàm proprio Diœceſano Clericalem ſuſcipere Tonſuram, niſi de eiuſdem proprij Antiſtitis expreſſa licentia data in litteris: adeò vt qui hanc permiſſionem iactat abſque litterarum huiuſ-

modi ſuffragio, fidem nullam mereatur, nec cenſeatur Clericus, ſed incapax ſit beneficiorum Eccleſiaſticorum & priuilegiorum exſors, vt docet Dominicus Conſ. 91. incip. *Præmitte primò.* Ratio huius ſeueritatis Eccleſiaſticæ eſt æquiſſima; cùm enim (vt ait S. Hilarius Comment. in Matth. cap. 26. in fine) *Epiſcopi ſint Eccleſiæ principes; quibus animarum curandarum* (vt Patres inquiunt Concilij IV. Pariſienſis ſub Ludouico Pio Imp. anno 829. cap. 4. ex præclarè dictis S. Proſperi) *ſollicitudo eſt commiſſa, qui populi ſibi commiſſi pondus viriliter ſuſtinent, qui patres ſunt in fide Catholica regeneratorum, ianuæ per quas omnes qui credunt ingrediuntur ad Chriſtum, ipſi ianitores quibus claues datæ ſunt regni cælorum, fidelis populi duces, regiæ domus Dei diſpenſatores, quorum arbitrio in aula Regis æterni gradus, & officia ſingulorum diuiduntur.* Ad eos igitur iure ſpectat illorum delectus, qui ad hos gradus & officia deſtinantur. Iuuat hîc audire Petrum Gregorium lib. 16. ſyntagmatis Iuris vniuerſi cap. 1. de hac re doctè & appoſitè diſſerentem; *Tonſuram*, inquit, *deſignationem potiùs ordinandorum, quàm adlectionem quis rectè dixerit, quod mihi magis probatur exemplo armatæ militiæ Romanæ, in qua non ſtatim ſacramentum militare præſtabatur, nec militare omnibus licebat, ſed priùs delectus habebatur iuuentutis, euocatione facta, & poſteà addicebantur militiæ, & ſcribebantur de iure inter ordines, vt apud Liuium lib. 2. Decad. 3. & lib. 6. Decad. 1. obſeruare licet: vt verò addicti milites poſteà inclinante imperio, dicti ſunt Tyrones. vnde Ammianus Marcellinus lib. 19. dixit tyrocinia agere ex quibus inaugurabantur milites, & ſtipendia accipiebant, per ordines militares diſtributi, nec ordo militaris erat tyrocinium, vel addictio vel electio, nec milites ante illam inſcriptionem, vt ait Vlpianus L. ex eo 13. de mil. teſtam. lib. 9. ff. tit. 1. Neque etiam ante tyrocinium ad militiam accedere licebat lib. 1. de Tyran. l. 1. c. Quamobrem & reor in hac militia cœleſti verticis initiationem non eſſe ordinem, ſed velut tyrocinium & præludium ad ordines Eccleſiaſticos, ex quo tamen veluti ex tyronibus milites, ad ordines promouendi, vt ex ſeminario Eccleſiaſtico accipiantur.* Sed à quo? niſi ab Epiſcopo, qui dux eſt, & princeps & apex propria in diœceſi totius militiæ Clericalis.

CAPVT III.

De Abbatibus. An ius habeant ſpeciale, quibuſdam conferendi Tonſuram Clericalem? Et vnde qui hac prærogatiua pollent, eam ſint conſecuti.

IN Apoſtolicæ Traditionis de Tonſuræ ritu delineatione, ab initio fundatæ Religionis per continuos ſuccedentium ætatum excurſus, ad hoc vſque tempus ſuperiùs (lib. ſcilicet 1. huius operis) deducta: ſæpiùs conſpicere exempla licet datæ Tonſuræ à Monachorum Præfectis, iis qui diuino ſuccenſi ardore cœleſtia vnico ſtudio meditandi, ſpretis ſæculi illecebris atque præſtigiis, ad ſelectæ vitæ gymnaſium, quaſi ad portum ſalutis confluebant. Sub ætate prima ac ſecunda

Eccleſiæ, id tamen non fuiſſe in vſu, vt Monachorum quiſpiam ſibi id muneris arrogaret, promptum eſt ex S. Dionyſij teſtimonio elicere, qui dum Monachi narrat initiationem, hanc fieri non à Monacho, ſed à Sacerdote per detonſionem capitis, & alios ritus patenter oſtendit. Sic enim ſcribit lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 6. in myſterio monaſticæ conſecrationis: * *Sacerdos quidem ſtat ante altare, monaſticam ſanctè recitans inuocationem; Is autem qui conſecratur ſtat poſt Sacerdotem, nec vtrumque, neque etiam alterum genu flectit, nec ſupra caput habet ſcripturas à Deo traditas, ſed tantùm adſtat Sacerdoti, ſupra illum myſticam inuocationem proſequenti. Qua finita Sacerdos ad eum accedens rogat ipſum primùm, an omnibus rebus diuidius renunciet, non ſolùm vitis, verùm etiam imaginationibus; deinde exponit illi vitam perfectiſſimam, conteſtans illum debere mediam viuendi rationem ſuperare, quæ vbi omnia is qui initiatur, continenter profeſſus eſt, Sacerdos eum ſignô crucis ſignatum tondet, tres perſonas diuinæ beatitudinis inuocando, omnique veſte detractâ eum aliâ induit, & cum aliis viris ſanctis adſtantibus ipſum ſalutans participem facit diuinorum myſteriorum.* Non enim tum adhuc erant Aſcetæ, Sacerdotali imò nec Clericali albo adſcripti, cui nonniſi diu poſthac, vt doctis notum eſt, inſerti ſunt.

* Ὁ μὲν ἱερεὺς ἕστηκεν ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, τὴν μοναχικὴν ἐπίκλησιν ἱερολογῶν. ὁ δὲ τελούμενος, ὄπισω τοῦ ἱερέως ἕστηκεν, οὐκ ἄμφω τὼ πόδε κλίνων, οὐχ ἕνα τῶν ποδῶν, καὶ ἐπὶ κεφαλῆς ἔχων τὰ θεοπαράδοτα λόγια· μόνον δὲ τῷ ἱερεῖ παρεστὼς ἱερολογοῦντι τὴν ἐπ' αὐτῷ μυστικὴν ἐπίκλησιν. τελέσας δὲ αὐτὴν ὁ ἱερεὺς, ἐπὶ τὸν τελούμενον ἐλθὼν, ἐπερωτᾷ πρῶτον αὐτὸν, εἰ πάσαις ἀποτάσσεται ταῖς διαιρεταῖς, οὐ μόνον ζωαῖς, ἀλλὰ καὶ φαντασίαις· εἶτα, τὴν τελεωτάτην αὐτῷ ζωὴν ὑφηγεῖται, μαρτυρόμενος, ὅτι χρὴ τοῦ μέσου αὐτὸν ὑπερανεστηκέναι. ταῦτα δὲ πάντα τοῦ τελουμένου προσηκόντως ὁμολογήσαντος, τῷ σταυροειδεῖ τύπῳ σφραγισάμενος αὐτὸν ὁ ἱερεὺς ἀποκείρει, τὴν τριάδα τῆς θείας μακαριότητος ἐπικαλούμενος, καὶ τὴν ἐσθῆτα πᾶσαν ἀπαμφιέσας, ἑτέραν ἀμφιέννυσι, καὶ μετὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν ἀνδρῶν ὅσοι πάρεισιν, ἀσπασάμενος, αὐτὸν κοινωνὸν ἀποτελεῖ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων.

Vſu tamen ſubinde inoleuiſſe, haud minùs eſt perſpectum, vt initiandi tyronis militiæ monaſticæ, huius inſtituti præfecti munus obirent, eorúmque ius eſſet in familiam religioſam illos cooptare, qui eiuſmodi profeſſionem amplectebantur. Pleriſque ſiquidem ſuprà inductis exemplis apertè conſtat Patres monaſteriorum circa Conſtantini Magni, & eius filiorum tempora, & ſubinde pôſt admiſiſſe ſuum in cœtum competentes, ſuíſque ritibus initiaſſe, quorum Tonſura celebrior erat. Sed cùm duplex ſit Tonſura, videlicet Monaſtica, atque Clericalis: olim quidem in more fuit Græcis & Latinis receptiſſimo, vt Abbates quique alumnos ſuos deciſione comæ, & ſolenni detonſione capitis initiarent: ſed regulari dumtaxat teſſerâ, non autem eo ſignaculo quo in clerum adlecti Eccleſiaſticæ militiæ tyrones, ordinúmque myſticorum candidati à Pontificibus inſigniri ſolent. Mediâ tamen Eccleſiæ demum ætate id honoris quibuſdam Abbatibus delatum comperimus auctoritate canonicâ, vt Clericalem etiam conferrent Tonſuram ſuis neophytis. In ſumma diſt. 69. ſuper can. 1. hoc theorema legitur: *Tonſura verò Clerici de manu Abbatis ſuſcipi poteſt*, &c. ex ca. 14. *ſeptimæ Synodi generalis*. Sed tenor citati canonis aliter in hac diſtinctione ſe habet, quàm in ipſo legitur Concilio, ita enim extat in diſtinctione ſignata. *Quoniam videmus ſine manus impoſitione, à paruula ætate Tonſuram Cleri quoſdam accipientes, nondúmque ab Epiſcopo manus impoſitione percepta, ſuper ambonem irregulariter in collecta legentes, præcipimus amodò id minimè fieri. Id ipſum quoque obſeruandum eſt etiam inter monachos. Lectoris autem manus impoſitione, licentia eſt Abbati ſolummodò in proprio monaſterio faciendi, ſi dumtaxat eidem Abbati, manus impoſitio facta noſcatur ab Epiſcopo ſecundùm morem præficiendorum Abbatum, dum conſtet illum eſſe presbyterum, ſicuti etiam modò faciendum, ſecundùm antiquam conſuetudinem Chorepiſcopos præceptione oportet Epiſcopi, promouere Lectores.* In ſumma Conciliorum decurtatus hic canon refertur, nihil enim ibi penitus de

Tonſura, ſed dumtaxat de Lectoratu, incipit enim can. ab iſtis verbis, *Nullus efficiatur Lector*, & in his deſinit, *Epiſcopi permiſſu Chorepiſcopos oportet per manuum impoſitionem Lectores creare.* Sed in Conciliis, quæ Regiis typis nuper Pariſiis edita ſunt, citati canonis ſeries profuſior eſt, non ſolùm præſignatâ vtraque expreſſione, at illo etiam tenore quo à Binio refertur; ſic enim habet Regiæ editionis integer contextus; * *Quòd ordo in Sacerdotio verſatur, eſt omnibus manifeſtum, & Sacerdotij munera exactè ſeruare Deo gratum eſt* **. *Quoniam ergo videmus nonnullos à pueris* ***, *Cleri Tonſuram accipientes, nondum verò accepta Epiſcopi manuum impoſitione in congregatione, in ſuggeſtu legentes, & id non canonicè facientes, hoc à præſenti canone fieri non permittimus. Hoc autem ipſum etiam in Monacho ſeruari, Lectores autem tantum manuum impoſitionem, licet in proprio monaſterio tantùm vnicuique monaſterij præfecto facere, ſi ipſi, Præfecto ſcilicet, ab Epiſcopo manus eſt impoſita ad præfecturam hegumeni, dum ſit & ipſe presbyter, ſimiliter & ex antiqua conſuetudine Chorepiſcopos Epiſcopi permiſſu oportet Lectores ordinare.* Ita ibi ad verbum. Vbi vix apparet quod ex hoc Canone elicit ac inſinuat Gratianus *Tonſuram de manu Abbatis ſuſcipi poſſe.* Verùm etſi perſpicuis verbis id expreſſum non extet ipſo in Canone quem citat, & eo ipſo quo allegat, tenore; Tamen rectè id ex hoc canone deduci probaríque ſcitè, & prudenter iudicat Innocentius III. in reſcripto ad Archiepiſcopum Rothomagenſem inquirentem, an Abbas conferre poſſit ordinem Clericalem. ſic verò Pontifex propriis verbis reſpondet: *Cùm contingat interdum quòd Laïci ad monaſteria conuolantes à ſuis Abbatibus tonſurentur, requiſiti an ordo in Tonſura eiuſmodi conferatur (id eſt ſtatus Clericalis) ſuper quo tibi aliter reſpõdemus, quòd cùm in ſeptima Synodo ſit ſtatutum vt Lectores per manus impoſitionem licentia ſit vnicuique Abbati in proprio monaſterio ſolummodò faciendi, dummodò ipſis ab Epiſcopo (ſecundùm morem præficiendorum Abbatum) manus impoſitio facta noſcatur, & conſtet eum exiſtere Sacerdotem: per primam Tonſuram iuxta formam Eccleſiæ datam, à talibus Clericalis ordo confertur; De ætat. & qualit. & ord. præficiend.* lib. 1. tit. 14. cap. 11. vbi arguit ſapientiſſimus Pontifex, primò à coniunctis. Conferre Tonſuram, & Clericatum ſunt indiuiſa. Abbas confert Tonſuram, igitur & Clericatum vel Clericalem ordinem, hoc eſt ſtatum Clericalem. Deinde à maiori ad minus: confert Abbas Lectoratum, igitur & Clericatum conferre poteſt, nam minus eſt Clericum facere quàm Lectorem ordinare. Cæterùm hac in reſponſione maximè notari debet quod ait Innocentius, Abbates conferre per primam Tonſuram Clericatum, iuxta Eccleſiæ formam, id eſt iuxta praxim & morem receptum, iámque conſtanti in vſu vigentem.

Sed quæritur, an ius iſtud ſit omnibus Abbatibus ſolidum & commune? Reſpondeo in præcitato canone ſeptimæ Synodi, duas aſſignari reſtrictiones. 1ª. hæc eſt, vt Abbates more Eccleſiaſtico fuerint ab Epiſcopo benedicti. Altera, vt ſint Sacerdotali charactere inſignes; vnde ſequitur quòd quicumque Præfectus monaſterij his dotibus non præſtat, careat etiam conferendi Tonſuram, & Lectorem ordinandi poteſtate. At quid putas ſiquis Abbas fuiſſet benedictus ab Epiſcopo ſecundùm morem, vt loquitur Innocentius, præficiendorum Abbatum, & presbyterio

* Ὅτι τάξις ἐμπολιτεύεται ἐν ἱερωσύνῃ, πᾶσιν ἀείδηλον· καὶ ἐν ἀκριβείᾳ διατηρεῖν τὰς τῶν ἱερωσυνῶν ἐγχειρίσεις Θεῷ εὐάρεστον. καὶ ἐπειδὴ ὁρῶμεν ἐκτὸς χειροθεσίας νηπιόθεν τὴν κουρὰν τῦ κλήρου λαβόντας τινὰς, μήπω δὲ παρ᾽ ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαβόντας, καὶ ἀναγινώσκοντας ἐν τῇ συνάξει ἐπ᾽ ἄμβωνος, ἀκανονίστως τοῦτο ποιοῦντας, ἀπείργομεν ἀπὸ τῦ παρόντος τῦτο μὴ γίνεσθαι. τὸ αὐτὸ δὲ φυλάττεσθαι καὶ ἐπὶ μοναχῶν. ἀναγνώστου δὲ χειροθεσίαν ἄδειαν ὄντα ἐν ἰδίῳ μοναστηρίῳ καὶ μόνον ἑκάστῳ ἡγουμένῳ ποιεῖν, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσία παρὰ ἐπισκόπου πρὸς προεδρείαν ἡγουμένου, δῆλον ὄντος αὐτοῦ πρεσβυτέρου. ὡσαύτως καὶ κατὰ τὸ ἀρχαῖον ἔθος τοὺς χωρεπισκόπους κατ᾽ ἐπιτροπὴν καὶ ἐπισκόπου δεῖ προχειρίζεσθαι ἀναγνώστας.

** Iſta prior periodus deeſt apud Binium, qui canonem dumtaxat orditur ab his verbis, *Quoniam ergo*, &c.

*** Id eſt, à puerilibus annis.

terio non polleret? Sanè eo tempore quo canon iſte à Nicæna ſecunda Synodo ſancitus eſt, florebat in Gallia doctrinæ, & ſanctitatis eximiæ titulis inſignis, Albinus Alcuinus Bedæ diſcipulus, S. Martini Turonenſis Abbas, & non modò plurimorum Monachorum, ſed & Abbatum, quin & Epiſcoporum pater, at ordine dumtaxat Diaconus, quo in munere vitæ curſum tranſegit, nec vltrà vnquam promoueri paſſus eſt. Is ſanè ab Epiſcopo, monaſterij regimini, ritu quo præfici ſolebant Abbates, præpoſitus fuerat. Si igitur ab eo quiſpiam ex eius Monachis poſtulaſſet Tonſura Clericali inſigniri, nunquid conferre potuiſſet? Reſpondeo ex canone citato Oecumenici Concilij VII. neutiquam potuiſſe, quandoquidem vt id ritè munus Abbas impertiri poſſit, ſancta exigit Synodus, non ſolùm vt ſolennitate ſolita ab Epiſcopo fuerit admotus monaſterij gubernationi, ſed inſuper, idque potiſſimum, vt fulgeret ordine ſacro presbyteratus.

Porrò ante illum canonem, Abbates, qui presbyteri erant, contuliſſe ſuis alumnis Tonſuram non modò Monaſticam, ſed & Clericalem (ſaltem in Latina Eccleſia) patet ex geſtis S. Galli Epiſcopi Aruernenſis, qui ab Abbate Tonſuram ſuſcepit, & ſic Clericus factus eſt, vt narrat de eo Gregorius Turonenſis (eius ex fratre nepos) in vitis Patrum cap. 6. hac ſerie: *Cúmque ei pater cuiuſdam Senatoris filiam quærere vellet, ille aſſumpto ſecum vno puerulo monaſterium Cremonenſe expetiit, ſexto ſitum ab Aruerna vrbe milliario, ſuppliciter Abbatem exorans, vt ſibi comam capitis tondere dignaretur. At ille videns prudentiam atque elegantiam pueri nomen inquirit, interrogat genus & patriam; ille verò, Gallum ſe vocitari pronunciat, ciuem Aruernum, Georgij Senatoris filium: Quem Abbas vt cognouit de prima ſtirpe eſſe progenitum, ait, Benè deſideras fili; ſed primùm oportet hæc ad patris tui referri notitiam, & ſi hæc ille voluerit, faciam quæ depoſcis. denique Abbas pro hac cauſa nuntios mittens ad patrem, interrogauit quid de puero fieri iuberet; At ille parumper contriſtatus, Primogenitus, inquit, erat mihi, & ideò volui coniugio copulare, ſed ſi eum Dominus ad ſuum dignatur accire ſeruitium, illius magis quàm noſtra voluntas fiat. Et adiecit; Quicquid vobis infans Deo inſpirante ſuggeſſerit, adimplete. Tunc Abbas, nunciis iſta referentibus, puerum Clericum fecit,* qui ſcilicet ſuus iam alumnus religionis propoſito, & ad eius monaſterium acceſſu, ac in cœtum admiſſu factus erat.

Mos iſte igitur videtur fuiſſe in Eccleſia ante ſeptimum Concilium receptus, vt Abbates ſuorum cœnobiorum incolis, non modò habitum regularem traderent, ſed eoſdem Tonſurâ inſignirent Eccleſiaſticâ, ſicque ad Clericatum promouerent. Addidit porrò ſeptima ipſa Synodus, vt ad Lectoratus quoque ordinem legitimè poſſent eoſdem prouehere, quin & minores quoſque ordines, vt dicit *gloſ. 2. in c. 1. de Ordinatis ab Ep. qui ren.* Ad hæc enim verba, *quia & huiuſmodi ordines à non Epiſcopis quandoque conferuntur.* Gloſ. prædicta ſubdit, *id eſt ab Abbatibus ſcilicet benedictis ab Epiſcopo, & presbyteratu præſtantibus, diſt. 69. c. quoniam.* Hodie tamen iis paſſim non licet ad quatuor minores proprios ſubditos promouere, niſi muniantur ſpeciali priuilegio, vt expreſſim monet *Gloſ. Lectoris* in præſignatum *can. 1. diſt. 69. & gloſ. exorcizare, ac gloſa promoti, ad Canonem Non*

V

oportet, qui Laodiceni vetuſtiſſimi Concilij viceſimus ſextus eſt. Secùs eſt de Tonſura, ſiquidem Innocentius III. ſæpè citato cap. *Cùm contingat*, & ratum habet canonem 14. ſeptimæ Synodi generalis, quo communi iure hoc monaſteriorum Præfectis benedictis ab Epiſcopo, & presbyteratu inſignibus fuit indultum, fieríque licitè declarat iuxtà formam Eccleſiæ.

Dices; ſed ſi quis Abbas qui benedictionem ab Epiſcopo ſuſceperit, & ſit Sacerdos, renunciauit monaſticæ præfecturæ, conferat monaſterij eiuſdem cui præfuit domeſtico, Tonſuram, ratáne cenſenda erit iſta collatio? Reſpondendum eſſe reor negatiuè, quia etſi fuerit benedictus, & ſit Sacerdos, ampliùs tamen non eſt Abbas: At canon dumtaxat hanc facultatem concedit non ei qui monaſterio præfuerit, ſed ei qui actu idipſum regit. Nec eſt quòd vrgeas *caput* 1. *Tituli de ordinato ab eo qui renunciauit Epiſcopatui.* Quo decreto Alexander III. Toletano Archiepiſcopo reſpondet, Epiſcopum qui renunciauit loco, inuitatum poſſe conferre ordines. Nec enim par eſt ratio Epiſcopi renunciantis, ac Abbatis: quia enim Epiſcopatus characterem imprimit (vel ſaltem impreſſum extendit) indelebilem: abdicatâ ſede, Epiſcopus ſemper retinet ordinem Pontificalem, cuius virtute ordines confert: at Abbatialis benedictio nullum characterem includit, quamobrem eiuratâ dignitate, nihil ei ſupereſt officij, à quo vel ſponte, vel inuitè remotus eſt. Nec ſufficit enim quòd remaneat preſbyter, ſiquidem preſbyteratus non eſt character Abbatialis, vt Epiſcopatus eſt character Pontificalis. poteſt enim eſſe Abbas qui non ſit preſbyter, at non poteſt eſſe Epiſcopus qui expers ſit ordinis Pontificalis. Nec proprium ius eſt preſbyteri Tonſuram conferre, vt Epiſcopi ordinare, quamobrem hæc ſunt omnino diſparata.

Verùm quæſtio ſupereſt diſcutienda de Abbate Epiſcopali benedictione honorato, habentéque Sacerdotalem ordinem, ſuffultóque priuilegio ſpeciali, quo ei indifferenter conceſſum eſt, vt Tonſuram non modò, ſed & quatuor minores ordines conferre poſſit. Peti enim poteſt an extraneum admittere poſſit ad Tonſuram, & minores eiuſmodi militiæ Clericalis gradus. Gloſa enim *Lectoris*, prænotata, inſinuare videtur validè poſſe ab eo præſtari, ſi ſpeciali priuilegio gaudeat; Verùm repugnat canon ſæpè laudatus ſeptimæ Synodi generalis: quin Concilium Tridentinum diſertè hoc Abbatibus quibuſcumque prohibuit *ſeſſ.* 23. *c.* 10. ſuprà ſeriatim recitato. Quo non obſtante tamen, ſi quis Apoſtolicum priuilegium eſſet conſecutus, quo derogaretur abſolutè huic decreto, à ſummo Pontifice, inficiatum ire nolim non ampliùs virtute huius decreti, nec ſimilium canonicatum ſanctionum præpediri, quin licitè exequi poſſet, quod ſibi aliàs Apoſtolicâ auctoritate fuiſſet indultum. Papa enim diſpenſare poteſt in iis quæ iuris dumtaxat poſitiui ſunt, quamuis ei non liceat venire contra ſtatuta Concilij generalis, in iis quæ ſunt ad fidem, & ſalutem, ac ſtatum generalem Eccleſiæ; can. *ſicut* & ibi gloſ. *fin.* diſt. 15.

CAPVT IV.

Presbyteris, præſertim Parœcis, ex priſco iure moréque Eccleſiæ fuiſſe quondam licitum, conferre parœcianis ſuis, vel alumnis Eccleſiaſticam Tonſuram, & eos cooptare in Clerum, quorum operâ ac ſubſidiô indigebant ad ſui oneris ſolatium.

PRESBYTERI nomine, etiam in iure nouo canonico, communiter Sacerdos, Eccleſiæ parœcialis Rector intelligitur; idque ex politia veteris Eccleſiæ, in qua vix fuerunt preſbyteri, extra Senatum Sacerdotalem Eccleſiæ matricis, qui propriæ Eccleſiæ ſignatim ſibi creditæ non præeſſent. Vnde illud Athanaſij, pſeudo-preſbyterum in teſtem aduersùm ſe productum ab inimicis Arianis, reſpuentis, *non eſſe hunc presbyterum, cùm Eccleſiam non haberet, nec Clerum, nec populum ſibi obſequentem.*

Non eſt hîc locus oſtendendi preſbyteros cum eiuſmodi animarum cura, & Eccleſiæ propriæ directione, fuiſſe ab Apoſtolis ipſis conſtitutos vbicumque Religionem fundabant, quod alibi ex profeſſo demonſtrauimus. Quos tamen non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Domino inſtitutos axioma illud decantatiſſimum apud Patres innuit, Quòd Epiſcopi ſuccedant Apoſtolis; preſbyteri illi ſeptuaginta duobus Diſcipulis, *quos ipſe Dominus deſignauit* Luc. 10. quam eorum dignitatem & vicem agnoſcit, & prædicat Anacletus PP. Petri diſcipulus, Clementíſque ſucceſſor ep. 1. ad Epiſcopos Italiæ (vt refertur 21. d. c. 2.) & Patres Toletani II. Concilij ore ſui Metropolitæ Montani in ſua Synodica epiſtola ad Epiſcopos, & parœcos territorij Palentini: Beda in gloſ. ad c. 10. Lucæ. Theodulphus Aurelianenſis ad parœcos ſuæ diœceſis n. 1. Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ep. 2. ad Finardum, & ipſum Romanum Pontificale tam *in ordine ad Synodum*, vbi Euangelium ex ipſo loco S. Lucæ prælegitur: *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit eos.* Nec non in admonitione ad ipſos Sacerdotes, parœciis præſidentes, quos ſic ex præſcripta ab Eccleſia formula Epiſcopus alloquitur. *Fratres dilectiſſimi & Sacerdotes Domini, Cooperatores noſtri ordinis eſtis. Nos quamuis indigni locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari & Ithamari. Nos vice duodecim Apoſtolorum fungimur, vos ad formam ſeptuaginta duorum Diſcipulorum eſtis. Nos paſtores veſtri ſumus, vos autem paſtores animarum vobis commiſſarum. Nos de vobis rationem reddituri ſumus ſummo Paſtori noſtro Domino Ieſu Chriſto, vos de plebibus vobis commendatis.* Horum longè ſpectatior olim dignitas, maióṛque auctoritas quàm impræſentiarum ſit, profectò fuit. Nam & Synodis Diœceſanis, quin & aliquando Prouincialibus interfuiſſe, ſediſſe à tergo Epiſcoporum, ſubſcripſiſſéque nomine ſuo, exquiſitis ex ſacra antiquitate exemplis Fileſacus, neruosè probat lib. *de Parœciarum origine* cap. 4. vbi etiam anteiſſe dignitatis loco Abbatibus aſſerit ex can. 11. Concil. Emeritani. Idémque tractat. de ſacra Epiſcoporum auctoritate c. 3. diffusè probat parœcum

non ſolùm excommunicare poſſe, ſed etiam Epiſcopum debere proſpectum ire, ne latâ à parœco ſententiâ excommunicationis, contemnatur, quam nec relaxare debeat abſque diſcuſſione legitima, & Parœci ipſius auditione. Nititur præſertim in hac doctrina Canoniſtarum conſenſu, ac nonnullis ex iure Canonico decretalibus ac Pontificum reſponſis: at non ita vetuſtæ notæ, cùm infra ſint omnia annum Domini milleſimum & centeſimum. At extat apud S. Auguſtinum, ſpectabile veſtigium prorſus priſcæ huius antiquitatis & auctoritatis Parœci, non modò in Laïcos, ſed etiam in Clericos, & quidem ſacri ordinis. Etenim ep. 255. ad Macrobium Epiſcopum Donariſtatum teſtatur, *Ruſticianum Subdiaconum, & Marcellinum Diaconum à proprio presbytero excommunicatos* (idque iuſtis de cauſis) perperàm ab eo ſuſceptos, iam à ſana doctrina & fide deuios, quos nouerat ſententiâ proprij preſbyteri meritò præciſos à ſacris Eccleſiæ Catholicæ. Quoniam verò illuſtre admodum hoc monimentum eſt, operæpretium idcirco videtur propria S. Auguſtini hac de re verba hîc retexere. *Fugitur* (inquit ep. 255. paulo ante finem) *vnitas, vt quicumque apud nos ferre non potuerit diſciplinam, ad illos fugiant (presbyteros vtique veſtros) defendendi, vt vobis offerantur rebaptizandi, ſicut iſte de agro ſubdiaconus Ruſtinianus, cuius causâ hac de re ſcribere magno ſum dolore ac timore compulſus, propter reprobos & peruerſos mores excommunicatus à presbytero ſuo, multorum etiam in illa regione debitor factus, & contra Eccleſiaſticum vigorem, & contra creditores ſuos aliud præſidium non quæſiuit, niſi vt abs te iterum plagaretur, & ab ipſis (ſectatoribus veſtris) quaſi mundiſſimus amaretur. De iſto Marcellino ſcribens, Eccleſiæ colonum dicis, iam talem Diaconum noſtrum, & ipſum à ſuo presbytero excommunicatum, deceſſor tuus rebaptizauit, & veſtrum Diaconum fecit, qui non poſt multos dies, eorumdem perditorum ſicut deſiderauit commixtus audaciæ, & in nocturna aggreſſione in medio latrocinio atque incendio ſuo ſubuenientis multitudinis concurſu interemptus eſt. Hi ſunt fructus diuiſionis huius, quam ſanare non vultis, ſic fugiendo vnitatem, quemadmodum fuerat ipſa diuiſio fugienda.* Hactenùs S. Auguſtinus, qui non modò hos, Diaconum & Subdiaconum à proprio preſbytero fuiſſe iuſtè excommunicatos aſſeuerat, ſed ſeruandam monet fuiſſe hanc preſbyteri eorum proprij ſententiam, eo quòd data eſſet iuxta *Eccleſiaſticum vigorem.*

Cùm Parœci tantâ igitur auctoritate eſſent, vt in Diaconos & Subdiaconos propriæ Eccleſiæ communi iure officij (modò ſubeſſet cauſa canonicæ animaduerſionis) excommunicationis fulmen poſſent validè intorquere, haud ita mirum videri debet ſi in inferiores Clericos proprium ius haberent, adeò vt loco mouere poſſent, quos poterant etiam promouere. Cenſuit Panormitanus licuiſſe olim Parochis in propria Eccleſia ordinare Subdiaconos; fortè cùm nondum Subdiaconatus ſacros inter ordines recenſeretur, quos inter primùm numerari cœpit, cùm ipſi annexus fuit cœlibatus. Sed quod cenſuit Panormitanus (vt bona eius cum venia ingenuè dicam) verum non puto. Certè nec canonibus id vnquam Parœcis, multò minùs cæteris preſbyteris fuiſſe conceſſum, nec more vllo ſuſceptum vſquam notari poteſt, quin euidenter contrarium ex can. 4. Concil. V. Aurelianenſis anno 554. celebrati, Pelagio I. Pontifice, & Childeberto I. Rege, nefas illis fuiſſe, manifeſtè colligitur; ſic enim ſtatuit il-

la Synodus, *Vt preſbyter Diaconum vel Subdiaconum de ordine deponere, neſciô Epiſcopo ſuo non præſumat. Quod ſi fecerit, illi in officio vel communione recipiantur, & ille anno integro à communione priuatus, officium implere penitùs non præſumat:* Nec alia huius diſtrictionis ratio ſuppetit, quàm quòd ad preſbyterum etiam parochitanum (vt loquuntur veteres) ius non ſpectaret maiores hos altaris miniſtros deſtituendi, quorum inſtitutio & ordinatio nullatenùs ipſi competebat. Secùs eſt de excommunicatione, quiſquis enim excommunicare poteſt, non ideò deponere ipſi itidem licet, quamuis circumſpectè admodùm locuti mihi videntur iſti Patres V. Synodi Aurelianenſis, etenim cùm duplex ſit depoſitio, altera ab officio, quæ leuior; altera quæ grauior ab ordine, Preſbytero quidem nefas eſſe decernunt deponere ab ordine Diaconum ac Subdiaconum: at cùm ab officio non prohibent, tacitè inſinuant id iuris poſſe preſbytero competere, ſignatim habente Epiſcopi auctoritatem: *Exceptionem enim ius firmare in cæteris, regula canonica eſt.*

Ex quo axiomate ſic etiam ratiocinari licet. Concilium iſtud preſbytero vetat deponere ab ordine Diaconum & Subdiaconum, quia nimirum deponere non debet, quos promouere non poteſt. At de inferioribus Clericis planè ſilet iſta Synodus, igitur cenſer poſſe preſbyterum licitè eos deponere, alioquin etiam prohibuiſſet. Dato autem quòd deponere liceat preſbytero inferiores hos Clericos ab ordine, inde argui poſſe videtur, potuiſſe etiam ordinare: Aliàs ſiquidem deponere eoſdem nequiuiſſet, cùm axioma ſit vtriuſque iuris, *eius eſſe deſtituere, cuius eſt inſtituere.*

Durum tamen videtur nonnullis admittere, vnquam meris licuiſſe Sacerdotibus, quatuor minores conferre ordines, cùm nec dare Tonſuram, & Clericali albo adſcribere infimi gradus, permiſſum fuiſſe vnquam communi iure preſbyteris, quales parœci ſunt, arbitrentur. Verùm ſi res accuratiùs expendatur, falli eos manifeſtè, haud arduum fuerit ire euictum. Sanè in geſtis S. Piatonis Tornacenſium Apoſtoli memoriæ proditum eſt, illum religionis exordia procurantem creâſſe Clericos & miniſtros qui ſibi ſubſidio eſſent, naſcentíque Eccleſiæ ſolatio: Atque hunc fuiſſe dumtaxat preſbyterum, Cognatus hiſtoriæ Tornacenſis auctor exertis lacertis contendit. Fuit tamen qui contrà aſſereret Epiſcopatum S. Piatonis, quem eo maximè argumento aſtruit, quòd ſecùs ipſe B. Piato Clericos, & myſtas Eccleſiæ conſecrarit. Cuius argumenti hîc non diſcutio vires; attamen in ordine Ciſtercienſi videmus ex Innocentij VIII. indulto Abbatem Generalem, & Coabbates eius maiores quatuor, alumnos ſuos, illum in toto ordine, hos ſuis in filiationibus ad Subdiaconatum promouere, ac etiam Diaconatum. Quòd ſi vir ille ſanctus Româ profectus in Gallias ad Euangelium diſſeminandum, publicæ vtilitatis ac neceſſitatis gratiâ, intuitúque Apoſtolicæ Legationis, mandatum acceperit à Pontifice ex Neophytis, propter inſtantem neceſſitatem Clericos ordinandi inferiores, etiámque Subdiaconos ac Diaconos, nemo ſanè prudens dixerit minorem fuiſſe Clementi, vel Anacleto, aut Sixto, aut Fabiano, quàm Innocentio VIII. hac in re auctoritatem. At verò ſicut ex eo quòd Ciſtercienſis Cœnobiarcha, & Symmyſtæ eius maiores quatuor Abbates ordinis, prouehunt ſuos neophytos ad minores qua-

tuor Clericatûs gradus, etiámque ad ſacros ordines Diaconatûs ac Subdiaconatûs, inferre non licet hos Abbates Pontifices eſſe; ſic nec ſequitur neceſſariò S. Piatonem fuiſſe Epiſcopum, propterea quòd aliquos Clericos miniſtróſque altaris (ſi preſbyteros excipias) conſtituerit, ſecùs eſſet ſi conſtaret Sacerdotiô etiam fuiſſe quoſdam ab ipſo initiatos. Nullo enim (vt tenet Theologorum ſchola communiter) priuilegio effici poteſt (niſi diuino) vt non Epiſcopus, Sacerdotem creare poſſit.

Sed quicquid ſit de S. Piatone, de quo adhuc quæſtio manet indeciſa, num fuerit Epiſcopus, vel tantùm preſbyter. Sanè conſtat S. Benignum Martyrem Burgundiæ Apoſtolum, eò ab Oriente miſſum cum aliis Chriſti præconibus, à S. Polycarpo, virorum Apoſtolicorum principe, nunquam fuiſſe Epiſcopum, ſed presbyterum dumtaxat. Et tamen Eccleſiaſticos miniſtros, Clericos varij gradûs inſtituiſſe antiqua eius geſtorum monimenta produnt, ex quibus hoc ipſum reperi notatum in MS. Chronico Diuionenſi, prout memini iam à me aliàs obſeruatum *in lib. de Epiſcopali Monogamia, & vnitate Eccleſiaſtica parte 2. cauſa 3. p. 210. & 211. in annotatione marginali*. Vnum tamen illo in Chronico me offendit, quòd creatos ab illo referat etiam Sacerdotes: Sic enim Chronici huius verba expreſſa habent: *Per iſtam Galliam prædicando, multos ad fidem Chriſti conuertit, & baptiſmatis eos vndâ ſanctificans, Eccleſias in aliquibus ſacrauit locis, Sacerdotéſque & miniſtros ad diuinum cultum inſtituit.* Quæ profectò verba duriuſculè dicta, ex quo mihi inter legendum primò occurrerunt, ſemper cenſui, etiámque nunc benignâ interpretatione indigere, dubio procul exiſtimo. Tametſi verò eo loco quo primùm illa citaui, ſtuduerim eadem emollire: *Inſtituere*, pro conſtituere iam ordinatos, locóque certo antea vagos aſtringere, & *ſacrare* pro benedicere ſimpliciter, interpretatus. Satiùs tandem eſſe nihilominus fore reor, Chronici huius collectorem oſcitantiæ arguere, quàm contra Theologiæ, hoc eſt ſanæ doctrinæ ſcita, Eccleſiæque placita quicquam ire conceſſum. Vix tamen credibile eſt, auctorem illum, certè non heberem, nec prorſus deſidem, aut malè de fide alioqui ſuſpectum, caruiſſe omni fundamento, cui hoc inter ſcribendum inniteretur. Legit igitur, vt veriſimile eſt in quibuſdam actis S. Benigni, illum oratoria alicubi deſignaſſe ac etiam benedixiſſe, & vt vice ſua eſſent qui populi forent ſolatiô, religioníſq; prouehendis crepundiis inſeruirent, aliquot delegiſſe Clericos, miniſtróſque nonnullos initiâſſe (puta Pſalmiſtas, Lectores, Exorciſtas, & ſi vis etiam Subdiaconos, quin & fortaſſis Diaconos.) At Chronologus exaggeratione quadam abuſus, verba extenderit latiùs, quàm primordialis hiſtoriæ ſeries natiua ferebat. Non ſatis igitur fuit dixiſſe, vt legerat, diuino cultui aſſignatas quaſdam ædiculas à S. Benigno, Clericóſq; inſtitutos, ſed pio at indiſcreto feruore, eò vſque abreptus eſt, vt ſcriberet Eccleſias ſacratas, Sacerdotéſq; & miniſtros ad diuinum cultum ab eodem fuiſſe inſtitutos. Quòd ſi tamen, qui volunt nuperi aliquot Theologi, Sacerdotem à Sacerdote conſecrari poſſe, accedente ſummi Pont. indulto vel mandato, acriùs côtenderint auctorem prædicti Chronici authenticam hiſtoriam fideliter retuliſſe, Sacerdotéſq; ideò cenſeant reuerà à S. Benigno quáuis presbytero, & non Epiſcopo, fuiſſe ordinatos: tum ne funê contentionis vlteriùs

quàm par ſit protraham, operæpretium fuerit dicere, ſi hoc fecit S. Benignus extraordinariâ poteſtate, id feciſſe, ſiue ſibi diuino afflatu per modum actus tranſeuntis infuſa, vel à Polycarpo vices habente forſitan ſummæ ſedis, propter Apoſtolicæ legationis munus, & operariorum penuriam, commiſſa. Nam etiam ab hoc vel illo fonte hauſiſſe videtur Benignus extraordinariam conferendi Sacramenti Chriſmatis, nuper regeneratis auctoritatem; hâc enim vſus non obſcurè ſubindicatur in actorum eius paſſionis exordio, quo ſic legimus: *Audiens hæc Terentius Comes loci illius ait, an Chriſtianus quiſpiam hic ſit, inuictiſſime Imperator, nos non nouimus. Vidi autem quemdam hominem peregrinum capite tonſo, cuius habitus differt ab habitu noſtro, vitáque eius noſtræ diſſimilis eſt, Deorúmque cæremonias refutat, populúmque noſtrum abluit aquâ & balſamo linit, ſigna multa in populo facit, nouum Deum patriæ noſtræ annunciat, & poſt mortem aliam vitam illi Deo credentibus promittit.* Vbi per lauacrum, aquæ baptiſmum, per balſamum, Chriſmatis Sacramentum deſignari ſatis perſpicuum eſt: etſi enim preſbyteri etiam nunc baptizatos in vertice liniant chriſmate ſancto, attamen non de hac chriſmatione locus hic exponi patitur. Cùm Siluester I. fuiſſe memoretur, qui indulſerit preſbyteris, *vt baptizati chriſmate ſummum linirent verticem.* Benignus igitur non hoc indulto vti potuit, cùm ducentis ſuprà annis martyrio occubuerit, antequàm à Silueſtro prodiiſſet huiuſmodi decretum: cùm referatur itaque populum abluiſſe aquâ, vt baptiſmo initiâſſe intelligitur: ſic dum proditur balſamo liniuiſſe, hoc de confirmatione accipiendum eſt, quam contulerit (ſcilicet perſecutionis tempore) licèt eſſet tantùm preſbyter, at extraordinario munere, legitimè tamen, ſiue per ſummum Eccleſiæ paſtorem, ſiue per diuinum quemdam influxum (illis temporibus non ita rarum, ob inſtantem naſcentis Eccleſiæ neceſſitatem) ſibi commiſſo. Ex quo tamen ſingulari exemplo ius commune nequeat in alios preſbyteros religione iam vbique conſtitutâ, & Eccleſiâ decenti ac congruo ſtatu ordinatâ, deriuari.

Prætermiſſis his igitur & ſimilibus argumentis, ne extra oleas diutiùs euagemur inſtituti lemmatis ratio poſtulat, vt legibus moribúſque antiquis Eccleſiæ, liquidum ac perſpicuum faciamus licuiſſe preſbyteris, qui parochias præſertim ſub Epiſcopis regunt, adſciſcere ſuis ex alumnis Clericos, eos nimirùm Clericali inſigniendo Tonſurâ, & muniis quibuſdam inferioribus præficiendo Eccleſiaſticæ militiæ. Sic igitur hanc demonſtrationem aggredior.

Concilium III. Carthaginenſe declarat can. 21. Clericorum nomen etiam Lectores, Pſalmiſtas & Oſtiarios retinere. At verò in Concilio Carthaginenſi IV. ſtatutum fuit, Pſalmiſtam id eſt Cantorem, abſque ſcientia Epiſcopi, *ſolâ iuſſione presbyteri* (nempe qui certæ Eccleſiæ præeſt) munus hoc Eccleſiaſticum ſuſcipere. Canon enim 10. huius tenoris eſt: *Pſalmiſta, id eſt Cantor, poteſt abſque ſcientia Epiſcopi, ſolâ iuſſione presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi presbytero, vide vt quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis operibus comprobes.* Vbi Synodus de induſtria, officium dixit, vt innueret ipſam huius Clericatus poteſtatem à presby-

Refertur diſt. 71. can. *Clericum alienum.*

Item refertur diſt. 23. c. *Pſalmiſta.*

tero conferri poſſe. Non eſt autem veriſimile Tonſuram illi interdictam, cui Clericatus nobilior erat permiſſus, & quidem communi Eccleſiæ conſenſu, nam canon iſte in ius commune relatus eſt diſt. 23. cap. 20. vbi gloſ. & diſt 69. ad nomen *Lectoris*, &c. Accedit quòd Quiniſexta Synodus cap. 33. neminem vult inter Cantores adlegi, qui antè Tonſuram non receperit, cùm igitur canon prænotatus permittat presbytero Pſalmiſtas, ſeu Cantores ordinare, etiam concedit quod minus eſt (vt medium & diſpoſitio) eos ad hunc finem Tonſuram impertiri.

Emeritenſe Concilium Vitaliano Papa ſedente celebratum anno 666. à parœco Clericos creari poſſe, apertè ſtatuit his verbis quæ leguntur can. 18. *Inſtituit hæc ſancta Synodus vt omnes parochitani presbyteri, iuxtà vt in rebus ſibi à Deo creditis ſentiunt habere virtutem, de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi faciant, quos per bonam voluntatem ita nutriant, vt & officium ſanctum dignè peragant, & ad ſeruitium ſuum aptos eos habeant. Hi etiam victum & veſtitum diſpenſatione presbyteri merebuntur, & domino & presbytero ſuo, atque vtilitati Eccleſiæ fideles eſſe debent.* Vbi notandum maximè venit, quòd Concilium tria dicat. Primum, quòd Clericorum Eccleſiæ ſuæ parœcus ſit dominus & presbyter. Secundum, quòd ex Eccleſiæ ſuæ familia, id eſt parœcia Clericos ſibi faciat. Tertium, quòd aptos eos habeat. Presbyteri nomine indicat dignitatem, domini poteſtatem, qua Eccleſiæ ſuæ, & Clero eiuſdem præeminet. aptitudine, quam requirit, Parœcum monet vt in eorum delectu ſit perſpicax & prudens. Porrò verbo, *faciat*, euidenter oſtendit ſe Synodus intelligere, ipſos alumnos Eccleſiæ Parœcialis promouendi ad ſimplicem eiuſmodi Clericatum (qui diuinis præconiis perſoluendis inſeruit) in eo legitimam auctoritatem eſſe. *Faciendi* enim verbum Synodus manifeſtè ab *habendi*, & aptandi ſeu *ſeligendi* diſtinguit, quamobrem cùm tantâ cum circumſpectione ponatur, nulla ratio occurrit cur in alium quàm proprium ſenſum detorqueatur. Sed in actis S. Sequani presbyteri, & Confeſſoris ſub filiis Clodouæi I. in Lingonenſi tractu ſumma pietatis laude celebris, egregium extat monimentum recepti tunc in Eccleſia ritus, quin & diuino iudicio probari, & confirmari, quo presbyter Tonſuram Clericalem, pio voto adſcribi Eccleſiaſticæ militiæ expetentibus conferebat. Res geſta vt memoriæ prodita fuit reperitúrque in priſcis manuſcriptis codicibus, hoc ſe habet narrationis tenore (vide Greg. Turon. de gloria Conf. c. 8. & Martyrol. Gallic. 19. Septembris.) *Parentes eius eo quòd vnicum habebant filium tenerè diligebant eum, & ſperantes per eum ſuæ ſtirpis mortalia germina pullulare, à Clericatus officio prohibebant. Verùm ille, per quem Deus ſplendidiſſimæ ſobolis palmites propagaturus erat ſpirituales, videns ſuis votis parentum vota oppoſita, ſecedens paululùm à communi habitatione, in villa cui nomen eſt Valeriaco, ſepta ſibi viliſſima, ſanctitati tamen atque vtilitati congrua manu propriâ conſtruxit, cœpitque in ea continuatis momentis votiua orationum libamina offerre Chriſto, & abſtinentiis impuberes artus, ac molle adhuc corpuſculum macerare. Neque enim priùs cibum ſumebat quàm pſalterium totum in oratione perſeuerans recitaſſet. Gerebat autem ſub hiſpido habitu Laici, mores leniſſimi Monachi, & ſub intonſi capitis crine, tonſi pectoris frugem. Cùm ſe ergo ſaluberrimis ieiuniis, & fructuo-*

fructuoſis parcitatibus per tres ferè annos oblectaret, ad tantam corporis fœditatem & maciei perductus eſt necem, vt contracta atque arida cutis eius vix oſsibus hæreret.

Quodam ergo die, dum eum parentes eius effœtum, & mortali pallore aſpicerent circumſeptum, cum eiulatu nimio prorumpentes, dixerunt, ſi Tonſuram deſideras, & ob hanc cauſam tui vigorem corporis amiſiſti, ipſi te nunc, horum crinium vt putas onere ſubleuamus. Tunc quidam è vicinis qui eorum comitatui adhærebat, procax ac temerarius forcipem rapiens nitebatur cæſariem ſacratiſsimi viri manibus reſecare, ſed cùm vibratis forcipibus ſuæ palmæ digitos ſuper verticem antè fati viri extenderet, illicò ſinuoſis anfractibus præcordij eius egelidus humor illapſus, tremore quoque forcipes de manu eius excuſsit. Tunc verò parentes eius nouo ſtupore attoniti, Sacerdotem deuouerunt accerſiri, qui præmiſſâ benedictione cæſariem reuerentiſsimi iuuenis, incideret. Erat autem tunc temporis in Magnimontenſi oppido preſbyter moribus & ætate, nomine Euſtadius, vir Deo dignus atque ſanctiſsimus, quem parentes beatiſsimi Sequani ad tondendum eum adduxerunt cum lætitia. Qui cùm veniſſet & preces Deo profudiſſet, eius capitis verticem diuino charactere ſignatum totondit, & poſt detonſionem caſta oſcula capiti atque labiis eius inſigens benedixit eum dicens. Adſit tibi fili noſtri potentia creatoris, cuius iam te video præuentum ac munitum maieſtate. Admoneo te dilectiſsime, vt paululùm obedientiæ parcas, & obediens Apoſtolicis præceptis modico vino propter ſtomachum tuum, & frequentes infirmitates vtaris. Cibis quoque qui poſsint exile corpus tuum reparare, indulge. Ex eo tempore cœpit religioſiſsimus Sequanus Euſtadio presbytero morigerari, & pediſſequus eius in Dei gratiâ fieri.* Nempe vt ſanctiones Canonicæ ſuprà relatæ decernunt, Clericum debere ſuo obſequi Sacerdoti. Sequitur ſubinde in hiſtoria prædicta quemadmodum creſcentibus meritis, votis inſtantibus populi, à proprio Epiſcopo ad maiores ordines prouectus fuerit, Leuita ordinatus, & conſecratus tandem presbyter, cùm moribus ſanctiſſimis præſcriptam dignitati longè anteuertiſſet ætatem.

* Vel hoc ab exemplo diſce (quæſo) quàm oſcitanter Azorius part. 2 lib. 3. c. 48. §. 2. dixerit nunquam viſum eſſe Sacerdotem (ſimplicem non dico tantùm, at neque) Parochialem, primam Tonſurã contuliſſe.

Cæterùm hæc hiſtoria, quæ valde memorabilis eſt, Tonſuræ duplicem rationem ſuggerere videtur (inquit ** vir doctus eiuſdem illuſtrator): altera eſt, quam temerarius vir quidam aggredi auſus diuinam in ſe iram prouocauit, altera quam presbyter perfecit. Prior cur diuinam promeruerit vltionem, non ſtatim occurrit ratio; ſi enim illa anachoretica Tonſura ſancti Sequani caput voluiſſet inſignire, nullum, vt opinor, Eccleſiæ violauit interdictum. Nam teſtis eſt Theodorus Studita in S. Platonis elogio, nullas ab hoc opere manus fuiſſe prohibitas, ne ſeruiles quidem: *Plato enim*, vt inquit, *cùm ſe vitæ dederet Anachoreticæ, famulo vſus comite in denſam quandam ſyluæ partem ingreſſus, eius manu qui eum ſequebatur, comam ſibi totondit, & pullâ veſte tanquam purpurâ quadam ſe induit.* Sed Clericalem, vt coniecturæ clamant, non Anachoreticam, vir ille temerarius per ludibrium voluit aggredi, quam ſolam ſanctus Sequanus ſibi tunc poſtulabat, meritáſque pœnas tentati operis ſacri, profanis manibus, Deo illicò exoluit. Non eſt veritus tam præſentes pœnas Euſtadius presbyter, qui ſanctum Sequanum per Tonſuram Clero acceſuit. Actum eiuſmodi minimè aggreſſurus vir pius & Deum timens,

** R. P. Rouuerus S. I. eiuſdem hiſtoriæ editor ac ſcholiaſtes, in notis ſuper hiſtorica monumenta Monaſterij Reomenſis, p. 514.

Digitized by Google

ſi vetitum canonicis legibus presbytero, vel ab Eccleſiæ moribus diſſonans tum fuiſſet.

Euſtadius hic tametſi eximio ſanctimoniæ encomio his in actis ſancti Sequani commendetur, non inuenitur ſacris adſcriptus diptychis. Alius eſt enim à ſancto Euſtadio filio S. Gregorij Lingonenſis ante Sacerdotium vxorati, qui Abbas quidem fuit primus ſancti Benigni Diuionenſis vbi iacet & colitur anniuerſariâ veneratione III. Nonas Ianuarij, quo die conſignatus eſt in Martyrologij noſtri Supplemento: at Abbatis dumtaxat ſub titulo, non autem Sacerdotis, quò gradu non inuentus eſt à nobis enituiſſe. Verùm Euſtadius hic Magnimontenſis inſcribitur preſbyter, hócque nomine euocatus memoratur, vt ſancto Sequano primitias impertiret Clericatus, Tonſurâ ſcilicet illum inſigniret myſtico, vt præſtitit, ritu. Paræcus videtur fuiſſe oppidi Magnimontenſis, in quo fuiſſe perhibetur Sacerdotio, & præclaris ſanctimoniæ dotibus. vel fuit certè, vel non fuit illius loci Paſtor. Si fuit, ſatis eius ex facto conſtat Parœco tum licuiſſe ſolenni more conferre Clericalem Tonſuram, ex vſu vigenti Eccleſiæ, etiam diuinâ cooperatione obſignato. Si verò fuit dumtaxat presbyter, nec regimini huius Eccleſiæ præfuerit, tum qui ſimplicem presbyterum etiam curæ parœcialis expertem, Tonſuram licitè conferre poſſe volunt, ex hoc habebunt exemplo quo ſuam opinionem tueantur. Verùm ſi ſimplex fuit presbyter Euſtadius, & hoc potuit, maiori ratione fas fuiſſe presbytero propriæ Eccleſiæ præſidenti, hoc explere munus, oculatus nemo eſt qui non facilè perſpiciat.

Cæterùm Panormitanus pede fixo tenet ac aſtruit primam Tonſuram, validè conferri poſſe à Parocho, c. 4. n. 9. verſu 15. *de Conſuetud.* & in c. *cùm contingat, de ætat. & qual. ord. Innoc.* ibidem, & Archid. in c. *Nullus Epiſcopus, de temp. ord.* in 6. Quin & licere ſimplici cuilibet Sacerdoti illam conferre docent, & aſſerunt Archid. in can. *Pſalmiſta* n. 2. in fine diſt. 25. Innocentius in cap. præcitatum ſæpiùs *cùm contingat* n. 1. vbi & Hoſtien. n. 2. de ætat. & qual. Quorum Soto refellit perſuaſionem in 4. ſent. diſt. 25. q. 1. a. 1. ad 2. argum. hoc fretus axiomate, quòd hæc illorum opinio vſui Eccleſiæ repugnet. Et benè dixit quidem vſui, nam legi non item. Ante Concilium ſiquidem Tridentinum, nec apex ſignari poteſt in canonicis conſtitutionibus, quo presbyteri parœciarum Rectores, hoc vti iure, quo dudum fauente Eccleſiâ functi ſunt, prohibebantur. Tridentinum porrò Concilium, nec expreſſum hac de re decretum edidit, ſed c. 10. ſeſſ. 23. dumtaxat modum impoſuit Abbatibus, ac aliis quibuſdam regularibus ſuis abutentibus priuilegiis circa Tonſuræ, & quatuor minorum Ordinum collationem. De Parœcis omninò conticuit, quo ſilentio, vt priſcum non damnauit morem, tamen hodiernum videtur probaſſe vſum, quo ipſi Parœci ab huius iuris poſſeſſione, vbique iam ab aliquot ſæculis ceſſarunt, vel exciderunt. Quamobrem eis ampliùs reor non licere, non tam defectu iuris, quàm titulo præſcriptionis, ſuperiorum Prælatorum vnanimi ferè renixu acquiſitæ, & contrariæ Eccleſiæ conſuetudinis inductione, cui penitùs acquieſcendum eſt, *cùm*, vt docet ſanctus Auguſtinus, *inſolentiſſima inſania ſit* impu-

gnare *quicquid vniuerſæ Eccleſiæ complacuit.* Vnde prudenter conſulit Amalarius Fortunatus lib. 2. Eccleſ. offic. c. 7. Ad nos nihil ſpectare priſcos vſus, qui legitimô quouis modô exoleuerunt, quoniam *nobis agendum eſt ex conſuetudine præſentis Eccleſiæ.* Ex qua etiam proſcribenda venit Franciſci Marc. opinatio dict. deciſ. 1082. n. 3. aſſerentis Minorum Guardianos, & aliorum Mendicantium Priores ius habere ſuis conferendi ſubditis Tonſuram Clericalem: cùm in vſu Eccleſiæ hactenùs id non fuerit, Conciliíque Tridentini hoc palam repugnet præindicatis Decretis, quibus hoc priuilegium circa regulares, ad Abbates dumtaxat reſtringitur.

CAPVT V.

Quo iure Cardinalibus competat Tonſuram conferre Clericalem? Et an omnes hac auctoritate potiantur, omnibúſque poſſint promiſcuè eam, ſi placet, teſſeram Eccleſiaſticæ militiæ, cuiuſuis Diœceſis oriundis impertiri?

CARDINALIVM S. R. E. triplicem eſſe ordinem, nempe Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, nemini tantiſper in rebus Eccleſiaſticis verſato eſſe ignorum arbitror. Subdiaconorum etiam fuiſſe dudum inter Cardinales eiuſdem Sedis ordinem, ſed infimum & poſtremum in media ſaltem Eccleſiæ ætate, & infrà vſque ad Alexandrum III. vel circiter, euoluenti Pontificiorum geſtorum monimenta ſatis perſpectum eſt. At gradus iſte Cardinalium excidit ab annis circumcirca 500. Solidáque abhinc, & conſtans perſtitit purpuratorum Eccleſiæ principalis Patrum, perſeuerátque adhuc inuiolabilis diſtinctio in tres prædictas claſſes, Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorùm. Cuius diſpoſitionis rationem exponit Eugenius IV. in Conſtitutione, *Non mediocri*, &c. datâ anno 1439. & Sixtus V. in Conſtitutione, *Poſtquàm verus ille atque æternus Paſtor*, &c. editâ anno 1586.

De prima Claſſe locus hic non exigit, vt ex inſtituto diſſeramus; quandoquidem exploratum eſt Cardinales Epiſcopos proprias habere in Prouincia Romana Eccleſias, & Diœceſes, proindéque ſuis ſubditis iure ordinariô conferre primam Tonſuram poſſe, eoſdémque promouere ad minores, & maiores quoſque ordines. Verùm præter hoc ius ordinarium, quo vt Epiſcopi pollent, Clerum & populum habentes, aliud etiam ius eis competit, illis ex priuilegio cum cæteris Cardinalibus commune. Quilibet enim Cardinalis habet ius Epiſcopale reſpectu iuriſdictionis, in titulo ſuo, & in capellis ſubiectis titulo cap. *Querelam de Elect.* & cap. *his quæ. de maior. & obed.* Vnde habet correctionem, & poteſtatem fulminandi Cenſuras Eccleſiaſticas, *ibidem.* Sed tamen etſi Cardinales triplicis ordinis, Epiſcopalis, Preſbyteralis & Diaconalis ſint ex æquo Cardinales, attamen iura ſunt quædam ſpecialia Epiſcopis, quæ

Preſbyteris non competunt, quædam etiam Preſbyteris, quæ non conueniunt Diaconis. Epiſcopi v. g. hôc præcellunt honore, quòd à Papa fratres vocitantur; *gloſ. fratres in cap. fundatæ 17. de Elect. §. decet; Et gloſ. fratribus in cap. 1. de Renunt. in 6. & cap. dudum 14. de Præbend. ibidem.* Preſbyteri verò & Diaconi filij audiunt, quando ab eo compellantur ſeorſim à Collegio, nam cùm eos collectiuè alloquitur Pontifex, eos fratres appellat, & non filios, *cap. Quamuis, de offic. ordin. lib. 6.* ſic Preſbyteri Cardinales non modò præcellunt gradu, vt ordine & conſeſſu, Diaconis. At hâc prærogatiuâ potiuntur, vt in electione Pontificis Diaconibus præferantur, nam ex illis primò debet eligi Papa, & poſteà ex Diaconis, ſi in Preſbyteris non inueniatur omnis idoneitas à iure requiſita, *gloſ. 1. in Can. ſiquis ex Epiſcopis diſt. 79.* Item Cardinales Preſbyteri Tonſuram, cæteróſque minores ordines conferunt ſuis ſubditis in titulo, atque ſuis etiam familiaribus, vt obſeruat *Ioan. Andr.* quem alij ſequuntur *in cap. 1. n. 14. De ſuppl. negl. Prælatorum.* Martinus Laudus in Tract. de Cardinal. q. 20. Mayol. de irregul. l. 4. cap. 8. Rota Rom. deciſ. 831. n. 10. part. 1. diuerſ. At Diaconi id non poſſunt, vt omnes fatentur; Ratióque ipſa probat, nam ſi priuilegium eſt proprium Cardinalium Sacerdotum; non igitur Diaconorum.

Sed ſi Cardinalis Diaconus in titulo adhuc Diaconatûs exiſtens, ex feruore deuotionis Preſbyter fiat, tunc quæritur ſi Tonſuram conferre poſſit tituli ſui ſubditis, vel propriis domeſticis? Ratio dubitandi hæc eſſe videtur, quoniam etſi ſit Cardinalis Diaconus & Presbyter, tamen non ſit Presbyter Cardinalis in Sacerdotali titulo conſtitutus. Habet tamen iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuo titulo, & æquè ac Epiſcopi ac Presbyteri S. R. E. Cardinalis eſt. Nec igitur laborat defectu dignitatis nec ordinis, quoniam reuerà eſt Sacerdos. Sed contrà facere videtur Conſtitutio Sixti V. quâ declarat etſi ex feruore deuotionis ſuſceperit ordinem presbyteratûs, priuilegiis tamen presbyterorum Cardinalium non gaudere, ſed debere adhuc inſeruire muneri Diaconatûs, donec per aliam promotionem illorum loca ſuppleantur, & in maiorem ordinem cooptentur. Sic enim ſtatuit ille Pontifex decretali edicto, Romæ edito apud S. Petrum anno 1586. 3. Nonas Decembris, Ponrif. an. 2. Extat in Bull. tom. 2. éſtque inter Sixti V. Sanctiones ſerie 50. *Diaconorum autem numerus ſic præfinitus (ad 14. ſcilicet capita) perpetuò retineatur, & Diaconi in eodem ordine ſemper remaneant, & ſi qui eorum ex deuotionis feruore ad preſbyteratûs ordinem promoti fuerint, ſemper tamen in eodem Diaconatûs ordine, & officio miniſtrent, & ſuum locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex Cardinalibus de nouo creandis ſiue eligendis, alij Diaconi prædictum numerum ſuppleant, & in eorum locum ſubrogentur ac ſubſtituantur: Quo caſu antiquiores Diaconi ad presbyteratûs ordinem promoti ad presbyteros Cardinales tranſire atque inter eos reſidere valeant & connumerari.* Hactenùs Sixtus V. ex cuius lege videtur aſſerendum Cardinales Diaconos etſi presbyterali charactere præditos, horum propriis priuilegiis non frui, quouſque à Pontifice Maximo inter Cardinales presbyteros adlecti fuerint, honoréſque his competentes adepti. Proinde quòd Tonſuram nequeant

Digitized by Google

ſuis alumnis, & domeſticis conferre. Quæ Pontificia Conſtitutio ſi non præpediret, ex Can. 14. ſeptimæ ſynodi colligi poſſet quòd Cardinales ſolùm titulo Diaconi, at reipſa Preſbyteri Tonſuram & Clericatum ſuis domeſticis ac familiaribus poſſent conferre, cùm enim id concedat Concilium Abbatibus, dummodò preſbyterio præditi ſint, Cardinalibus ſummæ ſedis maiori iure videtur exiſtimaſſe concedendum. Alioquin deteriori loco forent quàm Abbates, cùm tamen ſint liberi primi gradûs & membra capitis, cæteri autem Prælati membra corporis. Quamobrem Eugenius IV. declarare non dubitauit, licèt inferiores ordine ſint Epiſcopis, honore tamen, & dignitate maiores eſſe Epiſcopis & Archiepiſcopis, Conſtitutione præſignatâ. Nec refert quòd Cardinales titulo Diaconi, charactere verò preſbyterali præditi, nondum inter Preſbyteros Cardinales cenſiti ſint, ſufficit enim quòd ſint Preſbyteri. Nam quòd Diaconi non poſſint conferre Tonſuram ſuis, id non fit ex dignitatis defectu, ſed ordinis Sacerdotalis, cuius intuitu Concilium generale Abbatibus id indulſit, non enim Abbatibus aliâ conditione conceſſit, quàm dummodò preſbyteri eſſent. Quidam enim Abbates erant, non preſbyteri, his non licere id voluit Concilium, ſed iis dumtaxar, qui non ex adiuncto quidem naturali nexu, munere, ſed meræ deuotionis impulſu, & virtutis exploratæ meritô, preſbyteratu inſigniti eſſent, ſiue antequàm monaſterio præficerentur, ſiue poſtquàm huic regimini admoti fuiſſent. Quamobrem à ſimili licet collectum ire. Si Pontifex aliquem in Diaconorum Cardinalium ordinem cooptârit, quem neſcierit eſſe Preſbyterum; vel quiſpiam ex quo Cardinalis Diaconus pronunciatus fuerit, non ſolùm ſtuduerit ſe ad Diaconatum, ſed & Preſbyteratum promoueri, hunc ex Concilij VII. generalis indulto validè poſſe ſuis Tonſuram conferre, & Clericatum inferiorem, eo ipſo quòd eſt Preſbyter, & concurrentet non Abbas tantùm, non Chorepiſcopus ſolùm (qualibus id Concilium ipſum conceſſit) ſed Cardinalis, qui dignitate, honore, auctoritate longè maior eſt. Mens enim fuit Concilij id licere Preſbyteris (vt priſca Eccleſiæ decreta concedebant) ſed ne effuſiore multitudine Preſbyterorum (quâ ipſi Preſbyteri minùs ſpectabiles, vt ſanctus Hieronymus alicubi dicit, redduntur) Clericorum adſcititiorum pro mero cuiuſque nutu, numerus in immenſum ſuperflueret: Preſbyteris quidem non omnibus deinceps promiſcuè, ſed iis dumtaxat qui gradu aliquo dignitatis, cæteris ex gregali numero præeminerent, ius & decus eiuſmodi attribuit. Non gregalis igitur erit Preſbyter, qui tametſi non fuerit à Papa inter Cardinales Sacerdotes cooptatus, tamen cenſitus inter Diaconos Cardinales, priuatâ deuotione ſe ſubinde fecit Preſbyterum ordinari. Igitur ex Concilij Oecumenici indulto, poterit Clericatum ſuis domeſticis conferre, quem eiuſdem Concilij conceſſu conferre poſſunt Abbates preſbyteratu inſigniti. Procedit hoc argumentum de minori ad maius, & euidenti ac rectâ ratiocinatione concludit, ſepoſita conſtitutione Sixti V. Pontificis.

Hîc porrò inquiſitum ire potuerit quiſpiam, cùm Preſbyteri Cardinales Tonſuram, & minores ordines conferant ex priuilegio: Si Dia-

Digitized by Google

conis Cardinalibus hanc Papa ipſam communicaret poteſtatem, an æquè hoc munus præſtarent ac Presbyteri Cardinales? Ad hoc poſtulatum, dico periculoſum mihi ſemper viſum eſſe diffinire quid poſſit Papa, vel nō poſſit. Poteſtas enim à Chriſtô Petro cui Papa ſuccedit, tradita (quoad ſpiritualia) nullis terminis in Euangelio expreſſè circumſcripta eſt. Satiùs eſſe igitur reſpondere cenſeo; Papam multa poſſe quæ nunquā fecit, nec facturus videtur. Sunt Theologi quidam ex recentioribus, qui Diaconum poſſe ordinare Diaconum exiſtiment, ſi Pontificis iubentis mandatum exequeretur. Verùm nec Pontifex iuſſit vnquam quid eiuſmodi, nec vt veriſimilius eſt vnquam præcipiet. Certè conueniunt Theologi ſimplicem Presbyterum, nec Cardinalem, nec Abbatem, nec Parœcum, ſacramentum poſſe adminiſtrare Confirmationis Pontificiâ diſpenſatione interueniente, & id reipſa aliquando factum eſt; ſed quod Diacono quantumuis digno, etiámque ſi vis Cardinali hæc fuerit aliquando auctoritas demandata à ſummo Pontifice, nuſquam notari poteſt. Si ex præteritis igitur licet de futuris augurari, haud temerarium fuerit præſagire futurum numquam vt Diacono talis diſpenſatio à Sede Apoſtolica tribuatur. Magnum profectò habet ius Presbyter in Eccleſia, & longè eſt à Diacono exſors & eminens: nam Presbyter verus eſt Sacerdos; ordo at verò Eccleſiæ Sacerdotio nititur, aiunt Patres ſeptimæ Synodi, nam & *Eccleſia non eſt* (ait S. Hieronymus aduerſùs Luciferianos) *quæ Sacerdotes non habet*. Vnde ordinationem Presbyteri S. Auguſtinus in hom. de ordinatione Eradij, *opus Dei* per excellentiam appellat, cuius & *omnipotentiæ organum* eſſe vetus Auctor de ordinibus Eccleſiæ non inconſideratè nuncupauit. Multos igitur extraordinarios actus, Presbytero vt obeat Eccleſiaſticæ neceſſitatis gratiâ Papa iubere poteſt, quos Diacono committere, nec decet nec expedit, & fortè non licet. Capax eſt enim ex characteris ſui virtute Presbyter plurimarum ſupereminentium functionum, accedente Pontificis imperio, quarum (defectu Sacerdotalis ordinis) Diaconus quantumuis ſpectabilis & illuſtris, incapax eſt. Quamobrem ſapienter piéque iuxtà ſummi Pontifices in rebus ſacramentalibus minimum Presbyterum maximo ſemper Diacono prætulerunt, nec Diacono vnquam iniunxerunt faciendum extraordinario munere, quod Presbytero demandarunt, nullatenus reclamante, at omni conſentiente Eccleſiâ; nec abs re cùm (vt eſt de fide) omnis Presbyter ſit Sacerdos, ſed verò Diaconus Sacerdotio careat, quod fons omnis benedictionis eſt, communéque diuinæ virtutis apud homines, viuum & perenne inſtrumentum.

His excuſſis, quæri poteſt an Cardinales Presbyteri queant quibuſque pro libitu Tonſuram conferre primam, & quatuor minores ordines? Canoniſtæ ſuprà citati conueniunt, id promiſcuè ab his præſtari legitimè non poſſe, ſed tituli ſui ſubditis, & familiaribus ſuis dumtaxat. Quòd in titulo ſuo Tonſuram & minores conferant, rationi & iuri prorſus eſt conſentaneum, cùm iuriſdictionem habeant ſuis in titulis Epiſcopalem, & conferant pleno iure beneficia ad ſe ſpectantia ratione titulorum ſuorum Cardinalium. At

quibus conferre magis æquè poſſunt quàm iis, quos in titulis ſuis deſignant, Clericis ad diuini cultus officium exequendum. Quòd verò familiaribus ſuis pariter conferre poſſint Tonſuram, & minores Clericatûs gradus, hoc eis ſuppetit ex Pontificio Priuilegio, quod obfirmauit Clemens VII. auctoritate ſua *Extra. Sanctiſſimus in Chriſto Pater*, &c. Ratióque ſuccurrit, cùm eadem facultate potiantur Epiſcopi, quibus Cardinales æquiparantur, in omnibus fauorabilibus, ſæpè ſæpiùs verò varias per orbis partes ablegantur à ſummo Pontifice, Chriſtianæ iuuandæ Reipublicæ gratiâ; durum igitur eſſet ſi domeſticos, & familiares ſuos inſignire non poſſent Tonſura Clericali, idoneóſque efficere ad beneficia quædam obtinenda, quæ, dum eorum obſequiis inſeruiunt, publicíſq; vt veriùs dicam, commodis, iuſtâ ratione promerentur: familiares autē Cardinalium cenſentur ij etiam qui per quatuor menſes ante eorum promotionem ad Cardinalatum fuerunt continui commenſales, & qui poſthac pati menſium numero, *ex reg. Cancell.* 33. Denique familiares qui ſint, pleniùs ex iis conſtabit, quæ de familiaribus Epiſcoporum infrà dicturi ſumus. Eaſdem enim qualitates in his ac in illis iura requirunt: quamuis ab annis vt minimùm ſexcentis maior Cardinalium, quàm Epiſcoporum habita ſit paſſim in Eccleſia conſideratio, moréque ante annos circiter quingentos fuiſſe receptum videtur, vt Cardinales quibuſcumque petentibus munus Clericalis Tonſuræ imperrirent; ſiquidem extat epiſtola Petri Cellenſis Abbatis ſub Alexandro III. clari, ad Petrum Cardinalem ſancti Chryſogoni, qua ad illum mittit, eique profuſis affectibus commendat Criſpinum quemdam, cupientem ipſius manibus inſigniri Clericali Tonſura (lib. 7. ep. 16.) *Ecce*, inquit, *Pariſius ad ſcholas vadit, ſed & vbique nomen veſtrum ſuper ſe inuocari poſtulat*, &c. *Rogo pro ipſo & cum ipſo, quatenus gratiam non qualem qualem inueniat, in oculis veſtris, ſed bonam, ſed confertam*, &c. *præ cæteris, hoc vnum ad præſens poſtulat, vt de manu veſtra primitias Clericatus, id eſt coronam accipiat.* Sed doctiſſimus Epiſtolarum Cellenſis Scholiaſtes, tunc fuiſſe Petrum iſtum Cardinalem in Gallia Legatum Apoſtolicæ ſedis prudenter admonuit; Quod ſi ita eſt; hæc nequit res geſta trahi in ius commune Cardinalitium, cùm Tonſuram cuique potuerit etiam non familiari nec domeſtico Cardinalis conferre, qui ſimul Legatus erat, & vices gerebat ſummi Pontificis, communis omnium Patris & Paſtoris. Et verò Petrum iſtum fuiſſe Apoſtolicum Legatum in Gallia ſolidè ac euidenter probat vir ille eruditiſſimus, in notatione ad Epiſtolam 8. eiuſdem lib. 7. ex Rogeri Houedini Hiſtorici contemporanei teſtimonio. Verùm an fuerit iam Legatus cùm præmiſſa ad eum Petrus Cellenſis ſcriberet, non ita liquet, nam in titulo Epiſtolæ Cardinalem ſimpliciter appellat, nec Legatum addit; vt aliàs aſſolet obſeruare in cæteris inſcriptionibus, quas dirigit ad Legatos Cardinales. Quicquid ſit, an reipſa contulerit Tonſuram deſignato Criſpino non liquet, quem inſuper fuiſſe aliquando familiarem Petri olim electi Metenſis & iam Cardinalis, ambiréque adhuc inter eius familiares cooptari ſatis ex his ſequentibus liquet Cellenſis verbis: *Hoc enim ſignô acceptô magis ſe obligatum erga obſequium*

Google

veſtrum non immeritò deinceps arbitrabitur , & vos tanquam plantæ veſtræ bonum iure prouidebitis. Credo per Dei gratiam quòd alter de altero gaudebit, & Deo cooperante fructum ſalutis faciet. Sed ſaltem hoc exemplum probat iam vſu receptum fuiſſe, vt Cardinales, familiares ſuos Clericali Tonſurâ, quam eleganter *Primitias Clericatus* Petrus ipſe Cellenſis appellat, licitè inſignirent, imò docti & illuſtres viri quàm magni facerent ab iis hac teſſera Clericalis militiæ honorari.

CAPVT VI.

De impedimentis iuris reſpectu conferentis: Et de eiuſdem morali diſpoſitione.

QVI ex priuilegio Tonſuram conferunt certis limitibus à iure præſcriptis coarctantur, quos ſi tranſiliunt in pœnas incurrunt præſcriptas à Canone, v. g. Abbates regulares (nam Commendatarij, cùm benedicti non ſint ab Epiſcopo, vt exigit ſeptima Synodus, hoc priuilegio non fruuntur) ſi aliis quàm ſui monaſterij alumnis, vel cuiquam ſæculari præſumant conferre primam Tonſuram, incidunt in animaduerſionem pronunciatam à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 10. Cuius decreti tenore, ſi non iuri, ſaltem mori antiquo derogatum fuit, quo ante ipſum Concilium poterant Eccleſiâ Cathedrali vacante, dare Tonſuram & quatuor minores ſubditis illius Epiſcopatus, cuius adminiſtratio fuiſſet ad tempus his commiſſa: Aut ſi ad hoc fuiſſent inuitati per Capitulum: Quòd ſi inuitati quoque fuiſſent à monaſteriis exemptis, in eorum clauſtris itidem poterant Tonſuram, & quatuor minores conferre, eiuſmodi monaſteriorum Monachis. Imò ſi ipſi exempti eſſent, ſui monaſterij ſubditis tam Monachis quàm aliis. Videndus Selua de benef. p. 2. q. 6. *poſt* n. 3. Gemin. in c. *Abbates* n. 6. de priuileg. in 6. & in cap. *Is cui* n. 7. verſ. *Vidi dubitari.* Sayrus de *Cenſ.* l. 4. c. 13. poſt n. 15. Miranda in Manuali Prælatorum q. 83. a. 9. concl. 1. tom. 1. Verùm ſublata ſunt hæc omnia, Concilij Tridentini præcitatâ ſanctione, adeò vt nunc Abbates quantumuis exempti intra fines alicuius Diœceſis exiſtentes, cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, conferre nequeant primam Tonſuram, nec ordines minores, etiamſi ab aliis pariter exemptis fuerint inuitati, & quamuis immemorabili conſuetudine, præſcriptione, vel etiam ſpeciali priuilegio ſeſe ſuffultos aſſeuerent: quoniam his omnibus poſſeſſionis coloratæ titulis, generale Concilium prædictum ſpecialiter, & expreſſè derogauit. Quin & Rota Romana ſubinde declarauit Abbates benedictos, mitræque ac baculi iure, & vſu inſignes ac Sacerdotio præſtantes: conceſſu etiam aut conſenſu Diœceſani Epiſcopi non poſſe ſæcularibus eiuſdem Epiſcopi ſubiectis Tonſuram, vel quatuor minores ordines conferre, vt refert Seraphin. Deciſion. 985. part. 1.

Porrò

Digitized by Google

Porrò Titulares Epiſcopi, qui Clero, plebe, & Diœceſi carent, ſacris conſtitutionibus, & decretis Tonſuram, vel minores impertiri cuiquam regulari, vel ſæculari, etiam prætextu familiaritatis diſtrictè prohibentur. Tridentini Concilij Oecumenici extat ſiquidem memorabilis ſuper hôc compeſcendo abuſu Conſtitutio, quæ ſic habet ſeſſ. 14. c. 2. de Reform. *Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, ſed alienas oues inſcio proprio Paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſâ licentiâ, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſuâ temeritate eligunt, & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum litteras commendatitias non habeant, Clericali charactere inſignire, & ad ſacros, etiam Preſbyteratus, ordines promouere præſumunt; quô plerumque fit vt minùs idonei, & rudes ac ignari, & qui ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles, & indigni reiecti fuerunt, ordinati, nec diuina peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare. Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cuiuſuis ordinis reſederint, aut moram traxerint vigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ abſque ſui Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores ordines, vel primam Tonſuram promouere ſeu ordinare valeat. Contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab executione ordinum ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.* Hactenùs Oecumenica Synodus: Cuius veſtigiis inſiſtentes ſummi Pontifices Pius IV. & Sixtus V. Titulares Epiſcopos hæc illicita, & ſibi prohibita præſumentes grauibus etiam interminationibus, & pœnarum canonicarum inflictionibus coërcendos decreuerunt. De quorum edictis, iterum infrà, vbi de Epiſcopis quibuſcumque peccantibus in collatione tam primæ Tonſuræ, quàm ordinum cùm minorum, tum maiorum dicendum erit.

Epiſcopi verò alij ſunt qui plebem non habent, nec Clerum, nec Diœceſim quoniam renunciârunt Epiſcopatui. De his quæri etiam non abs re poteſt, an omni auctoritate conferendi Tonſuram, & ordines ſint eo ipſo deſtituti? Certè diſtinguendum putamus. Aut enim renunciauit loco tantùm, aut loco & dignitati ſimul, v. g. ſi Epiſcopus pertæſus curarum ſæculi ad religionem conuolaret monaſticam, eiúſque inſtituta ſolenni voto profiteretur, renunciaſſe meritò cenſendus foret tam ſedi quàm honori, immo & ordini (quoad executionem): vnde veteres aliquot canones diſtrictè vetant illum à Monachiſmo ad Epiſcopatum redire, proinde & pontificali officio ſubinde fungi. Aut fortè tantùm ſe abdicauit loco, non autem dignitate, nec iure, nec honore Epiſcopatus, vt priſcus ille Antiſtes, cuius memorabile dictum in lib. noſtro de Epiſcopali monogamia, & vnitate Eccleſiaſtica obſeruauimus. *Clero*, in-

Epiſcopus Diœceſim habens poſſit in ea ordinare alienos Clericos, ſine proprij Ordinarij licentiâ? Item ſi ſuos poſſit promouêre in alienâ Diœceſi, haud requiſito, & impetratô Ordinarij conſenſu, ſaltem in loco exempto? An Epiſcopus excommunicatus, ſuſpenſus, hæreticus his queat, ſi non licitè, ſaltem validè muneribus perfungi? Aliáque id genus problemata, quæ communi ferè conſenſu reſoluunt negatiuè. Quibuſdam nihilominus eiuſmodi quæſtionibus, modificationibus adhibitis, vt videre eſt apud Azorium part. 2. lib. 3. de 4. præcepto Decalogi c. 48. & Barboſam de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 6. alióſque complures recentiores. Quorum tamen ſi cenſita neceſſe foret ad ſummos iuris apices ire diſcuſſum, ex antiquis canonibus, quos vix eiuſmodi auctores accuratè perſcrutantur, vel ex fonte allegant, multa certè eſſent ab iis pro certis habita quæ dubia, minùs verò quàm par ſit, explicata, dilucidiúſque explicanda forent: nonnulla prætermiſſa, quæ ſupplemento, eóque non inutili, indigerent. Verùm quoniam faſtidioſum eſt ſæpè dicta alibi, vel ab aliis ſæpè verſata repetere: nec vt ait S. Hieronymus ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, *haud neceſſe eſt vbique dicere omnia*, nobíſque ſit prolixitati vitandæ (quam maximè horret hæc ætas) præcauendum; cùm & opportuniori loco de ſingulis his quæſtionibus, ex profeſſo ſit aliquando differendum, ſi Deus fauerit cœptis, vt hactenùs longè pluſquàm meriti ſumus, ideóque ſuprà id quod ſperatemus de cœptorum ſucceſſu, dignatus eſt pro ſuâ ineffabili bonitate noſtræ infirmitati opitulari. Idcircò hîc lubenter ab his lemmatibus ſeriò diſcutiendis abſtinemus, animi impetum qui ad hæc gliſcit, eluctari, nec importunâ anchorâ, nec ingratâ remorâ retardantes, daturi etiam Lectori de hâc perendinatione, induciarúmque grata conceſſione, tandem aliquando prouentum.

Interim analecta hîc quædam viſum operæpretium ſubnectere. Etſi canones diſtrictè prohibeant Epiſcopis alienos ordinare Clericos, vel quemque in aliena Diœceſi promouere, *Can. Apoſtolorum 36. Ancyran. Conc. cap. 13. Nicæn. I. can. 17. Antiochenum I. cap. 9. Sardicenſe can. 18. & 19. Carthag. I. Can. 5. Taurin. I. c. 2. Turon. I. c. 10. Valentinum I. in Hiſpania c. 6.* &c. Tamen fuiſſe Metropolitanos qui in Comprouincialium Diœceſibus, præeminente ſuâ auctoritate id poſſe ſibi perſuaſerunt, iámque dudum Ariani S. Athanaſio verterunt in crimen, quòd extra Diœceſim ordinationes aggredi præſumpſiſſet, vt notat Nicephorus lib. 9. c. 26. S. Hilarius Arelatenſis Præantiſtes apud S. Leonem eiuſmodi exceſſus accuſatus cauſam dicere non modò, ſed iure prætenſo cedere compulſus fuit. Noſtrâ ætate vidimus Epiſcopum conquerentem de Archiepiſcopo ſuo, qui in ſuâ Diœceſi, vbi Archiepiſcopus ipſe domicilium in fundo ciuili ſui Archiepiſcopatus habebat, ordines ſolenni ritu, & apparatu celebrauerat, extra viſitationis curſum, & contra prohibitionem Ordinarij eodem loco, vbi hoc fecit Archiepiſcopus, publicatam. Scimus olim S. Epiphanium reprehenſum à ſancto Ioanne Chryſoſtomo, quòd Conſtantinopoli Diaconum veniâ minimè ab ipſo petitâ, nec obtentâ (tametſi nullo ſuperiori iure ſuffultus) ordinâſſet, quemadmodum commemo-

rat Socrates lib. 6. hiſt. Eccleſ. c. 12. Ægidium quoque Remenſem durè increpatum à Patribus Concilij Pariſienſis; quòd extra propriam prouinciam Epiſcopum conſecrare, quin & inſtituere in alienâ Prouinciâ nempè Senonenſi, & Diœceſi Carnotenſi, præſumpſiſſet. Hincmari Laudunenſis nec leues fuerunt aduersùs Synonymum ſuum Archiepiſcopum Remenſem expoſtulationes, quòd prætextu Metropolici iuris, Ordinarij Diœceſani iura ferè quæque inuadere fuiſſet auſus. Pleraque congeri poſſent facta eiuſmodi in quæ ſancti etiam viri feruore pio tuendæ ſuperioris auctoritatis, quam competere ſibi titulo Metropolico, vel primatiali exiſtimabant: plerumque extra proprios limites abrepti ſunt; quæ facta ſi examinaſſent, ad canonum amuſſim neutiquam, vt reor, attentaſſent. Certum eſt enim (quemadmodum aliàs oſtendimus) eiuſmodi auſus ſacris ſanctionibus prohiberi, non modò Epiſcopis, in diſtrictu collegarum, ſed & Metropolitis in Comprouincialium ſuorum Diœceſibus. Calixti I. ad Epiſcopos Galliæ notanda tamen ad hoc venit, aliàs fortè à me non citata, ſed ab Iuone Carnotenſi recitata lib. 4. Decretal. Conſtitut. *Nullus* (inquit) *Metropolitanus, nulluſque reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi eſt parochiæ: Super cuiuſque diſpoſitione, niſi vocatus ab eo, cuius iuris eſſe dignoſcitur, aut quicquam ibi deponat, vel ordinet, aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit, ſin autem aliter præſumpſerit, damnabitur, & non ſolùm ille, ſed cooperatores, eique conſentientes, quia ſicut ordinatio, ita eis & iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur.* Siricius idem ſcribit epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ; & Innocentius I. ep. 2. ad Victricium Rothomagenſem Antiſtitem.

Sed verò hîc obiici poſſunt verba illa poſtrema citatæ auctoritatis Calixti: *Nam qui ordinare non poterit, qualiter iudicabit?* Et hæc ferè eadem Siricij, *qui ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.* Siquidem de iure eſt Archiepiſcopum in curſu viſitationis ius dicere, cauſaſque definire in Diœceſibus ſuorum Comprouincialium, ad ſe etiam per ſimplicem querelam deuolutas. *cap. 1. de pœnis, & cap. 1. de Cenſib. lib. 6.* Ergo cùm iudicare poſſint Archiepiſcopi, etiam & ordinare in collegarum ſuorum parochiis. Veruntamen cap. *vt litigantes de off. ord. lib. 6. & gloſ. ibidem, & gloſ. agant, & gloſ. diſponant* itidem: nefas eſſe decernitur Archiepiſcopis, in Diœceſi Suffraganei ſibi ſedem conſtituere, vel conferre ordines, vel alia Sacramenta, aliáque ſimilia, vt altaria, vel Eccleſias conſecrare: quin, & eodem capite, Archiepiſcopo expreſſè prohibitum eſt, ingredi Suffraganei ſui diœceſim, ad finem quicquam ibi exercendi, quod ſpectet ad poteſtatem iudicialem: Proinde vt regulariter non poteſt iudicare, ſic nec ordinare; & ſi præſumat quicquam eiuſmodi, fit canonicis decretis obnoxius, incidítque in pœnas ſtatutas aduerſùs Prælatos excedentes poteſtatem, & ius alienum auſu illicitò inuadentes. Nihil tamen diſtrictiùs prohibitum, quàm arrogare ordinationis ſibi munus, vel in aliena Diœceſi, vel perſonis ſibi non ſubiectis; nec inuenire eſt in iure, exceptos hâc in canonicâ animaduerſione vllos Archiepiſcopos, aut Primates, aut etiam Patriarchas: at pari ſeueritate conſtricti re-

periuntur ac Epiſcopi inferiores, qui ne in eiuſmodi exceſſus ſe abripi patiantur, variis coërcirionibus dererrenrur ſparſim in Synodicis canonibus, & Pontificiis Conſtirutionibus expreſſis, quas hîc nimis prolixum foret minurim recenſere, breuiraris causâ duæ dumraxar hîc referendæ viſæ ſunr ſummorum Pontificum ſpeciales hac de re ſanctiones, quarum prior eſt Pij V. data Romæ die 14. Octobris anno 1568. apud S. Petrum, Ponrif. anno 3. non ſolùm aduerſus malè ordinaros ſæculares, & regulares: ſed eriam conrra malè ordinantes ad ſacros, vel minores ordines, & Clericalem characterem. in qua Conſtirurione notatu digna ſunt præſerrim, verba Ponrificia quæ ſequuntur.

Tom. 2. Bull. n. 75. incipit, *Romanus Pontifex*, &c.

Nos igitur qui ſingulorum Dei miniſtrorum honorem, & decus quantùm in nobis eſt, ſynceris exoptamus affectibus, &c. *de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hâc perpetuò valiturâ ſanctione decretum prædictum* (Tridenrini Concilij) *de Clericis ſæcularibus loquens, ad omnes, & ſingulos etiam cuiuſcumque ordinis Clericos, religioſos, ſiue ſæculares more religioſorum viuentes in communi, non profeſſos, eadem ſerie harum extendimus & ampliamus, ac religioſis, & aliis prædictis non profeſſis, vt ad ſacros ordines promoueri, nec non omnibus, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis gratiam, & communionem ſedis Apoſtolicæ habentibus, vt ordines ipſos huiuſmodi religioſis perſonis impendere, niſi obſeruatâ formâ prædicti Decreti, nos virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœnâ interdicimus & prohibemus, ac contrà facientes per annum à præſtatione talium ordinum ipſo iure ſuſpendimus.*

Tom. eodem, huius eſt exordium *Sanctum & ſalutare*, &c.

Alrera eſt Sixti V. dara an. 1588. Nonis Ianuarij, Ponrif. an. 4. quæ ſic inter cætera ſeriatim haber, §. 2. *Vt igitur Eccleſiarum Præſules intelligant, ſi in re tam graui, & tanti momenti culpâ aut negligentiâ peccauerint, ſe non modò in tremendo Dei iudicio, verùm in hoc quoque ſæculo Romano Pontifici ſuæ villicationis rationem fore reddituros, præſenti Conſtitutione perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi inpoſterùm Antiſtes aliquis Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas, ad primam Tonſuram, minoréſque ordines ſuis ſubditis conferendos, à ſede Apoſtolica auctoritatem habens, vel cuiuſuis ordinis, aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio aut defectu, ſeu aliàs inhabilem, vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora à iure ſtatuta, vel abſque veris dimiſſoriis ſui Ordinarij litteris, aut per ſaltum, vel furtiuè, aut quoad ſæculares ſine titulo ſufficientis beneficij, aut patrimonij, aut ante ætatem per ſacri generalis Tridentini Concilij decreta, primæ Tonſuræ, ac cuique ordini præſcriptam, aut non ſeruatis temporum interſtitiis, ita vt aliquis vnico die, ſeu continuatis diebus ad plures ordines ſacros, aut ad minores ordines, vel ſacros, vt præfertur, vel aliàs malè promouerit, ſiue id ſcienter, ſiue ignoranter fecerit, niſi debitâ diligentiâ adhibitâ, iuſtus error & probabilis facti ignorantia eum excuſet, vt in quo deliquit in eo puniatur à quocumque ordinum, atque adeò ipſius Tonſuræ, & ab executione munerum Pontificalium eô ipsô ſuſpenſus, & ab Eccleſiæ ingreſſu interdictus exiſtat, aliíſque grauioribus pœnis noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis arbitrio puniatur. Quòd ſi ſpretâ huiuſmodi ſuſpenſione, & interdictô, in præmiſſis ſe temerè ingeſſerit, etiam à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, & à perceptione fructuum menſæ eiuſdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum in titulum, vel commendam, ſeu aliàs*

Digitized by Google

obtentorum ſuſpenſionem eô ipsô incurrat, eiúſque interdicti, aut ſuſpenſionis relaxationem, aut pœnarum remiſsionem ab alio quàm à Rom. Pontifice pro tempore exiſtente, nequeat obtinere. Non diſſimilem edidit Clemens VIII. Conſtitutionem, quæ incipit *Romanum.* niſi quòd parumper reſtrixerit pœnas à Sixto indictas (ſerie inter eas quas promulgauit, 40.) & Vrbanus VIII. propriàm quoque, cuius initium eſt *Secretis.* inter cæteras 33. *aduerſus malè ad ſacros, vel minores ordines, ſeu Clericalem characterem ordinantes, & promotos;* quas ambas in Bullario peruium eſt perlegere.

Archiepiſcopo tamen quædam priuilegia à iure ſtatuta ſunt circa ordinationes, Diœceſanorum ſuorum Comprouincialium quibuſdam in caſibus obeundas. Nam ſi Epiſcopus excommunicatus fuerit, vel ſuſpenſus, litteras dimiſſorias ſuis Diœceſanis dare non poteſt; hócque in caſu eius ſubditis licet petendæ ordinationis, vel Tonſuræ causâ adire viciniorem Epiſcopum, cap. 2. *de temp. ord. in 6.* multò magis Archiepiſcopum; ſi enim decreuit S. Gregorius ordinationes Metropolitano reſeruandas, eius Eccleſiæ cuius Epiſcopus inops mentis factus eſt, ep. 7. lib. 11. ad Ætherium Lugdunenſem: *Ordinationes verò*, inquit, *Preſbyterorum, vel Diaconorum, ſeu alterius ordinis, ſi fieri in eadem Eccleſiâ cauſa poposcerit fraternitati tuæ noueris reſeruandum*, &c. Certè meliori iure, & vrgentiore causâ ſi Epiſcopus hæreticus, vel excommunicatus, aut ſuſpenſus eſt, fas erit Archiepiſcopo afflictæ & labenti Eccleſiæ paternæ conſolationis ſubſidium impertiri. Nec ſolùm enim eius eſt officij corrigere Epiſcopos negligentes, ſed etiam eorum negligentiam ſupplere tenetur, prout decernit, ac declarat Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de Reform. c. 1. & c. 10. & ſeſſ. 24. cap. 3. &c.

Sed & Epiſcopis aliquid etiam licet extra Diœceſim, exequi, citra canonum læſionem, & periculum dignitatis, vel honoris: poteſt enim Epiſcopus (imò & eius Vicarius) actum exercere voluntariæ iuriſdictionis extra territorium, v.g. beneficium conferre, concedere litteras dimiſſorias, quin etiam gladium excommunicationis ſtringere in ſubditum: ita etiam Tonſuram ſubiectis ſuis conferre poſſe, primæ notæ ſunt iuris ſacri interpretes qui arbitrantur; inter quos conſulendus Rebuff. in tract. nominat. q. 14. n. 29. & 65. & in praxi beneficial. rubr. de Eccleſ. & à quibus, & quomodo, &c. n. 13. Henriquez in Summa lib. 3. c. 6. §. 6. quem refert, & ſequitur Bonacina de Sacram. diſp. 39. q. vnicâ p. 2. n. 13. quáuis non deſint qui ſecùs cenſeant móſque contrarius paſſim obtineat.

Atque hactenùs de impedimentis iuris, quæ cauere diligenter debet quiſque ſuperior inferiórque Prælatus, ad quem munus conferendi Tonſuram, ſeu, vt aiunt Pontifices, *characterem Clericalem*, & ordines minores, vel ſacros, ſuo pro cuiuſque reſpectu de iure ſpectat, ſi & officium dignè obire velit, & cenſuræ canonicæ vitare ſeueritatem. Tametſi ab iis cauere debeat defectibus, vel exceſſibus, non tam propter iram, quàm propter conſcientiam, eáque quâ decet ſolertiâ, integritate, ac puritate in eiuſmodi miniſterio verſari, non tam pœnæ metu, quàm amore iuſtitiæ.

Iam aliqua ſubiicienda videntur de morali diſpoſitione, quam adhi-

bere debet Prælatus, vt Deo gratum hoc obeundo munus, præſtet obſequiũ Eccleſiæ vtile, & ſibi eiſque quos initiat, ſalutare. Magni eſt momenti deligere diuini operis miniſtros, Eccleſiæ rectores, animarum paſtores. Vnde Apoſtolus Timotheum ſuum grauiter admonebat, *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis* 1. ep. 5. 22. quaſi diceret, vide ne quem temerè ordines, ſed vnumquemque priùs proba, & examina an probatæ ſit vitæ, & doctrinæ, taliſque gradu dignus, alioqui particeps fies peccatorum, & ſcandalorum, tum quæ iam admiſit (nam dum eum promoues, videris antè actam eius vitam probare, ſicque eius delictorum particeps efficeris): tum quæ poſt initiationem committet, attollis enim eum ſuper candelabrum ſanctuarij; Vt igitur ſi fulgeat, tibi honor, illi decus, ſacrario ſplendor accedit; ſic econtrà, ſi fumat, & non flammat in tabernaculo Dei, tuæ culpæ imputabitur ille defectus luminis, vapor ille putidus, quem ipſe euaporabit, non illuminans, ſed infuſcans, & obſcurans locum ſanctum, quem irradiare, & illuſtrare ſuo fulgore debuiſſet. Officium pontificis erat candelabri luminis in tabernaculo poſiti componere lucernas, Exod. 30. emunctoriiſque aureis expurgare, vt nitidum lumen euibrarent ante propitiatorium Dei, Exod. 25. 37. Num. 4.

Chriſtus ſummus Sacerdos, æternúſque futurorum bonorum pontifex, vt luminaria, ſuos Sacerdotes & miniſtros in Eccleſia collocauit, ad quos ideò ait, *Vos eſtis lux mundi, nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt; ſic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*, Matth. 5. Prouideant igitur Eccleſiæ Prælati dum deligunt Clericos, futuros populi Chriſtiani rectores, vt tales conſtituant, qui filij ſint lucis & operarij veritatis. Totum Eccleſiæ decus, & populi ſalus inde pendit; quemadmodum nulla imminet maior animabus pernicies, & Eccleſiæ non impendet maius dedecus & infortunium, quàm ſi Clerici, à quibus Dei populus illuminari debet fulgore ſanæ doctrinæ, & operum iuſtitiæ, filij ſint tenebrarum, cæcíque ipſi fiant cæcorum duces. Ad hoc alludit Dominus vbi ait, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit, ſi autem oculus tuus fuerit, nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit:* Matth. 6. *Vide ergo ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint*, Luc. 11. Quamobrem Antiſtes inferiores Clericos dum promoturus eſt, his vocibus Apoſtolicis alloquitur in Pontificali Romano. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, vt filij lucis ſitis. Abiiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis; eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Quæ ſit verò iſta lux quam tantopere inculcat Apoſtolus, ipſe demonſtrat ſubdens, *fructus enim lucis eſt in omni iuſtitiâ, bonitate & veritate; Eſtote igitur ſolliciti in omni iuſtitiâ, bonitate & veritate, vt & vos & alios, & Dei Eccleſiam illuminetis.* At has ſuperni luminis irradiationes homo dare non poteſt, ſed ſolus Deus impertit.

Pulchrè S. Ambroſius lib. 5. comment. in Lucam ad cap. 6. explicans illa verba: *Exiit Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ob-

veſtrum non immeritò deinceps arbitrabitur , & vos tanquam plantæ veſtræ bonum iure prouidebitis. Credo per Dei gratiam quòd alter de altero gaudebit , & Deo cooperante fructum ſalutis faciet. Sed ſaltem hoc exemplum probat iam vſu receptum fuiſſe, vt Cardinales, familiares ſuos Clericali Tonſurâ, quam eleganter *Primitias Clericatus* Petrus ipſe Cellenſis appellat, licitè inſignirent, imò docti & illuſtres viri quàm magni facerent ab iis hac teſſera Clericalis militiæ honorari.

CAPVT VI.

De impedimentis iuris reſpectu conferentis : Et de eiuſdem morali diſpoſitione.

QVI ex priuilegio Tonſuram conferunt certis limitibus à iure præſcriptis coarctantur, quos ſi tranſiliunt in pœnas incurrunt præſcriptas à Canone, v. g. Abbates regulares (nam Commendatarij, cùm benedicti non ſint ab Epiſcopo, vt exigit ſeptima Synodus, hoc priuilegio non fruuntur) ſi aliis quàm ſui monaſterij alumnis, vel cuiquam ſæculari præſumant conferre primam Tonſuram, incidunt in animaduerſionem pronunciatam à Concilio Tridentino ſeſſ. 23. cap. 10. Cuius decreti tenore, ſi non iuri, ſaltem mori antiquo derogatum fuit, quo ante ipſum Concilium poterant Eccleſiâ Cathedrali vacante, dare Tonſuram & quatuor minores ſubditis illius Epiſcopatus, cuius adminiſtratio fuiſſet ad tempus his commiſſa: Aut ſi ad hoc fuiſſent inuitati per Capitulum: Quòd ſi inuitati quoque fuiſſent à monaſteriis exemptis, in eorum clauſtris itidem poterant Tonſuram, & quatuor minores conferre, eiuſmodi monaſteriorum Monachis. Imò ſi ipſi exempti eſſent, ſui monaſterij ſubditis tam Monachis quàm aliis. Videndus Selua de benef. p. 2. q. 6. *poſt* n. 3. Gemin. in c. *Abbates* n. 6. de priuileg. in 6. & in cap. *Is cui* n. 7. verſ. *Vidi dubitari*. Sayrus de *Cenſ.* l. 4. c. 13. poſt n. 15. Miranda in Manuali Prælatorum q. 83. a. 9. concl. 1. tom. 1. Verùm ſublata ſunt hæc omnia, Concilij Tridentini præcitatâ ſanctione, adeò vt nunc Abbates quantumuis exempti intra fines alicuius Diœceſis exiſtentes, cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, conferre nequeant primam Tonſuram, nec ordines minores, etiamſi ab aliis pariter exemptis fuerint inuitati, & quamuis immemorabili conſuetudine, præſcriptione, vel etiam ſpeciali priuilegio ſeſe ſuffultos aſſeuerent: quoniam his omnibus poſſeſſionis coloratæ titulis, generale Concilium prædictum ſpecialiter, & expreſſè derogauit. Quin & Rota Romana ſubinde declarauit Abbates benedictos, mitræque ac baculi iure, & vſu inſignes ac Sacerdotio præſtantes: conceſſu etiam aut conſenſu Diœceſani Epiſcopi non poſſe ſæcularibus eiuſdem Epiſcopi ſubiectis Tonſuram, vel quatuor minores ordines conferre, vt refert Seraphin. Deciſion. 985. part. 1.

Porrò

Porrò Titulares Epiſcopi, qui Clero, plebe, & Diœceſi carent, ſacris conſtirutionibus, & decretis Tonſuram, vel minores impertiri cuiquam regulari, vel ſæculari, etiam prætextu familiariraris diſtrictè prohibentur. Tridenrini Concilij Oecumenici extat ſiquidem memorabilis ſuper hôc compeſcendo abuſu Conſtitutio, quæ ſic haber ſeſſ. 14. c. 2. de Reform. *Et quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem ſedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, ſed alienas oues inſcio proprio Paſtore quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſâ licentiâ, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm, exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem cathedram in loco nullius Diœceſis ſuâ temeritate eligunt, & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum litteras commendatitias non habeant, Clericali charactere inſignire, & ad ſacros, etiam Preſbyteratus, ordines promouere præſumunt; quô plerumque fit vt minùs idonei, & rudes ac ignari, & qui ſuo Epiſcopo tanquam inhabiles, & indigni reiecti fuerunt, ordinati, nec diuina peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare. Nemo Epiſcoporum, qui titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cuiuſuis ordinis reſederint, aut moram traxerint vigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ abſque ſui Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores ordines, vel primam Tonſuram promouere ſeu ordinare valeat. Contrà faciens ab exercitio Pontificalium per annum, taliter verò promotus ab executione ordinum ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſùm fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.* Hactenùs Oecumenica Synodus: Cuius veſtigiis inſiſtenres ſummi Pontifices Pius IV. & Sixtus V. Tirulares Epiſcopos hæc illicita, & ſibi prohibira præſumentes grauibus eriam inrerminarionibus, & pœnarum canonicarum inflictionibus coërcendos decreuerunr. De quorum edictis, iterum infrà, vbi de Epiſcopis quibuſcumque peccantibus in collatione tam primæ Tonſuræ, quàm ordinum cùm minorum, tum maiorum dicendum erit.

Epiſcopi verò alij ſunr qui plebem non habent, nec Cletum, nec Diœceſim quoniam renunciårunr Epiſcopatui. De his quæri etiam non abs re poteſt, an omni auctorirare conferendi Tonſuram, & ordines ſint eo ipſo deſtituti? Cerrè diſtinguendum puramus. Aut enim renunciauit loco tanrùm, aut loco & dignitati ſimul, v. g. ſi Epiſcopus pertæſus curarum ſæculi ad religionem conuolaret monaſticam, eiúſque inſtitura ſolenni voto profiteretur, renunciaſſe merirò cenſendus forer ram ſedi quàm honori, immo & ordini (quoad executionem): vnde vereres aliquot canones diſtrictè vetant illum à Monachiſmo ad Epiſcoparum redire, proinde & pontificali officio ſubinde fungi. Aut forrè tanrùm ſe abdicauit loco, non autem dignirare, nec iure, nec honore Epiſcoparus, vt priſcus ille Antiſtes, cuius memorabile dictum in lib. noſtro de Epiſcopali monogamia, & vnitate Eccleſiaſtica obſeruauimus. *Clero*, in-

Epiſcopus Diœceſim habens poſſit in ea ordinare alienos Clericos, ſine proprij Ordinarij licentiâ? Item ſi ſuos poſſit promouêre in alienâ Diœceſi, haud requiſito, & impetratô Ordinarij conſenſu, ſaltem in loco exempto? An Epiſcopus excommunicatus, ſuſpenſus, hæreticus his queat, ſi non licitè, ſaltem validè muneribus perfungi? Aliáque id genus problemata, quæ communi ferè conſenſu reſoluunt negatiuè. Quibuſdam nihilominus eiuſmodi quæſtionibus, modificationibus adhibitis, vt videre eſt apud Azorium part. 2. lib. 3. de 4. præcepto Decalogi c. 48. & Barboſam de offic. & poteſt. Epiſcopi alleg. 6. alióſque complures recentiores. Quorum tamen ſi cenſita neceſſe foret ad ſummos iuris apices ire diſcuſſum, ex antiquis canonibus, quos vix eiuſmodi auctores accuratè perſcrutantur, vel ex fonte allegant, multa certè eſſent ab iis pro certis habita quæ dubia, minùs verò quàm par ſit, explicata, dilucidiúſque explicanda forent: nonnulla prætermiſſa, quæ ſupplemento, eóque non inutili, indigerent. Verùm quoniam faſtidioſum eſt ſæpè dicta alibi, vel ab aliis ſæpè verſata repetere: nec vt ait S. Hieronymus ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, *haud neceſſe eſt vbique dicere omnia*, nobíſque ſit prolixitati vitandæ (quam maximè horret hæc ætas) præcauendum; cùm & opportuniori loco de ſingulis his quæſtionibus, ex profeſſo ſit aliquando differendum, ſi Deus fauerit cœptis, vt hactenùs longè pluſquàm meriti ſumus, ideóque ſuprà id quod ſperaremus de cœptorum ſucceſſu, dignatus eſt pro ſuâ ineffabili bonitate noſtræ infirmitati opitulari. Idcircò hîc lubenter ab his lemmatibus ſeriò diſcutiendis abſtinemus, animi impetum qui ad hæc gliſcit, eluctari, nec importunâ anchorâ, nec ingratâ remorâ retardantes, daturi etiam Lectori de hâc perendinatione, induciarúmque grata conceſſione, tandem aliquando prouentum.

Interim analecta hîc quædam viſum operæpretium ſubnectere. Etſi canones diſtrictè prohibeant Epiſcopis alienos ordinare Clericos, vel quemque in aliena Diœceſi promouere, *Can. Apoſtolorum 36. Ancyran. Conc. cap. 13. Nicæn. I. can. 17. Antiochenum I. cap. 9. Sardicenſe can. 18. & 19. Carthag. I. Can. 5. Taurin. I. c. 2. Turon. I. c. 10. Valentinum I. in Hiſpania c. 6.* &c. Tamen fuiſſe Metropolitanos qui in Comprouincialium Diœceſibus, præeminente ſuâ auctoritate id poſſe ſibi perſuaſerunt, iámque dudum Ariani S. Athanaſio verterunt in crimen, quòd extra Diœceſim ordinationes aggredi præſumpſiſſet, vt notat Nicephorus lib. 9. c. 26. S. Hilarius Arelatenſis Præantiſtes apud S. Leonem eiuſmodi exceſſus accuſatus cauſam dicere non modò, ſed iure prætenſo cedere compulſus fuit. Noſtrâ ætate vidimus Epiſcopum conquerentem de Archiepiſcopo ſuo, qui in ſuâ Diœceſi, vbi Archiepiſcopus ipſe domicilium in fundo ciuili ſui Archiepiſcopatus habebat, ordines ſolenni ritu, & apparatu celebrauerat, extra viſitationis curſum, & contra prohibitionem Ordinarij eodem loco, vbi hoc fecit Archiepiſcopus, publicatam. Scimus olim S. Epiphanium reprehenſum à ſancto Ioanne Chryſoſtomo, quòd Conſtantinopoli Diaconum veniâ minimè ab ipſo petitâ, nec obtentâ (tametſi nullo ſuperiori iure ſuffultus) ordinâſſet, quemadmodum commemo-

rat Socrates lib. 6. hiſt. Eccleſ. c. 12. Ægidium quoque Remenſem durè increpatum à Patribus Concilij Pariſienſis; quòd extra propriam prouinciam Epiſcopum conſecrare, quin & inſtituere in alienâ Prouinciâ nempè Senonenſi, & Diœceſi Carnotenſi, præſumpſiſſet. Hincmari Laudunenſis nec leues fuerunt aduersùs Synonymum ſuum Archiepiſcopum Remenſem expoſtulationes, quòd prætextu Metropolici iuris, Ordinarij Diœceſani iura ferè quæque inuadere fuiſſet auſus. Pleraque congeri poſſent facta eiuſmodi in quæ ſancti etiam viri feruore pio tuendæ ſuperioris auctoritatis, quam competere ſibi titulo Metropolico, vel primatiali exiſtimabant: plerumque extra proprios limites abrepti ſunt; quæ facta ſi examinaſſent, ad canonum amuſſim neutiquam, vt reor, attentaſſent. Certum eſt enim (quemadmodum aliàs oſtendimus) eiuſmodi auſus ſacris ſanctionibus prohiberi, non modò Epiſcopis, in diſtrictu collegarum, ſed & Metropolitis in Comprouincialium ſuorum Diœceſibus. Calixti I. ad Epiſcopos Galliæ notanda tamen ad hoc venit, aliàs fortè à me non citata, ſed ab Iuone Carnotenſi recitata lib. 4. Decretal. Conſtitut. *Nullus* (inquit) *Metropolitanus, nulluſque reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi eſt parochiæ: Super cuiuſque diſpoſitione, niſi vocatus ab eo, cuius iuris eſſe dignoſcitur, aut quicquam ibi deponat, vel ordinet, aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit, ſin autem aliter præſumpſerit, damnabitur, & non ſolùm ille, ſed cooperatores, eique conſentientes, quia ſicut ordinatio, ita eis & iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur.* Siricius idem ſcribit epiſt. 2. ad Epiſcopos Hiſpaniæ; & Innocentius I. ep. 2. ad Victricium Rothomagenſem Antiſtitem.

Sed verò hîc obiici poſſunt verba illa poſtrema citatæ auctoritatis Calixti: *Nam qui ordinare non poterit, qualiter iudicabit?* Et hæc ferè eadem Siricij, *qui ordinare non potuit, nec iudicare vllatenus poterit.* Siquidem de iure eſt Archiepiſcopum in curſu viſitationis ius dicere, cauſaſque definire in Diœceſibus ſuorum Comprouincialium, ad ſe etiam per ſimplicem querelam deuolutas. *cap. 1. de pœnis, & cap. 1. de Cenſib. lib. 6.* Ergo cùm iudicare poſſint Archiepiſcopi, etiam & ordinare in collegarum ſuorum parochiis. Veruntamen cap. *vt litigantes de off. ord. lib. 6. & gloſ. ibidem, & gloſ. agant, & gloſ. diſponant* itidem: nefas eſſe decernitur Archiepiſcopis, in Diœceſi Suffraganei ſibi ſedem conſtituere, vel conferre ordines, vel alia Sacramenta, aliáque ſimilia, vt altaria, vel Eccleſias conſecrare: quin, & eodem capite, Archiepiſcopo expreſſè prohibitum eſt, ingredi Suffraganei ſui diœceſim, ad finem quicquam ibi exercendi, quod ſpectet ad poteſtatem iudicialem: Proinde vt regulariter non poteſt iudicare, ſic nec ordinare; & ſi præſumat quicquam eiuſmodi, fit canonicis decretis obnoxius, incidítque in pœnas ſtatutas aduerſùs Prælatos excedentes poteſtatem, & ius alienum auſu illicitò inuadentes. Nihil tamen diſtrictiùs prohibitum, quàm arrogare ordinationis ſibi munus, vel in aliena Diœceſi, vel perſonis ſibi non ſubiectis; nec inuenire eſt in iure, exceptos hâc in canonicâ animaduerſione vllos Archiepiſcopos, aut Primates, aut etiam Patriarchas: at pari ſeueritate conſtricti re-

periuntur ac Epiſcopi inferiores, qui ne in eiuſmodi exceſſus ſe abtipi patiantur, vatiis coërcitionibus deterrentur ſparſim in Synodicis canonibus, & Pontificiis Conſtitutionibus expreſſis, quas hîc nimis prolixum foret minutim recenſere, breuitatis causâ duæ dumtaxat hîc referendæ viſæ ſunt ſummorum Pontificum ſpeciales hac de re ſanctiones, quarum prior eſt Pij V. data Romæ die 14. Octobris anno 1568. apud S. Petrum, Pontif. anno 3. non ſolùm aduerſus malè ordinatos ſæculares, & regulares: ſed etiam contra malè ordinantes ad ſacros, vel minores ordines, & Clericalem characterem. in qua Conſtitutione notatu digna ſunt præſertim, verba Pontificia quæ ſequuntur.

Nos igitur qui ſingulorum Dei miniſtrorum honorem, & decus quantùm in nobis eſt, ſynceris exoptamus affectibus, &c. de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hâc perpetuò valiturâ ſanctione decretum prædictum (Tridentini Concilij) *de Clericis ſæcularibus loquens, ad omnes, & ſingulos etiam cuiuſcumque ordinis Clericos, religioſos, ſiue ſæculares more religioſorum viuentes in communi, non profeſſos, eadem ſerie harum extendimus & ampliamus, ac religioſis, & aliis prædictis non profeſſis, vt ad ſacros ordines promoueri, nec non omnibus, & ſingulis venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis gratiam, & communionem ſedis Apoſtolicæ habentibus, vt ordines ipſos huiuſmodi religioſis perſonis impendere, niſi obſeruatâ formâ prædicti Decreti, nos virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ pœnâ interdicimus & prohibemus, ac contrà facientes per annum à præſtatione talium ordinum ipſo iure ſuſpendimus.*

Tom. 2. Bull. n. 75. incipit, *Romanus Pontifex*, &c.

Altera eſt Sixti V. data an. 1588. Nonis Ianuatij, Pontif. an. 4. quæ ſic inter cætera ſeriatim habet, §. 2. *Vt igitur Eccleſiarum Præſules intelligant, ſi in re tam graui, & tanti momenti culpâ aut negligentiâ peccauerint, ſe non modò in tremendo Dei iudicio, verùm in hoc quoque ſæculo Romano Pontifici ſuæ villicationis rationem fore reddituros, præſenti Conſtitutione perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi inpoſterùm Antiſtes aliquis Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primatiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas, ad primam Tonſuram, minoréſque ordines ſuis ſubditis conferendos, à ſede Apoſtolica auctoritatem habens, vel cuiuſuis ordinis, aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio aut defectu, ſeu aliàs inhabilem, vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora à iure ſtatuta, vel abſque veris dimiſſoriis ſui Ordinarij litteris, aut per ſaltum, vel furtiuè, aut quoad ſæculares ſine titulo ſufficientis beneficij, aut patrimonij, aut ante ætatem per ſacri generalis Tridentini Concilij decreta, primæ Tonſuræ, ac cuique ordini præſcriptam, aut non ſeruatis temporum interſtitiis, ita vt aliquis vnico die, ſeu continuatis diebus ad plures ordines ſacros, aut ad minores ordines, vel ſacros, vt præfertur, vel aliàs malè promouerit, ſiue id ſcienter, ſiue ignoranter fecerit, niſi debitâ diligentiâ adhibitâ, iuſtus error & probabilis facti ignorantia eum excuſet, vt in quo deliquit in eo puniatur à quocumque ordinum, atque adeò ipſius Tonſuræ, & ab executione munerum Pontificalium eô ipsô ſuſpenſus, & ab Eccleſiæ ingreſſu interdictus exiſtat, aliíſque grauioribus pœnis noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pontificis arbitrio puniatur. Quòd ſi ſpretâ huiuſmodi ſuſpenſione, & interdictô, in præmiſſis ſe temerè ingeſſerit, etiam à regimine, & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, & à perceptione fructuum menſæ eiuſdem, ac quorumcumque beneficiorum per eum in titulum, vel commendam, ſeu aliàs*

Tom. eodem, huius eſt exordium *Sanctum & ſalutare*, &c.

bere debet Prælatus, vt Deo gratum hoc obeundo munus, præſtet obſequiũ Eccleſiæ vtile, & ſibi eiſque quos initiat, ſalutare. Magni eſt momenti deligere diuini operis miniſtros, Eccleſiæ rectores, animarum paſtores. Vnde Apoſtolus Timotheum ſuum grauiter admonebat, *Manus citò nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis* 1. ep. 5. 22. quaſi diceret, vide ne quem temerè ordines, ſed vnumquemque priùs proba, & examina an probatæ ſit vitæ, & doctrinæ, taliq́ue gradu dignus, alioqui particeps fies peccatorum, & ſcandalorum, tum quæ iam admiſit (nam dum eum promoues, videris antè actam eius vitam probare, ſícque eius delictorum particeps efficeris): tum quæ poſt initiationem committet, attollis enim eum ſuper candelabrum ſanctuarij; Vt igitur ſi fulgeat, tibi honor, illi decus, ſacrario ſplendor accedit; ſic econtrà, ſi fumat, & non flammat in tabernaculo Dei, tuæ culpæ imputabitur ille defectus luminis, vapor ille putidus, quem ipſe euaporabit, non illuminans, ſed infuſcans, & obſcurans locum ſanctum, quem irradiare, & illuſtrare ſuo fulgore debuiſſet. Officium pontificis erat candelabri luminis in tabernaculo poſiti componere lucernas, Exod. 30. emunctoriíſque aureis expurgare, vt nitidum lumen euibrarent ante propitiatorium Dei, Exod. 25. 37. Num. 4.

Chriſtus ſummus Sacerdos, æternúſque futurorum bonorum pontifex, vt luminaria, ſuos Sacerdotes & miniſtros in Eccleſia collocauit, ad quos ideò ait, *Vos eſtis lux mundi, nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt; ſic luceat lux veſtra coram hominibus vt videant opera veſtra, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt,* Matth. 5. Prouideant igitur Eccleſiæ Prælati dum deligunt Clericos, futuros populi Chriſtiani rectores, vt tales conſtituant, qui filij ſint lucis & operarij veritatis. Totum Eccleſiæ decus, & populi ſalus inde pendit; quemadmodum nulla imminet maior animabus pernicies, & Eccleſiæ non impendet maius dedecus & infortunium, quàm ſi Clerici, à quibus Dei populus illuminari debet fulgore ſanæ doctrinæ, & operum iuſtitiæ, filij ſint tenebrarum, cæcíque ipſi fiant cæcorum duces. Ad hoc alludit Dominus vbi ait, *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus fuerit ſimplex totum corpus tuum lucidum erit, ſi autem oculus tuus fuerit, nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit:* Matth. 6. *Vide ergo ne lumen quod in te eſt tenebræ ſint*, Luc. 11. Quamobrem Antiſtes inferiores Clericos dum promoturus eſt, his vocibus Apoſtolicis alloquitur in Pontificali Romano. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, vt filij lucis ſitis. Abiiciatis opera tenebrarum, & induamini arma lucis; eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.* Quæ ſit verò iſta lux quam tantopere inculcat Apoſtolus, ipſe demonſtrat ſubdens, *fructus enim lucis eſt in omni iuſtitiâ, bonitate & veritate; Eſtote igitur ſolliciti in omni iuſtitiâ, bonitate & veritate, vt & vos & alios, & Dei Eccleſiam illuminetis.* At has ſuperni luminis irradiationes homo dare non poteſt, ſed ſolus Deus impertit.

Pulchrè S. Ambroſius lib. 5. comment. in Lucam ad cap. 6. explicans illa verba: *Exiit Ieſus in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Ob-

ſeruandum monet, tum ita enixè, & ſeorſim Chriſtum oraſſe, cùm Apoſtolos eſſet delecturus; oraſſe verò *non propter ſuffragium, ſed propter exemplum* Videlicet futuros vt Eccleſiæ præfectos edoceret, quòd vbi ſunt deligendi Dei miniſtri & animarum paſtores, inprimis apud ſe perpendere debent, quàm ſit res grauis momenti, & talis delectus, cui legitimè & feliciter ineundo ac exequendo, impares ſint humanæ prudentiæ vires. Quamobrem eſſe eis ante omnia ad Deum recurrendum, eiúſque auxilium ſummâ animi demiſſione, ac ſupplicationis inſtantiâ implorandum, quo lumen ipſis infundat intellectus & iudicij, ad diſcernendum dignos ab indignis, ſedulóque proſpiciendum vt neminem in Clerum adſciſcant qui ſcandalo eſſe poſſit, ſed eos dumtaxat admittant in partem miniſterij ſui qui Eccleſiæ futuri ſint vtiles, & diuinæ Maieſtati grati & acceptabiles. Exuat igitur oportet qui ſe tanto delectui accingit Prælatus, omnes carnis & ſanguinis affectus; ſolum Deum habeat præ oculis neceſſe eſt, ſi hoc officio dignè & fructuosè deſiderat perfungi, propriæ prudentiæ diffidat; ponat in Deo ſpem ſuam quem efflictim oret, ſibi vt lumen diſcretionis ſpirituum inſpirare dignetur; memor ſit Samuelis Prophetæ, hæſitantis in dignoſcendo eius quem vncturus erat delectui, deóque piè ac humiliter inquirentis, *Num coram Domino eſt Chriſtus eius?* Nec enim omnis qui in oculis hominis rectus & bonus apparet, talis eſt coram Deo, qualis humano in conſpectu videtur, vnde Deus Samuelem ipſum admonuit, Eliab electum ſuſpicantem ob laudabilem eius ſpeciem, *Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea quæ parent, Dominus autem intuetur cor*, 1. Reg. 16.

● Abſit igitur vt Prælatus cùm Clericos ordinaturus eſt, ius ſibi tribuat diuinum; dimittat Deo quod ſuum eſt. Scitè & ſanctè Beatus Ambroſius ait, *homo imponit manus, Deus autem dat gratiam*, igitur ab ordinationis miniſtro ne temerè imponatur manus cuipiam, Deus maximè obſecrandus eſt, inſtillare vt dignetur ſuis præcordiis lumen, quo dignoſcere valeat quos eligit ſuprema ipſa Maieſtas, nec quemquam in Clerum cooptet, niſi qui hâc ſorte dignus iam diuinâ gratiâ effectus ſit, vel futurus ſit tanto miniſterio idoneus. Ne grex Chriſti ſcilicet, adlectione infidelium cuſtodum, prædæ pateat hácque conſtituentis incuriâ vel errore, ianua mercenariis aperiatur, qui non intrant in ouile, niſi vt oues mactent & perdant. Nihil tam formidare Prælatus debet, quàm falli vel fallere in hoc delectu, ſanguinem enim animarum qui à mercenariis effundetur, Deus de admittentis manu requiret, non modò ſi ex malitiâ indignos receperit, ſed ſi aliqua hâc in re intercesſerit eius incuria ac negligentia. Nihil idcirco vas electionis Paulus dilectiſſimo ſibi Timotheo (vt prænotatum eſt) enixiùs commendabat quàm vt caueret diligenter ab eiuſmodi piaculo & reatu, *Manus*, inquit, *citò nemini impoſueris, ne alienorum peccatorum efficiaris particeps:* Celebre admodum, nec formidandum minùs eſt S. Petri oraculum ad S. Leonem, qui cùm in exordio Pontificatus, orationibus & ieiuniis vacans ad ſepulchrum ſancti ipſius Apoſtolorum Principis, Dei miſericordiam,

&

&peccatorum veniam per eiuſdem Apoſtoli ſuffragia imploraret, ab eo tandem ſibi apparente, nocte quâdam hoc reſponſum accepit, *Deprecatus ſum pro te Dominum, remiſitque ille tibi peccata, vt ſolùm hoc à te repetendum, & à te poſtulandum ſuperſit, quibus aduersùs Apoſtolicam legem manum temerè impoſueris.* Nec tamen quemquam hactenus ordinauerat, cùm recens eſſet ad Petri ſedem promotus: at electus ex Archidiacono fuerat, cui ex munere competebat ordinandos examinare, & examinatos Pontifici præſentare, aſſerendo eos eſſe dignos, vt etiamnum liber Pontificalis præſcribit. *Sophron. & ex eo Baron. ad an. 461.*

Verùm hîc fortaſſe quiſpiam excipiet, cur hæc quæ non ad rem? nec enim hîc agitur de ordinibus qui conferuntur per impoſitionem manuum, cum certa conſecratione: at de initiatione Clericatus, & collatione Tonſuræ tantùm, quæ ordo neutiquam cenſetur, ſed verò ianua eſt & iſagoge ad ordines, ſiquidem vt ex Trullano Concilio ſuprà citato liquet, nemini fas eſt abſque dato vel ſuſcepto hôc Clericatus ſignaculo, ordinem vel infimum dare, vel ſuſcipere. Quamobrem in hoc limine eſt à Prælato ſummopere prouidendum, ne quis in Clericatus militiam irrepat, hâc eius teſſerâ indignus, qui enim malus Clericus fuerit, bonus Sacerdos eſſe non poterit.

Ideo ſacrum Concilium Tridentinum in hôc aditu ad ordines, tyronum ſiſtendum eſſe gradum cenſuit, nec enim ad Tonſuram Clericalem patere acceſſum voluit, niſi præſcriptis quibuſdam conditionibus, & examine certâ conceptô formulâ (quam ipſa Synodus ſuis exprimit decretis) accuratè peractô. De cuius tenore, infrà iuuante Deo, ex inſtituto diſſeremus.

FINIS LIB. IV.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

LIBER V.

DE SACRIS TONSVRÆ conferendæ Ritibus.

CAPVT I.

De variis Pontificalium formulis.

PONTIFICALE Romanum Clementis Papæ VIII. auctoritate reſtitutum & editum, proprium titulum habet *de Clerico faciendo*, nonnihil diuerſum à formulâ quæ inuenitur in antiquis Codicibus manuſcriptis libri Sacramentorum S. Gregorij, in quo reſectis ceremoniarum deſctiptionibus, ſolæ orationes à Prælato proferendæ recitantur; nempe *1. Oremus dilectiſſimi fratres. 2. Adeſto Domine. & 3. Præſta omnipotens Deus.* quæ poſt tonſionem dicenda ſignatur. At verò Pontificale Romanum continet etiam Rubricas, quibus, vt hæc actio à Pontifice celebrari debeat, expreſſim delineatur. Sed Pontificale Pariſienſe vetus, quod penes me eſt in membranis manuſcriptum, nonnihil à Romano differt. 1°. in eo quòd Romanum plures ſimul coniunctímque inducit promouendos, vnde fundendæ ſuper eos orationes à Prælato, ſemper ſunt conceptæ in numero plurali. Pariſienſe verò vnum præfert vbique initiandum, & ideò à Pontifice ſingulariter compellatur, & tanquam ſupet vnum ſolum dicuntur orationes, idcircò expreſſæ in ſingulari numero. 2°. in Romano præſcribitur vt candidati genuflexi adſint coram Pontifice in faldiſtorio ſedente cum mitrâ. At Pariſienſe Pontificem depictum refert ſedentem ſine mitra, ſed cum ſtolâ dependente à collo ex vtraque parte ſuper genua, caputium verò coccineum gerit in capite, totúſque eſt inuolutus vermiculatâ cappâ, anteriùs fiſſâ, brachiáque hinc emittit biſſino rocheto cooperta, nudis tamen manibus, quatum læuâ blandè excipit puerum ante ſe proſtratum, veſte Clericali violaceâ indutum, ac ſuperliceo lineo dependentibus hinc inde manicis: dexterâ autem forcipe tondet ipſum Eccleſiaſticæ militiæ nouum tyronem: ſtante à tergo Pontificis, maioris ordinis, antè verò, inferioris claſſis Clericô; pleriſque proſtratis, diuerſi coloris veſti-

bus, talaribus tamen vniuerſis indutis, ac rei quæ geritur intentis ſummâ cum vultus modeſtiâ. 3°. In Pontificali Romano fungens hoc officio Antiſtes dictâ primâ oratione iterùm ſedet, túmq; Schola inchoat & proſequitur antiphonam, *Tu es Domine qui reſtitues*, &c. & concinit pſal. 15. *Conſerua me Domine quoniam ſperaui in te.* At in Pariſienſi, poſtquam illam primam orationem dixit Epiſcopus, rubrica confeſtim notat, *Hic induat eum Epiſcopus ſuperlicio, immittens vſque ad ſcapulas, & immediatè retrahens dicendo, induat te Dominus veſtimento ſalutis, & indumento lætitiæ circumdet te ſemper, Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Reſpondent aſſiſtentes, *Amen.* 4°. In Romano Pontif. Præſul incœpto pſalmo *Conſerua*, incidit vnicuique competentium extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtramque aurem, deinde in medio capitis aliquot crines capillorum, & in bacile deponit, & quilibet cùm tondetur dicit, *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c. At in Pariſienſi dato ſuperlicio, & deprecatiunculâ dictâ *induat te*, &c. ſtatim ſubiungit Epiſcopus orationem, *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris.* quâ dicta mox canitur pſalmus *Conſerua me.* quo abſoluto tonſurat Epiſcopus puerum, dicitque ipſemet Antiſtes, & non quilibet tonſuratus vt in Romano, *Dominus pars hæreditatis meæ*, totúmque Pſalmum perſequitur vſque ad finem. Et dicto *Gloria Patri*, repetitur antiphona, *Tu es qui reſtitues.* túmque incipit pſalmum *Domini eſt terra & plenitudo eius*, & in fine, *Gloria Patri*, cantatáque antiphonâ *hæc eſt generatio*, dicit Epiſcopus, *Hic accipiet benedictionem à Domino*, &c. 5°. In Romano Pontificali decantato prædicto pſalmo *Domini eſt terra*, & antiphonâ in plurali, *hi accipient*, ſurgit ſine mitra Pontifex, & ad altare conuerſus dicit, *Oremus*, & miniſtri dicunt, *Flectamus genua, leuate;* quæ verba non ſunt in Pariſienſi; ſed oratio, *Adeſto*, quæ anticipatur in Pariſienſi, poſtponitur in Romano. Quâ prolatâ Pontifex ſedet rurſus cum mitra, & accipiens in manum ſuperpelliceum (ſic ibi dicitur, cùm ſuperlicium vocetur in Pariſienſi) dicit ſingulis, *induat te Dominus;* quo expedito, ſine mitra ſurgit Pontifex, & profert orationem, *Omnipotens ſempiterne Deus*, quæ deeſt in Pariſienſi. Deinde ſedet cum mitra Pontifex (in Romano) & breui hac exhortatione alloquitur nouos Clericos. *Filij chariſſimi, animaduertere debetis quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia Clericalia ſortiti eſtis, cauete igitur ne propter culpas veſtras illa perdatis, & habitu honeſto boniſque moribus, atque operibus Deo placere ſtudeatis, quod ipſe vobis concedat per Spiritum Sanctum ſuum. Amen.* Tunc ſuggerente Archidiacono, ordinati recedunt ad loca ſua. Quæ allocutio non extat in Pontificali Pariſienſi, at finitâ antiphonâ *hic accipiet*, dicit Epiſcopus. *Dominus vobiſcum. Oremus*, &c. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, huic famulo N. cuius hodie comam pro diuino amore depoſuimus, vt in tuâ dilectione perpetuò maneat, & eum ſine maculâ in perpetuum cuſtodias. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Poſteà dicit, *Benedicat vos omnipotens Deus Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.* Deinde aſpergit aqua benedicta, & iniungit eis vt orent pro ipſo. Habeo Senonenſe Pontificale, æquè vetuſtæ notæ, in quo omnia conſonant ad amuſſim cum prædicto Pariſienſi; Nec mirum cùm tunc Metropolicæ communionis nexu Pariſienſis, cum

Senonenſi, ſuâ tum matrice cohæreret, ſacríque canones præcipiant, vt idem ordo diuinorum officiorum ſeruetur in ſingulis diœceſibus, qui in Metropoli vſu receptus erat.

Cæterùm habent Græci circa Tonſuram Clericalem pleroſque ritus cum Romanæ Eccleſiæ cæremoniis congruentes, peculiares etiam ſibiq; proprios, at paucos admodum, vt ex eorum Euchologio patet, in quo tamen ferè permiſcent Clerici ſimplicis Tonſuræ initiationem cum Lectoris, quin & Cantoris proucctione. Si non fortè continuô actu vtrumq; promouent, Lectoris ordinationem à Tonſuræ collatione inchoantes. Sed vtinam in hoc tantùm Græci, à matris & magiſtræ communis omnium Romanæ Eccleſiæ praxibus aliquot diſcrepatent, ſaluis enim dogmatibus ab iis non læderetur fides, & integro vnitatis vinculo permanente membrorum cum capite, tetrum illud & exitiale ſchiſma, quo ſe infelicitet à Sedis Apoſtolicæ ſalutari communione ab aliquot ſæculis ſepararunt, facilè tolleretur. Indulget enim benignè ſancta Beati Petri Sedes, indulſítque iampridem ipſis Græcis, præſertìm nonnullas diuerſitates circa ritus, qui longo potiſſimùm vſu obſeruati ſunt, dummodò in cæteris ſarta tecta religio conſeruetur, & doctrinæ Catholicæ ab omnibus cuſtodiatur integritas. Sed aliàs de Græcis, ſcilicet in noſtra *Parthenia Hieroſolymitana* nondum editâ, quamuis ante triennium abſolutâ, quoad plenum opificij contextum. Hîc eo ſumus loco, quo expendere ſigillatim nobis præfixum eſt ritus ſolennes Tonſuræ Clericalis, qui ex diſciplina S. R. Eccleſiæ apud Catholicos vbique vigent, quemadmodum in Pontificali eiuſdem matris Eccleſiæ, atque canonicis ſanctionibus præſcribuntur. Hos verò ad quatuor praxes dumtaxat cenſui reuocari poſſe, quæ impræſentiarum ſeriatim explicandæ ſunt: Examen ſcilicet, habitum, Tonſionis modum, & ſuperlicij impoſitionem.

CAPVT II.

De Examine.

PRIMA Tonſurâ (decernit ſacro-ſanctum Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. de reform. c. 4.) *non initientur qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quíque legere & ſcribere neſcierint, & de quibus probabilis coniectura non ſit eos, non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidum cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

Ad quod Oecumenicæ Synodi memorabile decretum S. Carolus Borromæus, Cardinalis S. R. E. & Mediolanenſis, incomparabilis (poſt S. Ambroſium) Archiepiſcopus, reflectens piæ mentis meditationem, in V. Prouinciali Concilio, quod ſuis cum Collegis anno 1579. habuit, hoc examinis ſpecimen primæ Tonſuræ, competitoribus proponendum edixit, *De iis autem*, inquit, *qui primâ Tonſurâ initiandi ſunt, quæratur, & inueſtigetur primùm, quam ob cauſam ſe Clericos fieri velint? an ſæcularis iudicij vitandi causâ? an contentioſis litibus implicati? an rixam, ſimultatémque exer-*

*Tom. 36. magnor. Concill. p. 625.

ceant? Quod item artificium teneant? Quáue in arte, quóue in vitæ genere hactenùs verſati ſint? An tales ſint qui ſpem præbeant Eccleſiæ miniſtros vtiles ſe fore? A quo Sacerdote ſanctioris vitæ magiſtro inſtituti ſint ad Clericalis vitæ modum? an légere & pronunciare & ſcribere nôrint? Tum in vtroque genere de iis periculum fiat. An doctrinæ Chriſtianæ præcepta inſtitutáque ſciant? An Epactæ intelligentiam habeant? præterea an Sacramentum Confirmationis ſuſceperint?

Concilium Burdegalenſe diebus noſtris habitum, nempe ſalutis anno 1624. ab Eminentiſſ. D. Franciſco Cardinali, tituli S. Praxedis vulgariter de Sourdis nuncupato, Aquitaniæ ſecundæ Metropolite, eiuſmodi examen paulò auctius extendit; Ita enim de initiandis primâ Tonſurâ inquiri iubet, eoſdémque his rationibus inueſtigari. cap. 6. tituli *de ordine* §. 2. *In nulla re profectò magis elaborant huius ſæculi homines, quàm vt filij præcipuè deformes, & ad negotia ſecularia inepti in ſortem Domini aſſumantur, ad beneficia certè, non ad officia Eccleſiaſtica quacumque ratione (cùm eos non vocet Dominus) promouendi: vnde omni capite languido, & omni corde mœrenti, cætera membra rigent Eccleſiæ Dei: Vt igitur vocatio votis reſpondeat, probatâ priùs, & ex petitione parochorum confirmatâ neceſſitate Eccleſiæ, & vtilitate, quicumque ad primam Tonſuram eligi petunt eius ſint ætatis, in qua quid agunt, & quam viam ſibi aperiant, plenè dignoſcere poſſint, oportet: cùm ea ſit quæ circa duodecimum annum verſatur: ſtatuimus nullum deinceps ad primam Tonſuram eligi debere, quin duodecimum ſuæ ætatis annum attigerit**, *de quâ ac etiam de vitâ, moribus, conuerſatione, rudimentis fidei ſtudioſè memoriæ commiſſis, legitimis parentibus, propenſione denique ad vitam Eccleſiaſticam, debitam à Parocho, & præceptoribus ſcholæ atteſtationem afferre teneatur, & ne leuitate ductus funes ſibi putet caſuros in præclaris, eius animum tentari, ideóque certæ cuidam Eccleſiæ adſcribi, vt in eâ diebus Dominicis, & feſtis ſolennibus, ſaltem habitum Clericalem geſtet, & Sacerdotibus miniſtret, præcipimus. De quibus cùm ab eodem atteſtatio relata fuerit, ordinationum tempore, ad Tonſuram demùm, ſi aliàs idoneus repertus fuerit, promoueri poſſit. Ita verò promotus ſtatim Eccleſiæ inſeruiturus ab Epiſcopo ordinante addicatur, geſtet quotidie habitum Clericalem, Sacerdotibus pareat, ad nutum obedientiam præſtet, humilitatem præ ſe ferat, & ritus Eccleſiaſticos diſcat: Sin verò Eccleſiæ deſignatæ non inſeruiat, & frequenter in eâ Sacramenta nòn ſumat, priuilegiis Clericatus ſui priuari, ac de cætero inhabilem tum ad beneficia Eccleſiaſtica, tum ad ordines ſuſcipiendos cenſemus.*

* Nota.

Nec porrò abs re prudentiſſimi Eccleſiæ Præſides, tam ſedulâ inquiſitione adeóque diſtricto examine voluerunt inueſtigare Clericatus candidatos; ne ſcilicet officio ſuo deeſſent, quo Eccleſiæ decoro & vtilitati, omniúmque fidelium ædificationi, ac Sacerdotij dignitati, & Clericorum accurato delectui, inſtructioni, ac ſaluti tenentur ire proſpectum. In baptiſmate adminiſtrando dudum Eccleſia eo rigore vſa eſt, vt ad ſalutare hoc lauacrum nemo admitteretur, qui diſcuſſus non fuiſſet ſeptem ſcrutiniis, à quibus nec excipiebat pueros, vt doctè, ac copioſè docet atque probat ex venerandæ antiquitatis monimentis Ioſephus Vicecomes lib. 3. de antiquis ritibus baptiſmatis, & cæremoniis, à c. 21. ad 26. incluſiuè. Poſt baptiſmum nullum eſt Sacramentum maioris in Ec-

cleſia neceſſitatis,proinde & momenti, quàm ordo Sacerdotalis,ad quem per initiationem Clericatus, & minores, maioréſque ordines tanquam per gradus aptè, & conuenienter diſpoſitos quiſque promouetur, & perducitur. nam ſine Sacerdotio Epiſcopatus nullus eſt. Proinde & Confirmationis Sacramentum deficeret, cuius proprius non ſuppeteret miniſter qui eſt Epiſcopus. Pœnitentiæ etiam Sacramentum ſublatum foret, cùm nec confeſſio fieret, nec accuſanti ſe peccatori abſolutio impenderetur. Matrimonium benedictione ſua careret, nec enim matrimonium ritè & Catholicè celebratur,niſi vt ait Tertullianus, *quod ratum habet Eccleſia*, ſacráque, *commendat oblatio*. Vnctio extrema auferretur, quam conferre nemo hominum poteſt, niſi preſbyteri ad hoc diuinum munus
Iac. 5. impertiẽdum euocati,vt S. Iacobus præſcribit. At Euchariſtia quod ſummum eſt, & omnium diuiniſſimum, nec confici poteſt, proinde nec diſpenſari, ordine Sacerdotali ſublato, ſiquidem deficiente Sacerdote, ceſſet etiam ſacrificium neceſſe eſt, vnde illud præclarum S. Hieronymi pronunciatum aduerſus Luciferianos. *Hilarius* (hic eorum antesignanus fuerat) *cùm Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſolúſque vt putat turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt, Epiſcopos & preſbyteros non habens, neque baptiſmum ſine Euchariſtia tradere.* Affine huic eſt & illud eiuſdem S. Hieronymi eodem dialogo, ſed paulò antè. *Quamobrem oro te aut ſacrificandi licentiam ei vt tribuas cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma, quem non exiſtimas Sacerdotem,* & *cùm homo iam mortuus ſit, cum homine periit pariter & ſecta, quia poſt ſe nullum Clericum Diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt quæ non habet Sacerdotes.* Omnia igitur Sacramenta à Sacerdotio pendent, imò vniuerſæ Eccleſiæ ſalus, quin & ſtatus, nam vt ait Apoſto-
Heb. 7. 12. lus, *translatô Sacerdotiô, neceſſe eſt vt & legis translatio fiat*, amotô itaque, funditus ruit religio: ſed verò via ad Sacerdotium eſt Clericatus, qui niſi legitimus præceſſerit, Sacerdotium nec rectè conferri, nec piè ſuſcipi, nec ſalubriter obiri poteſt: vnde patet quantùm è re ſit Eccleſiæ attentè ac ſedulò proſpicere, vt nemini ad Clericatum pateat aditus, qui nõ ſolerti indagine, & examine accurato fuerit ante-hac diſcuſſus & probatus. Quàm ab omni labe immunes eſſe deberent qui Tabernaculo deſeruiebant olim Sacerdotes & Leuitæ, declarauit Deus per Moyſem dicens Leuit. 21. *Loquere ad Aaron, homo de ſemine tuo per familias, qui habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo, vel grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, vel manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore vel hernioſus. Omnis qui habet maculam de ſemine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hoſtias vel panes Domino.* Quis, obſecro, inducat in animum, Deum tantam munditiem exegiſſe à priſcis Sacerdotibus & Leuitis, quorum miniſterium, circa meras vmbras & figuras verſabatur; & non magis voluiſſe noui, & æterni Teſtamenti, in quo eſt plenitudo gratiæ, & veritatis miniſtros, & diſpenſatores, expertes eſſe omnis criminis, at iis dotibus præſtare, *quibus*, vt ait Apoſtolus 2. Timoth. 3. *perfectus ſit homo Dei, instructus ad omne opus bonum.* Eapropter Sanctus Cyrillus lib. 12. de adoratione, rectè ac ſapienter indicauit ſub typo cor-

potalium imperfectionum, quarum in veteri lege Sacerdotes ac Leuitas ſuos expertes eſſe iuſſit, vitiorum notâſſe næuos, ac criminum labes, à quibus in lege gratiæ ſuos miniſtros voluit eſſe liberos, & immunes: *Fracto pede eſt*, inquit, *qui non firmo inceſſu ad bonas actiones graditur, ſed opus Dei facit imperfectè, & negligenter; gibboſus quem terrena ſollicitudo deprimit, ne vnquam cæleſtia reſpiciat; lippus eſt, cuius ſenſum & mentem natura exacuit, ſed conuerſationis confundit prauitas: albuginem habet, qui candorem iuſtitiæ vel ſapientiæ ſibi tribuens, à luce ſupernæ cognitionis ſe per arrogantiam excludit; iugem habet ſcabiem, cui carnis petulantia dominatur; impetiginem cui auaritia*, &c. Nec abludit Beda expoſitione in Leuiticum: *Omnia hæc*, inquit, *ad animæ vitium referuntur: cæcus Sacerdos eſt, qui ſcripturarum non intelligit ſenſum, & quo greſſum doctrinæ, vel operis porrigat, per ignorantiam neſcit: de talibus ſcriptum eſt, ſpeculatores eius cæci ſunt vniuerſi. claudus eſt, qui intelligit quidem quod docere debeat, ſed tamen præcepta quæ docet non implet: paruo naſo eſt, qui ad tenendam menſuram diſcretionis, idoneus non eſt; grandi autem, & torto naſo eſt furibundus, & minax cum ſuperbiæ arrogantiâ, vel immoderatâ diſcretione: fracto autem pede, vel manu eſt, qui viam Dei quam docet, pergere non ſtudet. Gibboſus quoque eſt, quem terrenæ cupiditatis pondus deprimit, & tardus ad ſuperna intendit. Lippus verò eſt, cuius ingenium ad agnitionem veritatis emicat, ſed hoc carnaliter viuendo obſcurat. Albuginem habet in oculo qui arrogantiâ ſapientiæ ſeu iuſtitiæ cæcatur. Iugem habet ſcabiem, cui carnis petulantia ſine intermiſſione dominatur; Impetiginem habet in corpore, qui auaritiâ vaſtatur in mente, qui ſi in minimo non compeſcitur, ſine menſurâ nimiùm dilatatur*, &c. *Tales ſi in ſancta ingrediuntur, non nomen Antiſtitis poſſunt* (meritò) *poſſidere.*

Arcere igitur debet Prælatus ab ingreſſu ſanctuarij Dei quotquot his, & ſimilibus morbis, maculis, defectibúſque animi affectos deprehenderit; vicem tenet ſiquidem Cherubim gladio flammeo atque verſatili cohibentis ingreſſum paradiſi terreſtris. Tamen Prælati non totum (ſicut illius Cherubim) officium ſitum eſt in compeſcendo ab aditu: nam vt abigere debet impuros, ita quos reperit puros & dignos intromittere debet in Sanctuarium; menſuram igitur vt Angelus quem vidit Ioannes, geſtet auream in manu ſua, quâ totus charitate feruens, odiíque purus, actus, dotes & defectus cuiuſque admitti in Clerum depoſcentis, eâ quâ decet, & opus eſt æquitate dimetiatur. Quiſquis iuſtâ caret menſurâ, quam ſacri exigunt canones à limine Sanctuarij excludatur. Ponderet Antiſtes pondere Sanctuarij, quo Deus iuſſit omnia quæ ſibi offeruntur librari & expendi, eorum vota & merita, petitiones & reſponſa, qui ſe poſtulant diuinis obſequiis dedicari. Si quem inuenerit innoxium & ſimplicem, ſceleríſque expertem inſupérque pium, modeſtum, ſtudioſum diuinæ legis, dotibus illis ornatum quas ſacræ ſuprà citatæ ſanctiones in Clericatus Candidatis exigunt, hunc amanter amplexetur, paternè excipiat, piè Deo offerat, & Cleri albo lætanter adſcribat, fuſáque ex præcordiis ad Dominum deprecatione inſtanter poſtulet, non ſuâ modò, ſed diuinâ benedictione muniri; ádque gradus non ſolùm ordinum, ſed & virtutum, gratiæ quotidiana incrementa prouehi, donec perfectus eua-

dat,non ſolùm Sacerdorali conſecratione, at ſapientiæ & ſanctitatis conſummato progreſſu. Hoc nimirùm, quem deſcribit Sapientis calamo Spiritus Sanctus vbi ait, *iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem*, Prouerb. 4. Verùm ſiqui temerariè ſeſe Ponrificio, vel Sacerdotali ſiſtunt examini, iis infectos vitiis, quæ idem Spiritus per os Moſis, & deinde Pauli ſignificauit ſe maximè in Eccleſiæ miniſtris deteſtari, hos protinùs ſine vllo humano reſpectu à ſacris depellat liminibus, fortiter intonans cum Angelo; *Foris canes*, qui ad Sanctuarium Dei non accurrunt, niſi vt rapiant quos inſano appetitu ambiunt honores & prouentus. *Et venefici*, qui ſanctam Cleri vocationem mundanis artibus inficiunt. *Et impudici*, qui Eccleſiam Dei caſtam virginem, polluere tentant impuris cupiditatibus ſuis, adulterantes virtutem Sacerdotij, & multiplicantes titulos ſacri miniſterij. *Et idolis ſeruientes*, qui paſſionibus ſuis toti dediti ſunt. *Et homicidæ*, qui ædificant Sion in ſanguinibus, hæreditatéque poſſidere cupiunt Sanctuarium Dei. *Et omnis qui amat & facit mendacium*, qui interrogatus de fine ob quem petit in Clerum cooptari, mentem ſuam fingit, mendaciter reſpondet, piéque adſcribi poſtulare albo Clericalis militiæ, ſolius Dei intuitu, ſe ſimulat. Qui fraudibus & malis artibus beneficia nundinatur, hæcque vt occupet de facto, non de iure poſſideat, vmbratile Cleri nomen aſſumere, ſchemáque fictitium induere non veretur. Hos, hos omnes inquam, ſi noſſe queat Epiſcopus, vel quiſquis eius gerit vices ardenti mente, potenti manu, & virili voce repellat,

Turpius eiicitur, quàm non admittitur hoſpes.

Satius fuerit, & facilius has peſtes ab Eccleſiaſticæ militiæ excludere aditu, quàm ſi ſemel irrepſerint in ordines, extra agmina depellere.

CAPVT III.

De habitu.

AMPLISSIMVS hîc profectò pateret diſſerendi locus, ſi de Clericalis habitus modeſtiâ, formâ, & differentiâ à Laïcorum veſtitu, vt præferre videtur titulus huius articuli, tractatum aggrederemur. Verùm iam editâ Panopliâ Epiſcopali, ſeu de ſacro Epiſcoporum ornatu, libris ſeptem, alios ſeptem libros de habitu Clericali priuato contexuimus, quibus huius Panopliæ Clericalis pars poſterior tota conſtat: aliàs de myſtico Sacerdotum ornatu, eo in opere quod (ſi Deus cœptis fauear) hoc in lucem emiſſo, editum ire meditamur, ſub titulo *Panopliæ Sacerdotalis*, ex profeſſo tractaturi. Hîc igitur, ſi præfixi ordinis ſeries conſideretur, non poſtulat ratio, vt iſto ſub articulo, de priuato Clericorum habitu, vel in communi, vel abſolutè, & ex profeſſo diſſeramus, at dumtaxat de ritu mutandi habitum in primitiis Clericatus, cùm ſcilicet tyrunculo ſacræ militiæ, Tonſura quæ huius profeſſionis teſſera eſt, ſolenni more confertur.

Et

Et verò ipſa formularis oratio, quam fundit Antiſtes ſuper eos quos recens ſactâ Tonſurâ inſigniuit, ſatis euidenter oſtendit poſt myſticam illam tonſionem, motis fuiſſe illis habitum imponi Clericali ordini congruentem, quo à vulgo dignoſcerentur, vnáque profiterentur externô eiuſmodi indiciô ſuæ profeſſionis ſanctitatem. Ita enim Præſul orat, verſus ad eos ante ſe genuflexos, tam in Sacramentorum S. Gregorij libro, ſub titulo *de Clerico faciendo*, quàm in Romano Pontificali, eodem ſub programmate. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hos famulos bene†dicere dignare, quibus in tuo ſancto nomine habitum ſacræ religionis imponimus; vt te largiente, & deuoti in Eccleſiâ tuâ perſiſtere, & vitam percipere mereantur æternam. Per Dominum noſtrum* &c. Nec recens profectò hic ritus, cùm Concilij Carthaginenſis IV. can. 45. decretum legatur, *Clericus profeſſionem ſuam etiam habitu & inceſſu probet*, ſupráque variis exemplis depromptis, ex monimentis Eccleſiaſticæ hiſtoriæ demonſtratum fuerit, ſanctos pleroſque cùm Tonſuram Clericalem ſuſceperunt exutos priſtinæ conuerſationis veſtibus, & ſæcularis gloriæ ornamentis, Antiſtitis ipſius qui conferebat manu habitum Clericalis profeſſionis ſuſcepiſſe. Vetus Pontificale Senonenſe, quod in librariæ ſupellectilis penu poſſideo, in limine ipſo celebrationis Tonſuræ, graphicâ delineatione depingit iuuenes Clericatus petitores ante Epiſcopum proſtratos, iunctis manibus in ſupplicum ſpeciem, veſtéque talari, qualis Clericorum eſt, indutos. In degradationis formâ, quæ habetur in Pontificali Romano primâ in rubrica generali, poſtquam dictum eſt, degradando eſſe omnia inſignia detrahenda, quæ in ſui ordinis ſuſceptione acceperat, deinde adiicitur demum exuendum illum habitu Clericali, & Laïcali induendum. Cæterùm ſub titulo degradationis à primâ Tonſurâ, ad reum præſentem dicit Epiſcopus: *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filij & Spiritus S. ac noſtrâ, tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis ornatu*, &c. *& velut Clericalis profeſſionis indignum redigimus te in ſeruitutem, & ignominiam habitus ſæcularis ac ſtatus*, &c. Tum miniſtri Pontificis exuunt degradatum veſte & habitu Clericali, & ipſum induunt habitum ſæcularem. Qui certè ritus non fieret, niſi reus, cùm factus fuit ab Epiſcopo Clericus habitum ſuſcepiſſet Clericalem, qui quàm ſit, eſſéque debeat à Laïcali diuerſus, Synodus Triburenſis c. 27. his verbis edocuit. *Vt Laïcalibus veſtimentis Clerici non vtantur: id eſt mantello, vel cotto, ſiue cappâ, nec pretioſis, nec ineptis calceamentis, & aliis nouitatum vanitatibus, ſed religioſo & decenti habitu induti incedant.* Citatur à Burchardo lib. 2. cap. 208. & 209. Conquerebatur ſuo æuo ſanctus Bernardus hâc in parte paſſim non leuiter à pleriſque Clericis eſſe peccatum, in epiſtola enim ad Henricum Senonenſem: *Cernitur*, inquit, *in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum autem nullus aut exiguus.* Et ſerm. 33. ſuper Cantica; *Serpit hodie putida labes ſuperbiæ per omne corpus Eccleſiæ, & quò latiùs, eò deſperatiùs; eóque periculoſiùs quò interiùs*, &c. *honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, aurum in ſellis & calcaribus, & plus calcaria, quàm altaria fulgent.* Et libro tertio de conſider. paulò

* Subaudi, aliud eſſe.

amarulentiùs. *Forma pretioſarum veſtium, deformitatis mentium & morum indicium eſt. Quid ſibi vult quòd Clerici *, aliud videri volunt? Id quidem minùs caſtum & minùs ſyncerum, nempe habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum exhibent: nã neque vt milites pugnant, neque vt Clerici euangelizant. Cuius ordinis ſunt? cùm vtriuſq; eſſe cupiunt, vtrumq; deſerunt, vtrumq; confundunt. Vnuſquiſque, inquit Apoſtolus, in ſuo ordine reſurget, iſti in quo? an quia ſine ordine peccauerunt, ſine ordine peribunt? Aut ſi ſummè ſapiens Deus, veraciter à ſummo vſque deorſum nihil inordinatum relinquet; vereor non alibi ordinãdos, quàm vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Hactenùs Sanctus Bernardus. Qui ſi noſtrâ ætate viueret longè profuſiori gemitu, & acrioribus aculeis faſtum luxúmque eiuſmodi inſectaretur. Saltem qui Clerici hâc ætate erant, etiamſi vano ac ſuperfluo veſtium effluerent ornatu, attamen ſacris ſe initiari ordinibus curabant, ex quo aliquod pingue beneficium fuerant adepti, vt in epiſtolâ præcitatâ ad Henricum Senonenſem inſinuat, in qua notat eorum ambitum, faſtum, luxum, ſed non hunc promotionis defectum reprehendit. At hodie, proh dolor! videmus ſenes Clericos, qui à teneris vnguiculis, quà capaces fierent aucupandi, & occupandi opima quædam beneficia, Tonſurâ ſe ſe primâ fecerunt initiari, aut parentum curâ ad hanc ſe paſſi ſunt promoueri: deinceps verò vlteriùs ad militiæ Eccleſiaſticæ gradus nuſquam progreſſi ſunt. Ditati de patrimonio Domini, incraſſati, impinguati deliciis, luſibus (ne quid peius dicam) ſeſe totos immerſerunt. Pudet interim eos ſui Clericatus reminiſci, cuius vel cenſeri nomine ægrè ferunt: ne verò huius profeſſionis eſſe dignoſci queant, quicquid Eccleſiaſticum ſpirat, cautè abiiciunt, ſeſéque totos ad genium aulicorum componunt, quos etiam longè prætereunt crinium artificiô, veſtium decore & pretio, omníque mundanæ vanitatis exquiſitâ induſtriâ; ſaxei interim ad pauperum miſerias, profuſi in laſciuias, in nænias, vanitates, luxus & voluptates ſupra omnem modum prodigi: pietatis nihil memores, Deíque cultus, & ſuæ ſalutis prorſus obliti. qui ſi aliquando ab aliquo cordato & pio homine ſtatus illorum non neſciô, perditæ vitæ arguantur, officiíque commonefiant, ſtatim reſpondent, ſe nulli ordini ſacro, imò nec minori aſtrictos, in ſimplici eſſe Tonſura, quæ ad tenenda beneficia, & percipiendos ſaltem ſpecioſo titulo copioſos illos prouentus, ſola ſufficit. Quaſi verò in ipſorum culpa non eſſet, quòd per annos triginta, aut ampliùs in limine Clericatus otioſi & deſides ſubſtiterunt, ſtipendia militarium ordinum perceperunt, quorum onera tantùm abeſt vt extremo digito attigerint, quòd ipſa munerum nomina exhorruerunt induere. Vix exprimi poteſt quanta hinc Eccleſiæ pernicies in dies oriatur, magíſque ac magis ſcateat. Adeò vt pij viri non abs re doleant quàm grauiter, vnquam conceſſum fuiſſe ſimplicibus Clericis, ſeu potiùs Laïcis Clericatis, occupare Sacerdotia, ſeu, vt aiunt, beneficia obtinere, quæ in prima, vt putant, Tonſura poſſidentur. Ab initio non fuit ſic: Et vtinam in poſterum ne ſit ſemper! Exurgat rediuiuus Bernardus, qui ſuo dicat Eugenio: *A te fateor mos iſte, ſeu potiùs mors iſta non incepit. Fateor, ſed vtinam in te deſinat;* Nec medio nec remedio caret ſummus Eccleſiæ Præſes (quod omni cum animi demiſſione di-

co) ſi velit huic contagio fluxum præcidere. Aſtringantur iuuenes illi Clerici, intra certum tempus poſtquam beneficia adepti ſunt, per gradus progredi Eccleſiaſticæ militiæ legitimos, ſeſéque curare ſacris (ſaltem incluſiuè vſque ad Diaconatum) ordinibus initiari. Si neglexerint ipſo iure ſuo poſt elapſum terminum, ni legitima cauſa ſubſit ab Epiſcopo cognita & approbata, priuentur, & beneficij titulo ipſo excidant, incapacéſque ad id redeundi in poſterum declarentur. Qui verò in mora non ſunt, obſtringantur interim bonis litteris ſtrenuam operam nauare, piis ſe applicare exercitiis, ordinum ad quorum honores aſpirant, officiis edifcendis omni ſtudio intendere: præſertim verò fideliter Deo perſoluere quotidiani cultus penſum debitum, & Tonſuram ac habitum Clericalem, vt Pontificia decreta, & canonicæ leges ſanciunt, indeſinenter perferre. Quæris fortè quem habitum? Sed te ancipiti reſponsô non morabor. Eo ipſo habitu memineris tibi vtendum, quo te Epiſcopus cùm Tonſura inſigniret, induit, vel certè indutum reperit & probauit. At fortè ſchematis huiuſmodi (quod valde mirum) oblitus es? te igitur iuuare non grauabor: audi hac de re non mea, ſed Eccleſiæ monita, imò præcepta, vetuſtate obliterata, ſed ex antiquis canonibus innouata, & confirmata in œcumenico Eccleſiæ conſeſſu. *Veſtitu decenti* (inquit Concilium Trident. ſeſſ. 24. cap. 13.) *tam in Eccleſiâ, quàm extra aſſiduè vtantur, &c. atque eâ morum integritate polleant, vt* (Clericorum cœtus) *meritò Eccleſiæ ſenatus dici poſſit.* Sed vis oraculi huius tibi penitiorem ſenſum enucleari? En auſculta, quæſo, Synodi prouincialis Burdegalenſis, à Sede Apoſtolica probatæ (poſt comitia illa generalia) memorabile documentum, & omni obſeruandum reuerentiâ decretum, c. 21. *Clericos geſtu, vultu, habitu, & veſtitu ſtatum, & ordinem ſuum profiteri decet. Quapropter omnibus qui ſacris ordinibus initiati ſunt, vel qui beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia obtinent, præcipimus, vt intra menſem poſt harum promulgationem, Tonſuram & habitum Clericalem ordini ſuo, atque dignitati congruentem gerant,* &c. *Veſtes eorum ſint talares, neque foris, neque domi, veſtimento aut ornamento vllo ſerico, alteriúſve, quàm nigri coloris, niſi causâ dignitatis id eis liceat, vllo modo vtantur. Induſia ad collum & ad manus criſpata, & in multiplices ſinus contracta, aut arte elaborata ne deferant, nec caligis tumentibus aut diſſectis, aut ſerico ornatis vtantur. Denique in omni veſtitu & habitu Clericali, nec affectata & immoderata cultus, & elegantiæ diligentia, nec ſordes & nimis abiecta incuria appareant. In inceſſu quoque modeſtia, & mentis maturitas appareat; incondita enim & leuis compoſitio corporis, animi incompoſiti & malè ſedati indicium eſt.* Succinit Concilium itidem prouinciale, quin & primitiale Bituricenſe anno ſequenti celebratum, & Apoſtolica auctoritate laudatum, tit. 25. inſcripto *de Clericis:* ſiquidem can. 1. ita ſtatuit ac docet; *Quicumque ſacris initiati ſunt, aut beneficia ſimplicia obtinent, eo veſtitu atque habitu corporis vtantur, quo ſuum ordinem teſtentur:* & can. 2. *Clerici omnes Tonſuram gerant, crines calamiſtratos ac retortos non habeant, veſtibus talaribus vtantur, ita vt manicas non ab humeris dependentes, nec diſſectas, ſed brachiis indutas habeant.* Can. 3. *Sericis indumentis, alteriúſve quàm nigri coloris omnes Eccleſiaſtici abſtineant, iis exceptis quibus ratione dignitatis conceſſum eſt.* Can.

5. *denique tale temperamentum in vniuerſo corporis cultu adhibeant, vt ſordes atque immoderatam elegantiam vitent.* Can. 6. *Nuſquam perſonati ſint, à comœdiis, mimis, choreis ac ſaltationibus agendis atque ſpectandis abſtineant.* Aquenſis quoque prouincialis à Sixto V. collaudati ſuperioribus edictis decreta conſonant hoc tenore, qui ſub titulo extat de vita & honeſtate Clericorum; *Veſtes item coloris tantùm nigri ac ſimplicis, ſericis omnibus ornamentis excluſis adhibeant, exteriorem quidem talarem, interiorem autem ſaltem vſque ad tibiæ medium, quanquam in ciuitate talaris vtraque eſſe debet. In itinere verò breuiores quidem permittimus, ſed ne omnino ſupra genua ſint, vetamus: caligis non turgidis, neque diſſectis, calceis quoque non inciſis vtantur; neque camiſiis ad collum, ſiue ad manus criſpis aut elaboratis; neque item pileis, niſi valetudinis cauſâ, iiſque ſimplicibus, non ſericis, neque turbinatis, quos tamen in Eccleſiam, & ædes præſertim publicas, ſtatim dimittant. Biretum autem ſemper gerant in crucis modum conſutum, vt Eccleſiaſticos homines decet: vnguentis & omnibus odorum illecebris abſtineant: annulos ne deferant, niſi quibus ex dignitatis officio conuenit; Ac denique in veſtitu omnem nouitatem fugiant, non tam nimiæ elegantiæ, quàm ſordium, & negligentiæ ſuſpicionem euitantes. Arma ne ferant, niſi itineris longioris cauſâ, atque ea tantùm breuiora, ac facultate ab Ordinario impetratâ. Ne perſonati vnquam incedant, neue comœdiarum aut chorearum, aut profani vllius ſpectaculi actores ſint, vel ſpectatores.* Plura æquè notatu digna potuiſſem hîc ſubnectere; ſed quæ prætereo breuitatis gratiâ, ne ſim pio Lectori faſtidio; attamen ſi quis plura volet, in poſteriori huius Panopliæ parte, quâ diſſerimus de Clericali habitu ex profeſſo, poterit ad cumulum reperire.

CAPVT QVARTVM.

De modô Tonſionis.

IN ordine de Clerico faciendo, ſic habet Pontificalis liber; *Incepto pſalmo Pontifex cum forficibus vnicuique extremitates capillorum in quatuor locis, videlicet in fronte, in occipitio, & ad vtramque aurem; deinde in medio capitis, aliquot crines capillorum incidit, & in bacile deponit, & quilibet cùm tondetur dicit: Dominus pars hæreditatis meæ,* &c. Myſticum hunc ritum Honorius Auguſtodunenſis in Gemma animæ, ſeu de antiquo Miſſæ ritu lib. 1. cap. 195. ſic breuiter explicat: *Per caput,* inquit, *principale animæ, ſcilicet mens denotatur, quæ ſicut caput capillis, ita cogitationibus perornatur, quæ nouaculâ timoris Dei debet à ſuperfluis cogitationibus radi, vt inde facie cordis valeat cœleſtia contemplari: rotunditas autem quæ remanet crinium, eſt ornatus virtutum.* Sed iſta explicatio ritum hunc accuratè non expendit, neque enim rationem aſſignat cur in fronte & occipitio, atque ad vtramque aurem, deinde in faſtigio capitis decidantur initiati quidam capilli.

Doctiſſimus Franciſcus Halier, inſigne Sorbonæ lumen, & ætatis noſtræ eruditorum in vtraque Theologia celebris anteſignanus, in opu-

ſculo de Tonſuræ Clericalis conferendæ ritu, quod per modum appendicis, ad finem ſui operis præclari de ſacris electionibus, & ordinationibus ſubtexuit, ritum hunc myſticæ Tonſionis piè iuxtà ac ſapienter explicat ſpectabili, hôc Theoremate; *Id verò,* inquit, *ſpeciatim in Pontificali Romano inter tondendum Clericum præſcribitur, vt in occipitio, fronte, ſummitate capitis, & in vtramque aurem Clericus tondeatur. Cùm enim vulgò doceant Medici ac Philoſophi in occipitio memoriam, in ſummitate capitis æſtimatiuam, in fronte ſeu ſincipitio phantaſiam, ſenſumque communem reſidere: quibus ſcilicet partibus læſis, illas quoque potentias lædi, & in functionibus ſuis impediri ipſa experientia demonſtrat; proinde ad ſignificandum ſenſus omnes interiores vni Deo conſecrari per Clericatus ſuſceptionem, nihilque deinceps eos recordaturos, iudicaturos, vel cognituros, niſi quod Deo libuerit; nobis in occipitio, ſummitate capitis, & fronte, dum in Clericorum numerum referimur, capilli tondentur, quos etiam circa aures attondendos eſſe ea ratio docet, quia Clerici ſoli Deo patentes aures habere conuenit, vt & præceptis eius auſcultentur, diuina ac eloquia attentiùs diſcant, & ſicut aſpides ſurdæ, mundi ſuſurris ac ſermonibus aures obturent. Decuſſatim etiam Clericos attonderi notabis, vt illuſtrioris ſint virtutis; nam ex Chalcidio Platonico nouimus ſolem, & ſtellas in decuſſatione magis vigere.* Hæc ſolertiſſimus ille Theologus: cuius & hæc alia eſt ſuper eodem ritu, ſcitu memotatúque digna obſeruatio.

Quemadmodum in Sacramento Confirmationis, quoad profeſſionem Chriſtianæ religionis homo armatur, alapâ confirmandus cæditur, vt diſcat religionis noſtræ profeſſioni opprobriorum & contumeliarum tolerantiam eſſe coniunctam: ita potiori iure Clericorum numero cooptandus, & ad Chriſtianæ religionis prædicationem inſtituendus, per capillorum Tonſuram, quæ ignominiam & irriſionem, & ſubſannationem denotat initiatur, vt ſibi in Clericali miniſterio mundi cauillos, irriſiones, cachinnos, illuſiones, ſannas negligenda eſſe nouerit, doceatúrque, Euangelicæ legis miniſtrum, quò officio ſuo probè fungatur, non debere vereri, os ſuum ad contumeliam præbere, ſed ſatagere oportere exemplo Pauli, vt ſiue per bonam famam, ſiue per infamiam annuncietur Chriſtus: cui proinde rei apertiùs ſignificandæ in crucis formam tam à Latinis quàm à Græcis, Clerici faciendi detondentur; crucis autem delineationem ignominiam, & contumeliam ſignificare quis neſcit?* Hæc Halerius.

* *Pontif Rom. & Græc. Euchol.*

Sed crux (vt rectè ait Sanctus Leo) quæ fuit olim ſignum contumeliæ, nunc honoris, & gloriæ monimentum eſt: & quæ fuit maledictionis indicium, iam omnium fons benedictionum, omnium eſt cauſa gratiarum, ſerm. 8. de paſſione. S. Auguſtinus ſerm. 181. de temp. & tract. 118. in Ioan. pulchrâ id inductione oſtendit: *Signo crucis,* inquit, *conſecratur corpus Dominicum, & omnia quæcumque ſanctificantur, cum inuocatione Chriſti nominis, in hoc ſigno conſecrantur. Hoc enim ſignum niſi adhibeatur, ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ quâ regenerantur, ſiue oleo quo chriſmate vnguntur, nihil eorum ritè perficitur;* Ideò in ordinibus cùm ſacris tum minoribus conferendis, crucis ſemper ſignaculum affulget. Sanctus Dionyſius: *Vnicuique eorum,* inquit, *qui conſecrantur, ſignum crucis à conſecrante Pontifice imprimitur;* lib. de Eccleſ. Hierarchia. Ibidem verò ait,

crucis conſignationem communem eſſe ordinationi Epiſcoporum, Sacerdotum, & Diaconorum. Ita Sanctus Auguſtinus ſerm. 19. de Sanctis: *Sacerdotes*, inquit, *& Leuitæ per ſignum crucis ad ſacros ordines promouentur*, ſed nunquid non etiam inferiorum Clericorum? Sanctus Chryſoſtomus abſolutè reſpondet hom. 55. in Matth. In quacumque ordinatione ſignum hoc ſalutis adhiberi. * *Crux adeſt*, inquit, *cùm ordinandi ſtatuimur.* Idem generatim aſſerit Stephanus V. Papa ſcribens ad Stilianum Archiepiſcopum: *Nunquid non omnia chariſmata Sacerdotalis miniſterij, crucis figurâ perficiuntur?* Non nuperus igitur ritus eſt mos ille, quo liber Pontificalis inſigniendos Tonſurâ Clericali crucis ſacroſancto ſignaculo exigit inter attondendum Eccleſiaſticæ militiæ adſcribendos, quod dum in eorum capillis exprimitur, quaſi corona illis imponitur, & effunditur ſuper eos ſupernæ benedictionis influxus. Appoſitè ac eleganter præfatus S. Ioannes os aureum Eccleſiæ, ſua in demonſtratione Quòd Chriſtus Deus eſt; *Hoc*, inquit, *maledictum, hoc abominabile, hoc extremi ſupplicij ſymbolum Crux, diadematibus & coronis clarius factum eſt. Neque enim ſic regiâ coronâ ornatur caput, vt cruce, quæ omni cultu dignior eſt, quam enim priùs omnes abhorrebant, eius figuram ſummoperè quærunt: atque ideò vbique ea inuenitur*, &c. ſubinde, *omnes eâ ſe ſignant; in fronte enim noſtrâ quaſi in columnâ quotidie figuratur, ſic in ſacrâ menſâ, ſic in Sacerdotum ordinationibus refulget; hanc vbique celebrari videre licet, in domibus, in foro, in ſolitudine, in viis, in nauigiis, in Inſulis, in armis, in thalamis, in veſtibus, in ſympoſiis, in vaſis argenteis & aureis, & margaritis*, &c. *in bello, in pace, in delicatorum choreis, in Monachorum ordinibus. Adeò certatim donum hoc mirabile rapiunt omnes. Mira eſt gratia! Nullus confunditur, nullus erubeſcit cogitans quòd maledictæ mortis ſymbolum fuerit; ſed omnes ipſo magis ornantur, quantò multis gemmatis monilibus, & torquibus, & diadematum coronis.*

* κἂν χειροτονηθῆναι δέῃ, σταυρὸς παραγίνεται.

Sanctus Dionyſius vbi in Tonſura efformari ſignum crucis meminit, moris huius Eccleſiaſtici aliam atque aliam cauſam indigitat, æquè ad mores pios ac Chriſtianæ militiæ conferentem actus; *Signum crucis* (inquit lib. de Eccleſ. hierarchia *) *impreſſum ſignificat omnium ſimul corporis cupiditatum ceſſationem, diuinaque vitæ imitationem, dum conſtanter intuentur ad Dei-virilem Ieſu vitam, ad crucem vſque & mortem, cum ſumma prorſus ac diuina impeccabilitate tranſactam, qui piè viuentes tamquam ſibi conformes, ad imaginem impeccabilitatis ſuæ forma crucis inſignit.* Atque hactenùs de Tonſionis Clericalis, in modum crucis myſtico, moralíque ritu.

* c. 5.

CAPVT V.

De ſuperlicij, ſeu ſuperpellicei impoſitione.

CONSTANS hic ritus eſt in omnibus Pontificalibus, ipſóque Græcorum Euchologio, vt quum Epiſcopus Cleri Candidatos totondit, iis coram ſe genuflexis, poſtquàm conſtantiam in ſtatu Clericali, & innocentiam ad precatus eſt, Eccleſiaſticâ veſtem iiſdem imponat. Rom. Pontificale ſic habet. *Tum Pontifex*, &c. *accipiens in manum ſuperpelliceum dicit ſingulis. Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitiâ & ſanctitate veritatis; & mox imponit illud cuilibet repetendo, induat te*, &c. *immittens vſque ad ſcapulas, & immediatè trahens, ſi vnum tantùm ſit ſuperpelliceum, ſicque facit vſque ad vltimum, qui eo totaliter induitur:* ſi verò quiſque ſuum ſuperpelliceum habeat, ſinguli totaliter induuntur. Quo expedito ſine mitrâ ſurgit Pontifex, & verſus ad illos dicit, *oremus, Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris, & ab omni ſeruitute ſæcularis habitus hos famulos tuos emunda: vt dum ignominiam ſæcularis habitus deponunt, tuâ ſemper in æuum gratiâ perfruantur.* In lib. Sacramentorum Sancti Gregorij, in ordine *ad Clericum faciendum*, hæc oratio inter cæteras non habetur; fit tamen in iis quæ ibi ſunt mentio mutationis habitus, ſed an laneus eſſet, vel lineus, ex verbis formulæ huiuſmodi precationum colligi nequit. Sunt enim qui habitum illum intelligendum putent, de ipſa veſte talari, quâ induitur etiam ante tonſionem initiandus Clericus; & poſteriorem illam non agnoſcũt veſtitionem, quâ linea ei datur ab Epiſcopo. Alij qui diſtinctam ſemper hanc ab illa volunt, vt etiamnum Pontificale Romanum apertè, ſicut oſtenſum eſt, diſtinguit. Et certè in Pontificali Senonenſi ſuprà memorato ſatis vetuſtæ notæ in limine ordinis ad Clericum faciendum depicta cernitur actionis huius repræſentatio, quâ ſedens Epiſcopus nouo Clerico ſuper veſtem talarem, lineam iſtam applicat.

In ordine conſecrationis & coronationis Regis Frãciæ ſic legitur: *Archiepiſcopus ſuperliceo, ſtola & cappa ſolenni indutus cum mitra, & baculo paſtorali, ſuâ cruce præcedente cum Archiepiſcopis. Epiſcopis debet, ſi fieri poteſt, occurrere ſancta ampula.*

Nec ritus iſte nuperus cenſeri debet. Certè S. Hieronymus l. 1. contra Pelagianos, vltra medium teſtatur Epiſcopos & Preſbyteros, & omnem Clerum in ſacrificij conſummatione, *candidis veſtibus vti.* Albâ ſiquidem omnes tempore diuini myſterij induti erant, quam antequàm miſſa perficeretur, iis prohibet Narbonenſis Synodus (ſub Pelagio iuniore celebrata anno 589.) exuere. Idem penè antè diu ſanxerat Concil. Carthag. IV. can. 41. Verùm quia præter ſacrificium, erant alia diuina officia à Clero obeunda, non ſine congrua miniſterio veſte, vſu inualuit, vt loco albæ vſurparetur ſuperlicium, quæ veſtis vt breuior, ita vſu expeditior & facilior erat. Quamobrem cùm apta quibuſque officiis extra tremendum myſterium videretur, ita quibuſque Eccleſiaſticis ordinibus communicata, ipſíſque primæ Tonſuræ Clericis cùm primùm ſacræ militiæ adſcriberentur, conceſſa eſt. Quando verò huius geſtatio primùm cœperit non ita facile fuerit certò definire. Si coniecturis vti liceat, vix an-

te ſexcentos annos geri cœpiſſe hic habitus, ex hoc colligitur, quòd nullus (quod ſciam) auctorum qui antehac de myſticis ritibus, & Eccleſiaſticis ordinibus, ac officiis, & inſignibus, ex profeſſo tractauerunt, etiam vbi ſigillatim diſſerunt de ſacris veſtibus & ornamentis, huiuſce indumenti vſquam meminerit. Poſteriores autem ſcriptores, ne nominis quidem mentionem fecerunt ad annum vſque 1200.

Et nomen quidem variè reperi expreſſum in Eccleſiaſticis ab hac ætate monimentis. Odo Pariſienſis in ſynodicis Conſtitutionibus c. *de Sacram. altaris*, ſuperpelliceum nuncupat, *Nulli Clericorum* (inquit) *permittatur ſeruire altari malè ornato, ſeruato in maiori Eccleſia, vt niſi in ſuperpelliceo & cappâ clauſâ.* Quibus verbis iam vſitatum nomen eiuſmodi, & morem gerendi hunc habitum ſaltem fuiſſe Pariſiis euidenter oſtendit. At in vetuſto Pontificali Pariſienſi, nec non & Senonenſi ſuperiùs memoratis, vbi de ordine faciendi Clericum agitur, linea quæ ipſi primùm imponitur veſtis, dicitur ſuperlicium. Durandus Epiſcopus Mimatenſis in ſuo diuinorum officiorum Rationali, lib. 3. c. 1. prænotato *de indumentis* §. 11. priorem ſequitur vocitationem, cuius & rationem hanc propriam eſſe exiſtimat, *Dictum eſt*, inquit, *ſuperpelliceum, eò quòd antiquitùs ſuper tunicas pelliceas, de pellibus mortuorum animalium factas induebatur: quod adhuc in quibuſdam Eccleſiis obſeruatur, reputantes quòd Adam poſt peccatum talibus veſtitus eſt pelliciis.* De harum pellium ſignificatione non renitor. Porrò de etymologia lineæ veſtis Eccleſiaſticæ de quâ agitur, haud eſt quòd Durando poſſim aſſentiri: veſtigium ritus cuius meminit in quibuſdam Eccleſiis Galliæ etiamnum perſpicuum ſupereſt, ſed tamen longè diuerſum ab eo vſu, quem prætendit. Nec enim veſtis iſta linea imponi ſolet ſuper pelles, quas almutias vocitant, at econtrà pelles iſtæ ſuper lineum ipſum habitum iniiciuntur; vt vidi Rothomagi in maiori Eccleſiâ, cuius Canonici Eccleſiaſticis officiis dum aſſiſtunt in choro ſuis amicti ſunt almutiis dependentibus à capite in humeros, & infrà, vſque ferè ad cappæ limbum ſub quâ paret linea illa veſtis: at Pariſiis ſub cappâ linea hiemali tempore defertur linea ipſa veſtis, manicis, quæ ſuperfluæ forent & oneroſæ, ad commodiorem vſum amputatis. Viguiſſe olim & Pariſiis hunc morem gerendi almutias à capite in humeros defluentes, in tumulis pleriſque veterum Canonicorum maioris Eccleſiæ licet conſpicari, in quibus ipſorum ibi iacentium inſculptæ effigies, gerunt in capite almutias ſubinde corpus ambientes, præſertim in parte poſticâ, nam antè cappa patet aperta, & ſub eâ byſſina illa veſtis breuior, de cuius nomine & vſu quæſtio vertitur: extat & huius ſimilitudinis quam expreſſimus Canonici infulati, at Sacerdotalibus ornamētis induti effigies, lapidi inſculpta in cœmeterio Sanctorum Innocentium, ferè in ingreſſu Eccleſiæ: aliáſque quamplures diligentiùs vrbis regiæ Eccleſias, præſertim collegiatas perluſtranti, haud arduum foret reperire. At quæ notatæ ſunt, ſufficiant ad Durandi opinationem refellendam. Nec enim ſuperpelliceum dici ex hoc potuit, quòd deferri conſueuiſſet ſuper pelles, cùm econtrà geſtari ſoleret ſub pellibus: quamobrem potiùs (ſi à pellibus nomen mutuatur) ſubpellicium debuiſſet vocitari. Et facile fuit

ama-

amanuenſibus promiſcuâ ferè litterarum ſerie ac ſpecie deceptis, vbi ſubpellicium poſitum erat, ſuperpelliceum ſcribere.

Quicquid ſit, rectiùs dici ſuperlicium, vt in vetuſtis Pontificalibus, & ordine coronationis Regis legitur, mihi equidem libenter (at non gratis tamen) perſuadeo; ſiquidem apud Latinos licium dicitur opus textoris, & licia, liciorum ſunt fila, quibus in telis textrices ſtamina implicant, quamuis nonnumquam licia pro ipſis accipiuntur ſtaminibus. Vulgare eſt illud Plinij lib. 8. cap. 48. *Plurimus verò liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria inſtituit.* Moſes nobis auctor eſt Iacob feciſſe Ioſeph dilecto ſuo filio tunicam polymitam (Geneſ. 37.) Id eſt ex fruſtis & liciis diuerſi coloris variegatam, ſicut enim τρίμιτος eſt trilix, ſiue trium liciorum veſtis, ita πολύμιτος eſt multilix, ſeu multorum veſtis liciorum. A textrinis liciis dictum igitur arbitror fuiſſe ſuperlicium, tunicam illam lineam Clericorum, quos Deus adlexit ſacro ſuo miniſterio, ſuáque ſorte præ cæteris è vulgo honorauit: quòd enim ex texto fiat lino, quod pleriſque liciis à parte ſuperiori connexum & conſtrictum latiùs infrà defluit, dictum inde ſuperlicium veroſimilius eſſe reor. His præmiſſis de nomine, iam de vſu & ſignificatione pauca ſubnectere ad noſtrũ itidem ſpectat præſens inſtitutum.

Halerius (cuius nunquam mihi meminiſſe licet abſque eximiæ eruditionis, & excellentis peritiæ Eccleſiaſticæ antiquitatis, nec non ſelectioris doctrinæ ſpeciali elogiô) primus aduertit ac peropportunè monuit à Stephano Tornacenſi Epiſcopo, qui Monaſterio Pariſienſi S. Genouefæ præfuerat, ſuperpelliceum (vt nominat, ſeu ſuperlicium vt dicimus) graphicè deſcriptum, vnáque eiuſdem ſignificationem genuinè eâ in epiſtola explicatam, quam cum eiuſdem indumenti munuſculo ad Albinum S. R. E. Cardinalem dirigit, vbi ſic effatur: *Regularem habitum per gratiam Dei ſic præfertis exteriùs, vt interiùs conſeruetis, huius habitus indicium principale vobis mitto ſuperpelliceum nouum, candidum, & talare, quod repræſentet vobis vitæ nouitatem, munditiæ candorem, perſeuerantiæ finem: ſuſcipe pater munuſculum filij, minùs æſtimantes panni pretium, quàm vel mittentis animum vel muneris ſacramentum:* ſubdit verò (ſubnectit eodem filo Halerius) *idem auctor ſe cum materiali ſuperpelliceo, myſticam de eius confectione expoſitionem, quam in feſto Sanctæ Genouefæ virginis ad fratres habuerat, mittere, eam ad noſtra tempora ſuperfuiſſe neſcio.* Ex iis autem patet ſuperlicium vel ſuperpelliceum tunc temporis ad talos vſque productum fuiſſe, (quod non difficilè concedo fuiſſe Canonicorum cœnobitarum, ſeu vt vocant Regularium) quod ad tempora ſaltem Concilij Baſilienſis durauit; in quo * Clerici in choro iubentur cum tunica talari ac ſuperpelliceis mundis, vltra medias tibias longis, vel cappis (his videlicet hiberno, illis verò æſtiuali tempore) horis adeſſe canonicis, &c.

* Concil. Baſil. ſeſſ. 21. *Quomodo diuinum offi. in Eccleſ. celebrandum ſit.*

At de etymologia huius veſtis, vel vſu, ſuperſedeo plura dicere, quæ alio loco opportuniùs (vt ſpero Chriſto fauente) exponentur. quemadmodum & accuratiùs eorum nolim itidem opinationes ire diſcuſſum, qui ſuperpellicium, aut ſupetlicium longè ab antiquiori origine deriuan-

dum putant, ideóque vetuſtis deſignant vocabulis, quibus etiam affingũt pleroſque myſticos ſignificatus: idem enim quidam eſſe ac Ephod contendunt: alij ſuperhumeralis loco eſſe exiſtimant, alij idem ipſum quod Græcorum volunt eſſe phælonem ſeu phælonium, alij quod camiſiam, alij quod lacernum birrum; alij denique amphibalum eſſe altercantur; longum enim eſſet, & tædioſum nimis eiuſmodi ſingulorum placita expendere ad ſummos iuris apices: cùm iuſto opuſculo perſuaſionum huiuſmodi congeries, amplam foret materiam præbitura. Obiter nihilominùs dicere mihi poſſe videor, harum nullam eſſe, quæ quicquam abſoni à verô, ſuo non includat ſinu. Ephod enim quàm nihil habeat cum ſuperlicio, ſeu ſuperpelliceo promiſcuum, ex hoc peritus tantiſper veteris legis intelligere poteſt, quòd propria veſtis eſſet Pontificis: Superlicium verò in vſu ſit omnium Clericorum. Nec eſt quòd obiiciat aliquis Ephod etiam inferioribus ſanctuarij miniſtris fuiſſe quoque conceſſum, vnde legitur 1. Reg. 18. *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineô.* Quô vſus etiam memoratur Dauid, 2. Reg. 6. ſed hoc nihil ad rem, ſiquidem Photius epiſtolâ ad Galathonem obſeruat triplex fuiſſe Ephod, 1. ſummi Sacerdotis, quo conſulebat Dominum, de quo Exod. 28. 2. Reg. 23. 2um. populare, quô Samuel, qui non erat de tribu Leui miniſtrabat extraordinario munere, quódque Dauid geſtauit. 3. ſuperſtitioſum, quô idolorum ſacrificuli pſeudo-numina ſua conſulebant. (Diabolus enim, vt ſuprà ex Tertulliano notatum eſt, *eſt ſimia Dei.*) Igitur ſuperlicium noſtrum nihil affinitatis habet cum Ephod ſummi Sacerdotis, nam huius proprium erat, noſtrum verò omnibus Clericis eſt in vſu: id verò populari aſſimilare incongruum, ſuperſtitioſo contumelioſum. Notat Innocentius III. lib. 1. c. 11. de Myſt. Miſſæ, Ephod Samuelis, & Dauidis longè diuerſum fuiſſe à Pontificio, tam materiâ, formâ, quàm nomine, Ephod ac enim propriè appellatum, proinde Sacerdotale non fuiſſe quod Pontifici ſingulari iure competebat. Prætereà Ephod porrigebatur vſque ad cingulum, eo enim conſtringebatur, & vix infrà ſeſe extendebat, vnde pectorale dicebatur, erátque inſtar thoracis, quæ non vltra mediam corporis partem cooperit: at ſuperlicium diffluit vſque ad genua. Inſuper Ephod contextum erat ex auro, ex hyacintho & purpurâ, coccóque bis tincto & byſſo retortâ, Exod. 28. ſuperlicium totum lineum eſt. Deinde Abulenſis in Exodi prædictum caput, & Sixtus Senenſis lib. 3. Biblioth. cap. 12. Imò Innocentius III. libro primo de Myſt. Miſſæ, cap. 11. aſſerunt Ephod caruiſſe manicis, fuiſſéque inſtar Scapularis monaſtici. At ſuperlicium integrum non eſt niſi manicatum. Denique Philo libro de Monarchia docet pectorale fuiſſe inſtar thoracis, at quid quæſo cum thorace, ſuperlicium commune in forma habet? Quòd verò quidam exiſtimant ſuperlicium loco ſuperhumeralis eſſe, manifeſtè falluntur, nam idem eſt Ephod & ſuperhumerale, vt conſtat ex capite Exodi præcitato. Porrò cum Ephod nihil eſt ſuperlicio affinitatis, vt probatum eſt. Fateor nihilominùs rituales tractatores inter Sacerdotalia noui Teſtamenti indumenta paſſim ſuperhumerale numerare. Verum hoc inquam eſt, ſed ſuperhu-

merale Eccleſiaſticum, nihil aliud eſt quàm amictus noſter, qui ante albam imponitur, expreſſe docet Alcuinus de offic. diuinis, tit. de ſingulis veſtibus, *Habent etiam*, inquit, *miniſtri Eccleſiæ Chriſti ſuperhumerale, quod amictum vocamus, quando ad altare miniſtrant.* Idem inſinuant Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 17. cuius titulus eſt, *de amictu*, Honorius Auguſtod. lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu, cap. 201. inſcripto *de humerali*, Innocentius III. vbi ſuprà, aliíque, &c. Quantùm igitur differt ſuperlicium ab amictu, tantùm etiam ab Ephod ſeu ſuperhumerali, vel Leuitico, vel Eccleſiaſtico. Quod autem ſpectat ad phælonem, ſeu phælonium Græcorum, qui obſeruauerat Halerius ab Antiſtite ſolitum eſſe imponi Clerico qui Lector ordinatur, candidè itidem agnoſcit, vix hanc veſtem, cum ſuperlicio, ſeu ſuperpelliceo conuenire; *Scio*, inquit, *inter ſuperpellicea noſtra, & phænolia plures differentias notari poſſe, vt quòd phænolia aliquando eſſent purpurea, quòd, quæ à Patriarchis, & Epiſcopis geſtarentur crucibus intexta forent*, ſubiungit ideò ſe eorum non meminiſſe, quòd cenſeret cum ſuperpelliceis eſſe eadem, ſed quòd ad confirmandum morem receptum eſſe tam apud Græcos quàm Latinos, vt Clerico faciendo, veſtis aliqua quæcumque tandem illa ſit, imponatur. Sed nec camiſia, idem eſt quod ſuperlicium, cùm nihil aliud ſit quàm alba (vt ex citatis ſacrorum rituum expoſitoribus liquidò patet, & ſerm. 41. Bleſenſis, vbi ait, *indutus camiſiâ lineâ, quæ communi nomine dicitur alba*) nemini verò ambiguum ſit quàm res diuerſa ſit alba à ſuperlicio, cùm illa ſit talaris, hoc non prætereat genua: illa in ſacrificio geſtari ſoleat, & extra hoc myſterium nemini liceat per antiquos canones eâ vti; ſuperlicium autem in quolibet officio Eccleſiaſtico tam intra quàm extra loca ſacra, ab omnibus Cleri ordinibus, adeóque ſimplicis Tonſuræ Clerico, geſtari conſueuit. Incidi tamen in ſanctionem quandam Concilij non veteris, ſed tamen ante quatuor ſæcula in Gallia celebrati, quâ ſuperlicium, imò & rochetum Epiſcopi, quod ſubtus cappam ferre paſſim monetur Epiſcopus, *Camiſia* appellatur: ſed certè impropriè, cùm apud Auctores myſticos camiſia idem omnino quod alba ſit: propriè igitur ſuperlicium camiſia dici non poteſt, ſed dumtaxat per quamdam analogiam, cùm vice camiſiæ, ſeu albæ, quam in ſacris myſteriis dumtaxat ferre licet, geri ſoleat ab ipſis ſacris miniſtris in concionibus, pſalmodiâ, officiíſque quibuſuis extra diuinam actionem. latis ideò eſt manicis, quò Clericus vel Sacerdos expeditiùs ſe moueat ad quodcumque Eccleſiæ miniſterium, hæcque veſtis decuttata eſt, ne inceſſum impediat, ſordéſque contrahat. Eſt tamen inter Canonicorum regularium, & ſæcularium hoc ſpectatum eâ in veſte diſcrimen, quòd ſæcularium ſaltem apud Pariſienſes, defluant manicæ hinc inde ab humeris apertæ ad imum, Regulariũ verò ſint conſtrictæ, adeò vt brachia his arctè contegantur & inuoluantur: quam tamen differentiam tum cœpiſſe arbitror interponi, cùm primùm regulares diſtingui cœperunt à ſæcularibus, vel ij ab illis ſecerni voluerunt. Siquidem ab initio Canonici omnes regulares erant, & viuebant in communi, vt peritos Eccleſiaſticæ antiquitatis non latet. Sed hoc πάρεργον. Hodie igitur regulares Canonici potiùs rochetum quàm ſuperlicium ferunt

vbique, etiam extra ſua ſepta & ſacra: at ſæculares Clerici rocheto non vtuntur, niſi ſint in aliquâ dignitate, ſed nec ſuperlicio paſſim, ſed tantùm in ſacris locis, vel officiis. quam idcirco veſtem, ſi quis camiſiam appellaret, riſum moueret audientium, cùm vſu receptiſſimum ſit, ſuperlicium ad veſtem ſolis Clericis, in functionibus Eccleſiaſticis exequendis attributam contrahi, camiſiam verò communi acceptione referri ad vſum profanum: ſumitur enim paſſim pro lineâ illâ tunica interiori, quæ corpus immediatè tegit, de quâ Iſidorus libro 19. Orig. cap. 22. *Camiſias vocamus*, inquit, *quòd in illis dormimus, id eſt in camis noſtris.* Quo ſenſu à Cæſario libro octauo cap. 50. *neglectis veſtibus in camiſia deſcendit:* quæ idem eſt ac induſium, & ſubucula, hoc tantùm diſcrimine, quòd induſium camiſia ſit mulierum, ſubucula virorum. Ex his igitur patet ſuperlicium non poſſe per camiſiam deſignari, quâ voce tamen vſi ſunt aliquando veteres rituum interpretes, ſed pro albâ, non autem vſquam pro ipſo ſuperlicio. Cùm igitur Codinus de officiis Conſtantinopolitanis ait: οἱ ἀναγνῶσται φορεῦντες καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων, *lectores ferentes camiſias ſuper veſtes*, albas debemus intelligere, quibus vti, lectoribus licuiſſe ſuprà demonſtratum eſt. Nec audiendi quoque ſunt qui lacernum birrum, idem eſſe quod ſuperlicium autumant. Lacerna eſt reuerà ſpecies veſtis compoſita ad humeros & brachia tegenda, & imbrem arcendum: birrum verò ad colorem pertinet, denotat etenim quicquid colore rufo tinctum eſt, ſi Feſto credatur. quanquam La Cerda rectè monet, lacernum birrum palliolum fuiſſe ſericum, nam βῆρος, veteres ſerica interpretantur, vt Cuiacius obſeruat ex Zonara præſertim & Theodoreto. In actis S. Cypriani agnitis & citatis, à Pontio eius Diacono, & martyrij ſpectatore ac ſcriptore, geſſiſſe eum legimus *lacernum birrum*, quod primùm depoſuit ante cætera indumenta, cùm eſſet in necis procinctu, ſed hoc veſtis genus nihil cum ſuperlicio Clericali, vel rocheto Epiſcopali affinitatis habet. Cardinalis ipſe Baronius qui ad Epiſcopalem habitum geſtari ſolitum à Sancto Cypriano refert, lacernum birrum hunc accipiendum cenſet pro eo palliolo, quod in Gallia *Camail* appellamus, *cuius genere indumenti* (ait tom. 2. ad ann. 261. num. 44.) *hodie videmus vti S. R. E. Cardinales atque Epiſcopos illos, qui ex Regularibus ad eam dignitatem prouecti ſunt.* In Gallia verò paſſim Epiſcopi hôc vtuntur ſine alio vllo, quàm coloris diſcrimine: Regulares enim non ferunt, niſi ſui ordinis (cuius veſtes retinent) colori congruentem; Alij verò Antiſtites, qui monachi non ſunt, vel nigrum, vel violaceum gerere conſueuerunt pro loci, temporis & actionis diuerſitate. Cæterùm ea Baronij ſententia omnibus non arridet: ſed litis huiuſmodi diſcutiendæ accuratiùs, proprius non eſt hic locus. Quicquid ſit ex citatis Sancti Cypriani actis palam fit, lacernum birrum non fuiſſe lineam veſtem, vt aliquatenùs conuenire poſſit cum ſuperlicio Eccleſiaſtico, de quo nunc quæſtio vertitur, ſic enim ibi contextus habet: *Perductus autem glorioſus martyr exuit ſe lacernum birrum, quem indutus erat; complicans & poſuit ad genua ſua; dehinc tunicam tulit, & Diaconibus tradidit, & ſtans in*

linea expectabat ſpiculatorem. Vbi vides expreſſè lacernum birrum à lineâ diſtingui, quemadmodum etiam in aliis eiuſdem Sancti Cypriani actis incipientibus, *Imperatore Valeriano*, laudatis à Sancto Auguſtino, in quibus ſic ad verbum legitur: *Et ita idem Cyprianus in agrum Sixti perductus eſt, & ibi ſe lacerno birro ſpoliauit, & genu in terram flexit, & in orationem ſe Domino proſtrauit; & cùm ſe dalmaticâ expoliaſſet, & Diaconibus tradidiſſet in linea ſtetit, & cœpit ſpiculatorem ſuſtinere.* Linea iſta, vel erat ſubucula, vel poderis, alba ſcilicet Eccleſiaſtica, tunica talaris; quâ de re impræſentiarum quæſtionem non moueo, cùm oſtendiſſe ſufficiat lacernum birrum, lineam veſtem non eſſe, proinde nec ſuperlicium eſſe poſſe. Iam verò ſupereſt ire indagatum an ſumi poſſit pro amphibalo, de quo in teſtamento Sancti Remigij ſic legitur: *Futuro Epiſcopo ſucceſſori meo amphibalum album paſchalem relinquo.* Conueniunt verò La Cerda Aduerſariorum cap. 76. num. 9. & Coluenerius in notis ad teſtamentum Sancti Remigij, quod recitat Flodoardus lib. 1. cap. 18. amphibalum indumentum aliquod deſignare, à Græco ἀμφιβάλλω circumpono, operio, induo. Sed quale indumentum eſſet alto ſilentio prætereunt. Verùm Octauius Ferrarius libro ſecundo de re veſtiaria cap. 12. fuiſſe aliquod genus veſtimenti ad inſtar lænæ non multùm chlamydi abſimilis, quod veteres amphimallum appellabant, citatis enim his Virgilij verbis,

Varióque ardebat murice læna.

Antiqui, inquit, *amphimallum lænam appellabant, id eſt vtrinque villoſam, quod idem atque ἀμφίβαλον, ſiue ἀμφίβολον Docti fecerunt, quòd vtrinque indueret, ſiue hominem circumuolueret.* Planetam igitur Sanctum Remigium intellexiſſe per amphibalum veriſimile eſt, nam olim planeta tota rotunda erat, vt etiam vidi quaſdam Rhemis ſacras eiuſmodi veſtes (cum vetuſtiſſimis huius inſignis Eccleſiæ cimeliis) totum Myſtam ambientes, adeò vt cùm ſacris operaretur, neceſſe eſſet limbum vtrumque ad dextram, & læuam ſuper celebrantis brachia complicare, vnde mos ille ortus videtur, quô etiamnùm ſolemus Sacerdotis hoſtiam diuinam, ac ſalutis perpetuæ calicem attollentis, oram caſulæ, ſeu planetæ, aut penulæ, eleuare, ne celebranti incommodum afferat onere ſuo, quamuis vix iam opus ſit id facere, planeta vtrinque diſſecta à dextro & ſiniſtro latere, adeò vt qui tremenda agit myſteria, expeditè lacertos, manúſque moueat, exerátque ſine vllo obice. At hoc per tranſennam. Ad propoſitum vt redeamus, ſatis ex dictis patet tantùm abeſſe amphibalum à ſuperlicio, quantùm diſtat ab eo caſula vel planeta, ſeu ſi malueris à cappâ vel pluuiali.

Iam igitur ſatis ex præmiſſis perſpectum eſt, ſuperlicium, ſeu vt alij volunt ſuperpellicеum, nihil cum his omnibus veſtimentorum nominibus, eorúmque formis ac vſu habere promiſcuum: vtque eius nomen in Eccleſiâ ante 600. annos fuiſſe incognitum, ſic & vſum antiquiorem hâc quam notauimus epochâ, non eſſe; cùm neque deſignari poſſit aliquod vocabulum cuiuſque Eccleſiaſticæ veſtis, anteà à Ma-

ioribus cognitæ & commemoratæ, quæ cum hac conueniat, adeò vt dici à quoquam poſſit fuiſſe quidem iam antehac in vſu, ſed ſub alio nomine. Neque hoc adeò mirum cùm non neceſſe ſit, quicquid apud nos in vſu eſt, ad primam Eccleſiæ antiquitatem reuocare. Sunt quidam ſacerdotales ornatus in Eccleſiâ, aliis longè antiquiores; ſunt & mores nonnulli qui ſenſim ac ſenſim increuerunt. Amalarius Fortunatus Epiſcopus Treuirenſis ante annnos 800. hoc ipſum obſeruauit, & monuit libro ſecundo de off. Eccleſ. cap. 7. circa finem; *Multa*, inquit, *agimus ex conſuetudine præſentis Eccleſiæ, quorum auctores ſpecialiter non proferuntur.*

At quamuis auctor ſuperlicij, ſeu ſuperpellicei deſignati non poſſit, certum eſt ab annis circiter 600. hoc genus veſtis vſurpatum in totâ præſertim Occidentali Eccleſiâ: quamuis verò olim nouitiis Clericis non imponeretur, cùm ſolenni Tonſurâ ſeſe coram Epiſcopo diuinis obſequiis mancipatent; aliam tamen iis inditam orationes myſticæ in hoc ritu obſeruatæ docent, quæ à Sancto Gregorio ſub titulo faciendi Clerici recitantur; in quibus hæc verba ſunt expreſſa, *hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum ſacræ religionis imponimus.* Albam fuiſſe igitur tum primùm candidato Clericatus impoſitam par eſt credere, quæ vt ſuprà oſtendimus, Clericis omnibus communis erat.

Cæterùm inuentum deinde ſuperliciuṁ, vt magis commodum cæteris extra ſacrificium Eccleſiaſticis functionibus, moralibus ac myſticis ſignificationibus non caret, quas ex parte ſuprà explicauit, ſed obiter Stephanus Tornacenſis epiſtolâ ad Albinum Cardinalem, fertúrque copioſiùs exarâſſe in ſermone quem de veſtis huius Clericalis confectione, & vſu habuit ad ſuos fratres Canonicos regulares Monaſterij Sanctæ Genoueſæ virginis Pariſienſis. Sed & Durandus Mimatenſis Epiſcopus lib. 3. Rationalis diuinorum cap. 3. de indumentis alias hâc de re theoricas ac tropologicas ſignificationes recenſet: *Superpellicium primò*, inquit, *propter ſui candorem, munditiam ſeu puritatem caſtitatis deſignat, iuxta illud Eccleſiaſt. 9. omni tempore veſtimenta tua ſint candida, id eſt opera ſint munda. Secundò mortificationem figurat. Tertiò innocentiâ vitæ cunctis virtutum actibus ſuperpollere debent, iuxta illud Pſal. 24. Innocentes & recti adhæſerunt mihi. Quartò propter ſui latitudinem congruè charitatem deſignat, vnde ſuper communes, & profanas veſtes induitur, ad notandum quòd charitas operit multitudinem peccatorum. Quintò propter ſui formam, quia in modum crucis formatur, paſſionem Domini figurat, quod eſt, illud gerentes crucifigi debent cum vitiis, & cum concupiſcentiis. Fiunt autem* (inquit idem ibidem, quod ſcitu non indignum) *ſuperpellicea in quibuſdam locis de chriſmatibus * lineis, quæ ponuntur ſuper paruulos baptizatos; exemplo Moſis qui de purpurâ & byſſo, & aliis à populo in tabernaculo oblatis fecit veſtes, quibus Aaron, & filij eius induerentur quando in ſanctuario miniſtrabant. Exod. 39.* Hæc Durandus, cuius obſeruationes certè non ineptas, facile eſſet ampliori diſſertatione dilatare, vet-

* Galliçè, *Creſmeaux.*

borúmque nirore rerſiore perpolire ; hiſque nonnulla alia myſticorum ac moralium ſenſuum theoremara ego ipſe adderem ; niſi præfixa mihi breuitas , exſpatiandi licentiam præciderer. Ab his igitur augmentis neceſſariò , non inuiti tamen abſtinemus, quoniam in ſequenti libro pleraque dicturi ſumus quæ ad rropologiam Clericalis inſtitutionis ſpectant. Et in Panopliâ Sacerdotali , quam iuuanre Deo edere ſperamus in lucem , ex profeſſo rractaturi ſumus de totius Sacerdotalis apparatus theoricâ moralíque harmoniâ.

FINIS LIB. V.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

LIBER VI.

DE SVSCIPIENTE TONSVRAM Clericalem : nec non diſpoſitionibus negatiuis, ſeu remouentibus obices, in eo requiſitis.

PARS I.

DE IMPEDIMENTIS, SEXVM & ætatem ſpectantibus.

CAPVT PRIMVM.

De muliebris ſexus imperfectione, ex Theologis & Patribus; ac Ciuili, & Canonicâ diſciplinâ.

FOEMINA non offerebatur in holocauſtis in veteri teſtamento; *quia enim* (ait S. Thomas, 1.2.q. 102.3.9.) *holocauſtum erat perfectiſsimum inter ſacrificia; ideò non offerebatur in holocauſtum niſi maſculus, nam fæmina eſt animal imperfectum.* In quo verò imperfectio iſta ſita ſit, ſanctus idem Doctor, 1.p.q.92.1.1.& q. 99.2.1. inſinuat, vbi generationem fœminæ contingere docet ex defectu imaginationis vel virtutis actiuæ, vel materiæ, vel propter aliquid exterius, &c. Ideóque eſſe quid occaſionatum, & deficiens reſpectu naturæ particularis, quamquam alio reſpectu non ſit, ſiquidem generatio fœminæ contingat ex intentione Dei & naturæ vniuerſalis.

Verùm Georgius Venetus in problematibus in ſcripturam ſacram, tom. 6. de multigenis rebus occurrentibus ſect. 9. inſcripta de quibuſdam ſcripturæ ſacræ locis reconditis, §. 401. defectum fœminei ſexus in natura rationali, ipſa in anima, adeóque ſuperiori animæ parte, mente videlicet, conſtituit. *Poteſt-ne*, inquit, *mulier veram ſapientiam capere, & ſpiritum propheticum habere? Nónne in ſecundo Regum volumine 20. ſcriptum eſt, Exclamauit mulier ſapiens? Nónne & Maria ſoror Moſis, dicta fuit Prophetiſſa? Exod. 15. Iſaias quoque ait cap. 8. acceſsi ad mulierem prophetiſſam. Ex*

quibus

quibus locis concluditur, quòd mulier poteſt eſſe ſapiens & prophetiſſa: ſed cùm mulier non habeat Neſſamah, ſeu portionem illam ſuperiorem, & diuinam, quâ mediante, vt alibi diximus, homo poteſt adminiſtrare ſacra, intelligere Deum, & theologizari perfectè pro humano captu, quod nulli vnquam mulieri contigiſſe legimus aut vidimus: quomodò mulier poteſt eſſe ſapiens & prophetiſſa? An igitur mulier veram ſapientiam non habet? ſed tantùm ipſius ſimulacrum reſpectu hominis, qui eſt mulieris caput? nam & homo ſapientiæ ſimulacrum habet reſpectu Chriſti, qui eſt ipſius hominis caput, vt Apoſtolus ait. Quamuis igitur mulier ſapiens & prophetiſſa dicatur, non tamen dicitur, quia propriè ſapiens ſit, ſed quia ſapientiæ & prophetiæ ſimulacrum tenet, vt diximus. Hæc ille. Cuius dicta tamen ſic referimus, vt moneamus interim cum grano ſalis accipienda.

Apud priſcos Romanos habitus, ferè eodem argumento, in rebus diiudicandis ſexuum delectus; legibus enim ſuis (quod priùs Ariſtoteles docuerat lib. 1. Politicorum) maſculinum genus cenſuerunt dignius fœminino, l. 1. Senator P. & mulieres in multis deterioris conditionis eſſe viris voluerunt, leg. in multis de ſta. homi. P. has ſiquidem prohibuerunt ab omnibus publicis negotiis. L. cùm Prætor de iudic. P. inde iiſdem vetitum iudicare, ibidem: vel arbitrium ſuſcipere, L. fin. C. de arb. & l. 1. de recept arb. P. l. penul. §. fi. eod. quin & poſtulare. Arcetur enim mulier à tribunalium ſubſelliis propter pudicitiam ſexus, quæ quodammodò læditur, ipſo conſeſſu virorum l. 1. §. ſecundo loco, & §. ſexum, de poſtu. P. l. fœminæ. de regul. iur. P. Tum maximè ob mentis, & ſexus infirmitatem: nimiùm enim ſunt vt plurimùm miſericordes, & credulæ, vt docuit Ariſtoteles 9. de animal. faciléque deceptioni obnoxiæ. l. 2. §. pen. ad ſenat. Velleiac. P. l. ſi mulier C. eodem c. ex parte de priuil. §. quæſitum, &c. ſiquidem vt ait poëta,

Vt corpus teneris, mens ſic infirma puellis; *Ouidius.*
Fortius ingenium ſuſpicor eſſe viris.

Debilia enim in omnibus rebus & minùs valida, & à ſpeciei perfectione decidua, fœminea dicuntur. Quamobrem vt notat Arnobius lib. 7. contra gentes: *ſpectata eſt in mulieribus ſexus ſenſuſque fragilitas, quæ eas ſine iniuriâ à publicis muneribus excepit, maximè à iudiciali officio.* Fuiſſe tamen aliquando Romæ mulierum ſenaculum, quod ab Heliogabalo Imperatore conceſſum matronis haberi in colle Quirinali; ſed conſiſtorium parum fixum ac ſtabile, cùm enim ibi ſenatuſconſulta facta fuiſſent digna mulieribus, ridicula ſcilicet de legibus matronalibus, quá veſte, modô, ornatúve deberent incedere: meritò ſublatum fuit, vt memoriæ prodiderunt Lampridius in Heliogab. Flau. Vopiſc. in Aureliano, Plutarch. in comp. Numæ & Lycurgi; cautúmque deinceps ne vnquam mulier Senatum ingrederetur, ſpecialiter notat Lamprid. ibidem. Leges à contrahendi facultate paſſim fœminas excludunt. Apud Athenienſes contrahendi, niſi ad hordei modium mulieribus quibuſque auctoritas non erat, vt obſeruat Dionyſius Praſæus lib. περὶ ἀπιστίας. At Romanis moribus antiquis mulier ſui iuris non erat, ſed ſub perpetuâ tutelâ, vel patris, vel mariti, vel proximorum; vel tutoris data à

iudice. Cicer. in topic. 2. & ibi Boër. comm. Denique ſolido more receptum, vt ſine viri auctoritate contrahere non poſſint propter conſilij infirmitatem, vt idem Tullius auctor eſt pro Muræna, & Liuius lib. 8. belli Macedon Parum hoc viſum; eò tandem deuenit exilis huius ſexus æſtimatio apud ſæculi ſapientes, vt à ferendo teſtimonio in re graui omnis mulier excluderetur. Tandem Leo Imp. in contractibus inhibuit mulieribus teſtimonium, & in aliis præterquàm in fœmineis actibus, vt ſi de partu agatur, vel in iis in quibus ſola mulier adhibetur. Conſtit. 48.

Sed verò Eccleſiaſticæ leges, intra arctos admodum cancellos includunt itidem iura & poteſtatem fœminei ſexus; ſi iuri canonico, vt extat iam in vſum commune digeſtum, auſcultemus, mulieres ad anguſtiores etiam rerum terminos profectò rediguntur. Sanè fœmina in ipſo perſtringitur nomine, *nam gloſ. 1. in cap. 1. de clandeſt. deſponſat.* mulier dicitur à mollitie mentis, *& gloſ. 1. in cap. dilecta, de Maiorum & obedientia* habetur, quòd non ſit facta ad Dei imaginem. Vnde *can. mulier diſt. 23.* ſancitum, vt mulier quamuis docta & ſancta, docere non præſumat, minùs verò prædicare audeat. *Gloſ. 1. in cap. Noua de pœnit. & remiſſ.* Nec diſputare de fide, *Clem. 1. de relig. domibus.* Item quòd iudicare non debeat *cap.* præd. *Noua.* Et quòd excommunicare non poſſit, *cap. dilecta* præcit. multominùs abſoluere, nimirum quia habere nequeat clauium poteſtatem, quæ viris, non fœminis à Domino traditæ ſunt. Item quòd non poſſit ordinari, & ſi hoc tentaretur quomodolibet, ipſa nequaquam reciperet characterem, *can. Diaconiſſa 27. q. 1.* ordinis enim incapax eſt, & non modò ordinis, ſed & miniſterij, vnde vaſa ſacra prohibetur contingere, *gloſ. 2. in dicto cap. Noua.* Quin etiamſi virgo ſit Deo conſecrata, nec incenſum ei licet circa altare adolere, imò nec portare, *gloſ. in cap. 1. de vita & honeſtate Cleric.* Arcetur mulier denique generaliter ab omni virili officio dicto *c. de pœnit. & remiſſ.* ſed ſub lege viri in omnibus eſſe iubetur, ſi lege connubiali ſit deuincta; quamobrem ſi viuente viro abſcindat ſibi comam, quaſi reſoluens ſubiectionem quam viro debet, excommunicatur *can. quæcumque diſt. 30.*

Iam verò ſi Patres conſulimus & antiqua Concilia, nequaquam indulgentiùs ſe geſſiſſe reperiemus erga fœmineum ſexum, quem vt ſub honeſta modeſtia continerent, arctiſſimis quoque diſciplinæ limitibus conſtrixerunt. S. Clemens Apoſtolos piæ ac neceſſariæ huius ſeueritatis auctores fuiſſe teſtatur, hos enim ſic recenſet ſtatuiſſe, lib. 3. Conſt. c. 6. *Non permittimus mulieres in Eccleſia docere, ſed tantùm orare, & magiſtros audire* (ſcilicet paſtores & ſacerdotes) *nam magiſter ipſe, & Dominus Ieſus Chriſtus cùm nos duodecim ad docendum populum gentéſque miſiſſet, nuſquam mulieres miſit ad prædicationem, quamquam non deerant, erat enim nobiſcum Mater Domini, & ſorores eius, præterea Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, &c. & quædam aliæ. Nam ſi neceſſe fuiſſet mulieres docere, ipſe quoque primus his præcepiſſet vt vnà nobiſcum populum inſtituerent.* Et eiuſdem lib. cap. 9. *Quòd ſi* (inquiunt ipſi Apoſtoli) *præcedentibus docere eas non permiſimus, quomodo quis eas præter naturam ſacra facere concedat? Hæc eſt enim iniuſtitia ad Græcorum impietatem pertinens, fœminis deabus ſacrificu-*

las inſtituere. Tertullianus vicinus (ſic eum S. Hieronymus nominat) Apoſtolicorum temporum, acriter ideò in ſuis præſcriptionibus mulieres hæreticas reprehendit, *quæ procaces docere auderent, & exorciſmos agere, curationes repromittere, & baptizare:* quaſi ex officio. S. Epiphanius hæreſi 79. quæ eſt Collyridianorum, dum in temerariam illorum impietatem inuehitur, qui mulieribus, ſacrificij metuendum vel Angelis munus permittebant, illo præſertim argumento ſacrilegam hanc audaciam retundit: * *Quòd ſi mulieribus permiſſum eſſet ſacrificare, aut regulare quicquam operari in Eccleſia, oportebat* (inquit) *magis ipſam Mariam ſacrificium perficere in nouo teſtamento, quæ digna facta eſt ſuſcipere in proprio ſinu vniuerſorum Regem, Deum cœleſtem, filium Dei: cuius vterus templum factum eſt ac domicilium ad Domini in carne diſpenſationem, per Dei benignitatem & admirandum myſterium præparatus eſt: at non complacuit, ſed neque baptiſma dare concreditum eſt, alioquin potuiſſet Chriſtus ab ipſa baptizari potiùs quàm à Ioanne.* Concilium Carthaginenſe IV. can. 99. ideò mulieribus quibuſcumque prohibet ſibi vlla ſacra miniſteria arrogare, quantâcumque doctrinâ & ſanctitate præfulgeant. Concilium Nannetenſe in Gallia veterum Synodorum veſtigiis, ſcitiſque Patrum & Apoſtolorum præceptis inhærens arcendas decernit mulieres à quibuſque publicis iudiciis, & potiſſimùm Eccleſiaſticis officiis, can. 19. *Cùm Apoſtolus dicat* (ait iſta Synodus) *mulieres in Eccleſia taceant, non enim eis permittitur loqui; turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia; mirum videtur, quòd quædam muliercula contra diuinas humanáſque leges, attritâ fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos conuentus indeſinenter adeunt,* &c. *Quæ ignominioſa præſumptio fautoribus magis imputanda videtur, quàm fœminis. Vnde quia diuinæ leges, vt ſuprà monſtratum eſt, hìc contradicunt, & humanæ nihilominus idipſum prohibent,* &c. *Idcirco ex auctoritate canonica interdicimus, vt nulla Sanctimonialis virgo, vidua,* &c.

* Εἰ ἱερατεύειν γυναῖκες Θεῷ προσετάσσοντο, ἢ κανονικόν τι ἐργάζεσθαι ἐν Ἐκκλησίᾳ, ἔδει μᾶλλον αὐτὴν τὴν Μαρίαν ἱερατείαν ἐπιτελέσαι ἐν καινῇ διαθήκῃ, τὴν καταξιωθεῖσαν ἐν κόλποις ἰδίοις ὑποδέξασθαι τὸν παμβασιλέα Θεὸν ἐπουράνιον, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ἧς ἡ μήτρα ναὸς γενομένη, καὶ κατοικητήριον εἰς τὴν τοῦ Κυρίου ἔνσαρκον οἰκονομίαν κατὰ φιλανθρωπίαν Θεοῦ, καὶ ἐκπληκτὸν μυστήριον ἡτοιμάσθη· ἀλλ' οὐκ εὐδόκησεν· ἀλλ' οὐδὲ βάπτισμα διδόναι πεπίστευται· ἐπεὶ ἠδύνατο ὁ Χριστὸς μᾶλλον παρ' αὐτῆς βαπτισθῆναι, ἤπερ παρὰ Ἰωάννου.

Spectat hic canon maximè ad ciuilia iudicia & publicos conuentus, de quibus à mulieribus minimè adeundis legem Theodoſianam L. V. Cod. Theod. de cognit. & procurat. allegat & confirmat. At can. 6[o]. idem Concilium circa ſacros conuentus & ſynaxes Eccleſiaſticas, ſeſſioníſque in Eccleſia locum, fœminis omnibus, hanc legem antiqua ex diſciplina præſcribit, *ſed & hoc ſecundùm auctoritatem canonum, modis omnibus prohibendum* (ſtatuimus) *vt nulla fœmina ad altare præſumat accedere, aut Preſbytero miniſtrare, aut infra cancellos ſtare aut ſedere.* Iuxta quam canonicam politiam Herardus Archiepiſcopus Turonenſis in ſuis capitulis excerptis ex corpore ſanctorum canonum hoc Eccleſiaſticum axioma recenſet cap. 24. *De mulieribus ac laicis, vt ad altaria non accedant, & vt Sacramenta & panes Sanctorum,* &c. *non tangant.* Huic non abſimilis eſt regula quæ ordine 23. legitur inter Canones Iſaac Epiſcopi Lingonenſis (deſumpta eſt ex lib. 7. Capitul. cap. 190.) *Statutum eſt vt illicitus fœminarum acceſſus ad altare non fiat, quia contra omnem auctoritatem diuinam, & canonicam inſtitutionem eſt, fœminas ſanctis altaribus ſe vltrò ingerere, aut ſacrata vaſa impudenter contingere, ſiue indumenta ſacerdotalia Preſbyteris miniſtrare, aut corpus & ſanguinem Domini contingere, populiſque porrigere, quod omni ratione caret, & ne vlteriùs fiat* (fortè à quibuſdam Abbatiſſis, aut

Digitized by Google

Monialibus hoc præſumptum fuerat) *omnimodis prohibitum eſt, & quæcumque fœmina deinceps hoc facere præſumpſerint, iudicio canonico vſque ad ſatisfactionem ſubdantur. Quòd autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in Concilio Chalcedonenſi, & in decretis Gelaſij Papæ copioſiſſimè inuenitur.* At hîc Concilium Chalcedonenſe (in cuius vulgatis canonibus nihil eiuſmodi extat) citatum videtur pro Laodiceno longè vetuſtiore, quod ſic habet can. 43. *Non oportet mulieres ingredi ad altare.* Id porrò decretum totidem verbis repetit Concilium Aquiſgranenſe Hadriano I. Pontifice, & Carolo Magno Rege, cap. 17. Et aliud itidem Aquiſgranenſe celebratum ſub Stephano Papa V. & Ludouico Pio Imperat. cap. 82. Quini-ſexta ſynodus acta anno 692. can. 70. hâc inſcriptione prænotauit: *Mulieres in Eccleſia taceant*, ſub quo titulo edicit; *Ne liceat mulieribus in celebrationis tempore loqui, ſed, vt eſt vox Pauli*, (1. Cor. 14.) *ſileant:* Cui congruenter Apoſtolico documento, diu ante hoc Quini-ſextæ Synodi decretum S. Cyrillus Hieroſolymitanus antiſtes, in præfatione Catecheſeων feriò, & grauiter admonuerat non modò mulieres coniugatas, at etiam virgines vt ſubmiſſâ voce preces & pſalmos recitarent; tantùm abeſt vt iis fas eſſe cenſeret vllô modô ſe ſacris altaribus ingerere, aut in aliquam irrepere Clericalis miniſterij functionem. Sed vt in Galliam noſtram iterum redeamus, haud ita mirum, ſi Antiſſiodorenſis Synodus ante 1060. annos habita, diſtrictè prohibuerit fœminis nudâ manu accipere Euchariſtiam can. 36. cùm canone ſequenti iiſdem vetitum prorſus eſſe velit, vel palam Dominicam contingere, *Non licet mulieri* (inquit illa Synodus) *manum ſuàm ad palam Dominicam mittere.* Et can. 42. *vt vnaquæque mulier quando communicat Dominicalem ſuum habeat, quòd ſi aliqua non habuerit, vſque in alium diem Dominicum non communicet.* Inter Capitula Theodulphi Aurelianenſis ſub Carolo Magno laude pietatis & doctrinæ clari, graue & memoratu dignum extat monitum ad fœminas, *vt ad altare cùm Miſſæ celebrantur non accedant.* Eſt ſerie porrò inter cætera Eccleſiaſtica theoremata ſextum, & iis verbis conſtat, quæ referre (quoniam & alia pleraque vtilia eo capite continentur) hîc non piget: *Fœminæ, Miſſam Sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, ſed ſuis ſtent locis, & ibi Sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat; memores enim eſſe debent infirmitatis ſuæ, & ſexus imbecillitatis. Et ideò ſancta qualibet in miniſterio Eccleſiæ contingere pertimeſcant.* At hodie (mulieres non dico primæ dignitatis) at ferè ex infima plebe, ita irreuerenter altaribus paſſim ſeſe ingerunt, vt inter tremendi myſterij diuinam actionem, Sacerdotis ferè locum occupent, vixque ſpatium ei relinquant quô decenter diuinis operari poſſit: nec proſtratæ hîc adſunt, ſed garrire & ſedere ad cornu altaris, proh dolor! non horrent, nec verentur. Vtinam, quæ neſcio quo typho ſæcularis gloriæ inflatæ, pauperculum Sacerdotem, eas aliquando commonefacientem, attonitúmque de earum impudentia, derident & contemnunt. ſaltem has luctuoſas voces, & columbæ gemitus quibus afflatu diuino inſpirati Patres VI. Concilij Pariſienſis ſub Ludouico Pio celebrati anno 829. eiuſmodi impios auſus deplorant ac reprimunt,

exaudire non grauentur, ſic enim eloquuntur iſti Patres, can. 45. * *Quidam noſtrorum verorum virorum relatu, quidam etiam viſu didicimus, in quibuſdam prouinciis contra legem diuinam, canonicámque inſtitutionem, fœminas ſanctis altaribus ſe vltrò ingerere, ſacratáque vaſa impudenter contingere, & indumenta ſacerdotalia Preſbyteris adminiſtrare, & quod his maius, indecentius, ineptiúſque eſt, corpus & ſanguinem Domini populis porrigere, & alia quæque quæ ipſo dictu turpia ſunt, exercere. Miranda ſanè res eſt, vnde is illicitus in Chriſtiana religione irrepſerit vſus, vt quod viris ſæcularibus illicitum eſt, fœminæ, quarum ſexui nullatenus competit, aliquando contra fas ſibi licitum facere potuerint. Quod quorumdam Epiſcoporum incuriâ & negligentiâ prouenisſe nulli dubium eſt. Vnde væ nobis Sacerdotibus, ad quos illorum Sacerdotum vitia tranſierunt, quæ in Machabæorum lib. 2. leguntur: quando ſcilicet Sacerdotes delegatum ſibi religionis officium poſtponentes, templo Dei ſacris officiis deſtituto, ipſi adeò carnalibus deſideriis & illicitis actionibus vacabant, vt mulieres ſacratis ædibus nullo prohibente ingererent, introferentes ea quæ non licebat. Quòd autem mulieres ingredi ad altare non debeant, & in Concilio Laodicenſi capitulo 44. & in decretis Gelaſij Papæ titulo 26. copioſè inuenitur. Hoc ergo tam illicitum factum, quia ex toto à Religione Chriſtiana abhorret, ne vlteriùs fiat inhibendum eſt: Proinde vnuſquiſque Epiſcoporum ſollicitè ſagacitérque prouideat, ne in ſua parochia tale quid fieri deinceps ſinat.* Plura profectò poſſent ex Patribus, & Conciliis omnium nationum pronunciata hîc coaceruari, quibus quàm longè remoueatur ſexus muliebris ab omni Clericali miniſterio, & ſacratum rerum diſpenſatione Eccleſiaſticæque hierarchiæ vel infimo gradu ac munere, prorſus perſpectum & exploratum foret: ſed nec ſinit præſtituta nobis breuitas ampliùs exſpatiari; nec exigit hic locus, vt vltrà progrediamur, cùm quæ compendio ſuperiori inducta ſunt documenra Patrum, Conciliorúmque decreta, & Iuriſperitorum vtriuſque fori ſententiæ, ſatis ſupérque ad lemma eiuſmodi, natiuæ ad ſacræ militiæ ordines & honores, mulierum incapacitatis confirmandum eſſe poſſe, non immeritò videantur. Quibus tamen ſi addere luberet Theologorum ſcholaſticorum, ad plenum exercitationis huius ſupplementum, problemata placitáque ſubiungere, parua admodum quæ dicta ſunt horum comparatione videri poſſent; cùm de ſexus muliebris origine, lapſu, infirmitate, ac multiplici defectu, tanta dixerint, ſcripſerint Doctores iſti, vt ſatius ſit Lectorem ad eorum commentarios ablegare, quàm hîc rentare vel quæſtionum titulos, & diſputationum programmata (plerumque inutilia) minutim ire deſcriptum. Tantam enim ſegetem haud licet exiguo manipulo complecti: quamobrem ab hoc arduo minúſque hîc neceſſariô conatu lubens ſuperſedeo: ſaluo tamen in cæteris, ſexus ipſius muliebris (qui à Deo pleraque habet eximia gratiæ & naturæ munera) integro iure: de quo opportuniore loco, dicturi ſumus, aliáſque iam diximus.

* Perſtringunt etiam his dictis Abbatiſſas & Moniales quaſdam, ſacra ſibi munia temerè arrogantes, & pluslógè quàm ſibi competeret arrogantes in Eccleſia Dei.

CAPVT II.

An datô, quòd mulier ſit ordinationis incapax: habilis ſit nihilominùs ad Tonſuram Clericalem ſuſcipiendam?

SI hîc de ordine ageremus, recta ratio exigeret, vt diſcuteremus primùm quæſtionem, *an mulier ſit capax ſuſcipiendæ ordinationis?* cùm in ſuſcipiente tria Theologi attendenda eſſe neceſſariò, videlicet ſexum, ætatem & qualitatem vnanimiter doceât. Verùm in hoc opere, de ordinibus Eccleſiaſticis ex inſtituto non tractamus, ſed ſolùm de Tonſurâ, quæ vt ſæpiùs iam ſuppoſuimus ordo non eſt, ſed duntaxat via, ianua, diſpoſitio, & præparatio ad ordinem, atque ad hunc ſe habet, vt catechiſmus ad baptiſmum, ac ſicut ad matrimonium ſponſalia. Illam igitur prætermittimus quæſtionem, quam ex inſtituto tractant, S. Thom. in 4. diſt. 25. q. 2. a. 1. S. Bonauentura q. 1. art. 2. Scotus q. 2. §. *hic breuiter*. Durandus q. 2. n. 6. Paludan. q. 3. art. 1. concluſ. 1. Almaïnus q. 2. Dominicus Sotus q. 1. art. 1. concluſ. 1. Viguerius in inſtitutionibus Theologicis c. 16. §. 6. X. 7. in princip. Silueſter in Summa, verbô *ordo*, 4. q. 1. Vaſquez diſput. 245. c. 2. Gammachæus comment. in 3. part. S. Thomæ de Sacramento ordin. c. 10.

Sed omnium luculentiſſimè accuratiſſimè ac eruditiſſimè hanc ipſam diſcuſſit quæſtionem, ſæpe iam non ſine meritâ laude memoratus Franciſcus Halier Profeſſor Regius Sorbonicus, in ſuo inſigni opere *de electionibus & ordinationibus ſacris*, ſect. 4. de ſuſcipiente ſacram ordinationem, ſeu de eius ſubiecto, toto c. 2. cuius titulus eſt, *de ſexu idoneo ſacræ ordinationi*. quod caput his diſtinctionibus conſtat, §. 1. oſtendit, apud Ethnicos & hæreticos quaſdam mulieres Sacerdotiſſas fuiſſe. §. 2. Mulieres ordinari lege prohibitum, nec vnquam in Eccleſia Catholica receptum. §. 3. Quô iure mulierum ordinario ſit prohibita? vbi reſoluit non Eccleſiaſticô tantùm iure, neque merè naturali, ſed diuinô, naturæ conuenientiſſimô mulieres à Sacerdotali ordine arceri. §. 4. Referuntur contrariæ in gratiam mulierum obiectiones duæ. §. 5. Referuntur obiectiones allatæ ex ſcriptura ſacra. §. 6. Tertium argumentum (petitum ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ penu) ſoluitur. In cuius ſolutione plurima de Diaconiſſis tractantur, & viduis. §. 7. de Monialibus, Aſcetriis & Canonicis, ad vltimæ obiectionis ſolutionem. §. 8. de Abbatiſſis ad eiuſdem argumenti ſolutionem. §. 9. Diſquitit an hermaphroditi ordinationis ſint capaces, vel puellæ in viros mutatæ? Facem igitur Soli eſſet admouere, poſt tam copioſæ quàm ſplendidæ diſſertationis lumen, huic materiæ vndequaque dilucidatæ, afferre quicquam lucis eniti; cùm in hoc ditiſſimo promptuario facile ſit reperire quicquid ad plenā & accuratam rei huius tractationē ſpectare poſſit. Er ego quidē is non ſum qui ſupplementi vice quicquā diatribæ adeò copioſæ præſumā ire poſſe additum. Quamuis enim fas ſit (vt in lib.

Google

ſacro Ruth legimus) abire poſt terga metentium & colligere ſpicas, quæ eorum fugerunt manus: attamen adeò ſolers & intentus Halerius meſſor eſt, vt nihil deciſæ ſegetis poſt ſe relinquat, quod à ſubſequente colligi poſſit; cùm rem aliquam aggreditur, ſic complectitur totam, vt operam perdere ſit aliquid poſt eum quærere. Vix tamen aliâ in re abſolutior fuit & accuratior, quàm in tractatione prædictâ, in quâ exhauſiſſe videtur quicquid eſt doctrinæ, & eruditionis theologicæ, hiſtoricæ, ac canonicæ, & ciuilis iuriſprudentiæ. Nihil igitur ampliùs mihi ſupereſt, quàm abſolutum adeò tractatum ſuo cum auctore mirari, & eum qui de quæſtione illâ plenè, planéque inſtrui voluerit, ad eum auſpicato monitu remittere.

Verùm hôc poſitô, quod eius ex diſſertatione reſultat, indubitato theoremate, *fœminas prorſus inhabiles eſſe ad ſacros ordines ſuſcipiendos, quin & minores:* Nihilominus exercitationis gratiâ, quam locus hic non ineptè poſtulat, diſquiſitum ire non verebor, Num *vt fœminæ cuiuſque ordinationis, ſic & Tonſuræ ſint omnino incapaces?* Nec eſt enim quòd quis præciſum mihi aditum ad hoc agitandum problema cauſetur, ex axiomate præfixo. Dato enim eiuſmodi antecedente, quòd mulier ſit omnis ordinationis incapax, ſequi ex eodem principio nec eſſe ſuſcipiendæ Tonſuræ idoneam. Non deſunt enim qui cum Paludano negant ex eiuſmodi antecedente, *quòd mulier inhabilis ſit ad ſacram ordinationem*, ſequi, eandem eſſe quoque Tonſuræ incapacem; quam idem Paludanus non ſolùm Tonſuræ, ſed & minoribus ordinibus (ſaltem accedente diſpenſatione) idoneam eſſe exiſtimauit; à quo non longè diſcedit Almaïnus q. 2. ſtatim à principio. Hos verò Halerius notam effugere grauioris reprehenſionis, cui obnoxij ſunt, qui fœminas iure etiam promoueri poſſe putant ad Diaconatum, vel ſaltem ad Subdiaconatum, disertè fatetur capitis præſignati §. 2. ſub finem. Excuſat eos etiam nonnihil Vaſquez, etiamſi iis minimè aſſentiatur: *Ex dictis*, inquit, *patet ſententiam Almaïni & Paludani non eſſe ita acriter notandam, ſicut hoc tempore à quibuſdam notari audiui: neque enim contra eam illa omnia ita manifeſtè pugnant, quæ contra ſententiam Cataphrygarum eſſe diximus.*

Opinio igitur Paludani expendi debet non leuiter, antequàm de eâ quicquam inde pronunciari poſſit. Præſupponendum eſt 1°. ſi eſſent quatuor minores & Tonſura Sacramentum, à Paludano eiúſque ſequacibus tum nequaquam inficiatum iri, huius & illorum minimè capaces eſſe fœminas, ſed de quatuor minoribus quòd ſint Sacramentum Paludanus ipſe concedit, at de Tonſurâ planè negat; vnde infert eâ poſſe fœminam ſaltem ex diſpenſatione Papæ inſigniri, ita vt factum teneret, *quia*, inquit, *Tonſura Clericalis iure Eccleſiaſtico conſtituta eſt*, ac proinde exiſtimat mulierem hoc ſolo iure incapacem eſſe illius; imò addit idem fore de minoribus ordinibus, ſi eodem iure Eccleſiaſtico ſolùm conſtarent; de illis enim aſſerit fore vt Pontifex mutare poſſet eorum materiam, formam, & recipientem.

Ad hæc Vaſquez. Ego verò exiſtimo, inquit, mulieres non tantùm iure eccleſiaſtico, ſed etiam diuino & naturali incapaces eſſe non ſolùm ordinis, qui eſt Sacramentum, ſed etiam primæ Tonſuræ & minorum

ordinum, quos non puto eſſe Sacramentum, ac proinde neque poſſe Pontificem abrogare prædictam legem. Ita vt indiſcriminatim mulieres aut Tonſurâ inſigniantur, aut minores ordines recipiant; neque cum aliquâ muliere vllâ de cauſâ diſpenſare, & eam relaxare. Nam quamuis hæc ſint ab Eccleſia inſtituta, ac proinde materia & forma à Pontifice mutari poſſit, tamen cùm ſint tanquam Sacramentalia, & præparationes ad Sacramentum Ordinis, eodem iure quo quis incapax eſt Sacramenti, eſt etiam incapax Tonſuræ & minorum ordinum, qui præparationes ſunt ad hoc Sacramentum: ſicut enim indecens iudicatur diuino iure mulierem maiores ordines ſuſcipere, indecens quoque iudicari debet ad eoſdem ordines ab Eccleſiâ vllo modô præparari; ac proinde, cum nullo Pontifex in hac ſua lege diſpenſare poterit.

Sed hæc ratio parum premit Paludanum & aſſeclas eius, quorum ſi liceat patrocinium ſuſcipere, reſponderi poſſet; eâdem ratione effici mulieres Confirmationis incapaces, ac Tonſuræ: ſeptimum enim Concilium generale expreſſè ſtatuit neminem ad Tonſuram admitti qui confirmatus non fuerit Epiſcopalium manuum impoſitione. Quod etiam conſtituit Concilium Tridentinum. Igitur Confirmatio eſt præparatio ad Tonſuram, atqui fœmina eſt incapax Tonſuræ vt contendit Vaſquez, igitur & Confirmationis, quæ quidem eſt diſpoſitio ad Tonſuram. Excipiet at verò, valere Cõfirmationem ad alios effectus. Adiicio igitur quòd Diaconiſſa olim cùm initiabatur, recipiebat manuum impoſitionem *; ſed ex Vaſquez principiis mulier eſt incapax Leuiticæ ordinationis, igitur & manuum impoſitionis. Tamen impoſitionem eiuſmodi recipiebat, itaque quamuis non eſſet capax conſecrationis, attamen diſpoſitionis, ſeu deſignationis incapax non erat. Accedit iterùm quòd S. Paulus eaſdem exigit in Diaconiſſâ conditiones, ſeu diſpoſitiones quas in Diacono requirit, c. 1. Tim. 3. & tamen mulier ordinem ipſum Diaconatus per initiationem extrinſecam non recipiebat, capax igitur erat diſpoſitionis quamuis non conſecrationis. Nec porrò ſequitur ex eo quòd Tonſura ſit præparatio ad ordines, in eâ fœminæ conferendâ non poſſe à Papa diſpenſari; Tum enim Tonſura non foret in fœmina preparatio ad ordines, ſed dumtaxat diſpoſitio ad quædam officia Eccleſiaſtica, quorum functiones etiamnum fœminæ, ſcilicet Sanctimoniales, vidente & probante Eccleſiâ publicè exequuntur.

Sed Vaſquez inſtat, aliâ ſuccedaneâ argumentatione. Adde quod, inquit, adhuc munus & officium Tonſuræ, & minorum ordinum ſecundùm ſe minimè decere videntur mulieres. De minoribus ordinibus patet, quia ordinaros conſtituit in aliquo gradu inter Eccleſiaſticos, vt in tẽplo aliquo miniſterio fungantur, imò etiam loquantur & doceant, quod mulieribus minimè conuenire poteſt. Verùm illud inconueniens exigui eſt momenti, etſi enim valeat cõtra laïcas fœminas, viribus caret contra Abbatiſſas, & ſacratas Deo virgines. Nã Abbatiſſa in Eccleſiâ dignitatem habet, *c. indemnit. § Verùm, de elect. in 6.* & benedicitur ſicut Abbas, *c. memin.* 13. *de Accuſ.* Eique licèt non permittatur prædicatio ad populũ, poteſt tamen ſuas capitulariter monere & docere moniales, *c. Noua quædã de pœn. & rem.* Poteſtq; habere Clericos ſibi ſubiectos, *c. Dilecta de Maiorum & obed.* quorũ ipſa

* Etiamnum apud Græcos Diaconiſſæ ordinantur ſolenni ritu, & cùm ordinantur recipiunt ab Epiſcopo manus impoſitionem. Vide Euchologium tit. de Diaconiſſis p. 263.

Καὶ ἐν τῷ γίνεσθαι ταύτην τὴν εὐχὴν ὑπὸ τοῦ διακόνου, ὁμοίως τὴν χεῖρα ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς χειροτονουμένης ὁ ἐπίσκοπος, ἐπεύχεται οὕτως.

Δέσποτα κύριε, ὁ μηδὲ γυναῖκας ἀναθεμένας ἑαυτάς, καὶ βουληθείσας καθὸ πρέπουσαν λειτουργεῖν τοῖς ἁγίοις οἴκοις σου ἀποβαλλόμενος, ἀλλὰ ταύτας ἐν τάξει λειτουργῶν προσδεξάμενος· δώρησαι τὴν χάριν τοῦ ἁγίου σου πνεύματος, καὶ τῇ δούλῃ σου ταύτῃ βουληθείσῃ ἀναθεῖναί σοι ἑαυτὴν, καὶ τὴν τῆς διακονίας ἀποπληρῶσαι χάριν, ὡς ἔδωκας χάριν τῆς διακονίας σου Φοίβῃ, ἣν ἐκάλεσας εἰς ἔργον τῆς λειτουργίας. Παράσχου δὲ αὐτῇ ὁ θεὸς ἀκατακρίτως προσμένειν τοῖς ἁγίοις ναοῖς σου, ἐπιμελεῖσθαι τῆς οἰκείας πολιτείας, σωφροσύνης δὲ μάλιστα· καὶ τελείαν ἀπόδειξον δούλην σου· ἵνα καὶ αὐτὴ παρεστῶσα τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, ἄξιον τῆς ἀγαθῆς πολιτείας ἀπολήψηται τὸν μισθόν.

ipſa ſit caput, *gloſ. 1. in cap. 14. de exceſſ. Prælator.* Sed & de iure ſpeciali ſuper Clericos iuriſdictionem habere poteſt, qui eidem tenentur obedire. *eod. cap. Dilecta.* quos etſi excommunicare non poſſit, nec ſuſpendere ab ordine, poteſt tamen ſuſpendere ab officio & beneficio; *ibidem*, nam poteſt eadem conferre * Eccleſias & beneficia, & inſtituere Clericos in Eccleſiis ſui monaſterij, ſicut faciunt Abbates; habet enim monaſterij ſui liberam temporalium, & ſpirltualium adminiſtrationem ſicut Abbas, *cap. 2. de iis quæ fiunt à Prælatis*, &c. legeréque iam ei pridem licuit Euangelium in Eccleſiaſticis officiis, ſcilicet in matutinis, quamuis non in Miſſâ, quo ex munere habuiſſe titulum Diaconiſſæ innuit *gloſ. 1. in cap. Noua quædam, de pœnit. & remiſſ.* Sanctimoniales verò multa obeunt paſſim ordinum minorum officia, vt Lectoratus & Acolythatus: & ritu ſolenni cùm ab Epiſcopo benedicuntur & conſecrantur, accipiunt poteſtatem quotidiana præconia Deo publicô cultu perſoluendi, ſic enim legitur in Pontificali Romano: *Loco Diaconiſſatus virginibus conſecratis datur facultas incipiendi Horas canonicas, & legendi officium in Eccleſiâ. Pontifex igitur ſtans ante altare ſine mitrâ, virginibus conſecratis coram eô genuflexis dicit, Dominus vobiſcum. Reſpondetur, Et cum ſpiritu tuo. Oremus, Exaudi Domine*, &c. *Tum ſedet Pontifex acceptâ mitrâ, & tradit breuiarium illis, ambabus manibus ipſum tangentibus, dicens: Accipite librum vt incipiatis horas canonicas, & legatis officium in Eccleſiâ, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.* Hinc patet quàm abs re Vaſquez cenſeat officium Tonſuræ, & minorum ordinum non decere vllo modô mulieres, nec conuenire, vt ſicut ſimplices vel minores Clerici in templo aliquo miniſterio defungantur, quin & loquantur. diſtinguendum ipſi erat ſiquidem, de laïcis mulieribus, ac Sanctimonialibus, & virginibus Deo conſecratis. Vt enim hæc officia etiam minima laïcas mulieres dedecet in Eccleſiâ exercere: ſacris econtrà fœminis iure ipſo ſuæ conſecrationis, hæc exequi licet; nam hæc munera obire iiſdem Pontificali auctoritate conceditur: ſuíque ſtatus Deo dicati ratione eximuntur à plebe, & inter Eccleſiaſticas perſonas numerantur, adeò vt Clericorum potiantur priuilegiis. Vnde Monialis habet priuilegium Canonis, *ſi quis ſuadente*, contra iniicientem manus violentas in eam, *c. veniens 16. de ſent. Excomm.*

* Abbatiſſa Iotrêiis, ad quam ſpectat citatum caput *Dilecta.* confert oppidi ſui curam parœcialem plenô iure: & ego cùm eſſem Vicarius generalis Illuſtriſſimæ & Reuerendiſſimæ Principis D. Ioãnæ à Lotharingia incliti illius Monaſterij ad S.R.E. nullô mediô pertinẽtis, Abbatiſſæ, plenô iure contuli curam illius loci.

Pergit Vaſquez, addítque: de primâ verò Tonſurâ etiam probatur, quia quamuis per illam Clericus non ordinetur ad peculiare miniſterium intra ianuas templi, tamen ad ſeruiendum in templo aliquomodo deſignatur; mulieres autem nullomodo in templo ſeruire poſſunt, ſed quę ibi geruntur & dicuntur, videre & audire. Sed fruſtrà ſic inſtat. Nam & hinc patet ſolutio ex præmiſſis; ſicut enim de laïcis mulieribus planè concedi debet: meritò tamen negari poteſt de fœminis Deo conſecratis, quarum figura in veteri teſtamento præluxit: Exod. ſiquidem 38. mentio fit mulierum quæ excubabant in oſtio tabernaculi; erántque (vt notat R. Abraham) mulieres Deum colentes, quæ ſpretâ mundi vanitate, vt ſoli Deo placerent, ſpecula ſua ei obtulerant, inſtabántque deinceps orationi, ieiunio & ſeruitio Tabernaculi. De hiſce iterùm ſcriptura

Dd

meminit 1. Reg. 2. & 2. Machab. 3. Inter has vixit, & educata fuit Beata Virgo; quin & Anna propheti$\!$ſſa, de qua Luc. 2. Porrò ſub lege Euangelica Religioſæ, non modò in Iudæa, ſed toto quà fides patet orbe, ſeſe diuino cultui perenni conſecratione deuinxerunt. Quas, *flores Eccleſiaſtici germinis, & illuſtriorem gregis Chriſti portionem* Sanctus Cyprianus meritò appellat *. Sanctus Ignatius in fine ſuæ epiſtolæ ad Antiochenos, ſpectabili hâc commemoratione honorat; *Saluto cuſtodes ſacrorum veſtibulorum Diaconiſſas, ſaluto Chriſto afflatas virgines.* Sanctus Ambroſius lib. 1. de Virginibus, *militiam vocabat in terris Angelicam & caſtrorum Sulamitis noſtræ choros, Deóque gratas choreas, quæ relicto*, inquit, *parentum hoſpitio, tendunt in tabernacula Chriſti indefeſſæ milites caſtitatis, quæ Dei laudem perpetim canticis ſpiritualibus perſonant.* An hæ quæſo cum laïcis ſæculóque implicitis mulieribus numerandæ, atque ad has redigendæ iuris communis anguſtias, quibus ex vulgô fœminæ, vt ſuperiori articulo demonſtratum eſt, meritò coërcentur? Minimè verò.

* *Lib. de diſciplina & habitu virginum.*

Verùm quoad ius Tonſuræ Clericalis ſpectat, celebris alius Theologus, Philippus Gammachæus Sorbonicus Profeſſor, & ſui æui Theologorum Cato & Socrates; quaſcumque fœminas eſſe prorſus illius ſignaculi incapaces omninò contendit: breuiùs tamen ſe expedit ab hâc quæſtione, nam ex quo ſolos maſculos poſſe ordinari præſtituit, aliquáſque ſubiunxit rationes, quibus mulieres ab omni excludit ordinum etiam inferiorum gradu, de Tonſura duo hæc duntaxat obiicit. 1. Tonſura eſt gradus ad ordines. 2. Turpe eſt radi mulierem 1. Cor. 11. præcipuè publicè coram omnibus. Sed ad primum ex dictis iam patet reſponſio, tum quòd fateatur Paludanus iure communi fœminæ Tonſuram conferri non poſſe, ſed tantùm ex Apoſtolicæ Sedis priuilegio: tum quòd alia ſit ratio Tonſuræ in fœminis, quàm in viris: nam in viris eſt diſpoſitio ad ordines, etiam maiores. in fœminis foret tantummodò ad minora quædam officia, ex iis quidem dependentia, ſed iis non ita tamen annexa, vt abſque iiſdem nequeat eiuſmodi munerum, per alium quemdam modum Tonſuræ conceſſionis, functio demandari, accedente præſertim indulto Pontificio. Ad 2. cum bonâ tanti viri veniâ dici poteſt, latiùs quàm velit, & debeat hoc argumentum probare, neque enim ſolùm efficit vt Clericalis Tonſuræ expertes ſint quælibet mulieres: at probat inſuper nullatenùs decere fœminas tonderi. At publico ritu cernimus tonderi Sanctimoniales; nec id turpe exiſtimatur, ſed pium & honeſtum, cùm non ex iudicis ſententiâ, ſed religionis id fiat officio, diuinæ, que cui ſe ſolenni voto fœminæ ſacræ mancipant, affectu ac indicio ſeruitutis. Si itaque Clericali Tonſurâ, mandatô Sedis Apoſtolicæ, quædam inſignirentur, probro iis nequicquam verti poſſet, quòd fieret auctoritate legitimâ adeóque ſupremâ, & huius quæ ei debetur, plenæ obedientiæ religioſo obſequio.

Sed tamen hæc exercitationis gratiâ dicta velim: nam ſi quæ intimis hæret præcordiis, hâc de re ſententiam prômete quis in medium me iubeat, ingenuè ſic mentem aperiam, vt nequaquam Paludani, & Al-

maiini aſſentiar placitis: non quòd rationes ſuperiùs ab aliis adductæ, me in aduerſum moueant, quas minimè efficaces eſſe euicimus, ad eorum opinionem quâ par eſt ſoliditate refellendam; ſed quòd maioris efficaciæ perſentiam obices, quibus me fateor ne eis acquieſcam præpediri. Sanè non ſemel diſputatorum illorum ægrè tuli importunam ſolertiam, qui vt quacumque viâ quæ volunt aſſequantur, fingunt metaphyſicos caſus, nec verentur ſummam Eccleſiæ poteſtatem in ſuorum paradoxorum tutelam, & ſubſidium (haud ſine eiuſdem iniuriâ) inanibus ſuis argutiis arceſſere. Quid enim opus erat comminiſci ratam fore Tonſuràm Clericalem, ſi ſummus Pontifex Apoſtolico mandato vnquam præciperet, hâc mulieres indiſcriminatim myſticâ teſſerâ inſigniri? Non hoc vllus Pontifex hactenùs fecit, nec quiſpiam id facturus aliquando præſumendus eſt, piè & reuerenter ſentienti de Sedis Apoſtolicæ dignitate atque prudentiâ. Sed argutatur Paludanus ex hypotheſi: At ſi hoc faceret aliquando Pontifex? Reſpondet apertè Vaſquez, Pontificem hoc non poſſe: cuius Theologi etſi ratio hâc de re non adeò firma videatur, aliunde tamen ipſa eius reſponſio videtur poſſe confirmari. Siquidem etſi Papa plenitudinem habeat in Eccleſiâ poteſtatis, tamen omnia debet facere cum magna conſideratione vt non poſſit reprehendi; *gloſ. 1. in c. cum eô, de reſcriptis.* Eius enim officium eſt remouere ſcandala, non facere. *c. 1. de exceſſib. Prælator. lib. 6.* Sunt verò multa quæ ei Deus non permiſit, *gloſ. præſente in add. in cap. 1. de ſtat. reg.* quæ ideò ſi aggreditur, peccat. Inſuper *can. ſicut & ibi gloſ. fin. diſt. 15.* expreſſè docetur, quòd Papæ venire non licet contra decreta Concilij in iis quæ pertinent ad fidem, & ſalutem ac generalem ſtatum Eccleſiæ; atqui in caſu qui vertitur, Papa perturbaret ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ, ſi mandaret Clericali Tonſurâ paſſim inſigniri mulieres: ſic enim omnes mero ex ambitionis pruritu ſe ſe Clericas fieri expeterent, & ſic impeterent ſtatum Eccleſiæ; tollerent enim, quantùm ad ſexum ſuum, differentiam Cleri & plebis, nec contentæ forent hoc priuilegio, quô ſibi licere contenderent quædam obire officia Eccleſiaſtica, ſed ad ordines quoque ſibi aditum patentem eſſe ſibi perſuaderent, & ad minores ſaltem ordines inſtarent promoueri: nec earum petulantiæ facile eſſet ponere obicem, cùm viri mulieribus ſoleant eſſe indulgentiores: inde igitur ſcandala ferè innumera ſuborirentur. Sed Vaſquez non dicit ſolùm quòd Papa peccaret ſuâ ſic auctoritate abutens, ſed præciſè cenſet quòd non poſſit: nec enim ex quo Papæ aliquid non licet, ſequitur quòd ſi facit, irritum ſit. peccat ſiquidem, at nihilominùs plerumque valet quod fieri præcepit. At quando dicunt Theologi, qui in terminis valde circumſpecti eſſe ſolent, id Papam non poſſe: hoc non de facto tantùm intelligunt, ſed de iure, adeò vt ſi iubeat Pontifex non quod non debet, ſed quod non poteſt, quicquid perinde fit, ſit inualidum & irritum, ex ipſo defectu poteſtatis quam ad hoc Chriſtus ſuo vicario non conceſſit. *Nec enim*, vt ait Apoſtolus, *Dominus dedit poteſtatem ad deſtructionem, ſed ad ædificationem.* Nec audiendi veniunt contra Theologos Canoniſtæ diſtinctione vmbratili hoc argumentum eludentes, dum ſcilicet dicunt, quum dicitur Papa id

non poſſe facere quod non eſt de iute, *id eſſe intelligendum de ordinariâ poteſtate, non de abſolutâ*, quâ argutiâ reſoluunt dumtaxat, *non poteſt*, per *non debet*, ſubintelligendo, ſi quid Papa faciat eiuſmodi, contra ius quidem id facere, peccare igitur iniuſtitiâ, tamen actum valere, cùm abſolutè poſſit ſupereminenti ſuâ auctoritate, quod aliàs ius illi non permittit. Ego verò etſi nemini hactenùs ceſſerim in cultu & reuerentiâ Apoſtolicæ Sedis, & non neſciam in manu Papæ eſſe diſpenſare contra ius Eccleſiæ poſitiuum, tamen citra maieſtatis ipſius ſummi Pontificis violationem & conſcientiæ teatum, exiſtimo piè & Catholicè dici poſſe, quædam eſſe (tametſi pauca) quæ à Pontificis non pendent imperio. Axioma certè fidei eſt, nihil eum poſſe contra ius diuinum. *Cap. ſignificaſſe, & ibi gloſ. paſce, & can. vt conſtitueretur, diſt. 50.* neque contta traditiones Apoſtolicas pleraſque. Id verò, *pleraſque*, dixi ſignatim, nam quædam traditiones ſunt temporales, vt prohibitio vtendi ſuffocatis & ſanguine, Act. 15. Aliæ verò perpetuæ, vt ieiunium Quadrageſimæ, ſignum Crucis, precationes pro mortuis, aquæ cum vino petmixtio in calice, chriſmatis confectio & conſecratio. At verò circa ttaditiones non Eccleſiaſticas modò, ſed etiam Apoſtolicas, quas Apoſtoli poſitiuas, & mobiles eſſe voluerunt, locum eſſe Pontificiæ diſpenſationi, Catholicorum nemo eſt, qui ire queat inficias. Sed non ſic circa eas quas Apoſtoli ſanxerunt iuris eſſe perpetui & immobiles; de iis enim intelligendum venit quod ſcripſit dudum Zozimus Papa ad Epiſcopos Prouinciæ Narbonenſis, *Contra ſtatuta Patrum condere aliquid vel mutare, nec huius quidem Sedis poteſt auctoritas, apud nos enim inconuulſis radicibus viuit antiquitas, cui decreta Patrum ſanxêre reuerentiam.* refertur *can. Contra. 25. q. 1. n. 7.* Enucleatiùs canon proximè antecedens rem exprimit, qui huius tenoris eſt: *Sunt quidam dicentes Romano Pontifici ſemper licuiſſe nouas condere leges; Quod & nos non ſolùm non negamus, ſed etiam valde affirmamus. Sciendum verò ſummoperè eſt quòd inde nouas leges condere poteſt, vnde Euangeliſtæ aliquid, & Prophetæ nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus, vel eius Apoſtoli, & eos ſequentes Sancti Patres ſententialiter aliquid definierunt* (ſcilicet accedente ſummæ Sedis auctoritate, ac vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu*) *ibi non nouam* (videlicet quæ aduerſetur) *legem Romanus Pontifex dare, ſed potiùs quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet: ſi enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ deſtruere* (quod abſit) *niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur. Sed procul hoc ſit ab eis qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt.* Leo Magnus aliquid amplius cenſuit, cùm contra ambitum Conſtantinopolitani Epiſcopi, iura Sedis Apoſtolicæ defendens, canonem Concilij Nicæni I. Oecumenici vt obicem ineluctabilem obiecit: *Nicænæ Synodi fixa decreta* (inquit epiſt. 54. ad Marcianum Auguſtum) *nullâ poſſunt improbitate conuelli, nullâ nouitate mutari; in quo opere auxiliante Chriſto fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum pertinet reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum quæ in Synodo Nicænâ ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Sancto inſtruente ſunt conditæ, me, quod abſit, conniuente violentur.* Vbi etiam ſibi auctoritatem præcidere

* ſcilicet in iis quæ nō ſunt diuini iuris. Etenim quæ hôc nituntur, opus nō habent eiuſmodi adminiculis iuris Eccleſiaſtici.

videtur, derogandi huius Concilij Canonibus, qui ad vniuerſalis Eccleſiæ ſtatum ſpectabant, erántque recepti vniuerſalis Eccleſiæ conſenſu. Vnde ad Anatolium Epiſcopum Conſtantinopolitanum epiſt. 53. quâ ambitum eius reprimit, ſic ait, *Tanto diuinitùs priuilegio Nicæna eſt Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitùs auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum fuerit conſtitutione diuerſum.* Et infrà, *Sancti illi & venerabiles Patres qui in vrbe Nicænâ ſacrilego Arrio cum ſuâ impietate damnato, manſuras vſque in finem mundi, leges Eccleſiaſticorum canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſiquid vſquam aliter quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur.* Ibi notandum tamen quòd hanc propriam eſſe prærogatiuam Concilij huius proto-œcumenici aſſeuerat: in poſteriorum decretis, etſi probatis & receptis, tanti ponderis inſinuans auctoritatem non ineſſe, vt variari nequeant Apoſtolicæ Sedis iudicio & decreto, quando ſcilicet non pertinent ad fidem, vel ſalutem, vel ſtatum perennem vniuerſalis Eccleſiæ, ſicut ſuprà, ex can. *Contra. & can. ſicut vir.* indicatum eſt.

At his obiter annotatis, ad rei cardinem vt redeam, dico Tonſuram Clericalem, quâ ſoli maſculi hactenùs inſigniti ſunt, & inſigniti poſſunt, non ex mera conſuetudine Eccleſiaſtica, vel quacumque Synodicâ aut Pontificia ſanctione fluxiſſe: ſed veram & propriam eſſe Apoſtolicam traditionem, quemadmodum à Patribus nonnullis disertè appellatur, totóque lib. 1. huius operis contextu patenter fuit demonſtratum. illam igitur mutari non poſſe à Pontifice quoad ſubſtantialia, eò quòd non ſit temporalis ſed perpetua, vt ex eius continuo vſu, qui ab Apoſtolis manans hûc vſque perſeuerauit, & vbique & ſemper, & ab omnibus ſeruatus eſt, manifeſtè conſtat. patet enim ex continuâ quam prætexuimus ſacrorum monimentorum inductione, quantâ conſtantiâ ſic fuerit in vniuerſali Eccleſia cuſtoditum, nec extiterit vnquam Concilium aut Pontifex à quibus contra illam traditionem diſpenſatum, vel eidem derogatum fuerit: quin potiùs ab iis eâ ſemper fuit religione obſeruata, eâ inſtantiâ commendata, vt maiori cura & ſollicitudine cuſtoditi, vel auctoritatis impetio commẽdari non potuerit, cùm anathemate refragatores percutiant, & apoſtaſiæ notâ inurant circa eius obſeruationem delinquentes. At res explorata eſt, traditiones ab Apoſtolis editas in perennem obſeruantiam (vt de aliis huius ſpeciei ſuprà ſignatis palam eſt) à Pontifice, vel Concilio non poſſe abrogari: tum quòd ſi Papa non poteſt naturam rerum immutare ſubſtantialia vnius rei alij applicando in iis quæ iuris poſitiui ſunt, vt docet *gloſ. Dei veri, in cap. quanto, de tranſlatione Epiſcoporum*, multominùs poterit in traditionibus Apoſtolicis quæ iuris ſunt perpetui, id quod de natura rei eſt, & ad ſubſtantiam pertinet, mutare: v g. ſunt Theologi qui tametſi concedant à Papa committi poſſe ſimplici Preſbytero vt Sacramentum Confirmationis adminiſtret, non poſſe tamen contendunt illi impertire poteſtatem cõſectandi chriſmatis, quod materia eſt huius Sacramenti, quandoquidem ex traditiõne Apoſtolicâ Eccleſia accepit materiam huius Sacramenti à ſolo Epi-

ſcopo poſſe benedici & conſecrari: at maiori ratione dici poteſt, non poſſe circa confectionem chriſmatis Pontificem ſuo quouis decreto efficere, vt alia ſit, quàm quæ ab Apoſtolis fuit diuino ex afflatu præſcripta, balſamum ſcilicet cum oleo ex oliua permixtum, adeò vt ſi quis etiam Epiſcopus ex iuſſu Pontificis vinum cum oleo infuſum pro materia huius Sacramenti conſecrare aggrederetur, nihil prorſus efficeret (quin & ipſe Papa ſi hoc faceret) cùm non poſſit naturas rerum immutare & ſubſtantialia vnius rei alij applicare; à ſimili igitur nequit præſtare Pontifex ſuo mandato, vt fœmina quæcumque Tonſurâ Clericali inſigniatur, eô quòd traditio illa Apoſtolica, quæ perpetuo vſu ſeruata eſt, & vt perſeueraret in perenni obſeruantia, data fuit; ſit ſua ex natura immobilis & inuiolabilis, potiſſimùm quoad ſubſtantialia. Nihil verò magis intrinſecum eſſe rei alicui poteſt, quàm ipſum ſubiectum. Atqui ſolus ſexus virilis, vt ex perpetua Eccleſiæ praxi cuique patet, eſt fuítque habitus ſemper proprium ſubiectum ipſius Tonſuræ Clericalis, quapropter hoc ius nequit ad ſexum muliebrem detorqueri, vllo Pontificis iuſſu, quoniam ſic natura rei immutaretur, & ſubſtantiale quod eſt in ea applicaretur ad aliam, huius fortè etiam naturaliter incapacem. At verò ipſum Ius Pontificium agnoſcit, hoc non ſitum eſſe in poteſtate Pontificis; cuius tamen iudicio, ac beneplacito tam hoc ſyntagma theologicæ ac canonicæ exercitationis, quàm quicquid antehàc ſcripſimus, poſteáque ſumus ſcripturi, planè ſummiſſum eſſe, vt aliàs ſumus non ſemel vltro profeſſi omni cum cordis puritate, & demiſſione proprij iudicij, intendimus ac volumus.

CAPVT III.

De ætate legitima ad Tonſuram ſuſcipiendam.

CANON hac de re inſignis ex epiſt. 1. Zozimi Papæ ad Iſychium, cap. 3. refertur in Iure Eccleſiaſtico diſt. 77. can. 2. inſcripto, *quæ interualla temporis in ſingulis gradibus ſeruanda ſint?* hôc ſub tenore: *In ſingulis gradibus hæc tempora ſunt obſeruânda: ſi ab infantiâ Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit, vt inter Lectores & Exorciſtas quinquennio teneatur, exinde Acolythus: vt Subdiaconus 14. annis fiat, & ſic ad benedictionem Diaconatus, ſi meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, ſi inculpatè ſe geſſerit; hærere debebit; Exinde ſuffragantibus ſtipendiis per tot gradus datis fidei propriæ documentis, Preſbyterij Sacerdotium poterit promereri: de quo etiam ſi eum exactior ad bonos mores vita perduxerit, ſummum Pontificatum ſperare debebit.* Et infrà: *defenſores etiam Eccleſiæ qui ex Laicis fiunt, ſupradictâ obſeruatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine Clericatus;* Id eſt Clero adſcribi per Tonſuram, quæ ad ordines Eccleſiaſticos tam minores, quàm maiores viam ſternit & ianuam aperit.

Porro ſingulas partes huius Canonis hîc non deſcribendas ſuſcipio, ſed eam dumtaxar operæ pretium fore reor ire expenſum, quæ propriè

Digitized by Google

ad noſtrum præſens inſtitutum referri poteſt: hæc verò in iis canonis verbis primordialibus conſtat, *Si ab infantiâ Eccleſiaſticis miniſteriis nomen dederit;* id eſt, ſi prælibatis litteratum primis elemenris, primitias ſuſceperit Clericatus per ſpectatam militiæ Eccleſiaſticæ teſſeram, quæ ipſa Tonſura eſt Clericalis, gloſ. *ſi ab infantiâ.* in illum canonem, ætatem eiuſmodi verbo præſcriptam, ſic exponit, id eſt *à ſeptimo anno* C. *de iure deliberandi* L. *ſi infantium.* Sed can. 2. Concil. Tolet. relatus diſt. 28. c. 5. magis perſpicuè fauet huic ætati, ita enim præfert, *De iis quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipauit, ſtatuimus obſeruandum, vt mox detonſi, vel miniſterio Clericorum traditi, in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ à præpoſito ſibi debeant erudiri. At vbi octauum decimum ætatis annum compleuerint,* &c. quę ad ætatem ſpectãt ſuperioribus gradibus præfixam. Vbi gloſ. *infantiæ:* per hoc vocabulum *pueritiam* exponit, quæ ab anno incipit ſeptimo, in quo infantia deſinit, non ſolùm ſecundùm Iuriſperitos, ar etiam Medicos: Hippocrates enim (ſicut libro de die naturali prodit Cẽſorinus) ſeptem humanæ ætatis memoratur cõſtituiſſe gradus, ac primum quidem anno ſeptimo terminaſſe, ſecundum quartodecimo, tertium duodeuiceſimo, quartũ triceſimo-quinto, quintum duode-quadrageſimo, ſextum ſexageſimo-primo, ſeptimum ad vitæ coronidem protendit. Cuiuſmodi diuidendi modum Galenus etſi non ſequatur (de definitionibus medicis) quatuor tantùm ætates conſtituens, iuuenum, vigentium, mediorum, ſenum: tamen tam ipſe, quàm alij ante ſeptennium vix agnoſcunt formatam vllam ætatem, quæ iure aliquo denominari poſſit. Præclarè profectò cecinit de vita humana Auſonius,

> *Senſus abeſt paruis lactantibus, & puerorum*
> *Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes.*

Eſt de fide in Eccleſia paruulos piè, & ſalutariter baptizari, vt polemici Theologi euincunt contra Anabaptiſtas, eorúmque anteſignanos Balthaſſarem Pacimontanum & Bernardũ Rothmannum, qui aduerſùs Eccleſiæ Catholicæ conſtantem doctrinam, & cõſuetudinem continuam docere non exhorruerunt paruulos haud eſſe baptizandos, & ſi baptizati fuerint, iterùm baptizandos eſſe, quando erunt adulti. Vide Ioannem Cochlæum de actis & ſcriptis Lutheri, & Hoſium lib. 1. de hæreſibus noſtri temporis. Michael Seruetus vlteriùs in impietate progreſſus eſt, non enim vllum hominem ante annum ætatis 30. baptizari voluit. Non ita turpiter errauerat Ludouicus Viues (quemadmodum vir quidam doctus & prudens magiſque pius, ſenſatè iuxtà ac verè cenſuit) in politioribus litteris doctior, quàm diuinarum peritus, qui in ſcholiis in lib. 1. S. Auguſtini de Ciuit. Dei, cap. 27. ſic ſcribit; *Nequis fallatur, nemo olim ſacro admouebatur baptiſterio, niſi adultâ iam ætate, & cùm idem ipſe & ſciret quid ſibi myſtica illa vellet aqua, & ſe ablui illâ peteret, nec ſemel peteret.* Diù antè ſemen periculoſæ huius perſuaſionis ſparſerat, inconſideratè ſatis Walfridus Strabo, Monachus Fuldenſis, Rabani diſcipulus, cæteroquì pietatis ac doctrinæ vir inſignis, qui libro quem inſcripſit de rebus Eccleſiaſticis hæc ait: *Notandum deinde primis temporibus illis ſolummodò baptiſmi gratiam dari ſolitam, qui & corporis & mentis integritate, iam ad hoc perue-*

nerant, vt ſcire & intelligere poſſent quid emolumenti in baptiſmo conſequendum, quid confitendum, quid credendum, quid poſtremò renatis in Chriſto eſſet ſeruandum. Refert ſiquidem venerabilis Pater Auguſtinus de ſe ipſo in libris Confeſſionum ſuarum, quòd penè vſque ad 25. annorum ætatem Catechumenus perdurauit, eâ videlicet intentione, vt per hanc temporis moram de ſingulis edoctus, ad eligendum quodlibet, liberò duceretur arbitriò. Hæc ille, qui tamen benignè ſic explicari poteſt, vt per prima tempora, intellexerit, non prima quæuis religionis Chriſtianæ ſæcula, ſed ipſius cunabula, & prima prorſus exordia Eccleſiæ, quibus primùm adultos Chriſto conciliare neceſſe fuit, quàm infantes: nec enim quiſquam infantulum baptizare aggreſſus fuiſſet, niſi parentibus offerentibus, qui ſanè Chriſtiano lauacro tingi illum non poſtulaſſent, niſi ipſi iam Chriſto dediſſent nomen, eiúſque fidem amplexi, & baptiſmi gratiam conſecuti fuiſſent. Alioquin enim ſemper vſu receptam in Eccleſiâ paruulorum myſticam ablutionem, res tam certa eſt, quàm certiſſima. Præter edictum enim Domini peremptorium, quô apud Matth. ait c. 19. *Sinite paruulos, & nolite prohibere eos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum;* certè conſtans eſt Eccleſiæ fides, morem illum ſalutarem regenerandi paruulos lauacro vitali ab Apoſtolorum traditione fluxiſſe, quàm agnoſcunt & referunt S. Dionyſius Eccleſiaſt. hierarchiæ c. 7. S. Cyprianus epiſt. 59. Origenes in epiſtolam ad Romanos, Gregorius Nazianz. orat. in S. lauacrum, Cyrillus Hieroſolym. Catech. I. myſtag. S. Auguſt. lib. 10. de Geneſi ad litteram cap. 24. & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas c. 24. Quem ipſum morem ab vniuersâ Eccleſiâ obſeruatum abhinc fuiſſe reſtatur idem S. Auguſtinus epiſt. 28. & lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſ. cap. 6. 7. 8. & 9. & lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagian. c. 8. & lib. 2. contra Iulianum cap. 3. nec non S. Hieronymus lib. 3. cont. Pelagianos ſub finem, vbi citat expreſſim S. Cypriani teſtimonium ex epiſtola prædicatâ. Denique vt paucis multa concludam, Concilium Mileuitanum can. 2. anathemate eum damnat, qui negat paruulos baptizandos, recens egreſſos ab vteris matrum. *Item placuit* (ait vetus illa Synodus) *vt quicumque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur; vnde fit conſequens, vt in eis forma baptiſmalis, in remiſſionem peccatorum, non vera ſed falſa intelligatur, anathema ſit: quoniam non aliter intelligendum eſt quod ait Apoſtolus, per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica, vbique diffuſa ſemper intellexit: propter hanc enim regulam fidei, etiam paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remiſſionem, veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur quod generatione traxerunt.* Ætas igitur non attenditur in hoc Sacramento, ſed neceſſitas & vtilitas, ſine quâ nec gratia, nec ſalus à quoquam hominum ſperari poteſt.

At in Tonſurâ non ſic, quoniam huiuſmodi neceſſitatis non eſt, nec vtilitatis, & alia ſupponit, quæ nequaquam in baptiſmo propter inſtârem eius neceſſitatem, & affluentem primæ gratiæ copiam, requiruntur.

Conci-

Concilium generale VII. neminem etenim Clericali Tonſurâ permittit inſigniri, quin priùs ab Epiſcopo receperit myſticam manuum impoſitionem, hoc eſt Sacramentum Confirmationis fuerit adeptus. Refert enim hoc Concilium can. 14. quoſdam fuiſſe *νηπιόθεν τὴν κουρὰν τοῦ κλήρου λαβόντας, μήπω δὲ χειροθεσίαν παρ' ἐπισκόπου λαβόντες*, *qui à puero accepiſſent Tonſuram, cùm nondum ab Epiſcopo manuum impoſitionem ſuſcepiſſent*, inſigniti ſcilicet Tonſurâ (vt mos inualuerat) à preſbytero, antequam ab Epiſcopo confirmati; id verò hoc Concilium interdicit; cuius veſtigiis inſiſtens Oecumenicum itidem Concilium Tridentinum ſeſſ. 23. c. 4. decreti de reformat. ſic ſtatuit, *Primâ Tonſurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quíque legere & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis coniectura non ſit eos non ſæcularis iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidum cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe.*

Hûc ſpectârunt antiquiores Canones, qui vetant quemquam ante ſeptimum ætatis annum Tonſurâ inſigniri, qua fit in album Clericalis militiæ ſolennis adſcriptio: neque enim ante hanc ætatem cuiquam naturali curſu ſuppetit, iis eſſe dotibus inſtructum quæ neceſſariæ ſunt ad eiuſmodi inſtitutum. Quis enim ita impos eſt mentis, vt ſibi perſuaderi, ſeu potiùs imponi ſinat, infantem qui annum ſeptimum nondum attigerit, expeditè ſcire legere, ſcribere, & quod longè grauius eſt, de fide reſpondere, quin & fidum Deo cultum polliceri, ſeſéque è vulgi turba ſegregari, & in Clerum cooptari, quo diuinis obſequiis dedicetur ſponte ſuâ, ſuâque ex ſcientia rectè & piè, vt decet, poſtulaturum; cùm vix adulti vegetiores, qui ſunt ſatis aptè & congruenter inſtructi, his poſſint canonicis præfixionibus ſatisfacere. Sanè lex Pontificia *cap. Nullus, de temp. ordinat. in 6.* diſtrictè cuilibet Antiſtiti prohibet conferre Tonſuram Clericalem infanti, vel illiterato, ſeu coniugato, ſeu extraneo: Extraneo ob defectum ſubiectionis, coniugato libertatis, illiterato ſcientiæ, infanti ætatis, quam gloſa reuocat ad ann. 7. ſed non edicit inchoatum vel perfectum; at abſolutum non inceptum modò, iura præallegata, præmiſſáque rationum momenta intelligendum inſinuant, léxque illa ſeptimi Concilij generalis, & Tridentini etiam Oecumenici planè perſuadet, quæ prohibet quemquam primâ Tonſurâ initiari, niſi qui Sacramentum Confirmationis antehac ſuſceperit: quod ante exactam infantiam, quæ anno ſeptimo explicit, nemini conferri ſolet neque debet.

Sanè negare non poſſum diù in Eccleſia, etiam Occidentali, hanc obſeruationem viguiſſe, vt ſtatim poſt Baptiſma, Confirmatio impertiretur, qui mos tamen, adultorum præſertim intuitu, inuectus, vt candidè Vicecomes agnoſcit lib. 5. de antiquis Bapt. ritibus cap. 32. in vſu quoque eſſe deſiit, ceſſante iam paſſim adultorum baptiſmô, quod idem Auctor à tempore Caroli Magni contigiſſe autumat. Verùm hoc notandum quòd collatô baptiſmô adultis, ſtatim Euchariſtia porrigebatur; cuius ſuſcipiendæ pueri non ex defectu puritatis, at iudicij iampridem ab Eccleſia iudicati ſunt incapaces, neque enim *diiudica-*

re poſſunt *corpus Domini*, vt exigit ſummopere Apoſtolus, 1. Cor. 11. qua ex ratione hodie vix ante decennium pueri ad diuinam Synaxim admittuntur; cùm ſcilicet hauſtis Chriſtianæ catecheſis ſufficienti inſtitutione documentis, mentéque firmiori iudiciô roboratâ, fidéque auctâ ex continuo pietatis cultu, & inſimul delibatâ ſpeciali notitiâ tanti Sacramenti dignitatis, poſt ſedulum examen Paſtoris, diuinæ menſæ fiunt primùm participes. Optandum eſſet, vt ſicut Tonſurâ Clericali, initiari non debent ante ſuſceptionem Sacramenti Confirmationis, ſic nec antequàm idonei eſſent diuinæ Synaxi. Hoc etiam ſperare Eccleſia, & aliquid vltrà exoptare videtur, cùm enim quædam Pontificia ſtatuta indulſerint annorum ſeptem pueto, ſimplex beneficium obtinere, quoniam eâ ætate primâ Tonſurâ inſigniri poterat, *gloſ. ætatem, in cap. ſi. Eo tempore de Reſcriptis lib. 6.* Concilium Tridentinum tamen aditum ad beneficium quantumuis ſimplex, patere cuilibet ante annum ætatis 14. prohibuit prælaudatâ ſeſſ. 23. decr. de reform. c. 6. *Nullus* (inquit) *primâ Tonſurâ initiatus*, &c. *ante decimumquartum annum, beneficium poſſit obtinere.* Quę regula ſi inconcuſſa vigeret, ab Eccleſia longè illa dedecora abeſſent, quibus pueros ſeptennes, virgis adhuc expoſitos, beneficia inſignia titulo, & prouentu quàm opima, cernimus occupare, ſeu, hæc potiùs ab eorum parentibus, eorum ſub nomine turpiter detineri. Neque ad ſignaculum Tonſuræ videre eſſet confluere certatim puerorum, quin infantium potiùs, numeroſa examina eò impulſorum à parentibus, qui non alia de cauſa eos hôc Clericali charactere inſigniri volunt & faciunt, quàm vt ſub vmbratili hâc teſſerâ militiæ Eccleſiaſticæ, immeritis ineptíſque tyrunculis collatâ, Sanctuarij Dei iura ſuffurentur ſpecioſo quidem prætextu, at ſacrilegâ aſtutiâ. Sed his præciſis propudioſis artibus, ipsíſque auctoribus ſuis infauſtis fallaciis; Cleri candidatos conſpicere eſſet auſpicatiori ad Eccleſiaſtica munia acceſſu venire, feliciorique in his ſe habere ſucceſſu. Quamuis enim anno 14. ætatis adhuc ſub iure, & cura forent parentum, vel aliorum ad quorum pertinerent regimen ac tutelam, nihilominùs maturiori iudicio, liberiorique delectu Clericalem ſtatum amplecterentur, huícque ſe compararent accuratiori ſtudio, atque quò meliùs diſpoſiti ad Eccleſiaſticam profeſſionem conuolarent, eò faciliùs atque feliciùs ad ea quæ eius ſunt munera progrederentur; nec tam latè pateret parentum aut aliorum qui eorum nomine & titulo abutuntur, licentiæ locus, qui interim ac adoleuerint, res ſacras ad vſus ſuos conuertunt, vllâ vix differentiâ inter ſacrum & profanum adhibitâ, dummodò ſuis inſeruiant commodis, ob quæ non propter Dei honorem, vel Eccleſiæ vtilitatem, aut ſalutē ipſorum paruulorum eos incogitantes ac rerum ignaros, ad Clericatum temerè, præcipitanter & fraudulenter, plerumque etiam coactiuè impulerunt. Luctuoſis verbis S. Bernardus infelicem hanc nouitiorum eiuſmodi Clericorum vicem lamentatur, & deplorat, ſerm. de verbis Euangelij, *Dixit Simon Petrus ad Ieſum, Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te?* vbi ſic eos alloquitur: *Videte vocationem veſtram, ait vocatus Apoſtolus, conſideremus & nos, an vocati venerimus, &*

S. Bernard. oper. col. 999.

vocati à Deo? cuius nimirùm hæc vocatio eſt, quia quos prædeſtinauit hos & vocauit; ſed quis vocauerit vos in honorem Cleri conuenire velim conſcientias veſtras, vt ſecundùm præceptum Domini ad cor Ieruſalem loquar. Huic enim paruulo adhuc, aut forſitan nedum nato Eccleſiaſtica iam beneficia, prouida ſanè parentum ſollicitudo parabat. Hunc nos inquientes illi vel illi tradamus Epiſcopo; apud quem habemus gratiam, aut cui fortè ſeruiuimus, vt ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos noſtra diuidatur hæreditas. Illum Præpoſitus aut Decanus, vt ſibi ſuccederet, pluſquam materno educauit affectu in delicijs nutriens ac delictis; ille dignus Archidiaconatu vt pote filius principis, magis autem ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, in quo nimirùm tota eſt epiſcopata progenies. Alius vndique circuit ſedulus explorator, exblanditur, obſequitur, diſſimulat miſeráque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus & pedibus repens ſi quo modò tandem aliquando ſeſe ingerere queat in patrimonium Crucifixi, & bona Domini, quæ ſola ex omnibus hodie videntur expoſita. Et infrà: *Quis eâ intentione gradus Eccleſiaſticos, & munera Sanctuarij quærit, imò quæritur, quæri namque quàm quærere ipſe debuerat, vt ſine curis ſæculi, in ſanctimoniâ cordis & corporis, illuminatus accedat ad Dominum, & ſuam pariter ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis. Nam ſi hoc quærit aut tenet animo, eóque intuitu, vt huius vitæ habeat neceſſaria, euangelizat vt manducet, & peruerſo nimis ordine, cœleſtibus terrena mercatur, quàm certè dignius ampliúſque conſentaneum rationi, vt pro carnali victu, carnalia magis opera, & negotia exerceret, ne fieret inuerſor rerum, aut inhonoraret miniſterium ſpirituale? ſed modico eſt natura contenta, nec multi ſola in iis neceſſaria quærunt, quippe minori facilè ſatis obtinenda periculo. Honorati incedere volunt, placere ſtudent hominibus, delectari & ſuperbire, & ſæculo per omnia conformari. Audi querelas Domini*, &c. *ipſi*, inquit, *regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non vocaui eos vniuerſos, ſiquidem in ordinibus Eccleſiaſticis, cæteríſque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut diuitias, ſeu corporis voluptatem, poſtremò quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti manifeſtè prorſus & indubitanter, non ea quæ ex Deo eſt charitas, ſed externa à Deo, & quæ omnium radix malorum cupiditas, introducit; Quid igitur temeritatis, imò quid inſaniæ eſt? Vbi timor Dei, vbi mortis memoria, vbi gehennæ metus, & terribilis illa expectatio iudicij? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi niſi rege introducente præſumit, tu irreuerenter irruis nec vocatus, nec introductus.* Vtinam omnes qui Eccleſiæ opes, & honores ambiunt, vtque hos aſſequantur ſignaculum aſſumunt Clericatus, ſalutaria hæc monita apud ſe perpenderent, eâ quâ par eſſet ſedulâ meditatione. Sed quæſo puer ſeptennis, aut decennis eâne præditus prudentiâ, & circumſpectione eſſe poteſt, vt harum rationum momenta queat exactè expendere, déque ſua ſorte, ex qua tota pendet æterna ſua ſalus, vel infelicitas, aptè & conuenienter deliberare poſſit, qui nec ferendo ſuffragio in minimis ſæculi rebus ex iurium præſcripto idoneus eſt, *gloſ. puerilis in Extrauag. Copioſus Ioannis XXII.* Haud tamen neſcius ſum iuris eſſe parentum prouidere filiis, eíſque vtilia procurare: quamobrem cùm Eccleſiaſtica conditio ſit per ſe bona, quæ huic annexa ſunt ſubſidia vitæ præſentis, legitimè vt percipi poſ-

ſunt, ſic bono fine comparari; verùm præter honores & prouentus, militia Clericalis ſua onera, ſua pericula habet, ſicut enim qui bene miniſtrauerint (ait Apoſtolus 1. Timoth. 3. 13.) *gradum bonum ſibi acquirent*, & in hoc ſæculo & in futuro: qui enim bene præſunt, duplici honore digni ſunt: ita è conuerſo, qui hàc in militia ſegniter, & non ex præſcripto eius diſciplinæ ſe gerunt, *inſerunt ſe doloribus multis*, ac diſcriminibus obiiciunt, *quæ mergunt animas in interitum, & perditionem.* Nec porrò eſt quòd quis reſpondeat, fas eſſe parentibus nuptui tradere liberos, filióque ſponſam, & filiæ ſponſum deligere. Cur igitur non iis etiam ire proſpectum vt in ordinem Cleri cooptentur, huíſque adſcriptis, quo quierè & honeſtè viuant, beneficia aut officia, honorifica ſimul & fructuoſa procurare? Non hoc inficior, modò iuſtis modis id fiat, eóque cum moderamine, quô in nuptiis liberorum conciliandis ſolent ſe gerere parentes; Nubilis ætas eſt expectanda, deinde *ſciſcitanda voluntas puellæ* *, ita & filij iam puberis eſt inquirenda voluntas, ſi Clericali profeſſioni adſcribi velit, ſi in hunc ſtatum ſeſe ſentiat propenſum, ſi ſatis perſpectum habeat quid hæc conditio oneris, ſtudij, officiíque exigit; ſi eam paratus ſit ſpontaneo animo, & ſtabili propoſito amplecti; ſi ſedulam operam nauare ſtatuat ediſcendis huius vitæ præceptis, & ſtrenuè obeundis eiuſdem functionibus, potiſſimùm verò, ſi purô famulatu Deo ſeruire, & ſaluti propriæ inuigilare, Eccleſiaſticum augere decus, piis ſtudiis, actibúſque intendat? Si res ita ſe habent, ſecurè poterunt parentes filios dedicare Sanctuario, daréque operam poſtquàm eorum ad hoc inſtitutio ſufficiens præceſſerit, vt in album Cleri cooptentur, atque Eccleſiaſticæ militiæ teſſerâ inſigniantur à ſacris ducibus & præfectis. At ſatis hactenùs pro inſtituto de ætate idoneâ ad primæ Tonſuræ ſuſceptionem. Nunc ordine ſuo ad cæteras diſpoſitiones progrediendum.

* *Geneſ.* 24. 57. 58.

PARS II.

DE ALIIS OBICIBVS, QVI PRÆPEDIVNT Tonſuræ Clericalis ſuſceptionem : ſeu canonicis impedimentis; quibus ad eam præcluditur aditus.

CAPVT PRIMVM.

De impedimento ex rationis & intentionis defectu, tam in infantibus, quàm in adultis qui vſus rationis ſunt expertes, ſiue amentes ſint, ſiue ſomno impediti.

§. 1. *De infantibus.*

MOVENT plerique quæſtionem huic affinem capitulo, *num ſcilicet liceat aliquem Tonſurâ inſignire, qui nondum adeptas ſit rationis vſum?* Pendet hæc verò ab alia, iſtâ nimirum, *An infantes & amentes capaces ſint ordinationis?* Cui etiam & hæc alia ſubiungirur, *Vtrum infanti collatus ordo characterem animæ inſidentem relinquat, an validè conferatur, an tanquam inualidè collatus debeat iterari?* Et quidem Durandus ante vſum rationis, nec ordines conferri debere, nec collaros valere cenſer. At conrrà paſſim Scholaſtici docent, à quibus nec diſſentiunr Canonici iuris interpretes, ordines omnes (ſi fortè Epiſcoparum exceperis) infanti validè quidem, quamuis illicitè conferri poſſe. Sancti Thomas & Bonauentura in 4. diſt. 25. quos ſequuntur Syluester verbo, *ordo*, 4. §. 1. & Henricus lib. 4. de ſacram. cap. 14. num. 3. aſſerunt tamen characterem epiſcopalem infanti validè non poſſe conferri, hâc ratione inducti quòd Epiſcopus ſit ſponſus Eccleſiæ, infantium autem irritum ſit matrimonium. At cur non etiam irrita ordinatio ipſa, quæ fit contra expreſſum præceptum Apoſtoli? Sunt Theologi profectò, qui vt arceant mulieres ab ordine Sacerdotali, & Eccleſiæ præfecturâ, Apoſtoli hanc auctoritatem incutiunt, ex qua iure diuinô præſcriptum eſſe ſubiectum ordinationis ſacræ, excluſas fœminas abſolutè eliciunt. *Oportet Epiſcopum*, &c. *virum eſſe*, &c. Sed ſi hâc lege excluduntur fœminæ propter ſexum, cur non etiam infantes propter defectum ætaris & rationis? Infans certè ab ipſo Apoſtolo vir non cenſetur, 1. Cor. 13. vbi ait: *Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus, quando autem factus ſum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Igitur cùm eſſet infans, vir non erat; ſed qui non eſt vir, ordinationis epiſcopalis incapax eſt: infans igitur ex Apoſtoli decreto (quem Deus inſpirabat) Epiſcopali ordine initiari nequit, proinde nec preſbyrerali. Nam vt docent Patres, *Manifeſtum eſt Preſbyterum in Epiſcopo contineri, eamdem enim formam habet;*

Imò nec diaconali, addit enim Apoſtolus ibidem, *Diaconos ſimiliter*, &c. Vnde Apoſtoli ordinaturi Diaconos dicunt Act. 6. *Conſiderate ex vobis viros boni teſtimonij*, &c. Viros inquam, non pueros. De Subdiacono & aliis inferioribus ordinibus nihil in ſcripturis habemus explicitum, quô virilem ætatem neceſſariò exigi in promouendo, vt in ſuperioribus ordinibus oſtendi poſſit. Quamuis Subdiaconatus ex quo haberi cœpit ordo ſacer, ætatem diſcretionis ſupponat, cùm aſtringat ſuſcipientem perpetuæ continentiæ, cui nemo aſtringi poteſt, neque debet, niſi volens & lubens. Sed volunt Theologi non modò ipſum Subdiaconatum, verumetiam minores ordines characterem conferre, adò vt reïterati abſque ſacrilegio non poſſint, quamobrem ſi infanti conferantur, imprimi characterem infanti indelebilem, proinde nec iterabilem; quo ſemel dato inferunt, & adulto amenti, vnáque concludunt ex hoc principio, ſuperiores ordines infanti quoque collatos, eidem imprimere ſactum illorum ſignaculum. Nulla enim (inquit doctiſſimus Halerius p. 525. de elect. & ord. ſac.) ratio eſt *cur minores ordines cum Subdiaconatu infanti conferri poſſint, reliqui quoque, ne dempto quidem Epiſcopali, non poſſint.* Verùm Durandus pleraſque rationes adducit, quibus & illa accedit grauiſſima, ſuperiùs educta ex ſcripturis factis, ſiquidem etſi de Subdiaconatu, & cæteris minoribus diuinæ litteræ nihil definiant: ſecus eſt de Diaconatu, Preſbyteratu, & Epiſcopatu, in quibus virilem ætatem notanter, & expreſſim requirunt. Sed ſubiungit Halerius rationes, quibus parem eſſe rationem in quorumlibet ordinum collatione demonſtrare contendit. Exercitationis gratiâ, eas ſi placet expendamus, tum enim an euincant peruium erit perſpicere. *Reliqua Sacramenta* (inquit) *quæ characterem conferunt, etiam infanti conferri poſſunt, Baptiſmus ſcilicet & Confirmatio, quæ ex antiquo Eccleſiæ vſu, numquam niſi in neceſſitate ſeparabantur, & infantibus vnà conferebantur, quidni etiam ſacra ordinatio, etiam Epiſcopalis quæ characterem confert, ſimiliter infantibus conferri queat.* Sed tanti viri cum bona venia dicere liceat hanc rationem non eſſe grauis momenti, nam ſi à ritu Eccleſiæ cuipiam conceditur ratiocinari, promptum ei fuerit reponere. Quemadmodum ex quo Eccleſia Baptiſmum, & Confirmationem coniunctim pridem conferebat infantibus, rectè elicitur eam credere, & docere capaces eſſe infantes vtriuſque huius characteris: ſic ex quo numquam iis ordines contulit, colligere licet numquam cenſuiſſe eos characteris qui per ordinationem imprimitur, eſſe capaces. Addi poteſt in ordinatione ſolum characterem non attendi, ſed alia concurrere quæ neceſſariò exigantur, & ſine quibus ipſe character non infunditur. Nam ſi hæc aſſignata ab Halerio ratio valet, ex eadem etiam licebit inferre capaces eſſe fœminas ordinationis. Sicut enim ſunt capaces ſuſcipiendi characteris Baptiſmi, & Confirmationis, cur non etiam Ordinis? Reſpondebit forſitan eas ex defectu ſexus præpediri. At mox poterit reponi, & ita prohiberi infantes ex defectu diſcretionis, & amentes rationis, quæ neceſſariò, in ſubiecto apto ad ordinationem requiritur. Inſtabit fortaſſis, impedimentum illud quod eſt in infantibus, non eſt tale quod characterem impediat, cùm ætas non

ſpectet ad animam, ſed ad corpus pertineat; character verò non inhæreat corpori, ſed animæ, ideóque non indigere adultiore diſpoſitione corporis: verùm ex hoc ipſo ſequitur fœminas eſſe capaces characteris ordinis, quoniam ipſe character corpori non imprimitur, ſed animæ quæ ſexus eſt expers. Vnde abſurda quæ afferuntur contra mulieris ordinationem potiùs indecentiam actuum arguerent, quàm abſolutam ad ſuſceptionem characteris inhabilitatem. Addit præfatus Theologus aliam rationem. Sacramenta quæ actum ſuſcipientis requirunt, cuiuſmodi ſunt Pœnitentia & Matrimonium, ab infantibus recipi non poſſunt, " quia infantes huiuſmodi actuum ſunt incapaces; ſed illa ſacramenta quæ " actum ſuſcipientis non requirunt, ſed habitus ſupernaturales infundunt, " ab infantibus ſuſcipi poſſunt qui eiuſmodi habituum ſupernaturalium " capaces ſunt & virtutum infuſarum, vt patet in infantibus baptizatis, &c. " At verò ſacra ordinatio actum ſuſcipientis non requirit, ne quidem illa, " quâ quis in Epiſcopum promouetur: nam ſoli actus miniſtrorum ad ipſam tam efficienter, quàm materialiter influunt, ſuſcipientium verò nullus influxus eſt, nequidem ad Epiſcopalem conſecrationem. At gratis hæc " omnia, cùm fundamentum ratiocinationis huius ſit fluxum; ſiquidem non conceditur pro vero, nullum actum ſuſcipientis in ordinatione requiri; aliàs cur ſaltem in adultis requirit grauis ille Theologus ordinandi conſenſum? Sanè qui in Clerum cooptatur, tranſit in ſortem Domini, quíque per ordines conſecratur, dedicatur ſpecialiter in diuini cultus miniſterium: nec ordo tantùm eſt Sacramentum, ſed ſtatus; vnde nemo inſcius vel inuitus huic debet aut poteſt adſcribi. Accedit quòd Ioannes Maior in 4. diſt. 24. q. 2. & Clicthouæus lib. de contin. Sacerdot. aſſerunt quòd cœlibatus annexus ſit ſacris ordinibus iure diuino: non poteſt igitur obligatio ad illum, ab ordinatione ſeiungi; quamobrem ſi quis infans ordinaretur Subdiaconus, Diaconus, vel Presbyter, multò magis Epiſcopus, ad perpetuam continentiam teneretur, quamuis nec expertus eſſet ſi donum haberet continentiæ, nec tam arduæ obligationi fuiſſet vmquam aſſenſus, imò etiamſi poſteà & ab ordinis ſuſceptione, & huius ſtatus delectu, cultúque & obligatione cœlibatus animum haberet prorſus auerſum, quod quàm abſurdum ſit, ſatis paret. Nec reſponderi poteſt in hoc caſu ab eiuſmodi cœlibatus obligatione fore cum iis à ſummo Pontifice diſpenſandum. Fatetur enim ipſe Pontifex ſe in iis quæ iuris diuini ſunt, diſpenſare non poſſe: nec reſpondere iuuat hanc eſſe opinionem Maioris & Clicthouæi, non autem aliorum Theologorum ſententiam, quorum ſcita Bellarminus ſequenda exiſtimat lib. 1. de Clericis c. 18. ſiquidem cum iis arbitratur annexum eſſe cœlibatum ſacris ordinibus iure Apoſtolicô, non autem diuinô; ſed addit *propriè*, nec iis aſſentitur, qui Eccleſiaſtico dumtaxat putant eſſe annexum. Quidquid ſit, variant hîc Doctores; Porrò ex dubiis nihil certi poteſt elici. Et ſi ſententia Maioris & Clicthouæi non eſt adeò certa, quia eorum priuata videtur; ita nec Theologi præfati, qui ſolus conferri poſſe ordinem etiam Epiſcopalem infanti contra S. Thomæ & Bonauenturæ placitum aſſerere nititur; ſed pergit: *Quamuis Iuriſdictio Epiſcopalis conſenſum requirat ordinati*, quò inter

Epiſcopum & eius Eccleſiam matrimonium ſpirituale contrahitur, & rationis vſum, quò Epiſcopalis Diœceſis adminiſtratio ſuſcipiatur, exerceatur, vel alteri delegetur; at conſecratio Epiſcopalis nullum eiuſmodi actum requirit, nec niſi aduenıente, vel præcedente iuriſdictione matrimonium inter Epiſcopum & Eccleſiam ſpirituale inducit, ergo rata & valida debet credi ordinatio ſacra, nequidem exceptâ Epiſcopali quæ infanti conferretur. Verùm tametſi quidam cenſuerint Epiſcopalem ordinem non poſſe conferri infanti, eo quòd Epiſcopus ſit ſponſus Eccleſiæ, infantium autem irritum ſit matrimonium. Hæc ſola nec propria nec præcipua eſt ratio, quâ infans redditur incapax ordinationis Epiſcopalis, eſt enim dumtaxat ratio analogica, & quæ benignâ admodum acceptione indiget. Sanè ſunt multi Epiſcopatus actus, quorum magnam partem Pontifex conſecrator, promouendo enumerat, dum verſus ad illum dicit, *Epiſcopum oportet iudicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.* Actuum eiuſmodi omnimodè infantem incapacem eſſe conſtat. At reſponderi poteſt eorum quidem facultatem infanti, ſi ordinaretur Epiſcopus per characterem quem reciperet, conferri, qui (tametſi has functiones exequi nequeat præ ætatis imbecillitate,) aptitudinem tamen obtineret ad eas aliquando obeundum. verùm interim fruſtrà ſic ordinaretur; fruſtrà verò Deus nihil agit, quamobrem etſi præſumeret Epiſcopus quiſpiam infanti Epiſcopalem characterem impertire, ſicut ſiquando fœminæ Præſul niteretur aliquis illum characterem conferre, Deus non concurreret; proinde nihil efficeret qui hoc attentaret; ſiquidem, vt ſcitè docet S. Ambroſius in ordinatione, *homo tantùm imponit manus, ſed Deus ſolus dat gratiam*, non dat autem niſi ſubiecto qualiter voluit aptè diſpoſito; tale autem non eſt fœmina propter ſexum, nec infans propter rationis defectum.

Sed ne per plures ambages diuagemur, agere cum præſtanti noſtro Theologo ſuis ex principiis propiùs aggredior §. 5. art. 2. c. 1. de numero. Eccleſ. ordin. vbi ſic eloquitur doctè & eleganter more ſuo, *Sacerdotij duplex eſt actus, vnus circa corpus Chriſti verum; alter circa corpus Chriſti myſticum, ceu circa fideles in Eccleſia contentos; prior actus Sacerdotij potiſſimus eſt, nobiliſſimus & maximè intentus, quid enim nobilius eſt quàm corpus Chriſti conſecrare, Deúmque hominem ſacris altaribus ſolo verbo præſentem ſiſtere, poteſtas iſta ineffabilis eſt, & quò magis inſpicitur eò mirabilior reperitur; ad hunc autem actum omnes ordines tendunt, ad hunc Sacerdotium inſtitutum eſt, & quantùm ad hunc actum præcisè conſideratum, nec Epiſcopus Presbyterum ſuperat, nec Presbyter Epiſcopo cedit: eadem eſt vtriuſque poteſtas quæ per ordinationem Presbyteralem confertur; tolle itaque ordinationem Presbyteralem, iam potiſſimo ſuo actu Epiſcopus priuabitur, propter quem Epiſcopus conſtitutus eſt, iam ſacra faciendi poteſtate carebit, ideò nec Sacerdos erit, nec ſummus Sacerdos, nec Epiſcopus hâc ſublatâ poteſtate, nec aliam in corpus Chriſti myſticum obtinebit poteſtatem, quia poteſtas in corpus Chriſti myſticum à priori poteſtate pendet & ab ea deriuatur, vnde ſicut Eccleſia ſeparari non poteſt à Chriſto, & ſtare ſine Chriſto, ita nec poteſtas in Eccleſiam auelli poteſt aut auulſa conſiſtere à poteſtate in corpus Chriſti verum.* Qua ex ratiocinatione facilè elicitur potiorem cauſam, cur Epiſcopalis ordinis infans incapax eſt, non eſſe iuriſdictionem quæ reſpicit dumtaxat corpus myſti-

myſticum, ſed poteſtatem in corpus Chriſti verum, quæ Sacerdotali charactere propriè & immediatè infunditur: vnde etiam titulum Epiſcopatus quo confertur iuriſdictio, & ſpirituale contrahitur connubium, per diſpenſationem Apoſtolicam infanti poſſe tribui, & de facto quondam collatum fuiſſe legimus; at per diſpenſationem vnquam conceſſum fuiſſe alicui infanti quantumuis nobili, vt promoueri poſſet ad Sacerdotium & Pontificatum, nuſquam reperimus. Sed huius ex viſceribus ratiocinationis hanc aliam non minoris momenti elicio. Infans eſt incapax ſuſceptionis Euchariſtiæ, multò magis igitur eiuſdem conſecrationis. Primum apud Theologos omnes eſt in confeſſo: tametſi enim dudum quibuſdam locis infantibus data fuerit Euchariſtia; abrogatus tamen fuit mos iſte qui particularis erat, vniuerſalis Eccleſiæ iudicio & conſenſu, quo vbique excluduntur à diuinæ menſæ participatione, non defectu puritatis, ſed rationis & diſcretionis, quandoquidem exigit Apoſtolus, vt qui communicat ſacris myſteriis *ſeipſum probet*, atque *diiudicet corpus Domini*, cuius vtriuſque officij infans, vt patet, impotens eſt. Sed ſi diſcretio & rationis vſus in ſuſceptione requiritur, maiori de cauſâ exigitur in conſecratione; ſicut igitur ſi deſit diſcretio, & rationis vſus in conſecrante, non fit conſecratio, ſic vbi non eſt ipſa diſcretio, & vſus rationis, nec eſſe poteſt miniſter conſecrationis, nec character inuenitur poteſtatis. Vana eſt enim potentia, quæ non reducitur ad actum, nec reduci poteſt: atqui infans ſi Pontificali ritu ad ordinem eſſet, de facto, Epiſcopalem vel Presbyteralem prouectus, nihilominùs non poſſet huius ordinis actum validè exercere. Enimuerò quamuis ſuper materiam legitimam, veram formam proferret conſecrationis, aliô qui adultæ eſſet ætatis, myſtica verba ſuggerente; attamen non conſecraret, non formæ nec materiæ vitiô, ſed defectu rationis, & requiſitæ intentionis, cuius ob iudicij imperfectionem, incapax eſt, proinde & poteſtatis quæ inepto ſubiecto imprimi nequit; forma enim non accedit, nec ineſſe poteſt niſi in ſubiecto diſpoſito, & quidem vltimâ diſpoſitione, quâ recipiendæ formæ, & actum eiuſdem proximè eliciendi, redditur idoneum, ſi enim forma ſit perfecta, & perfectè impreſſa materiæ, confeſtim actus ſuccedit, otioſa etenim forma, in propriâ materiâ eſſe nequit. Proinde quicquid actûs impotens penitus eſt, itidem & formæ ſuſcipiendæ omnino eſt incapax, quemadmodum cui forma negatur, conſequenter actus ipſius formæ tollitur: ſunt enim hæc conſectanea, quin & indiuulsè cohærentia. Nec neſcius ſum tamen potentiam non ſemper verſari in actu elicito; quieſcit enim aliquando potentia, & non ex eâ reſultat actus, homo etiamſi ſit ſemper rationalis, actu tamen non ſemper ratiocinatur. Riſibilitas eſt in homine proprium quartô modô, vt pote quod fluit ab ipsâ eſſentiâ hominis; verumtamen ſemper homo non ridet, at ridere poteſt: ſed leo nec ridet, nec ridere poteſt, quoniam eâ facultate caret, quæ naturæ rationali eſt propria. Sanè Sacerdos non ſemper eſt in conſecrationis actu, at ſemper in potentiâ, ſemper ſiquidem (ſaltem validè) conſecrare poteſt. Sed infans quem quiſpiam Epiſcopus ordinare præſumpſerit Sacerdotem, nec conſecraret, nec con-

ſecrate poſſet, ideóque non modò actus eſſet expers, ſed & potentiæ: portò cùm Sacerdotij ſit incapax, conſequenter Epiſcopatus; quid enim eſt Epiſcopatus ſine Presbyteratu (inquit Card. Bellarminus) niſi nomen ſine re, & merum figmentum?

Cæterùm antequam ex hâc palæſtrâ egrediamur, operæpretium videtur reſponſiones expendere, quibus præfatus Theologus, rationes Durandi refellit abnuentis ante vſum rationis Epiſcopatum, Presbyterarum, & cæteros ordines conferri debere, aut collatos valere. Prima Durandi hæc eſt ratio, *quia abſurdum videtur, vt paruuli rationis vſu carentes Epiſcopi, vel Sacerdotes*, &c. *fieri poſſint*. Ad hanc obiectionem reſpondet ſupradictus Doctor, nihil eſſe abſurdi quòd Sacerdotes vel Epiſcopi creari poſſint: iuxta Eccleſiæ leges abſurdum eſſe quòd reuerâ creentur, ideóque prius tanquam verum admittendum, poſterius tanquam vetitum fugiendum. Sed cur quæſo hoc Eccleſia vetuit, niſi quia abſurdum & indecens erat? Nonne abſurdum eſt quod rectæ rationi & naturæ rei repugnat? Certè non tam aberraret qui ſurdum & elinguem iudicem conſtitueret, quàm qui infantem crearet Epiſcopum vel Sacerdotem. Ridebat pridem Optatus Mileuitanus pſeudoclericorum Donatiſtarum dementiam, qui titulis gloriabantur, quorum rebus carebant; feſtiuè ideò appoſitéque eos appellabat, *ſequentes ſine antecedente, Epiſcopos ſine populo, paſtores ſine grege*. At longè abſurdius eſt Epiſcopum eſſe ſine ratione quàm ſine populo, Sacerdorem ſine diſcretione & iudicio, quàm paſtorem ſine grege; Pontificem infantem & in cunis vagientem, quàm Eccleſiæ aliquem præfectum ſine antecedente. Secunda ratio Durandi ita ſe habet: *Ad ſuſceptionem cuiuſlibet Sacramenti requiritur voluntas ſeu intentio ſuſcipientis, vel propria in adultis, vel interpretatiua in paruulis; At infantes vſum rationis non habentes, non ſunt capaces intentionis propriæ eliciendæ, vt ſatis patet; nec parentum voluntas licèt ſit interpretatiua voluntatis paruulorum, in iis quæ ſunt de neceſſitate ſalutis corporalis, aut ſpiritualis ipſorum, v. g. in iis quæ ſunt ad deletionem peccati originalis ſpectant in baptiſmo; in iis tamen quæ ſunt ſupererogationis, prælationis & dignitatis* (addere poterat, & grauiſſimi oneris, etiam Angelicis humeris formidandi,) *cuiuſmodi eſt ſacra ordinatio, ad quam nemo obligatur; non videtur voluntas parentum cenſeri poſſe voluntatis paruulorum interpretatiua, proindéque nec videntur infantes eius ſuſcipiendæ* (per eam) *eſſe capaces. Confirmatur ex eo quòd, ſicut in matrimonio quod non eſt neceſſitatis, voluntas parentum non poteſt cenſeri voluntatis liberorum interpretatiua, ita nec in ſacra ordinatione erit*. Reſpondet præfatus Theologus, *nec propriam ſuſcipientis, nec interpretatiuam parentum intentionem neceſſariam eſſe ad validitatem ſacræ ordinationis, ſed ſufficere intentionem Eccleſiæ quæ ſit interpretatiua infantium, eô modô quô in baptiſmo & confirmatione, etſi infantes nihil conferant, etſi parentes renitantur, iniuria quidem parentibus infertur, ratum tamen ſiue baptiſmatis ſiue confirmationis Sacramentum eſt, ex generali Eccleſiæ intentione, quâ Sacramenta vult recipi, eô modô quô Chriſtus inſtituit: Chriſtus autem ita inſtituit hæc Sacramenta, vt à non habentibus vſum rationis ſuſcipi poſſent, nec ab actibus ſuſcipientium penderent, quos ſufficit non reluctari, neque reſi-*

ſtere, vt validè ſibi collata Sacramenta eiuſmodi recipiant. Sed etiamſi hoc concedatur de Baptiſmo, atque etiam de Confirmatione, nihil hoc facit ad ſacram ordinationem; inter hanc enim & duo illa Sacramenta ingens diſcrimen eſt, nam qui vtraque recipit, gratiam tantùm recipit Sacramentalem, at qui initiatur ſacris ordinibus, præter gratiam Sacramenti, graue ſuſcipit onus, diuina nimirum myſteria ritè conficiendi, ac rectè diſpenſandi cum ſummo timore & reuerentia, nec modò propriæ ſollicitus ſalutis, ſed etiam alienæ eſſe debet, nec enim recipit miniſterium ſanctificationis (quamuis ſi benè præſit, fiat duplici honore dignus) ad ſui ipſius propriam vtilitatem, ſed ad communem Eccleſiæ. Vnde S. Auguſtinus ſuos Hipponenſes dudum rectè admonebat: *Quòd Chriſtiani ſumus pro nobis eſt: quòd Presbyteri & Epiſcopi, veſtræ eſt cauſa ſalutis*: húcque ſpectat illud S. Dionyſij ex Apoſtoli diſciplina, ſacrorum ordinum proprios actus recenſentis: *Diaconi eſt purgare, presbyteri illuminare, Epiſcopi perficere*, quæ munera an præſtare poſſit infans, ſenſatus quiuis diſpiciat, cùm vix adultus quantumuis ratione vigens, & officio intentus, ea queat obire: prorſus verò abhorreat à naturali dictamine, cuiquam demandare munus cuius nec capere rationem, nec elicere actum poſſit, eíque onus imponere, qui ferendo prorſus impar ſit. Porrò in præmiſſo diſcurſu quædam alia ſunt quæ indiſcuſſa præteriri non debent, in quibus eſt illud axioma, *ſufficere generalem Eccleſiæ intentionem quâ Eccleſia ipſa vult ſacramenta recipi eo modo quo Chriſtus inſtituit*; ſi enim ſufficit generalis Eccleſiæ intentio, non modò Baptiſmus & Confirmatio, ſed alia Sacramenta collata abſque ſuſcipientis actuali, vel virtuali, etiámque habituali, hoc eſt vllâ prorſus intentione, valebunt. At verò ſi Eccleſiæ generalis eſt intentio, ſacramenta eô modô recipi quo Chriſtus inſtituit, igitur Eccleſia non intendit ordinationem ſacram infanti miniſtrari, quia nec id vnquam Chriſtus inſtituit, neque fecit. Cæterùm quomodò Eccleſia id cenſenda eſt intendere, quod ita diſtrictè vetat? fatetur enim ingenuè Doctor hic amicus noſter, *non ſine inſigni ſcandalo, nec ſine ingenti diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbatione, temerariâ canonum violatione, graui Eccleſiæ, & Sacramento illatâ iniuriâ, poſſe quemquam infantem ad Epiſcopatum vel maiores ordines promoueri, imò ne quidem infantem Clericali Tonſurâ, vel minoribus ordinibus ante diſcretionis annos inſigniri, vel decet vel fas eſt. Obſtat Concilij Trident.* (ſeſſ. 23. de reform *.) *& Moguntini ſub Carolo* * cap. 4. *Magno grauis prohibitio. Obſtat & ipſa ordinis cuiuſque, ni fallor inſtitutio & natura; cùm enim quiuis ordo ad functiones aliquas exercendas inſtitutus ſit, hominémque in ſublimiori gradu conſtituat, tanquam inutilis futurus produci, & ſine vlla probatione concedi non niſi temerè, & iniuſtè poteſt.* Addi etiam potuit nulliter & inualidè. Nec enim in ordinatione minùs quàm in matrimonio requiritur proprius ſuſcipientis conſenſus, imò magis requiritur in ordine, quàm matrimonio, ordinis enim character eſt indelebilis, & ſemel infuſus & impreſſus tolli nequit: at matrimonium eſt iterabile, & ſaltem ſolubile, alterius coniugum obitu. Inſuper eſt ſtatus non modò altior ſed multò etiam difficilior: porrò ſtatus quilibet pendere debet à libero cuiuſque arbitrio ac delectu. Cæterùm mirum

eſt quòd vir ille magnus in fine ſuarum reſponſionum pro præcipuo axiomate ponit, *pueros ordinari poſſe ex Chriſti inſtitutione, qui infantes Sacramenti ordinationis capaces* (vt Baptiſmi & Euchariſtiæ) *ſine intentione propriâ eſſe voluit.* Vbinam eſt enim illa Chriſti inſtitutio? Et ſi id voluit Chriſtus, quibúſnam ſignificauit teſtimoniis? Denique ſi Chriſtus hoc voluit, quomodo hoc ipſum adeò diſtrictè, & conſtanter Eccleſia prohibuit? An Eccleſia quæ à Chriſto regitur, eius intentioni aduerſatur, eius inſtitutioni contradicit? Vel inſtituiſſe & voluiſſe id Chriſtus exiſtimandus eſt, quod (vt inſignis iſte Doctor fatetur) fieri non poteſt ſine ingenti ſcandalo, & graui Eccleſiæ & Sacramenti iniuriâ? cuius inſtitutioni, & naturæ ipſa infantium ordinatio prorſus repugnat. At hôc ſemel ſtatutô id ipſum de Tonſura conſectaneum euadit, nam ſignaculum eſt ſtatus Clericalis, cuius pendet à libertate ſuſcipientis electio. Eſt inſuper iſagoge, præparatio, & diſpoſitio ad ordines: ſicut igitur fœminas quòd ſint ob ſexum incapaces ordinationis, Theologi excludunt à Tonſura; ita eô ipſô quod infantes capaces non ſunt ordinationis, itidem à Tonſura quæ aditus & ianua eſt ad ordines, proximáque ad formam, quæ per illos imprimitur diſpoſitio, prohibentur, non ſexus, vt ſæpè dictum eſt, ſed rationis & voluntatis defectu. Spectabilis eſt hâc de re Moguntini Concilij, ante annos 800. celebrati canon 23. qui ſic habet: *De Clericis verò hoc ſtatuimus, vt qui hactenùs inuenti ſunt, ſiue in canonico, ſiue in monachico ordine tonſurati, ſine eorum voluntate, ſi liberi ſunt, vt ita permaneant.* (nempe ſponte ſuâ) *Et deinceps cauendum vt nullus tondeatur ſine legitimâ ætate, & ſpontaneâ voluntate*, &c. Quam ſynodicam ſanctionem Gregorius IX. in ius publicum dignam quæ referretur cenſuit, libróque III. Decretalium inſeruit, tit. 31. qui eſt *de regularibus & tranſeuntibus ad religionem* cap. 1. vbi ſic legitur: *Nullus tondeatur, niſi in legitimâ ætate, & ſpontaneâ voluntate.* Quo loco gloſa *in legitimâ ætate*, ſubnotat, ſcilicet 14. annorum. Et gloſ. *in legitimâ ætate* hanc rationem adiungit, *quia ſi coactus non valeret.* 20. q. 3 *can. præſens Clericus*, quo Nicolaus Papa ad Epiſcopos regni Ludouici ſcribens, in eiuſmodi ſtatus delectu, paternam voluntatem, ſine filij expreſſo conſenſu non valere definit: *Quapropter*, inquit, *conſultè Pſalmographi verba recolentes quibus voluntariè ſe Deo ſacrificare pronunciat, & voluntaria oris ſui beneplacita fieri in conſpectu Dei obſecrat, præſentem*, &c. *Clericum nomine Lambertum minimè debere exiſtimauimus ſub tali violentiâ fieri monachum:* (neque vt ex dictis patet Clericum) *quod enim quis non eligit, nec optat, profectò nec diligit, nullum quippe bonum niſi voluntarium. Idcirco Dominus non ferendum in viâ virgam, per quam violentia vlli inferatur, præcepit. Quapropter conſultiùs agetur*, &c. Porrò in his dictis Pontificis præcipuè verba iſta noranda ſunt, *Quod enim quis non eligit, nec optat; profectò nec diligit.* His ſiquidem parentes perſtringit ſiue Clericali, ſiue monaſtico (nam hos ſtatus infrà conſociat) liberos ſuos abſque eorum arbitrio vel conſenſu implicanres, ſtatum enim quem non optarunt, nec elegerunt; quem verò non elegerunt nec diligunt; quem non diligunt, odio habent, & in ſtatu quem oderunt, ſaluari nequeunt, ſed pereunt, non tam ſuo quàm pa-

rentum rearu. Vt res igitur rectè, & ordine in ordinatione fiant, requirit ſapientiſſimus hic Pontifex congtuenter diuinis inſtirutis, vt notio præcedat deſiderium, hócque ſequatut electio, cui ſuccedat proprius ac legitimus conſenſus.

§. 2. *De Amentibus.*

VERVM non modò infantuli horum actuum ac affectuum ſunt omninò incapaces; ſed & amentes, ex conſimili cauſa, defectu videlicet vſus rationis ac voluntatis: nec dubium quin illi etiam Theologi, & Canoniſtæ qui volunt amentes eſſe capaces ordinationis, ex eodem principio id eliciant, quô docent infantulos poſſe ad ordines etiam ſacros promoueri: *Eo quòd* (vt aiunt) *nihil aliud requirat ordinatio, quàm vt non renitente ſuſcipiente conferatur.* At euerſum eſt hoc fundamentum in ſyntagmatibus præmiſſis; proinde hôc ſublatô, etiam poſterior illa conſecutio concidit. Nec difficilè nobis conceſſuri forent oppoſitæ partis defenſores, amentes ordinari non poſſe, ſi iudicium, & conſenſus vel aſſenſus ſaltem ſuſcipientium, de neceſſitate requiri ab illis concederetur: ſed cùm cenſeant non requiri in paruulis, à pati concludunt nec in amentibus exigi. Quamobrem cùm ſuprà euictum fuerit neceſſarium eſſe in infanribus, inde rectè inferimus itidem in amentibus eſſe neceſſarium.

Diſtinguendum ramen putat Haletius: ſunt enim amentes quidam tales à natiuitate; alij porrò qui poſtquam rationis vſum habuerunr ſic in dementiam inciderunt, vt non continuo tempore actu rarionis priuentur, ſed fruuntur lucidis interuallis, quibus affulgentibus ſi repugnent, concedit eos ordinari non poſſe (etiam cùm in delirium relapſi ſunt) nec licitè, nec validè propter eiuſmodi renixum. Alios verò qui perpetuò ſunt amenres, & nunquam pollent rationis luce, contendit etſi non licitè, ramen validè poſſe ordinari, haud aliter quàm infantes, *ſi enim perpetuò amentes, non validè,* inquit, *ordinarentur, ſequeretur infantem in pueritiâ ordinatum eo tempore, quo nulla adhuc dat rationis ſigna, non validè ordinatum fuiſſe;* quod vltrò quidem concedo, imò aſſero fultus rationibus prædictis.

At occurrit doctiſſimus Gammachæus (alterum Sorbonæ lumen, quam adhuc illuſtrat poſt obitum egregiis ſapientiæ ſuæ monimentis) is enim in commentariis in 3. part. S. Thom. vbi de Sacram. Ord. cap. 10. infantem etſi non licitè, validè tamen ordinari poſſe probari ait ex cap. *Tuæ litteræ, extra, de Clerico per ſaltum promoto: vbi legimus,* inquir, *eos qui minores ordines ante vſum rationis acceperint, non eſſe iterùm ordinandos.* Textus verò quem allegat (ſaluâ tanti viri pace) quod refert, adæquatè non dicit, ſic enim habet ſeriatim lib. 5. Decret. tit. 29. cap. 1. deſumpto ex reſponſione Innocentij III. ad quæſitum Epiſcopi Bononienſis. *Tuæ litteræ continebant quòd* (ſicut ex relatione quorumdam receperas) *P. Presbyter Diaconatus ordine prætermiſſo, ſe fecit ad Sacerdotij ordinem promoueri. Ipſe quoque tibi ſecretò confeſſus eſt, ſe pro certo neſcire, ſi res taliter ſe haberet, ſed ex quo boni viri hoc aſſerebant, inter quos fuerat conuerſatus, credebat aſſer-*

tioni eorum, eo quòd tempore quo ordines inferiores ſuſceperat, infra annos diſcretionis conſtitutus fuerat. Et infrà; *Mandamus, quatenùs condignam pœnitentiam pro eiuſmodi negligentia iniungas eidem, quâ peractâ (quia non intelligitur iteratum, quod factum neſcitur,) ipſum in Diaconum ordinare procures, & ſic de miſericordia, eundem miniſtrare permittas in ordine Sacerdotis.* Ita Innocentius III. qui non approbat quidem quòd ille ſuſceperit inferiores ordines infra annos diſcretionis, ſed dumtaxat refert vt ſibi recitatum fuerat: quod verò non iniunxit, vt quos ille ordines inferiores ſuſceperat ante diſcretionis vſum, iterentur, non fecit quod cenſeret validè ipſi collatos, ſed quòd de iis ſuſcipiendis cum eo iam Sacerdote & in ordinum faſtigio conſtituto, ſatius ſenſerit diſpenſare, vt tacitè diſpenſat. Nec enim omnis ordo ſuperior inferiorem neceſſariò includit, præter Epiſcopatum etenim, qui Preſbyteratum ex omni neceſſitate ſupponit, ordines ab inuicem ſuâ ex naturâ & de neceſſitate non pendent, at dumtaxat ex rei decentiâ & ſtatutô Eccleſiæ quæ ſanxit Clericos ad Sacerdotium per inferiores ordines gradatim promoueri; qui mos tamen ſemper in Eccleſia non tenuit, quemadmodum rectè obſeruat S. Thom. Suppl.q.35.art.5. in corp. *Quòd etiam* (inquit) *in primitiua Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores ordines non ſuſceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores ordines poſſunt, quia inferior poteſtas comprehenditur in ſuperiori, virtute, ſicut ſenſus in intellectu, & ducatus in regno. Sed poſteà per* * *conſtitutionem Eccleſiæ determinatum eſt, quòd ad maiores ordines ſe non ingerat qui priùs in minoribus officiis ſe non humiliauerit.* Qua de lege & more eiúſque temperamento luculenter ac eruditè admodùm tractat Halerius altera parte ſui operis inſignis de Sacris Electionibus & Ordinationibus ſect.1.c.1. toto, art.2. cuius titulus eſt *de ſubordinatione Eccleſiaſticorum ordinum.* Ab hac verò conſtitutione Eccleſiaſticâ diſpenſauit ſolùm Innocentius III. præcitato ſuo reſponſo; quòd verò quis receperit ordines ante annos diſcretionis, refert quidem, ſed non docet; tantùm abeſt vt quod de facto fuit præſumptum, validè, etſi aliàs illicitè, decernat fuiſſe peractum.

* *In decretis diſt.* 52.

Verùm pro Gammachæo aliquis forſitan inſtabit. Iubet hôc decreto Innocentius tantùm ſuppleri Diaconatum, igitur ratam fuiſſe ſignificat inferiorum ordinum ante vſum rationis collationem; negatur conſequentia; ſiquidem quòd non mandarit Pontifex hos inferiores ordines iterari, ita fecit, non quòd ritè & validè collatos arbitraretur, ſed quòd abſolutè non requiri in eo qui iam Sacerdos erat, huiuſmodi ordinum ſuſceptionem exiſtimaret. Quòd verò Diaconatum ſuppleri voluit, hoc non fecit quòd ignoraret ſapientiſſimus Pontifex Preſbyteratum neceſſariò Epiſcopatui prærequiri, non cæteros inferiores ordines ſuperioribus, ſed quòd probè ſciret, nihilominus in Eccleſia ferè conſtanti ſemper more receptum vt nemo ordinaretur Preſbyter, qui priùs non fuiſſet creatus Diaconus, quemadmodum præfatus Halerius ex profeſſo docet ac demonſtrat præſignati Art.§.4. Tenaciùs certè longè hæret Preſbyteratui Diaconatus, quàm Subdiaconatus, & minores ordines quatuor, vt ibidem oſtendit, quapropter iure Innocentius iuſſit in eo Diaconatum ſuppleri, qui eo non recepto ordine, fuerat prouectus ad Preſby-

tetatum. Verùm de Subdiaconatu conticuit, ad quem Preſbyter ille próuectus non fuerat.

§. 3. *De dormientibus.*

PORRÒ his expeditis de infantulis & amentibus, ſupereſt de dormiẽtibus diſcurienda quæſtio, quam præfati Doctores, validam infantium & amentium ordinationem eſſe contendentes, nuſquam agitarunt, nedum attigerunt: non, vt reor, quòd non perſpexerint eam quæſtionem meritò fieri poſſe, ſed de induſtriâ hanc prætetierunt, quòd animaduerterent, placitis ſuis præſignatis inde graue incommodum ſuboriri: ſi enim dormientes validè ordinari poſſunt, pleraq, hinc perabſurda ſubſequuntur: ſi porrò ordinari validè nequeunt, ſcilicet ob poſitiui conſenſus defectum, & vſus rationis ſuſpenſionem, facilè hinc elicitur nec infantulos, nec amentes validè ordinari poſſe, vt pote iiſdem obſtaculis ptæpeditos. Nimis hîc hos Doctores non premam, ſed vt eis minùs ſim oneri, breui monimento iis ſuggerendo, contentus ero, videlicet petito ex gloſ. 1. *in Can. de Iudæis diſt.* 45. vbi hæc leguntur, *In dormientibus & amentibus diſtinguitur, quòd ſi priùs habeant propoſitum baptizandi* (hoc eſt baptiſmi ſuſcipiendi) *recipiunt characterem, aliter non, vt ibidem* (nempe Extra. de baptiſ. maioris) *dicitur in fine. Eo quòd dormiens poſſeſsionem non acquirit, vt ff. de acquir. poſſeſs. l.* 1. §. 1. Atqui auctores ſuprà deſignati volunt eandem eſſe rationem characteris ordinationis, ac baptiſmi. Vnde ſequitur non poſſe dormientibus (vt nec amentibus) imprimi characterem ordinis, cùm baptiſmi character iiſdem conferri non poſſit.

CAPVT II.

Quoſdam aſsignans corporis defectus, per quos à Clericatu & Tonſurâ, qui iis affecti ſunt, de iure communi excluduntur.

§. 1. *Illegitimi.*

TAM Deo exoſa eſt impuritas, vt in hâc fæce genitos, à ſuo arceat Sanctuario, Deut. 23. *Non ingredietur Mamzer* (hoc eſt de ſcorto natus) *in Eccleſiam Domini, vſque ad decimam generationem.** Tametſi verò lex rigoris abrogata ſit, legis gratiæ promulgatione, Eccleſia tamen hâc in re nonnullum rigorem retinuit, dum ſpurios & nothos remouit à ſactis ordinibus, voluitque de iure communi cenſeri ad officia & beneficia, quin etiam ſacram Tonſuram inhabiles, vt videre eſt *lib.* 1. *Decret. tit.* 18. *per totum, & can. Cenomanenſem, diſt.* 59. *& cap. Cùm in cunctis, de elect.* Sex autem affert rationes Præpoſitus, cur ita atceantur illegitimi *in cap.* 2. *diſt.* 36. & aliquas Hoſtienſis in ſummâ *de fil. preſb. §. quæ eſt cauſa.* Quibus addendus canon, *Si gens Anglorum diſt.* 56. & *cap. niſi cùm pridem §. perſonæ, de renunt. & cap. per venerabilem, qui filij ſunt legitimi.* No-

* Vide Philon. in Decalog.

tanda quoque ſuper hoc inſignis ſententia Petri Abaillardi viri litteraturæ gloriâ ſuâ ætate præſtantis, Sancti Bernardi ſynchroni & æmuli, demúmque amici, ſerm. de S. Ioanne Baptiſtâ, inter med. & fin. *Ad Religionem, inquit, cum filij Sacerdotum tranſeunt, qui de adulterio parentum tantam infamiæ labem trahunt, vt nec Tonſuram Eccleſiaſticam ſuſcipere permittantur: poſtquam monachi fuerint, tota illa labes, ſanctitatis lauacro deletur, vt deinceps per ſingulos Eccleſiaſticorum ordinum gradus, vſque ad Epiſcopalem conſcendant altitudinem.* Sed non tantùm monaſtica profeſſio hanc maculam abſtergit, ſiquis enim conuolat ad Canonicorum regularium ordinem, idem priuilegium aſſequitur, vt patet *ex cap. 1. tit. de fil. preſb. ordin. vel non. lib. 1.* quo ita legitur ſancitum, *vt filij Preſbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros ordines non promoueantur, niſi aut monachi fiant, vel in congregatione canonicâ regulariter viuentes; prælationem verò nullatenus habeant, &c. ex Conc. Pictau.*

At hodie hic rigor non tenetur, nam diſpenſatione fit habilis illegitimus quiſque ad Eccleſiaſticos ordines tam maiores quàm minores. Porrò in minoribus (proinde & in Tonſurâ) Epiſcopus diſpenſat, etiámque ſuâ diſpenſatione habilitat ad beneficia quædam, *cap. Veniens, eodem tit.* etiam ad Canonicatum, & quidem Cathedralis Eccleſiæ ſecundùm Ioannem Andr. *in add. gloſ. c. 1.* in verbo *bonæ fidei de filiis Presb. in 6.* non autem ad dignitates, quin nec ad curam animarum: in his enim ſolus diſpenſat ſummus Pontifex; cuius etiam ſolius indulto poteſt illegitimus ad ſacros ordines promoueri *c. 1. præd. tit. eodem lib.* Solus itaque Papa in omnibus ordinibus & beneficiis diſpenſat, *ibidem c. 2.* hinc vſuuenit, vt paſſim in omnibus ad eum recurratur. Sed aduertendum diligenter quòd in eâ promotione ſiue ad ordines ſiue ad beneficia, diſpẽſatio eiuſmodi ſuper natalium defectum exprimi debeat, nec enim promotione ipsâ quæ iuſtos exigit natales, cenſetur tacitè diſpenſatum, etiamſi is qui confert, aliàs expreſſè diſpenſare poſſit; *gloſ. latè in cap. vnicum*, in verbo *diſpenſare, de ætate & qual. in 6.* Denique obſeruandum quòd illegitimitas (vt aiunt Canoniſtæ) non imprimit notam delicti, ſed defectum tantùm *cap. 1. de filiis presb. in 6.* Siquis verò depoſcat, cur igitur tantâ diſtrictione agatur cum illegitimis, vt quiſquis hunc patitur defectum ſit irregularis de iure, quo ideò declaratur non poſſe ad ordines & beneficia promoueri. *c. niſi cùm pridem §. perſonæ, de renunt.* Reſpondet *gloſ. defectu in cap. 1. de filiis Presb. in 6.* quatuor ob cauſas. 1°. ob ordinis prærogatiuam. 2°. ob deteſtationem criminis paterni, quod punitur in filio, vt per id puniatur pater. 3°. propter incontinentiæ paternæ contagium, quod timetur in filio pullulaturum. 4°. propter ſcandalum illorum inter quos promouetur. His, aliíſque de cauſis illegitimus quiſque, magis verò adulterinus & ſpurius (nam naturalis à quibuſdam, ab his diſtinguitur) inhabilis ad diuinum miniſterium, & Eccleſiaſticum beneficium, in iure declaratur: nec immeritò, ſiquidem præclarè Philo Iudæus in Decalog. dixit: *In Sacerdote & hominum genus examinatur, vt ſit inculpabile, & competens partibus ſuis corpus, vſquequaque integrum.*

Cæte-

Cæterùm Eccleſia pia mater, hanc ſeueritatem pleriſque lenimentis attemperat. Enimuerò illegitimis materno affectu compatitur ac ſuccurrit. Licet profectò maternam hanc benignitatem conſpicere tota diſt. 50. pleriſque canonibus conſignatam, licet enim can. 1. qui eſt Vrbani II. ſic habeat, *Presbyterorum filios à ſacris altaris miniſteriis remouemus, niſi aut in Cœnobiis, aut in Canonicis religiosè probati fuerint conuerſati.* Mox hoc ſequitur monimentum; *ſed hoc intelligendum eſt de illis qui paternæ incontinentiæ imitatores fuerint. Verùm ſi morum honeſtas commendabiles fecerit exemplis & auctoritatibus, non ſolùm Sacerdotes, ſed etiam ſummi Sacerdotes fieri poſſunt.* Quod ſequentibus canonibus petitis ex lib. Pontificali, dictiſque Sanctorum, Ioannis Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij Magni, Bonifacij Epiſcopi & Martyris, decretiſque Alexandri II. & ipſius Vrbani ſecundi epiſtolâ ad Bartholomæum Archiepiſcopum Turonenſem luculenter confirmatur. Ratio huius indulgentiæ legitur non contemnenda *gloſ. 1. in reg. non debet 22. de regulis iuris in 6.* videlicet, quòd illegitimi alieno vitio laborent: ideóque ſint veniâ digni.

§. 2. *Inſigniter deformes, & corpore vitiati, ac mutilati.*

QVI *habuerit maculam non offeret panes Deo ſuo, nec accedet* (inquit Deus ipſe in Leuitico) *ad miniſterium eius, ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi paruo, ſi grandi, vel torto naſo, ſi fracto pede, ſi manu, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculo, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem.* Quin & ipſa animalia in victimam Deo ſacrificanda ſi maculam aliquam habebant diuino quoque edicto reſpuebantur. *Sin autem habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino.* Deuteron. 15. vnde & illa extat expoſtulatio apud Malachiam, *Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum, nónne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* *Leuit.* 21. *Malach.* 1.

Verùm vt victimæ iſtæ carnales ceſſarunt, illâ vnicâ præſente, quæ ſuo incruento ſacrificio, omnes differentias impleuit hoſtiarum, Sacerdotiúmque illud typicum euanuit, Chriſto Pontifice aſſiſtente futurorum bonorum, à quo ordo ille incepit Sacerdotij immutabilis, per quem Eccleſia regitur, & immolatur iuge ſacrificium, oblatióque munda, à ſolis ortu vſque ad occaſum offertur Deo, qui hoc puro perenníque cultu à veris adoratoribus in ſpiritu & veritate adoratur. Sic profectò cæremoniales illæ ſanctiones, quæ vetus Sacerdotium & antiquæ legis ſacrificia ſpectabant; his euacuatis, eſſe quoque in vſu deſierunt. *Heb.* 9. *Ioan.* 4.

De Eccleſia vaticinando, Pſaltes diuinus prædixerat, *Omnis gloria filiæ regis ab intus.* Pſal. 44. hoc eſt ab intimis animæ præcordiis, & interiori pulcritudine. Cùm enim diuinus ſponſus ſit veritatis amantiſſimus, imò & ipſa veritas increata, mendacem ſanctitatem valde execratur: exterior verò ſanctitas abſque interiori, non eſt ſanctitas, ſed vana

ſanctitatis ſimulatio & fucus, quo hypocritæ oculos intuentium decipiunt, quos ideò acutè Sanctus Auguſtinus, *lib. 2. de ſerm. Domini, cap. 3.* comparauit histrionibus, qui licèt pauperrimi, perſonam regis, & quamuis ſceleratiſſimi, Sancti cuiuſpiam perſonam referunt. Magis appoſitè Dominus eoſdem (Matth. 21.) comparauit ſepulcris dealbatis, quæ licèt exteriùs pulcra videantur, intrinſecùs tamen putredine, & vermibus ſcatent.

Cùm igitur externa ſpecies & venuſtas, ſine interiori pulcritudine, nihil aliud ſit quàm larua & fictio: non dubium quin Chriſtiana formoſitas non pendeat ab externo decore & ornatu, ſed ab internæ formæ ac ſpeciei præſtantiâ. Venuſtas corporum in tribus iuxta communem Philoſophorum ſententiam conſiſtit, in integritate ſeu perfectione membrorum, mutuâ inter hæc proportione, & ex natiuo colore, qui ex optimo temperamento, habente quatuor humores *ad pondus* (vt loquuntur medici) reſultat. At animæ ſpecies atque decor in facultatum integritate, partis inferioris cum ſuperiori, ſenſualis cum rationali ſubordinatione atque harmoniâ, & virtutum connexione, ac congruo apparatu conſtat. Hanc in homine Chriſtiano, magis autem in Clerico & Sacerdote, Eccleſia, ſui ſponſi, incarnati Verbi, æternæ Patris ſapientiæ arcanorum conſcia, vnicè attendit pulcritudinem. quamobrem veteris Teſtamenti præcepta, de Sacerdotum tam accurato delectu, non ad corporis decora vel defectus, ſed ad animæ cultum, aut deformitatem, referre ſolet. Etenim parum curat de lineamentis facierum, viuacitate coloris, partium corporis eleganti proportione, & membrorum adæquatâ perfectione, dummodò animæ internum decorem ex virtutum ſplendore in externis actibus emicante conſpiciat, gratiæque dona animæ infuſa, in verbis & operibus quæ ab internis prodeunt eius ſpitaculis intueatur. Hinc ſponſa ipſa in Canticis, *Nigra ſum*, inquit, *ſed formoſa:* nigra ſcilicet in externa facie, ſed decora in interna ſpecie, quâ mens Deo grata coruſcat, vbi eleganter S. Bernardus ſerm. 2. in Cant. *Nigredo felix*, inquit, *quæ parit mentis candorem, lumen ſcientiæ, & conſcientiæ puritatem!*

Cant. 1. 4.

Verùm, ſi ita eſt (vt ſic eſt reuerà) cur itaque Eccleſia, ſuis in legibus deformes homines à Sacerdotio, quin & Clericatu proſcribit? Deformitas etenim impedit ordinandum, nam & ordinatum ſuſpendit, *gloſ. deformitatem, in cap. Presbyterum 2. de Clerico ægrotante, lib. 3. tit. 7.* Auctor additionis ad marginem cap. *quia diuerſitatem 5. de conceſſ. Præbendæ. lib. eodem tit.* 8. huic inquiſitioni præuertiſſe videtur: *Sæpe*, inquit, *animi mores, corporis temperaturam ſequuntur.* Vide Alphonſ. à Caſtro l. *de iuſta hæreticorum punitione*, cap. 9. Hinc illud paſſim decantatum: *Cauete à ſignatis:* verùm hæc legitima mihi non videtur ratio: fuerunt enim magni Sancti vultu deformes, ſtaturâ puſilli, membris mutili, corporiſque aliis vitiis deſpicabiles, quos tamen Eccleſia ob clara virtutum inſignia, poſthabitô eiuſmodi defectu, non tantùm albo Cleri adſcripſit, at etiam haud inuita, ſed lubens ad Sacerdotium prouexit, ac deinde ſuſpexit lætabunda ſibi in arce Sacerdotij, hoc eſt in Epiſcopatus

lio, circumfuſis ſanctitatis ac doctrinæ luminibus magna cum Dei gloria præfulgentes.

Igitur hîc ad rem referri non ineptè poteſt quod ait S. Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum de Clericorum ordinanda vita: *Veſtes pullas æquè deuita ac candidas, ornatus vt ſordes pari modò fugiendi ſunt. Quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Ita ſiquidem Eccleſia in ſuis Clericis & Dei miniſtris, nec ſpeciem affectat, nec deformitatem probat, neque prorſus repellit. Chriſti omnium Sacerdotum principis & exemplaris pulchritudo muliebris non erat, nec mollis, ſed grauis & virilis, ſpirabat enim, vt ex antiquis refert Nicephorus l. 1. c. 40. grauitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam: ad hunc archetypum quò quis magis accedit, eò magis formâ illâ pollet quâ decet Sacerdotem elucere. Verum at omnino eſt quod dixiſſe memoratur S. Gregorius Turonenſis S. Gregorio Papæ ad exiguam eius ſtaturam, quam tantus ſpiritus animabat nonnihil admiranti, *ipſe Dominus fecit nos* (ait) *& non ipſi nos*: qualeſcumque igitur efformauerit homines Deus, ſummus plaſmator omnium, Eccleſia à Clericatu & Sacerdotio non reiicit, dummodò inſignis adeò non ſit deformitas, vt contemptum pariat, vel moueat intuentes ad deriſionem, & ludibrium perſonæ diuinis officiis operantis. Referunt hiſt. Romanæ tractatores, Liuius lib. 5. & Dion. Caſſ. lib. 60. hiſt. Aſinium Gallum inſidiarum ſine exercitu Cæſari Claudio, exiliô, non morte mulctatum eſſe, quòd neque pecuniam contraxiſſet, neque exercitum, & tantâ deformitate eſſet, quòd potiùs riſui haberetur, quàm periculum eſſet ne pro duce haberetur. Eiuſmodi deformitatem quæ Dei miniſtros, imò diuina myſteria in contemptum traheret, Eccleſia piè ac prudenter deuitat, quamobrem ita fœdos, & deformes à ſacris arcet ordinibus & miniſteriis. Non omnis tamen deformitas ab horum aditu excludit, pleroſque tolerat Eccleſia deformes, vt nimis formoſos, etſi non abnuat, non appetit, ſed ſingulis dicit, quod priſcus ille ſapiens, memoratur præclarè aliquando pronunciaſſe: *Si pulcher es bene fac: ſi deformis naturæ defectum bonis actibus compenſa.*

Aliquos tamen nimis fœdos & deformes reiicit, ſi quæratur quæ ſit illa deformitas propter quam eos repellat ab ipſis Sacerdorij liminibus; breuiter reſpondeo, non qualitercumque deformes, ſed inſigni defectu. Si autem rurſum perquiratur, quæ qualíſque ſit inſignis illa deformitas, quæ inhabilem ad Eccleſiaſticos gradus efficiat, progreſſúmque ſuſpendat: Reſpondet gloſſa fin. *in cap. 2. de Clerico ægrotante* ſuprà citatum; hanc meliùs aſpectu & iudicio perpendi poſſe, quàm ſtatuto aliquo poſſit exprimi. At vt de genere, ad quaſdam præcipuas ſpecies deſcendamus: ius canonicum proſcribit à Sacerdotali ſenatu, Clericatúſque ſacrâ militiâ,

Primò, vitio corporis inſigni notabiles, putà *gibboſos* enormiter, & *claudos*, vultu admodum *turpes*, *pigmæos*, & alios quoſque *puſillıori* quàm opus eſt *ſtaturâ*, ad ſacra myſteria in altari celebranda, ſed etiam qui ſtaturâ ſunt congruâ & nec claudicant, nec gibboſi ſunt, nec lineamentis faciei deformes, ſi leprâ maculentur. Id colligo ex decreto Lucij III. Pa-

pæ, quod refertur ſub ſæpe memorato titulo *de Clerico ægrotante c.* 3. hôc verborum contextu, *de Rectoribus Eccleſiarum lepræ maculâ vſque adeò infectis, quòd altari ſeruire non poſſunt, nec ſine magno ſcandalo eorum qui ſani ſunt Eccleſias ingredi. Hoc volumus te tenere, quòd eis dandus eſt coadiutor, qui curam habeat animarum, & de facultatibus Eccleſiæ ad ſuſtentationem ſuam congruam recipiat portionem.* Ita & Clemens III. cap. *Tua nos*, continuò ſubſequenti: hâc enim ex ſanctione patet, ſi leprâ affecti fuiſſent cùm ſe adſcribendos Eccleſiaſticæ militiæ, vel ordinibus initiandos minoribus, vel ſacris, obtulerunt, fuiſſe repulſam paſſuros iudiciô Eccleſiæ, quæ non priuaret officio, quos cenſeret ordini cui incumbit idoneos.

Secundò, *mancos* repudiat à Clericatus aditu, ordinúmque progreſſu, & faſtigio: qui ſcilicet membri cuiuſdam notabilis defectum patiuntur. Hæc eſt enim profectò deformitas inſignis, & quæ Sacerdotio labem, & ſanctuario dedecus non leue procreat.

Tertiò, *mutilos & mutilatos:* vnde caput 2. *tit. præſignati de Clerico ægrotante*, nomine Eugenij Papæ inſignitum, quod tamen refertur poſt Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. part. 26. c. 15. & cap. 1. eodem tit. in 1. compil. hócque tenore conſtat, *Presbyterum cuius duos digitos cum medietate palmæ à prædone abſciſſos ſignificaſti, Miſſam non permittimus celebrare, quia nec ſecurè propter debilitatem, nec ſine ſcandalo propter deformitatem membri hoc fieri poſſe confidimus.* Verùm hoc ſtatutum manifeſtè docet potiorem membrorum integritatem in Sacerdote, quàm cæteris qui infrà ſunt ordinibus, quin imò & in Sacerdote ſacrificium celebrante quàm alia officij ſui obeunte munera deſiderari: ſubiungit enim ſignatim ſuo in decreto Pontifex, *ipſum autem cæteris officiis Sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.* Quin & à Ioanne VIII. conceſſum fuiſſe legimus anno 878. in Tricaſſino Concilio, Hincmaro Laudunenſi Epiſcopo, vt quamuis fuiſſet proprij auunculi ſui ſynonymi ac Metropolitæ acerbitate ambobus oculis orbatus, diuinam nihilominus liturgiam celebraret, benediceret populo, ſacráque alia munera exequeretur, quemadmodum memoriæ prodidit Aimoinus lib. 5. hiſt. cap. 27. quô res geſtas in hâc Synodo accuratim recenſet. Vetus eſt fabula de Marco Euangeliſta, qui ſibi pollicem amputârit, ne Sacerdos fieret, quùm tamen obierit Epiſcopus teſtante Hieronymo in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, *ipſum aſſumpto Euangelio quod confecerat, perrexiſſe in Ægyptum, & primùm Alexandriæ Chriſtum annunciantem, Eccleſiam ibi conſtituiſſe admirabili doctrinâ, & vitæ continentiâ, demúmque mortuum eſſe octauo anno Neronis, ſepultúmque Alexandriæ, ſuccedente ſibi Aniano.*

Cæterùm hîc notanda ſunt quædam ſyntagmata iuris, videlicet

I. Quòd mutilans ſe, vel alium pariter puniatur. *Can. qui partem, & can. ſiquis pro ægritudine diſt.* 55.

II. Mutilans *ſeipſum efficitur irregularis, quoad ordines ſuſceptos, & quoad ſuſcipiendos, gloſ.* 1. *ibidem.*

III. Mutilatio comparatur homicidio, quoad irregularitatem. *gloſ. mutilet in Clement. ſi furioſis, de teſtam.*

IV. Manus, vel alterius membri mutilatio dicitur inſignis defectus, & impedit promoueri ad ordines, *c. Expoſuiſti de corpore vitiat. ordin.* Quamuis ibidem ob mutilationem eiuſmodi, quiſpiam à minorum ordinum ſuſceptione non arceatur.

V. Mutilatio digitorum, per quam impeditur quis ad frangendum Euchariſtiam, impedit promotionem ad ordines, ſecùs ſi non impediret fractionem, *gloſ. ibidem.*

VI. Mutilatus manu, ſi promotus fuerit in Abbatem, ab abbatia deponitur. *c. Expoſuiſti.*

VII. Ita & Archidiaconus factus mutus ac elinguis, remouetur ab archidiaconatu, ex reſponſali decreto Honorij III. ad Epiſcopum Auetſanum, inſertum *vlt. c. de Clerico ægrotante.*

VIII. Sic & percluſus Epiſcopus, vel morbo incurabili (quo ineptus ad officium prorſus reddatur) laborans, ab officio & adminiſtratione abſoluitur, dato ei coadiutore per quem tam Epiſcopo, quàm populo vtiliter conſulatur, edicto Innocentij III. ad Arelatenſem Archiepiſcopum, *c. ex parte tua 5. tit. præſignati.*

At in eiuſmodi defectibus ſuccurrit, & medetur vt plurimùm diſpenſatio aliquando Pontificia, aliquando Epiſcopalis, lib. 1. Decretal. integer extat titulus *de corpore vitiatis ordinandis, vel non*, in 7. capitula digeſtus, quorum I. eſt Alexandri III. hôc ſub lemmate: *Preſbyter qui in duello digiti partem amiſit, ex diſpenſatione ſui Epiſcopi poteſt in ſuo ordine miniſtrare.* II. eſt eiuſdem Pontificis ad Electum Ciſtercienſem * prænotatum hâc ſerie: *Habens in oculo maculam quæ non inducit magnam deformitatem, ad Epiſcopatum etiam poterit promoueri.* III. Clementis III. ad Varienſem ** Epiſcopum his verbis conſcriptum, *fectus in cunabulis licitè promouetur.* IV. Rauennati Archiepiſcopo ita præſignatum: *Sacerdos qui ſibi ſine cauſa virilia fecit abſcindi, credens inde mereri, de diſpenſatione Epiſcopi, ſuum officium, præter altaris miniſterium poterit exercere.* V. eſt Innocentij III. hâc ſub epigraphe, *Sacerdos qui ex iuſta cauſa, facit ſibi virilia abſcindi, poteſt vt priùs officium exercere.* VI. eiuſdem reſpondentis Melitenſi Epiſcopo hâc ſummâ expreſſum, *Mutilatus manu, ſi promotus fuerit in Abbatem, deponitur.* VII. Denique Honorij III. in reſcripto ad Epiſcopum Engoliſmenſem, cuius prænotatio ſic habet: *Carens vngulâ pollicis, dummodò ſit fortis in pollice, licitè ad Sacerdotium promouetur.*

* *Aliàs* Ciceſtrenſem.

** Varmienſem.

Cæterùm ad Tonſuram in horum caſuum pleriſque non præcluditur acceſſus, tamen ex quo Tonſura ipſa ianuam aperit ad ordines, éſtque introductio ad Clericalem ſtatum, quâ ſternitur ad Eccleſiaſticæ militiæ gradus tam maiores quàm minores progreſſus, plurimùm refert, vt quiſquis Prælatus Tonſuram confert, diligenter attendat quibus hanc impertiatur; ſi enim prudenter anteuertit deformium eiuſmodi hominum, corpore vitiatorum & mutilorum temeritatem; his præcluſo ad ſactos honores aditu, Eccleſiæ itidem præſcindet laudabili prouidentiâ dedecus, atque plurimis obuiabit incommodis, & ſcandalis, quibus cùm hæc hominum ludibria in Clerum ſemel irrepſerunt, plus quàm par ſit progreſſi, miſerè degrauantur, quibúſque populus non leuem patitur offen-

ſionem, & miniſtros adeò ridiculos ac deformes paſſim contemptui habere ſolet atque ludibrio.

§. 3. *Energumeni.*

ENERGVMENOS, arreptitióſque ſacri Canones vetant ordinari, qui verò iam ordinati ſunt, à miniſterio repelli iubent. In Arauſicano I. Concilio cap. 16. *qui palàm aliquando arrepti ſunt, non ſolùm non aſſumendi ad vllum ordinem Clericatus, ſed etſi iam aliqui ordinati ſunt, ab impoſito officio repellendi:* imò nec ad Tonſuram admittendos docet ipſe titulus huius canonis, qui ſic habet, *Arreptitij, Clerici ne fiant.* Idem decretum repetitur can. 41. Arelatenſis Concilij II. paulopòſt habiti ſedente Leone Magno. In tertio Concilio Aurelianenſi ſub Siluerio Papa, & Childeberto Rege can. 6. qui inſcriptus eſt *de qualitate ordinandorum, & de pœnis illicitarum ordinationum*, ita etiam ſancitum eſt: *De ipſis quoque qui ordinandi ſunt, Clericis regulari cuſtodiatur ſtudio, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam profeſſus, aut ſeniore corpore, aut qui publicè aliquando arreptus eſt, ad ſupraſcriptos ordines* (ſignatim Diaconatus, & Presbyteratus) *promoueatur. Quòd ſi ſciens Epiſcopus contra hæc ſtatuta agendum eſſe crediderit, is quidem qui ordinatur, ſuſcepto iuxta anteriores canones priuetur officio; ſed & ille pro ordinationis temeritate, ſex menſibus à celebrandis officiis ſequeſtretur.*

Sanctus Dionyſius Eccleſ. Hierarchiæ cap. 3. inter immundos, Energumenos recenſet, eóſque arcet à diuinorum myſteriorum vſu atque viſu: *Porrò Energumenorum turba*, inquit, *immunda quidem eſt & ipſa, veruntamen ſecundum locum, ſuperiorem à Catechumenorum extremitate obtinet; neque enim penitus profano, diuinorúmque Sacramentorum prorſus exſorti par & æquale duxerim, id quod in aliquam ſacratiſſimorum ſacramentorum partem venit, tametſi contrariis etiamnum illecebris perturbationibúſque impleretur, quamquam etiam ipſis rerum ſacratiſſimarum aſpectus communióque ſubtrahitur.*

Quorum verborum vt apertus fiat ſenſus, obſeruare iuuat duas eſſe Energumenorum ſpecies; alij ſcilicet qui vitali lauacro regenerati ſunt, alij qui adhuc baptiſmo non ſunt initiati. De vtraque ſpecie meminit, *diſt. 23. can. 17. hoc modo*, exorciſta cùm ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo, *Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſiue baptizatum, ſiue Catechumenum.* De Catechumenis hæc edicit Concilium I. Arauſicanum cap. 15. *Energumenis Catechumenis quantùm vel neceſſitas ipſa exegerit, vel opportunitas permiſerit de baptiſmate conſulendum.* De baptizatis porrò S. Dionyſius loco citato, loquitur; dicit enim potiores Catechumenis eſſe, neque enim penitus profanos aut diuinorum ſacramentorum prorſus exſortes (vt pote diuino fonte regeneratos, & ſacro linitos chriſmate) veniréque in aliquam ſanctiſſimorum Sacramentorum partem. Ob mentis tamen perturbationem, & Dæmonis quas patiuntur præſtigias, his ſubtrahi diuinorum myſteriorum ſynaxim, quin & aſpectum.

Sed Concilium Arauſicanum præcitatum contrà ſtatuiſſe videtur, c. ſiquidem 14. iubet *ſacram illis communionem præberi.* Verùm non abſolutè hoc permittit, neque eiuſmodi gratiam concedit indiſcriminatim, at his tantùm qui lucida interualla habent, & interim ſatagunt piis votis ac precibus, pro ſua liberatione ac emundatione impetrandâ, ſic enim Synodus iſtâ ſanctione loquitur: *Energumeni baptizati, ſi de purgatione ſua curant, & ſe ſollicitudini Clericorum tradunt, monitiſque obtemperant omnimodis, communicent, Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonij, quô infeſtantur, vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior.* Quid ſi ſecus? Reſpondeo ex cap. 11. *de conſecrat. diſt.* 5. deſumpto ex IV. Concil. Carthag. cap. 90. & ſeq. precibus dumtaxat iuuandos, atque vt ſpiritus ſuperbiæ ab iis diffugiat, exercendos eſſe actibus humilitatis, ſic enim fert canon ſignatus: *Omni die Exorciſtæ energumenis manus imponant: energumeni verò pauimenta domorum Dei verrant. Quibus aſſidentibus in domo Dei, victus quotidianus per Exorciſtas opportunô tempore miniſtretur.* Quâ ex ſerie colligere promptum eſt, illos quandiù hôc in ſtatu fuerint, à Clericalis dignitatis & ordinum ſuſceptione, quin & Eccleſiaſticorum miniſteriorum functionibus, omnino prohiberi.

De Lunaticis idem ſentiendum, quos gloſa *Energumenis*, in citatum canonem, pro iiſdem accipit, ita enim præfert, *Energumenis* (ſup. 23. diſt. cap. *Exorciſta*) *qui ſcilicet à dæmonibus ſunt obſeſſi: vel Energumenis, ab erge quod eſt labor, & mene, quod eſt defectus, quia ſcilicet in defectu Lunæ, vel menſis alienationes mentis patiuntur.* Lunaticum eiuſmodi à dæmone miſerè vexatum, fuiſſe liberatum à Domino, inſigni monimentô narrat S. Matthæus c. 17. idémque alios fuiſſe tum in Iudæa, quos ſibi oblatos ipſe Dominus ſanauit, B. Euangeliſta refert cap. 4. At de Energumenis ſatis pro præſenti inſtituto, vide diſt. 33.

§. 4. *Morbo caduco laborantes.*

IN iure ciuili, ob quoſdam morbos electi tutores ab hoc onere excuſantur, imò etiam ab eius adminiſtratione repelluntur, *l. 1. qui morb. ſe excuſ. C. L. poſt ſuſceptum de excuſat. tutel. in ff. l. 3. qui dare tut. vel cura. poſſunt, L. 5. C. tit.* 34. Videlicet ſi quis furioſus, mutus, cæcus, ſurdus, & ſi qui vno tantùm oculo orbatus eſt, *L. frater tuus 19. Cod. de excuſ. tut. lib. 5. tit. 62.*

At in iure ſacro, ſiquis morbo epileptico laborat, eligi non poteſt ad dignitatem, vt reſcribit Innocentius III. *cap. cùm inter, de elect. lib. 1. tit. 6.* Imò nec ad ordines ſacros poſſunt hôc infecti morbô admitti, vt enim inhabiles ſunt ad dignitates Eccleſiaſticas *ex c. prænotato*, ſic & ad ordines licitè nequeunt promoueri. qui tamen ſi quomodolibet promoti ſunt, interdicuntur ſacri ordinis, maximè autem Sacerdotalis officiô, haud ſecus ac arreptitij. Hinc Pius Papa diſt. 33. can. 3. cuius hic titulus eſt, *Arreptitij vel epileptici ſacris altaribus non miniſtrent: Communiter*, inquit, *definimus vt nullus de iis qui aut in terram arrepti à dæmonibus eliduntur, aut quolibet modô vexationis incurſibus efferuntur, vel ſacris audeant altaribus mini-*

ſtrare, vel indiſcuſsè ſe ingerant Sacramentis diuinis. Exceptis illis qui corporis incommoditatibus dediti, ſiue huiuſmodi paſsionibus, probantur in terram eliſi: Qui tamen & ipſi tandiu erunt ab officij ſui ordine & loco ſuſpenſi, quo vſque vnius anni ſpatio per diſcretionem Epiſcopi inueniantur ab incurſu dæmonum liberati. At Alexander II. epilepticum Sacerdotem prorſus remouet ab altari, & ſacrificij celebratione, quandiu talis exiſtit, in reſponſione ad Gebonardum Viennenſem Archiepiſcopum*, quæ refertur ex parte, 7. q. 2. can. 1. his verbis: *In tuis litteris continebatur ſic. Hic Clericus ordinem habet Presbyterij, ſed quia caduco morbo laborat, & ipſi impræſentiarum hîc agnouimus, non auſi fuimus concedere ſibi, vt offerret, vel miſſam celebraret. Quia verò languor in culpa non eſt, ſuper hac re auctoritatis noſtræ decreto conſulendo deliberauimus. Conſulimus itaque vt ſi frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione & miſſarum celebratione modis omnibus prohibeatur. Indecens eſt enim & periculoſum, vt in conſecratione Euchariſtiæ morbo victus epileptico cadat: ſi verò Dei miſericordiâ conualuerit (quandoquidem non culpa ſed infirmitas eſt in cauſa:) eum ſacrificare iam non interdicimus.* Vbi gloſ. tamen ad verbulum *frequenter*, hoc tempetamentum ponit, *ideò quidam dicunt, quòd ſi rarò accidit, poteſt celebrare dummodò habeat ſocium, ſuprà. eadem cauſa q. 1. can. illud,* qui ex Concil. XI. Tolet. cap. 14. deſumptus eſt. Cæterùm tegula eſt certa & communis, *morbo comitiali correptum, nec poſſe ordines aſſumere, nec in ſuſceptis miniſtrare, etiamſi diu conualuerit*, gloſ. verbo *de his* in cap. *communiter* diſt. 33. prænotatâ. Franc. Leo in Theſauro fori Eccleſiaſtici part. 2. c. 8. n. 32. Aluar. Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1. c. 48. litterâ F. Nauar. in Manuali c. 27. n. 203. aliſque paſſim Canonici iuris interpretes. Ex quo axiomate ſequitur nec ad Tonſuram de iure poſſe admitti: nec enim primitias Clericatus accipere debet, qui ordinum ad quos diſponit ipſa Tonſura & introducit, ſunt ipſo iure incapaces.

* Hic nō recenſetur in tabulis Epiſcopalibus, hactenùs editis.

§. 5. *Digami.*

1. Timoth. 3. 2.

VNIVS vxoris, ideò iuſſit Apoſtolus, Epiſcopum virum eſſe, non quòd ſecundas vel tertias nuptias damnaret, ſed quòd id maximè deceat dignitatem & Sacramentum Epiſcopi, quem eſſe monogamum par eſt, ſicut Chriſtus ſponſus eſt vnius Eccleſiæ. Nec tamen hæc vna videtur ratio, cur ipſe vas electionis monogamiam in Epiſcopo exegerit, in Presbytero enim pariter requirere inde conſtat, quòd etiam in Diacono depoſcit, *Diaconi* (inquit 1. Timoth. 3. 13.) *ſint vnius vxoris viri;* ſanè apud Græcos*, etiamſi in Laïcis digamiam admittant, tamen digami non communicant diuinis myſteriis: imò ab iis anno integro abſtinere iubentur; quòd digamia etiam ſucceſſiua, ſignum ſit incontinentiæ. Ideò igitur dedecet Epiſcopum, Presbyterum & miniſtros altaris: quamobrem in iis fuit ſemper, & vbique reprobata; tametſi enim ipſi Græci concedant Sacerdotibus ſuis, matrimonio vti contracto ante ſuſceptam ſacram ordinationem: id tamen locum habet in monogamis, & iis quidem qui virgines ante ordinationem duxerunt; viduæ enim maritus, aut corruptæ, ante nuptiale fœdus initum, à Sacerdotio

* Arcudius lib. 7. cap. 32 in fine p. 563. col. 1. c.

&

& ſacris ordinibus remouetur. Qui verò Clerici ductis ante ordinationem vxoribus vtuntur, iis mortuis alias ducere non poſſunt: quod ſi facere præſumant deponuntur. In Occidentali porrò Eccleſia, vbi Eccleſiaſtici canones, quin & Apoſtolica de cœlibatu traditio, accuratè ſeruantur (prout iam olim notauit S. Epiphanius hæreſ. *59.*) Monogamis quidem patet ad Sacerdotium aditus, ſed eo pacto vt demortuis vxoribus (quas virgines acceperant) vel ſic à ſe mutuò conſenſu ſeparatis, vt iis cohabitare ſit deinceps prorſus illicitum; poſſint ad ſacros ordines promoueri. Nam in minoribus conſtitutis Clericis, inire quidem coniugium licet, at (eo ipſo) officio & beneficio excidunt, nec ad maiores ordines deinceps poſſunt aſpirare, niſi cùm à coniugio ſunt liberi, ſi tamen digami non ſint: quotquot ſunt enim, & quouis modò ſint, excluduntur ſacro ordine & miniſterio.

Triplex autem à Doctoribus digamiæ ſpecies aſſignari ſolet. I. vera, ea nimirum quæ à quibuſdam dicitur ſucceſſiua, quando videlicet quis verè duas vxores legitimè duxit, eáſque carnali copulâ cognouit, can. *Acutius intelligunt*, & can. *deinde ponitur*, & can. *qui ſine crimine diſt. 26.* In hoc tamen axiomate exceptioni locus eſt, vt patet *ex can. 1. huius ipſius diſt.* qui ſic habet, *vnius vxoris virum, id eſt monogamum poſt baptiſmum, ſi enim & antè coniugem habuit, quæ obierit, non ei imputatur, cui prorſus nouo homini, nec ſtupra, nec alia quæ antè fuerunt, iam obſunt.* Haud ita tamen cum hôc conſonant ſequentes canones, vnde nata inter Doctores diſſenſio: ſed probabilior vt & tritior eorum ſententia videtur, qui eum cenſent verè bigamum qui ante baptiſmum vxoratus, deinde ad alterum conuolârit connubium. Sic inſuper determinat can. *vna tantum*, ex Sancto Ambroſio *lib. 1. offi. cap. vlt.* decerptus, qui docet in baptiſmate culpam dimitti, non legem coniugij aboleri: & can. *qui ſine crimine*, deſumptus ex eiuſdem epiſtola ad Vercellenſes *lib.* 10. ep. 82.

II. Interpretatiua bigamia ex hoc dicta eſt, quòd à vera bigamia partim deficiat, partim verò illi aſſimiletur; quæ quatuor incurritur modis: Primus eſt, quum quis vnicam, ſed corruptam duxit, nempe viduam à priori viro cognitam, *cap. ſi quis viduam, cap. præcipimus diſt.* 34. *& cap. quiſquis diſt.* 84. Ita etiam cenſetur bigamus qui corruptam quocumque modò duxit, nimirum meretricem, aut concubinam, niſi hæc ipſa ſit quam ipſemet deflorauerit, *can. maritum diſt. 33. & can. qui in aliquo, diſt. 31. & gloſ. fin. in cap. debitum, de bigamis tit. 21. lib. 1. Decret.* Secundus modus eſt, quando quis ducens virginem poſtquàm adulterata fuerit, illam (etiam * ignoranter) carnaliter cognoſcit, *can. ſi cuius, & can. ſi Laïci, diſt.* 34. Sic etiam ducens corruptam quam putabat eſſe virginem, fit bigamus, etiamſi coacta commiſiſſet adulterium, ita gloſ. verbo, *Virgo*, in can. *nemo, diſt.* 32. Tertius modus eſt, quando quis duo iniit matrimonia irrita. Quartus, cùm duo quidem contraxit: alterum quorum eſt irritum, alterum verò validum, vt colligitur ex ratione textus, *in cap. Nuper à nobis, de Bigamis num.* 4.

* Non impedit tamen hic caſus vt ad ordines promoueatur: in hoc enim deſideratur victio ſcientia.

III. Similitudinaria digamia ea dicitur, quâ quis poſt votum ſolenne caſtitatis emiſſum in profeſſione Religionis, matrimonium celebrat cum aliqua, & eam carnaliter cognoſcit, *c. quotquot 27. q. 1.* Ita & qui in ordine ſacro conſtitutus, hoc ipſum attentat. Licèt enim matrimonium eiuſmodi ſit inualidum, ex obſtaculo voti ſolennis: violatur tamen ſpiritualis coniunctionis ſignificatio, quâ cum Eccleſia copulatus fuerat. Huc ſpectat *cap. à nobis 7. de bigamis*, quo declaratur hic pœnæ bigamiæ obnoxius, etſi ipſe bigamus reipſa non ſit, quandoquidem, etſi præſumpſerit matrimonium inire de facto, de iure tamen non potuit.

Hîc referri poſſent canonicæ ſanctiones, quibus bigamia omnimoda in cunctis Eccleſiaſticis ordinibus proſcribitur, ſub pœnis grauiſſimis, quas incurrunt non ſolùm bigami ordinati, ſed eos etiam ſcienter ordinantes: at prolixior hæc foret inductio, quàm vt vnico articulo includi pateretur. Nec neceſſaria hîc viſa eſt, cùm expreſſa de ordinibus impræſentiarum non ſit à nobis inſtituta diſſertatio, ſed de Tonſura Clericali præfixus ſit proprius tantùm tractatus. Hoc igitur loco diſquirere operæpretium eſt, an digamia quæuis, eâ affectum impediat à Tonſuræ ſuſceptione?

Nec abs re hoc in dubium videtur poſſe reuocari: verumenimuerò in Synodo Romana ſub Hilario Leonis Magni ſucceſſore, *can. 2. diſt. 34.* ſic ſtatutum legimus; *Curandum imprimis eſt, ne ad ſacros ordines (ſicut eſt geſtis prioribus antè præſcriptum) quiſquam qui vxorem non virginem duxit, aſpiret.* Et in Aurelianenſi III. can. 6. *Ordinandis Clericis regulari ſtudio cuſtodiatur, ne aut duarum vxorum vir, aut renuptæ maritus, ad Presbyteri aut Diaconi ordines promoueatur: ordinatus, ſuſcepto priuetur officio: ordinator ſex menſibus à celebrandis miſſis ſequeſtretur.* Affinis eſt huic can. 10. mox ſequentis Concil. Aurelianenſis ſcilicet IV. cuius hic eſt tenor, *ſiquis Epiſcopus ſciens, aut bigamum, aut internuptæ maritum, ad officium Leuiticæ dignitatis ſiue Presbyterij, contra ius Canonum promouere præſumpſerit, vnius anni ſpatio ſuſpenſum ſe ſciat.* Nec excipiendi locus eſt, Conciliorum localium, ſeu particularium hos canones eſſe: nam Leo Magnus generalibus Eccleſiæ decretis, imò Euangelicis, & Apoſtolicis inſtitutis hæc ſtatuta, aliáque ſimilia conſona eſſe propalam inſinuat epiſt. 1. cap. 2. *Vbi duarum maritos, aut quibus numeroſa fuiſſent coniugia, ad ſacros ordines, (ſi perruperint aditus) præuaricari ait contra antiquæ legis præceptum, Apoſtoli vocem, canonum regulas, ideóque vt Sacerdotij incapaces ab Eccleſiaſticis officiis, & Sacerdotali nomine* arceri iubet. Idem porrò Pontifex ſapientiſſimus pariter & ſanctiſſimus ep. 84. ad Afros Epiſcopos per Mauritaniam conſtitutos, c. 1. *Si ergo*, inquit, *in veteri quoque Teſtamento hæc ſacerdotalium coniugiorum forma ſeruata eſt, quantò magis ſub reuelata iam gratia conſtituti, Apoſtolicis debemus inſeruire præceptis: vt quamlibet bonis moribus præditus, & ſanctis operibus ornatus, ne tamen ad Diaconij gradum, vel Presbyterij honorem, vel Epiſcopatus culmen aſcendat, ſi aut eum vnius non vxoris virum, aut eius vxorem non vnius viri fuiſſe claruerit.* His enim ex auctoritatibus elici poſſe videtur præciſos fuiſſe bigamos à ſacris ordinibus tantùm, non autem ab inferioribus, ipſóque Subdiaconatu, qui tum ſacris, vt ex dictis patet, non adſcribeba-

tur. Quod verò ordinibus, qui dicuntur minores, non erat interdictum, multò minùs ſimplicibus Clericis qui Tonſurâ tantùm inſigniti erant, inde conſtat fuiſſe prohibitum: firmat enim exceptio ius in cæteris, vt regula iuris vtriuſque docet. Quamobrem cùm ſignatim bigamis ad Epiſcopatum, Preſbyteratum, & Diaconatum aditus intercluditur, vtique patere intelligitur inferioribus ea in prohibitione non expreſſis. Sic ſenſiſſe videntur Patres Concilij I. Toletani, dum can. 3. ſtatuerunt, *vt Lector viduam accipiens ampliùs nihil ſit* (id eſt non promoueatur ad ſuperiores gradus) *ſed ſemper Lector habeatur.* Si enim à Lectoratus ordine non prohibetur bigamus, nec vtique à Tonſura excluditur, quâ fit ſimplex Clericus, abſque vllo vel minimo ordine.

Verùm citatæ auctoritates, nihil aliud probant, quàm vix tunc cum bigamis fuiſſe ſuper hoc vitio diſpenſatum, in maioribus ordinibus: porrò indultum fuiſſe vt qui promoti fuiſſent ad minores, in his officio ſui ordinis fungerentur, quod patet, vel ex vltimô locô inducto canone, vt qui Lector factus eſt ampliùs non procedat, ſed ſemper Lector habeatur. Quamuis ſi exactè perpendantur verba huius canonis, non licuiſſe ordinare bigamum Lectorem ex his patet: non enim hîc agitur de bigamo, qui Lector factus fuerit, ſed de Lectore iam ordinato, qui in digamiam interpretatiuam inciderit, factus ſcilicet viduæ maritus; cui ex miſericordia indulgetur, vt Lector permaneat, ex iuſtitia verò prohibetur vlteriùs ad gradus Eccleſiaſticos conſcendere.

Axioma enim certiſſimum eſt, à Clericatu proinde à Tonſura (nam hæc facit Clericum) digamum repelli, perpetuâ & vniuerſali legum ſacrarum conſpiratione: Carthag. IV. Concilij can. 69. qui refertur *diſt. 50. c. ex pœnitentibus* ſtatuit, *vt Epiſcopus ſi ſciens Clericum ordinauerit, qui viduam repudiatam, aut ſecundam duxerit, ordinandi poteſtate priuetur.* Gerundenſis can. 8. *Laïcus qui poſt vxorem, aliam cuiuſcumque conditionis* (virginem ſcilicet, aut viduam) *mulierem cognouerit, in Clero ne admittatur.* Telenſis Concil. can. 3. *vt Laïcus qui duxerit viduam ad Clerum non admittatur.* Ius Eccleſiaſticum idem paſſim repetit, vt videre eſt per totam *diſt. 26. & can. maritum diſt. 33. & can. præcipimus, & can. agnoſcimus diſt. 34. can. non confidat diſt. 50. & can. 1. & 2. diſt. 55. & can. à multis de ætat. & qual.* &c. Quòd igitur Tonſuræ ſint incapaces, proinde eſſe nequeunt de iure Clerici, conſequenter à iuriſperitis inhabiles ad beneficia eſſe cenſentur, vidend. Rebuf. *in tract. de pacif. poſſeſſ. n.* 193. Auil. de Cenſuris *part. 7. diſputat. 8. dub.* 1. vnde etiam elicit Nauarrus Conſ. 3. n. 1. de Bigamis, *collationem beneficij factam bigamo inualidam eſſe*: addit Azorius, *quamuis Epiſcopi conſenſus acceſſerit.*

Locum eſſe tamen diſpenſationi omnes fatentur, ſed adhibenda eſt diſtinctio; pridem enim in maioribus ordinibus non concedebatur diſpenſatio, quæ in Clericatu & inferioribus ordinum claſſibus paſſim vſum habebat: quin & Lucius III. Papa, qui ante annos circiter 500. ſedit, in reſcripto ad Epiſcopum Spalenſem *, ſibi fas eſſe non cenſuit in maioribus diſpenſare: quamuis ſe id poſſe licitè in minoribus non negaret, ſic enim reſpondet antedicto Epiſcopo Apoſtolicam ſedem conſulenti, lib.

* Spalatenſem, qui & Salonitanus dicitur.

1. Decret. tit. 21. de Bigamis cap. 2. *Super eo quod tua fraternitas de bigamis requiſiuit, reſpondemus, quòd ordinatores eorum poteſtate & officio ordinandi; & ordinati ſi ad ſacros ordines fuerint promoti, eis ideò ſunt priuandi: quia in bigamis contra Apoſtolum diſpenſare non licet, vt debeant ad ſacros ordines promoueri, vel in eis ſi promoti fuerint, remanere. In ordinatore autem poteſt diſpenſatio adhiberi, vt ordinandi poteſtate & officio non priuetur.*

Cæterùm ſolennis eſt quæſtio inter DD. an poſſit Epiſcopus cum bigamo diſpenſare, vt primam Tonſuram licitè ſuſcipiat, & ſubinde ad minores ordines promoueatur, capáxque fiat etiam obtinendi & tenendi beneficium ſimplex? Nonnulli ſunt qui cenſeant Epiſcopum non poſſe. Ratio quâ hæc opinio nititur, eſt quia *cap. vnic. de bigamis lib. 6.* deſumptum ex Concil. generali Lugdunenſi, prohibet bigamis deferre Tonſuram Clericalem: (multò magis ſuſcipere) nec permittit Epiſcopo, vt diſpenſare poſſit. Certum eſt autem non poſſe Epiſcopum diſpenſare in decreto Concilij generalis *. Alia eſt aliorum opinio, eorum ſcilicet qui fatentur quidem Epiſcopum non poſſe indulgere, vt bigamus Tonſurâ Clericali inſigniatur, conſcendat ad minores ordines, & beneficia ſimplicia aſſequatur: poſſe tamen efficere vt in minoribus iam ſuſceptis miniſtret, priuilegiis Clericatus polleat, & beneficium ſimplex quod iam obtinet, retineat: vult tamen S. Thomas in 4. diſt. 27. q. 3. art. 3. quem plerique ſequuntur diſpenſare poſſe Epiſcopum cum bigamo, vt Clericus fiat, initietur minoribus ordinibus, ſuſceptíſque licitè vtatur. Sunt qui liniant primæ ſententiæ aſperitatem huiuſmodi temperamento: nempe concedunt quòd ſi vrgeat penuria miniſtrorum, nec commodus eſſet aditus ad Pontificem ob diſtantiam locorum, poſſe Epiſcopum in lege Concilij generalis, & decreto Pontificio diſpenſare, ſaluâ Sedis Apoſtolicæ reuerentiâ. Sunt etiam qui ſentiant abſolutè id poſſe Epiſcopum in bigamia non quacumque, ſed interpretatiuâ tantùm, & eâ quæ emanat ex delicto occulto. Verùm cum grano ſalis id arbitror capiendum, ſatiúſque exiſtimo recurrendum ad ſummum Pontificem, cùm de eius diſpenſatione nemo Catholicorum dubitet; de Epiſcopali verò paſſim Theologi, & Canoniſtæ ſoleant altercari. Sed de his impræſentiarum ſatis ad propoſitum noſtrum.

* Niſi per ipſum decretum, liceat illi diſpenſare.

CAPVT III.

Impedimenta referens ad animum ſpectantia, quæ nimirum profluunt ex ſpontaneis defectibus, vel ex malis moribus oriuntur. Arcentur autem hoc titulo à Clericalis conſeſſus venerandis veſtibulis,

§. 1. *Hæretici.*

HÆRESIM ſitam eſſe in errore iudicij, & pertinacia voluntatis, nemo eſt peritorum in Eccleſiaſtica diſciplina qui neſciat; Apoſtolus ſanè hæreticos appellat homines *corruptos mente, reprobos circa fidem*, quos ideò vt humani generis peſtes, & perditionis filios, ſedulò vitandos paſſim denunciat; quibuſcum nec verbulum miſcendum admonet dilectus Domini diſcipulus; è cuius ſchola prodiens Polycarpus, vir ille diuinus, obuium ſibi factum Marcionem, nefandæ hæreſis architectum, quamuis olim familiarem indignanter prætèriit, quærentíque, *An nos non noſcis? Equidem*, inquit, *noui te primogenitum Satanæ. Tantum Apoſtoli & horum diſcipuli* (ſubiungit qui rem geſtam narrat Irenæus lib. 3. cap. 3.) *habuerunt timorem, vt neque verbotenus communicarent alicui eorum qui veritatem adulterauerant.* Quantò minùs execranda hæc monſtra in Eccleſiam admiſiſſent? aut paſſi fuiſſent in Clerum irrepere, ambire Eccleſiaſticos gradus, initiari ſacris, præeſſe populo, diuina miniſtrare? Princeps Apoſtolorum Petrus, nefando illi Simoni, qui fuit omnium hæreticorum parens, pio ſuccenſus zelo, denunciaſſe olim à S. Luca memoratur iudicium, quod illi coryphæo impietatis, & funeſtæ eius ſoboli, commune futurum erat, *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto*: id eſt in Euangelio pacis, in verbo vitæ, in prædicatione gratiæ, in miniſterio ſalutis; nunquam in ſorte Domini numeraberis, hoc eſt in Clero, neque partem in Chriſti Sacerdotio & munere Spiritus Sancti aliquam obtinebis.

2. Timoth. 3. 8.

2. Ioan. ℣. 10.

Act. 8.

Excludunt Eccleſiaſticæ leges quoſuis hæreticos à Clericatu, & omni ordinum gradu, promotóſque deiiciunt. Tædioſum foret hîc omnia canonum fulmina quibus percelluntur hæretici, & exturbantur ab omni Eccleſiaſtico ordine, gradu, dignitate, officio, ſigillatim enumerare. Ius ſacrum, quod *de Hæreticis*, plenum titulum habet, *lib. 5. Decret. n. 7.* & toto ſpatſim ferè decretorum contextu, eoſdem à ſacris honoribus præſcribit, præſertim verò 1. *q.* 1. 23. *q.* 1. 24. *q.* 3. *de conſecrat. D.* 4. &c. Sed quamuis hâc de re ſpeciales canones non extarent, facile foret id ex generalibus his regulis elicere; *Omnes hæretici (cuiuſcumque ſectæ ſint) excommunicatione ſunt deuincti.* 24. *q.* 1. paſſim, & tit. *de hæreticis, cap.* 11. *ad abolendam* (Lucij III.) Atqui omnis excommunicatus excluſus eſt à cuiuſuis Sacramenti ſuſceptione: ſi verò ad aliquem ordinem promotus eſt, eius executione priuatur. Deinde antiquiſſimum Concilium Laodicenum can. 6.

decernit, *vt hæretici Eccleſiam non ingrediantur*; prohibétque fidelibus, *ne vſquam cum eis orent.* Item nefas eſſe pronunciat, *eorum benedictiones accipere, c.* 33. idipſum ſtatuit Concilium IV. Carthaginenſe can. 7. & 6. c. 8. Bracatenſe I. can. 15. Lugdun. I. can. 12. Porrò Leo Magnus epiſt. ad Anatolium 40. c. 3. prohibet *hæreticorum nomina ad altare recitari.* Quomodò igitur liceret eis ſacrificium offerre, aut altari miniſtrare, vel docere populum, aut benedicere, aut Cleto vllo gradu adſcribi: quibus nec Eccleſiam ingredi eſt permiſſum? Accedit quod in ſeptima Synodo generali promulgatum eſt (congruenter documento S. Athanaſij ad Rufinianum) act. 1. *Communi decreto placuit, vt hîc & vbique gentium quicumque,* &c. *anteſignani fuiſſent impietatis, ſi reſipiſcerent, ignoſcendum quidem illis, verùm non reſtituendos in Cleri numerum,* &c. Ex quo patet ſi adſcripti non fuiſſent, nullatenus fuiſſe ordinandos, vel ad vltimum admittendos Clericatus conſeſſum. Et verò non modò iis ad Clericatum & ordines omnis præcluditur aditus, ſed ab officiis quibuſlibet remouentur, nec ipſi ſolùm ſed eorum filij, & nepotes ex decreto Innocentij IV. inſerto eius epiſtolæ ad Poteſtates, Rectores, Conſilia & Communitates per Lombardiam *, quâ præcipit, conſtitutiones contra hæreticos accuratim obſeruari, omniáque ſtatuta, ſeu conſtitutiones, & leges quæ contra hæreticos, & eorum complices tempore aliquo auctoritate Sedis Apoſtolicæ conditæ ſunt, in quatuor deſcribi vnius tenoris voluminibus, quorum vnum ſit in ſtatuario communi cuiuſlibet ciuitatis, ſecundum apud Diœceſanum, tertium apud Prædicatores, quartum apud Minores, quatenus cum omni ſynceritate ſeruentur, nec poſſint per falſarios in aliquo violari. quæ ſanctio edita fuit Peruſij, Pontificatus anno IX. Nec illud prætereri debet quòd hæretici Eccleſiaſticâ lege arceantur, non modò ab omnibus officiis, & beneficiis, verùm (quod magis mirum) vt qui Catholici beneficia hæreticorum precibus adepti fuerint, iiſdem priuentur, *c. quicumque §. ad hæc, de hæreticis in 6.*

* Extat tom. 28. Concil. regiæ edit. p. 389. & ſeqq. vide & cap. *ſtatutum.* 4. 2. *de hæret. in* 6. & ca. *Eccleſia* 1. q. 4.

Faceſſit nobis non leue negotium Concilij Turonenſis can. 9. quo ſancitur, *vt hæreticorum nullæ ſint ordinationes;* ſic enim ibi; *ad hæc ordinationes factas ab Octauiano* (antipontifice ſcilicet, Victore dicto) *& cæteris ſchiſmaticis & hæreticis, euacuamus & irritas eſſe decernimus.* Hæc illa Synodus, cui Alexander III. perſonaliter præfuit, interfuerunt autem 17. Cardinales, 124. Epiſcopi, Abbates 414 adeò vt ſummæ fuerit auctoritatis ſacer ille ſenatus, qui ideò à nonnullis inter generales ſaltem Occidentis numeratur Decretum verò iſtud ita ab Eccleſia eſt receptum, vt firmatum fuerit in Concilio Lateranenſi, deinde in ius Canonicum relatum *lib. 5. Decret. tit. 8. de ſchiſmaticis & apoſtatis c.* 1. hoc tenore, *Quod à prædeceſſore noſtro,* &c. Et infrà, *ordinationes ab Octauiano, & Guidone hæreſiarchis factas, & ab ordinatis ab eis irritas eſſe cenſemus; adiicientes, vt qui dignitates Eccleſiaſticas ſeu beneficia per dictos ſchiſmaticos acceperunt, careant impetratis.* Auget difficultatem can. 2. 9. 4. 1. hâc ſerie conſtans, *Excommunicati* (quales imprimis hæretici ſunt) *illicitè manus imponunt, quia poteſtatem ordinandi non habent. Vbi autem illicita eſt manus impoſitio vulnus infligitur, vnde reïterari neceſſe eſt, quod minimè probatur eſſe collatum.* Idem repetitur fuſio-

ribus verbis can. proximè ſequenti, cuius eſt exordium, *per illicitam*, &c. Auctor verò prænotatur Damaſus. Nec vim ducti exhinc argumenti licet hâc exceptione emollire, quòd duo iſti canones paleâ notentur tanquam commenritij vel futiles, expertéſque auctoritatis: ſiquidem interiectâ adnotariunculâ admonemur, vtrimque paleam abeſſe à pleriſque vetuſtis exemplaribus: haberi autem in vno valde emendato, in quo paucæ haberi ſolent. Quicquid de hoc ſit, etenim conſtat ſine palea, eodem ſub nomine Damaſi in epiſtola de chorepiſcopis; poſteriorem, cuius prior tantùm ſumma eſt, verbatim recenſeri 1. *q.* 7. *can. per illicitam.n.* 25. quin & ſuperiori can. idem luculentiùs ab Vrbano II. ſcribente ad Petrum Epiſcopum Piſtorienſem, & Ruſticum Abbatem Vallis vmbroſæ his verbis definitur: *Darbertum à Nezebone licèt ſimoniaco, non ſimoniacè, eiuſdem confeſſione reperimus in Diaconum ordinatum, & B. Innocentij Papæ ſententiâ conſtat declaratum, quòd Nezebon (quem conſtat ab hæreticis ordinatum) quia nihil habuit, nihil dare potuit, cui manus impoſuit: Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, & Damaſi Papæ teſtimonio roborati qui ait* (Reïterari oportet quod malè actum eſt) *Darbertum ab hæreticis corpore, & ſpiritu digreſſum*, &c. *ex integro, Eccleſiæ neceſſitate ingruente, Diaconum conſtituimus.*

Si porrò hæc doctrina conſtat, iniuriâ Donatiſtæ dudum affecti videntur, qui hæreſeos damnati fuerunt aſſerentes, Sacramenta pendere à dignitate miniſtri: adeò vt ab indignis collata nulla ſint; porrò etiam à dignis miniſtrata irrita eſſe, ſi ab indignis ſuſcipiantur: proinde ordinatum ab indigno Sacramenti ordinis expertem eſſe; à digno itidem, ſi ipſe qui ſuſcipit, ſit indignus. Quot tragœdias in Eccleſia hæc illorum paradoxa excitarint, haud opus eſt refricare, docti ſciunt, ex quibus noſtrâ hâc ætate Halerius graphicè protſus & eleganter controuerſiæ, quæ pridem efferbuit inter ipſoſmet Donatiſtas, & Catholicos ex varijs S. Auguſtini locis; ſummam expreſſit, *tit. de altero effectu ordinationis, qui eſt character p.* 476. *de ſacris elect. & ordin.* Obiiciebant, inquit, Donatiſtæ hæreticos vel ſchiſmaticos ordinare non poſſe, quòd gratiæ plenitudinem, & Spiritus Sancti perfectionem, quibus carerent, dare non poſſent: Reſpondebant Catholici, ab hæreticis & ſchiſmaticis ordines quidem dari, ſed non rectè dari, ab his ordines haberi poſſe, ſed non rectè haberi; valere ab iis ſuſceptum ordinem, ſed non prodeſſe, conferri Sacramentum ſed non effectum, purâ gratiam. * Addi poteſt quod Theologi paſſim, & Iuriſperiti dicunt conferri & ſuſcipi characterem ordinis, ſed non executionem, quemadmodum etiam explicat, *gloſ. irritas in cap. Quod* 1. *de ſchiſmaticis & ordinatis ab eis*, ſic enim habet, *irritas vt* 9. *q.* 1. *ordinationes. Et intellige quantùm ad executionem*, niſi cum eis fuerit diſpenſatum, *inf. c. prox.* vel niſi ordinatus probaret, ſe neſciuiſſe illum fuiſſe ſchiſmaticum qui ordinauit, &c. vt *Simo.* 1. *q.* 1. *Siquis à ſimoniacis:* quia tunc diſpenſatur cum eis: quia conferunt Sacramenta, dummodo in forma (& intentione) Eccleſiæ, ſed non executionem, eò quòd eam non habent. Et hùc illud ſpectat, ſicque exponi debet quod citari canones non ſemel incuriunt, *qui nihil habuit, nihil dare potuit, cui manus*

* Vide de hac quæſtione Bellarm. l. 1. de Sacram. in gen. c. 26. per totum.

impoſuit. Sed quid ſentiendum de hæretico qui fuerit à Catholico ordinatus? Certè vel occultus eſt, vel manifeſtus. ſi occultus, non peccat quidem qui confert ei ordinem, ſed peccat qui recipit: & recipit quidem ordinis characterem, ſed non executionem; Sacramentum, ſed non gratiam; gradum, ſed non meritum; titulum, non officium. Cæterùm rectè Barboſa ſententiam Theologorum tuetur, & Canoniſtarum refellit, dum docet *part. 2. de off. & poteſt. Epiſcopi alleg.* 40. hæreticos omninò occultos, & purè mentales non eſſe ipſo iure excommunicatos, neque incidere in pœnas contra hæreticos ſtatutas. Ego verò hos nihilominùs puto, ſi in hôc ſtatu ordines ſuſcipiant, etſi non vigore canonum diſtringantur, peccare ex defectu diſpoſitionis requiſitæ, quæ præſertim eſt recta fides, ſine quâ cùm impoſſibile ſit placere Deo, etiamſi Sacramentum recipiant, non tamen recipere gratiam: qui ſi ordinis ſuſcepti actum elicere auſi fuerint in eodem ſtatu, iterùm peccare grauiter: in eis enim quadrare verba S. Petri ad Simonem, Act. 8. *Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto; cor enim tuum non eſt rectum coram Deo: Pœnitentiam itaque age ab hâc nequitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.*

Et in his quidem qui ab hæreticis, vel ſchiſmaticis ordinati ſunt, ſi ipſi Catholici ſunt, vel ad vnitatem Eccleſiæ fuerint reuerſi, canones ſuppleri iubent quod iis deficiebat: in ipſis verò hæreticis, in hæreſi ordinatis, & ad fidem & gremium Eccleſiæ conuerſis, pœnitentiam exigit ſacra Eccleſiæ politia: ſed poſtquam reconciliati fuerint, indulget & munere fungi, & in gradu proprio permanere. Statutum pridem fuit in Concilio I. Aurelianenſi can. 10. vt Clerici hæretici Eccleſiæ reconciliati officium retineant: quin & Prælatos ab iis creatos recipiendos eſſe, ſi reſipiſcant, Synodus œcumenica VII. act. 1. definiuit, vbi ſic inter cætera locutus legitur Taraſius Patriarcha ſecundæ Sedis, audiente & approbante totâ Synodo: *Sanè, inquit, & plurimi, qui in ſexta Synodo præſides fuerunt, à Sergio, Pyrrho, Paulo, & Petro Doctoribus hæreſeωs Monothelitarum fuêre creati, ſed & hi viciſſim Conſtantinopolitanas Sedes* (id eſt quæ ſunt ſub hoc throno Patriarchali Diœceſes) *inter Clerum diſtribuerunt, & ab extremo eorum Doctore Petro vſque ad ſextam Synodum anni non pauciores quàm quindecim interceſſerunt. Qui verò intermediis temporibus fuerunt ordinati ab hæreticis, Thomas, Ioannes, & Conſtantinus fuerunt, verùm ea de cauſa non ſunt reprobati. Circiter enim* 50. *annos hæreſis illa viguit; & tamen in ſexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantùm damnarunt, cùm eorum ordinationes reliquerint. Sancta Synodus dixit, clarum eſt. Cùmque monuiſſent monachi hâc de re ſcriptam fuiſſe epiſtolam à Sancto Baſilio ad Nicopolitas, quam habebant in manibus, & petebant recitari. Lectione factâ per Conſtantinum Diaconum & Notarium: ſubintulerunt Monachi eam dictis à Taraſio ſibi videri aduerſari; ita reſpondit Taraſius vt & ipſis ſatisfaceret, & vniuerſam Synodum in ſuæ adduceret ſententiæ confirmationem*, adeò vt ipſi Monachi exclamauerint, *aptè ſoluta eſt dubitatio*, Conciliô non ſolùm annuente, ſed & Epiſcopos qui libellos pœnitentiæ offerebant, ad Eccleſiam redeuntes, benignè recipiente. Scio durius ſemper actum cum hæreſeωn auctoribus, quàm cum ſectatoribus eorum,

rum, variaréque canones hâc in re: quibuſdam ſancientibus populo ſemper ſeducto plurimum indulgendum, mitiúſque agendum cum Clericis inferioribus, quàm Sacerdotibus & Epiſcopis, quos quidem recipi pœnitentes, etſi canones nunquam prohibuerunt, tamen admitti cum honoribus plerique non permiſerunt: Clericos porrò inferiores tolerarunt in ſuo manere gradu, non autem vltra progredi voluerunt: maximè qui ſcientes ordinati fuiſſent ab hæreticis & ſchiſmaticis, híſque fuiſſent in prauo dogmate adhęrentes. At vix canones vlli ritè promulgati notari poſſunt, qui Clericos pœnitentes vnquam in Laïcorum turbam prorſus reiecerint, nulli autem extant qui iuſſerint ordinatos ab hęreticis, (qui aliàs conſecrationem quoad eſſentialia recepiſſent, & ritus Eccleſiæ ſeruaſſent) reordinari. Quin Vrbanus II. can. *Daibertum* 2. q. 1. n. 24. ſuppleri quod ei deerat; ſcilicet, legitimi ritus, voluit, non tamen eiuſmodi actum reiterationem exiſtimari, darique ei cenſuit Diaconij integritatem, quoniam videlicet habebat ordinem, ſed non executionem. Quamobrem *gloſ.* in eundem can. ad verbum *reiterari*, rectè monet, quoad ſpeciem facti, non rei eſſentiam: Nam ſæpè quod malè fit, vel minus plenè, ex integro eſt agendum, &c. Et in his omnibus non eſt aliquid iterandum, ſed quod omiſſum eſt reſtaurandum: *Extra. de Sacramentis non iterandis lib. 1. tit. 16.*

Eccleſia ſiquidem maternæ benignitatis vix vnquam obliuiſci poteſt. Sed quibuſdam temporibus ſeuerius quàm aliis agit, cùm ſcilicet animaduertit, ſuâ indulgentiâ abuti filios refugas & rebelles. quâ neceſſitate compulſus Clemens VII. Summus Pontifex graſſante indies auctiùs Lutheranæ hæreſis contagio: hanc aduersùs Clericos non ſolùm à fide pertinaciter deuios, ſed & virus huius peſtilitatis ſpargentes in publicam animarum perniciem, memoriâ dignam conſtitutionem edidit, ad inſtantiam Franciſci I. Regis Chriſtianiſſimi, quâ non obſtante priuilegio Clericali, & futilium appellationum præſidio nec non poſt delationem, etiam abiuratione quacumque: in eos, ram ex canonum quàm legum præſcripto, diſtrictè animaduertendum eſſe decernit. Non eſt Bullario inſerta, nec vlli adhuc quam viderim collectioni: etſi eodem anno quo facta eſt, ſolenni quô Pontifex, edicit more fuerit promulgata in vniuerſo galliarum regno. Quam in membrana typis excuſam eo qui ſequitur verborum tenore ad me, ab annis aliquot tranſmiſit amicâ mente & manu, vir Clariſſimus Nicolaus Camuſat, Canonicus Trecenſis vir antiquæ probitatis, & fidei ſelectioríſque doctrinæ, eruditis quibuſque hôc nomine notiſſimus atque chariſſimus.

Digitized by Google

Sanctiſſimi Patris & D. N. CLEMENTIS *Papæ VII. memorabilis conſtitutio.*

De Clericis hæreticis, graſſante hæreſi Lutherana, ſeueriùs conſtringendis.

CLEMENS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, vniuerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Archiepiſ. Epiſcopis, ac dilectis filiis Inquiſitoribus hæreticæ prauitatis regni Franciæ & Ducatus Britanniæ, ac Delphinatus, nec non Comitatus Viennenſis, & prouinciæ Prouinciæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Id noſtri præcipuè cordis vota depoſcunt, vt pro quibus ſuperorum adſcribendis cœtui ipſe rerum omnium ſummus opifex, humanos dolores perpeti voluit. Nos quibus gregis ſui curam regiménque vniuerſale commiſit, illos ab errorum præcipitiis vigilanti ſtudio eripere curemus, & eorum ſaluti diuinâ nobis propitiante gratiâ iugiter intendamus. Sanè cùm ſicut non ſolùm ex litteris chariſſimi in Chriſto filij noſtri Franciſci Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ſed etiam veridicâ relatione dilectorum filiorum noſtrorum, Franciſci Sanctorum Petri & Marcellini, & Gabrielis ſanctæ Cæciliæ titulis preſbyterorum, Auguſtini ſancti Adriani Diaconi, Cardinalium in curia noſtra Romana ad præſens reſidentium, & aliorum fide dignorum nobis diſplicenter innotuit, in regno Franciæ, & Ducatû Britanniæ, ac Delphinatu, nec non Comitatu Viennenſi, & prouinciâ Prouinciæ: Cæteríſque dominiis ipſius Franciſci Regis, ex diris & execrabilibus blaſphemiis impij Lutheri ac aliorum hæreticorum, quos iniquus homo qui diſſipare, & ſupra bonum ſemen zizaniam iactare non ceſſat, ab vnitate ſanctæ Matris Eccleſiæ ſeducit, & ſeducere in dies modis omnibus nititur, maxima prodeunt ſcandala; peſtiferúmque virus iſtud latiùs in fidelium perniciem diffunderetur & ſerperet, ac paſſim cum maximo vniuerſalis Eccleſiæ detrimento peruagaretur, niſi ſuper his noſtræ vigilantiæ curas adhiberemus: & licèt nos quantò peſtem huiuſmodi grauiùs inualeſcere, & graſſari conſpeximus, tantò maiora remedia excogitauerimus & adhibuerimus, ac huiuſmodi hæreſis prauitatis labe reſperſos, & ad viam veritatis redire, & reſipiſcere vellent monuerimus, & exhortari fecerimus: illos verò qui ſanæ doctrinæ minimè acquieſcerent, ſed animo petulanti, & pertinaci in ſua malitia, perſeuerarent excommunicauerimus, & anathematizauerimus, ac tanquam membra putrida, ne reliquum corpus inficerent abſcindi decreuerimus. Nihilominus adhuc plures exiſtunt qui per huiuſmodi monitiones, & exhortationes à ſuis erroribus, & impietate deduci non curant, ſed confidentes primùm in appellationum licentia, & ſuis ſubterfugiis, quibus lites, præſertim criminales propè immortales fiunt. Deinde quòd felicis recordationis Lucius Papa III. prædeceſſor noſter ſtatuerit, vt quicumque in hæreſi manifeſtè deprehenſus eſſet: ſi Clericus foret, vel cuiuſcumque religionis obumbratione fuſcatus, totius Eccleſiaſtici ordinis prærogatiuâ nudaretur, & ſic omni officio & beneficio deſtitutus, ſæcularis relinqueretur arbitrio poteſtatis animaduerſione debitâ puniendus, niſi continuò poſt deprehenſionem erroris ad fidei Catholicæ vnitatem ſponte recurreret, & errorem ſuum ad arbitrium Epiſcopi regionis, publicè conſentiret abiurare, & ſatisfactionem congruam exhibere. Laïcus autem niſi, vt præfertur, abiuratâ hæreſi, & ſatisfactione exhibitâ confeſtim ad fi-*

dem orthodoxam confugeret, ſecularis iudicis arbitrio relinqueretur, debitam pro qualitate facinoris recepturus vltionem: in huiuſmodi erroribus & impietate, à quibus iuxta ſtatutum Lucij prædeceſſoris, ac monitiones noſtras eiuſmodi reuocari debuerant, tanquam ſus in luto ſeſe inuoluant, & ad paſtoris eorum vocem obſurdeſcentes, eámque ignoſcendi facilitatem tanquam erroris ſui clipeum arripientes, in ſua perfidia perdurant, ac in illa permultos imbuere in dies nituntur. Et quamuis ſtatutum Lucij prædeceſſoris, huiuſmodi ſui Pontificatus tempore iuſtum & rationabile foret cùm elementiæ Romani Pontificis maximè conueniret, vt iis qui ab errore ad fidem veram redire vellent aditus pateret, nec ianua Eccleſiæ, quæ ſemper ad ignoſcendum prona fuit, præcluderetur: tamen ea ratione illi qui ad viam veritatis redire deberent, multò magis indurati, non niſi in deterius, profecerunt & proficiant, ac eo prætextu impunitatem ſibi pollicentes, ipſius Lutheri impias aſſertiones perfidáque dogmata, dogmatizare & publicare ac diſſeminare execrabili, & deteſtando totius Eccleſiæ malo non verentur: & cùm deprehenduntur, & vindicandum videtur, ſe illa abiurare, & ad fidem redire paratos dicunt: quô fit vt Eccleſiaſtica auctoritas ſæpe eludatur, & errorum licentia creſcit, maximè cùm ij qui ab illis didicerunt, pari modô dogmatizare, & prædicare pro oblectamento ſtudeant, ſicque non deſunt per quos ea perfidiſſima ſecta virus ſuum diffundat, & magis atque magis diuulgetur, & niſi deſuper debita medela adhibeatur, verendum ſit ne reliquus grex eodem morbo inficiatur: verùm ſi illis tanta appellationis & ſubterfugiorum licentia & abiurandi facultas, & impunitatis ſpes adimeretur; huiuſmodi erroribus obuiaretur, & ſaluti animarum conſuleretur. Nos qui ſtatum Eccleſiæ in ſua perdurare vnitate ſinceris exoptamus affectibus, habitâ ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris, ipſius Eccleſiæ Cardinalibus maturâ diſcuſſione, & diligenti examinatione, attendentes legum auxilio dignos non eſſe qui in leges committunt; neque Canonibus iuuari debere, qui eorum beneficio abutuntur & pro ludibrio habent, quódque creſcente hominum malitiâ, creſcere debet & pœna: ac volentes precibus dicti Regis qui Eccleſiam ipſam, & hanc ſanctam Sedem Apoſtolicam ſummâ ſemper deuotione, & honore proſecutus eſt, ne poſthac huiuſmodi occaſio & materia delinquendi præbeatur; in hac parte votis fauorabiliter annuere, de eorumdem fratrum conſilio vobis, & veſtrûm ſingulis in regno Franciæ, & Ducatu Britanniæ ac Delphinatu & Comitatu Viennenſi, nec non prouincia Prouinciæ, aliíſque terris & locis dominio temporali dicti Regis ſubditis infra duos menſes à die publicationis præſentiũ, quas in ſingulis partium illarum Prouinciis, per vos fratres Archiepiſcopos & Epiſcopos, veſtróſque Officiales, necnon dilectos filios Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Archidiaconos, ac Parochialium Eccleſiarum Prouinciarum earumdem Rectores, infra Capitularium, & aliarum maiorum Miſſarum ſolennia, publicari volumus, computandos: omnes & ſingulos tum Clericos, etiam quorumuis, etiam mendicantium ordinum religioſos, quàm Laicos, impias aſſertiones, & propoſitiones dicti Lutheri dogmatizantes vel publicè docentes, & aſſerentes, cuiuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtant, tam Apoſtolicâ, quàm veſtrâ auctoritatibus, etiam per edicta publica locis publicis, de quibus veriſimilis coniectura quòd huiuſmodi monitio ad ipſorum notitiam poſſit peruenire, affigenda; qui eos arctent & compellant, ac ſi præſentes eis & eorum ſingulis ſolenniter & perſonaliter intimatæ fuiſſent, anathematizandi; & vt ab errore ſuo deſiſtant & reſipiſcant, ac culpam ſuam fateantur, necnon dictam hæreſim abiurent, nec de cetero in ſua im-

pia doctrina inſiſtant, requirendi & monendi, eiſque diſtrictiùs præcipiendo mandandi: & ſi reſipiſcant & dictam hæreſim ſponte abiurauerint, ipſos ab huiuſmodi hæreſis crimine ac cenſuris, & pœnis inde prouenientibus, iniunctâ eis priùs pœnitentiâ ſalutari, abſoluendi; ſi verò id non fecerint, ſeu facere noluerint, lapſis duobus menſibus ipſis, illos omnes qui tamquam in hæreſim relapſi eo ipſo habeantur, nec non quoſcumque alios ſimiliter tam Clericos, etiam Religioſos, quàm Laïcos cuiuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtentes, quòd de cætero eaſdem impias aſſertiones & propoſitiones Lutheri dogmatizare, vel publicè legere, docere, & aſſerere, aut proponere præſumpſerint, & reperti, ac à vobis iudicialiter conuicti fuerint, iuxta ſacrorum canonum diſpoſitionem omni officio, & beneficio Eccleſiaſtico deſtitutos, arbitrio ſæcularis poteſtatis animaduerſione debitâ puniendos, etiamſi publicè hæreſim huiuſmodi abiurare paratos, vel ad fidem reuerti velle dicant, relinquendi. & vt præmiſſa debito effectui mancipari poſſint, dilecto filio noſtro Antonio tituli ſanctæ Anaſtaſiæ preſbytero Cardinali in partibus illis noſtro & Apoſtolicæ Sedis legato, duos in Pariſienſi, & alios duos probos & circumſpectos viros per dictum Regem nominandos, ad quos appellationes in huiuſmodi cauſis interponendæ deferantur, & qui proceſſus per vos contra dictos hæreticos pro tempore formatos videre & examinare, ac non obſtante vlla oppoſitione vel appellatione cauſas ipſas terminare diffinire poſſint, in Tholoſana ciuitatibus deputandi, plenâ & liberâ auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium facultatem concedimus. Non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis cæteriſque contrariis quibuſcumque. Vos igitur fratres & filij, in huius noſtræ conceſſionis executione tales vos gerite, & ſanctam Dei Eccleſiam contra hæreticos ſincerâ fide tuemini & defendite, vt meritò lætari in Domino poſſimus. Sic enim ſperamus tandem exſtirpari dictam hæreſim, ſi ſeueriores vos præbueritis vltores, præſentibus quarum tranſſumptis manu notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius curiæ Eccleſiaſticæ munitis eandem prorſus fidem in iudicio, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ, adhiberi debere decernimus, poſt triennium minimè valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerariò contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis dominicæ milleſimo quingenteſimo trigeſimo tertio, tertio Calendas Septembris. Pontificatus noſtri anno decimo.

Cæterùm quod in huius Apoſtolici diplomatis expreſſionem defleximus ex ſyntagmate de hæreticis, eorúmque ex iure Eccleſiaſtico notis & infamiâ, ſpeciatímque de eorum ordinationis, tam paſſiuæ quàm actiuæ defectibus, irritatione, aut iteratione, vel etiam reparatione: haud abs re exiſtimaui appendicem hîc de Tonſura ſubnectere, videlicet vtrum ipſa collata ſemel iterari poſſit ſine aliqua canonicarum ſanctionum iniuriâ?

DIGRESSIVNCVLA.
An Tonſura poſſit iterari?

AT fortè nonnemo hîc obiiciet; atqui Tonſura non eſt Sacramentum, nec imprimit characterem. Quomodò igitur cum illo agendum, qui ab hæretico antiſtite manifeſto, quin hæreſi ipſemet hærens, Tonſuram, ritu aliàs ſeruatô, ſuſceperit? Sanè ex tituli præſignati *cap. 2.* quod eſt Honorij III. ad Lugdunenſem Archiepiſcopum & eius ſuffraganeos reſponſum, elici poſſe videtur, reuerſum eiuſmodi ad Eccleſiæ gremium pro Clerico habendum, nec iterum Tonſurâ initiandum: nam hôc capite vetat Pontifex altaria, in quibus Preſbyteri ſchiſmatici ac degradati celebrarunt, iterum conſecrati, & Sacerdotalia quæ geſſerunt indumenta rurſum benedici. Cui decretali reſponſo ſuccinit *can. ſi motum de Conſec. diſt. 1. & can. Eccleſiis ibidem, nec non can. veſtimenta.* Attamen ſimplicem benedictionem reiterari poſſe ſunt qui arbitrentur, adeò vt Abbas vel Abbatiſſa ad alicuius monaſterij regimẽ ſolenni ritu benedictionem adepti, ſi ad aliud monaſterium transferantur, nouam benedictionem petere, & licitè recipere poſſint. Quod ſi ita eſt, vix diſpicio quid cauſæ ſit, cur nequeat quiſpiam ab hæretico vel ſchiſmatico antiſtite Clericali Tonſurâ inſignitus, ad purgandum impuræ manus contagium, cuius contactus, *vulnus initiati capiti inflictum*, in canonicis ſanctionibus appellatur; *can. per illicitam 1. q. 1. & 9. q. 1. eodem exordio;* iterum depoſcere, vt Clericali ſignaculo ab orthodoxo præſule honoretur, atque à legitimo ſacræ militiæ duce Clericali albo, Catholico ritu, & probato more, feliciſque auſpiciô, adſcribatur. Cùm etiam in praxi ſit leuiori de cauſa Tonſuram iterari: quum ſcilicet quiſpiam non poteſt ſe eâ inſignitum probare per authenticas litteras; in hôc, vt ſuprà notaſſe meminimus, teſtimoniis non creditur. Quamobrem vt promoueri (ſi cupit) vlteriùs poſſit, neceſſe eſt Tonſuræ ſuſceptionem repetere; quæ paraſceue & ianua eſt ad ordines. Nec hîc vllum ſcelus ſacrilegij timendum, cùm Tonſura non ſit Sacramentum, neque vllum imprimat characterem, aut executionem aliquam impertiatur; nam nec ordinem confert, nec officium Eccleſiaſticum tribuit, ſed tantùm Clericum facit, cui ſolus titulus Clericatus hinc accedit, cum quibuſdam priuilegiis, ſine vllo actu, vel poteſtate interna vel externa. Verùm abſque grauiſſima eiuſmodi cauſa & vrgenti neceſſitate, reor iterari Tonſuram non poſſe ſine aliquo piaculo, cùm ſit contra Eccleſiæ morem, & honorem conferentis & ſuſcipientis, reíque ipſius decentiam & reuerentiam; quæ ſanè etſi Sacramentum non ſit, quoddam tamen Sacramentale eſt, non minùs quàm veſtium Sacerdotalium benedictio, quam Honorius III. præcitato decreto prohibuit iterari, propter leuem occaſionem.

§. 2. *De fide ſuſpectis.*

TANTA fuit ſemper in Eccleſia Dei iuſtitiæ diſciplina, vt tota quæſtio 1. cauſæ 2. collectionis canonum à Gratiano compilatæ, in hoc verſetur, vt ſacris legibus vetitum diſtrictè oſtendatur, quempiam dam-

nare ſine ordine iudiciario, adeóque minimè ſeruandum ſit iudicium, niſi rationabiliter habitum, & cum debito ordine iuris. Canon huius q. 13. ex decreto Melchiadis Papæ ad Hiſpaniæ Epiſcopos, ſuſpicionibus viam præcludit, *Primò ſemper antè omnia inquirite* (ait Pontifex) *vt cum iuſtitia & veritate definiatis: neminem condemnetis ante verum & iuſtum iudicium; nullum ſuſpicionis arbitriô iudicetis: ſed primùm probate, & poſteà charitatiuam proferte ſententiam, & quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere.* Sed tamen in iudiciis Eccleſiaſticis, locum aliquando ſuſpicio habet: ſuſpicio enim eſt legitima quandoque via procedendi contra aliquem, ad veritatem etuendam *c. ex parte tua, de officio iudicis ordin. l. 1. tit. 31. n. 5.* Verùm ſuſpicio eſt triplex. quædam temeraria, quæ non inducit purgationem: alia probabilis quæ inducit purgationem; alia violenta, quæ quandoque ad mortem ſufficit, ſeu condemnationem: nam non ſemper ſufficiens eſt, *c. litteras de præſumpt.* Contra eam poteſt enim admitti probatio per teſtes, ſed non per ſimplex iuramentum, *gloſ. penult. in c. dixit 32. q. 1.* Minus accepta eſt enim in ſacro iure quæuis ſuſpicio: nam generali axiomate potiùs repellenda dicitur, quàm approbanda, *c. obeſt. 6. quæſt. 1.* at datur hâc in regula exceptio, ſiquidem in caſu hæreſis, ſuſpicioni plurimùm defertur. Ex ſuſpicione enim ſolâ, poteſt procedi ad inquiſitionem contra hæreticos præſumptos, *cap. inquiſitores 16. de hæreticis in 6.* ſoláque ſuſpicio, ſiue præſumptio in crimine hæreſis inducit purgationem, *c. excommunicamus. §. qui autem & ibi gloſ. ſuſpicio de hæreticis lib. 5. tit. 7. num. 13.*

Qui ſuſpecti ſint verò de hæreſi ſi quæritur? Dico primò: qui Sacramentis abutuntur, vt ſiquis ad Preſbyteratum non promotus, miſſam celebrare, & Sacramentum pœnitentiæ miniſtrare præſumit, vt obſeruat Fr. Emman. q. Regul. tom. 2. quæſt. 27. art. 2. Et ſi quis Laïcus contrahit ſimul cum duabus vxoribus: videtur enim malè ſentire de Sacramento, Nauarr. conſ. 1. de hæreticis num. 8. Secundò Clericus in ſacris conſtitutus ordinibus, qui ſiue clam ſiue palam, matrimonium contrahit: committit enim ſacrilegium & hæreticis aſſentiri videtur, qui reiiciunt cœlibatum, Bernard. in pract. c. 80. aliàs 84. n. 3. verſ. redditur præterea ſuſpectus, Azorius inſtit. Moral. lib. 13. c. 13. quæſt. vlt. Pariter & Monachus profeſſus matrimonium auſus contrahere, ex iiſdem. Tertiò, quicumque ſciens in excommunicationis ſtatu per annum perſeuerat, *gloſ. in cap. contigit, de dolo & contumac.* Quartò, quiſquis Epiſcopus hæreticum conſanguineum vel extraneum hæredem inſtituerit, ex Concilio Africano, vnde ſumptum *cap. ſi quis Epiſcopus, de hæreticis, libro quinto tit. 7.* adeò vt etiam poſt mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur; & *can. in eos ex eodem Concilio, ibidem, proximè ſequenti*, ad Preſbyteros & cæteros Clericos eadem extenditur animaduerſio, ſubiunctô hôc axiomate, *quoniam quod de Epiſcopis & Preſbyteris in odioſis dictum eſt, debet de cæteris Clericis exaudiri.* Quintò hæreticorum fautores & receptatores, vnde nón ſolùm excommunicantur, ſed & in Cœmeteriis Eccleſiæ prohibentur ſepeliri, nec pro eis poſt mortem orare licet, cap. *ſicut*

ait B. Leo, ex Concil. Lateranenſi de hæreticis n. 8. Multi alij poſſunt notari caſus, ſed hi præcipui ſunt, atque ex iuris principiis euidentiùs deducti.

Cæterùm quicumque ſunt ſuſpecti de fide, vt ordinum quorumuis, ſic & Tonſuræ ſuſcipiendæ ſunt incapaces; vt enim ſe habet medium ad finem, ſic Tonſura ad Ordinem ſe habet. Sicut igitur excidit medium, vt medium, ſublato fine; ſic ei qui Ordinis non eſt capax, Tonſuræ præcluditur aditus. Accedit quod VII. Synodus Oecumenica, & Tridentina itidem generalis, requirunt in eo qui Tonſuram Clericalem ſuſcipit, pro immediata diſpoſitione, Confirmationis Sacramentum, cuius eſt primarius effectus robur in fide. Integram igitur Eccleſia fidem, in hoc tyrocinio Clericatus ineundo, ſignaculóque eius ſuſcipiendo, & firmam ac ſtabilem exigit. At qui ſuſpectus eſt de fide, eius robore caret, integritatis expers eſt, in fundamento ſalutis nutat, hæreſis infamiâ laborat, quam etſi palam non fuerit profeſſus, ſaltem in fide dubius meritò præſumitur. *Dubius verò in fide, infidelis eſt* cap. *Dubius* 1. de hæreticis l. 5. tit. 7. infidelis verò & hæreticus omnis, excluditur ex quouis ordine, ac adſcriptionis in Clerum, teſſeræque Clericatus ex iure incapax habetur, vt ſuperiùs patenter fuit euictum.

§. 3. *Scelerati.*

SOLVS Chriſtus, agnus ſine macula, & ſine labe fuit hoſtia, & Pontifex, de quo propterea verè, & vnicè Apoſtolus ſcribens ad Hebræos, ait, *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus & excelſior cœlis factus*, &c. *Lex enim conſtituit homines infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi, qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.* *Heb.* 7.

Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumitur, &c. *Vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis qui ignorant & errant, quoniam ipſe circumdatus eſt infirmitate, & quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo debet offerre pro peccatis.* *Heb.* 5.

At ſi res ita ſe habet, quomodò ſibi conſtat ipſe Apoſtolus, qui Epiſcopum vult eſſe *irreprehenſibilem* 1. Timoth. 3. quin etiam *ſine crimine?* proinde & Preſbyterum, *& Diaconum ſimiliter* ibid. Solerter, & acutè S. Hieronymus, irreprehenſibilis dotem expendens*; *Omnes*, inquit, *virtutes in vno ſermone comprehendit, & pene rem contra naturam exigit, quis enim ille eſt, qui abſque peccato & reprehenſione viuat?* *Ad Oceanum.

Formidauit ob hanc vocem, nomen Epiſcopi ac honorem S. Ludgerus, qui *vocatus ad Monaſterienſem Epiſcopatum, erecta quidem ibi Eccleſia,* (nam primùm hæc inſurgebat Sedes) *illic ſine ordine Pontificali annis ferè duodecim* (ſic de eo *in Martyrologio Galliæ*, eius ex geſtis ſeptimo Kal. Aprilis ſcripſimus) *permanſit, quod oneris erat ſuſcipiens, quod honoris declinans, ſe enim indignum aſſerebat Præſulatu, quòd teſte Apoſtolo oporteat Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem: donec tandem Hildebaldo Metropolitano Colonienſi reſpondente, Petrum ipſum fuiſſe reprehenſibilem, ne populus diſpendium ſua ex trepidatione*

reciperet, Pontificium ſuſcipere conſenſit.

Porrò non magis terrere debet hoc aliud Apoſtoli dictum, *oportet ſine crimine eſſe:* ſicut enim rectè ac prudenter monet S. Auguſtinus, lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 14. *Multi ſine crimine ſunt, & ſine querela viuunt, ſed nemo ſine peccato.* Quando igitur exigunt in Clerico Eccleſiaſticæ leges, vt ſit ſceleris purus, & criminis expers; non requirunt, vt ſit immunis ab omni peccato; licèt enim hoc maximè optandum foret, tamen in puro homine id ſperari non debet, neque poteſt reperiri; *ſolus enim per omnia* (verè ait S. Ambroſius lib. 2. in Luc. cap. 2.) *ex natis de fœmina ſanctus Dominus Ieſus, qui terrenæ contagia corruptulæ, immaculati partus nouitate non ſenſerit, & cæleſti maieſtate depulerit;* vnde ab Apoſtolo, his vnus ſingulariter titulis prædicatur, *Talis decebat, vt nobis eſſet Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Cæteri omnes peccauerunt* (inquit idem vas electionis Paulus) *& egent gratiâ Dei.* Quamobrem etſi ſancta Eccleſia ſummoperè horreat omne peccatum, impeccabiles Clericos aut Sacerdotes (vt nec exſortes à communi hominum natura) non exigit. Eſſe immunem ab omni culpa, humana conditio non patitur: Et quamuis pleríque ſint Deum timentes, magiſque eius amore quàm metu abſtinentes pro viribus à peccato, nequeunt tamen ab omni peccato ſic cauere, vt ſint cuiuſcúmque delicti prorſus expertes: ſingularia venialia vincere poſſunt, ſed vitare non poſſunt omnia. Nam vt Leo Magnus verè pronunciat ſerm. 4. de quadrageſima, *Hæc etiam fortitudo* (grauia vitandi) *paucorum eſt, & dum carnis fragilitate auſterior obſeruantia relaxatur, dúmque per varias actiones vitæ huius ſollicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano puluere etiam religioſa corda ſordeſcere.* Propter leues has ſordes Eccleſia neminem à Clericatu & Sacerdotio, quin & Epiſcopatu excludit; imò neque propter alia peccata quàm grauia & atrocia, quæ eorum ſontes Clericos, obnoxios reddunt canonicæ depoſitioni aut degradationi, vel ſuſpenſioni. Quæ tria tamen valdè differunt, nam* depoſitio eſt ab officio vel beneficio, degradatio ab ordine, ſuſpenſio verò fieri poteſt tam ab ordine, quàm ab officio vel beneficio: Triúmque illatum hæc minor eſt, neque niſi ob minùs graue & ſcandaloſum delictum, de iure irrogatur, ſicut & interdictum. Certum eſt canonibus prohiberi, ne quis criminoſus adſcribatur in Clerum, aut adſcriptus promoueatur ad ordines, nec ad officia nec ad beneficia. At ſi quæras quænam ſint illa crimina, ob quæ quiſpiam ita in iure flagitioſus cenſeatur, vt à Clero excludi atque ab omni promotione arceri debeat? Paucis reſpondeo, crimen eiuſmodi eſſe illud omne peccatum atque ſcelus, quod notatur infamiâ, vel cui eſt irrogata excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, depoſitio, degradatio; vel quod flagitij patratorem afficit irregularitate, vel dignum reddit qui ab ordine aut beneficio, aut officio Eccleſiaſtico aſſequendo excludatur: vel ab his deiiciatur ſi ipſa fuerit aſſecutus. Item omne crimen quod in ſcandalum vergit, vel grauem aliorum offenſionem, vt colligitur ex ſumma alterius partis *diſt. 25. poſt can. vnum:* hócque deducunt Innocentius, Hoſtienſis & Panormitanus ex cap. *ex tenore litterarum de temporibus ordinationum, & qual. ordinandorum lib. 1. tit. 11. num.*

* Nota.

num. 10. quo ſic decernit Alexander III. *Ex tenore litterarum tuarum ſuſcepimus, quòd N. Clericus adeò delinquit, quòd ſi peccatum eius eſſet publicum, degradaretur ab ordine quem ſuſcepit, & ampliùs non poſſet ad ſuperiores ordines promoueri. Verùm quia peccatum ipſius fore occultum dixiſti, mandamus quatenus pœnitentiam ei condignam imponas, & ſuadeas, & parte pœnitentiæ peracta, ordine ſuſcepto vtatur, quo contentus exiſtens ad ſuperiores ampliùs non aſcendat. Verumtamen quia peccatum eius occultum eſt, ſi promoueri voluerit, ipſum non debes aliqua ratione prohibere.* At hîc opportunè monet gloſſa, *vtatur*, faciliùs impediri promouendos, quàm deiici iam promotos, qui enim promotus, non eſt delicto graui præoccupatus, etiam non publico, promoueri non debet, ſi cettò aliàs eius ſcelus cognoſcatur, vt deduci poteſt *ex diſt.* 48. *can. quoniam*, qui Nicæni I. Concilij ſecundus eſt. Rigidam hanc eſſe tamen opinionem, gloſſa præſignata notat, ego tamen ſynceriorem exiſtimo, adeóque ſecuriorem.

Cæterùm de caſibus ex quibus aliquis criminoſus ſecundùm canones redditur, & propter quos infligitur excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, depoſitio, degradatio, vel contrahitur infamia tam canonica quàm ciuilis, nec non irregularitas, publicáque excitatur offenſio, Azorius ex profeſſo tractat part. 2. inſtitut. moral. lib. 6. de quarto præcepto Decalogi, capite ſeptimo. Porrò de his nonnullis Eſpencæus more ſuo ſatis fusè & eruditè libro 2. digreſſionum in 1. ad Timoth. vbi *de Epiſcopo & Clerico* diſſerit *percuſſore*, ſeu plagoſo, homicida, monomacho, bellatore, cauſis ſe ſanguinis & iudiciis immiſcente, litigioſo, vinolento, tabernario, ſcenico, ſaltatore, turpilucro, hæredipeta, fœneratore, alienorum conductore, artifice librario, topiario, piſcatore: addi poterat, *aucupe, venatore, agricultore, aleatore*, &c. De quibus ideò non eſt cur hîc ſpecialem tractatum aggrediar, cùm plenè & accuratim de iis Cleri propudiis, celebris ille Doctor ſignato loco, propriis ſub titulis ſcripſerit, difficiléque ſit poſt eum quicquam addere: nec gratum ſit repetere, vberiùs iam ab alio dicta.

Cæterùm ſi de noxis & maculis, quibus infecti per canones arcentur à Clericatus honore & ordinum ſuſceptione, ampliùs inquiſitum ire voluetis, eſt quod de criminoſis & pœnitentiam profeſſis videas Epaon. Concil. *can.* 3. *de Apoſtatis:* Arelaten. II. *can.* 25. *De ſeditionariis, vſurariis, iniuriarum ſuarum vltoribus:* Agatenſe can. 60. *De iis aduerſus quos accuſationes intenduntur*, & can. Apoſt. 60. *De iis qui ſeipſos abſciderunt:* Arelat. II. can. 7. Item *de curialibus non ordinandis, & iis qui publicis negotiis impliciti ſunt:* Aurelian. I. c. 4. Rhem. can. 6. *de arreptitiis:* can. Apoſtol. 78. *& iis qui ex illegitimo concubitu ſunt nati.* Gregor. VII. epiſt. 50. ad Sancium Regem Arragoniæ, &c.

§. 4. *Illitterati.*

DOCTRINÆ ſalem, cum luce vitæ, Dominus ſuis in Apoſtolis & diſcipulis coniunctim eſſe voluit: plus tamen ſcientiæ in Epiſcopo & Sacerdote, qui illis propriè ſucceſſerunt, quàm in cæteris ordinibus Clericorum deſiderari, & graduum inſignis differentia, & religionis Chriſtianæ inſtituta apertè demonſtrant. Hinc canon *audire*, diſt. 25. *Oportet ab Epiſcopo ſuſcipere doctrinam fidei, monita autem vitæ à Preſbyteris inquirere, à Diaconis verò ordinem diſciplinæ.* Salutis enim animarum cura propriè incumbit Epiſcopis, & Preſbyteris Eccleſiarum præfectis, quibus ideò competit & fidei & iuſtitiæ populo Chriſtiano tradere ſalutaria documenta. Ad quos ideò Symmachus Papa in 6. Romana Synodo, hæc cedrino ſcriniolo digna monita proloquitur: *Væ erit nobis qui miniſterij onus ſuſcepimus, ſi Domini veritatem, quam Apoſtoli prædicauerunt, prædicare neglexerimus: væ nobis, ſi ſilentio veritatem oppreſſerimus, quam nummularijs erogare, id eſt populum docere iubemur. Quid in futuro Chriſti examine dicturi ſumus, ſi ſermonum eius veritatem prædicare confundimur? quid erit de bonis cùm de commiſſis animabus, & officio ſuſcepto rationem iuſtus iudex exegerit? ideò nos ſemper oportet nociua reſecare, profutura exigere, obiurgando, hortando, ſuadendo, blandiendo, conſolando prodeſſe; lingua noſtra bonis fomentum ſit, prauis aculeus, tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, deſides ſuccendat, refugientibus ſuadeat, aſperis blandiatur, deſperatos conſoletur: vt quoniam doctores dicimur, viam ſalutis gradientibus oſtendamus; ſimus in cuſtodia vigilantes, aditus contra hoſtis inſidias muniamus, ſolliciti vt ouem perditam & de commiſſis gregibus errore abductam, toto conniſu ad caulas Dominicas reuocantes, de paſtoris nomine quod habemus, præmium, non ſupplicium, conſequamur.* Hæc Symmachus Papa ſanctiſſimus ſpiritu planè Apoſtolico, & ore & pectore toto igneo, ad Epiſcopos & Sacerdotes. & propriè quidem ius docendi Epiſcopis & Preſbyteris conuenit: hi ſunt enim ſoli animarum paſtores. Porrò Apoſtolus ad Epheſios 4. vbi Eccleſiæ gradus & ordines recenſet, *Paſtores & Doctores* ita coniungit, vt diuelli à paſtoratu doctoratum non poſſe, hoc eſt animarum regimen à doctrina, perſpicuè oſtendat. Quamobrem Paulino, quid intereſſet inter paſtorem, & doctorem dignoſcere volenti, ſcirè reſpondit ac verè Sanctus Auguſtinus epiſtolâ quinquageſima octaua, & quinquageſima nona, quæſtione quarta, eoſdem ſibi videri, nec diſtinctos eſſe.

Diaconi non ſunt in ordine principante, ſed in miniſtrante, quamobrem eis nec Eccleſiarum præfectura demandatur, nec animarum cura: iuuate poſſunt ac debent paſtores, at ipſi ouibus non præſunt; proſunt tamen, purgant ſiquidem, etſi non vt Preſbyteri illuminent, neque perficiant vt Epiſcopi. Attamen Cardinalis Bellarminus lib. 1. cap. 13. de Clericis, doctrinæ munus Diacono tribuit, cùm eius officia enumerans,

inter hæc recenſet prædicationem. *Tertiò*, inquit, *Diaconorum erat baptizare, prædicare*: ſed vt non de ſolenni baptiſmate hoc intelligit, ſiquidem linire chriſmate Diaconus non poteſt, ſic nec de prædicatione, quæ fit publicè è ſuggeſtu ad populum in Eccleſia; tum enim etſi abſente Epiſcopô & Preſbyterô, fas eſſet Diacono populum monere fideíque rudimentis imbuere: tamen hoc per modum catechiſmi dumtaxat pridem ſaciebat, nec proprio ex ingenio apparatas conciones fas ei erat enunciare: quamobrem ſecundum Concilium Vaſenſe tantùm ei permiſit, cùm Sacerdos parœciæ per infirmitatem prædicare non poſſet, *Sanctorum Patrum homilias* tantùm populo recitare, ſiquidem illi non licebat docere è cathedra, vt notat Petrus Bleſenſis epiſt. 123. & 141. & ſanctus Anſelmus in eap. 4. Epiſt. ad Epheſios, quod ex doctrina Beati Pauli prodiiſſe mihi non temerè ſuſpicandum eſſe reor: cuius diſcipulus & interpres Dionyſius innuit, iam naſcente Eccleſiâ miniſtrorum primum (hic eſt Archileuita ſeu Protodiaconus) Catechumenis præfuiſſe, eundémque conſuetum obiter viuos fideles hortari in exequiis defunctorum.

Succedente tempore munus eius fuiſſe etiam cæteris inferioribus præeſſe Clericis, quibus vt Sanctus Iſidorus obſeruat libro ſecundo de Eccleſiaſticis officiis cap. 11. proprias partes ſuſtentationis diſtribuebat, nec id ſolùm, ſed curam habebat eorum eruditionis, & Epiſcopalis ſcholæ in qua inſtruebantur, moderabatur regimen. In parœcia ſub Sacerdote idem munus proprius Diaconus exequebatur: iam olim communi vſu in Eccleſiâ fuit vt Preſbyter parœcialis etiam ruſticanus, proprium Diaconum haberet, ſicut patet ex Sancti Cypriani epiſt. 28. ad Clerum Carthaginenſem de Gaio Diddenſi Preſbytero, & Diacono eius: *Ad quæ nomina Pammelius notat videri ſibi Diddam pagum quendam fuiſſe in Carthaginenſi Diœceſi, & Gaium hunc fuiſſe illius loci Preſbyterum, quem nunc vocamus Paſtorem, ſeu Curatum, idque quia Diaconi illius mentionem facit.*

Cæterùm in faſtis Gallicis, ex geſtis Sanctorum non vno loco inſinuauimus in Eccleſiis Cathedraticis Archidiaconum fuiſſe Clericorum pædagogum, eos ſiquidem tam in doctrina quàm in moribus dirigebat, támque intra domum, quàm extrà in diſciplina continebat: omnis eorum conuerſationis anteſignanus, nec ſolùm menſæ præſes, ſed & ſcholæ ſpeculator. Scholæ enim erant non tantùm in monaſteriis, ſed etiam maximéque in Epiſcopiis, in quibus Clerici à pietatis, & litterarum magiſtris optimè inſtituebantur. Sancti Remigij hîc teſtimonium appoſitè collineat, qui in epiſtola ad Falconem Tungrenſem Epiſcopum, dum de vſurpata ab eo Moſomagenſi Eccleſiâ quæ Diœceſis erat Rhemenſis, verè columbino ore & ſine felle vllo expoſtulat: *Adhuc*, inquit, *arbitror tua neſcis, & iam aliena peruadis; in quam igitur* (Eccleſiam ſcilicet) *cùm Leuitas feceris, Preſbyteros conſecrâris, Archidiaconos conſtitueris, Primicerium ſcholæ clariſſimæ, militiæque Lectorum: non queror quòd me conſilio inter iſta non videris*,

Kk ij

vtinam te vidiſſes : ſi enim canones tua ſanctitas ignorabat , ſatis præproperum fuit , vt tranſgredereris , antequam diſceres. In Concilio Turonenſi ſecundo ſub Chariberto Rege habito anno 567. ſtatutum fuit vt ſchola communi labore conſtrueretur, &c. Abbate aut Præpoſito gubernante, vt dum tres viciſſim legant & excubent, alij conſolentur, vt non ſolùm ſit cuſtodia corporum, *ſed & ſurgat pro lectione aſſidua profectus animarum.* Hoc eodem tempore ſcholam doctrinæ & virtutum apertam tenuit Pariſiis Sanctus Germanus Epiſcopus, ſub quo duce Pariſienſem Clerum Fortunatus idcircò felicem plerisque nomin bus deprædicat libro ſecundo carm. 10. Sub Childeberto Carnuti floruiſſe itidem & Ebroicis ſcholam Eccleſiaſticam patet ex actis Sancti Leufredi Abbatis qui vtrobique fluenta Chriſtianæ ſapientiæ delibauit, vt in eius elogio die 21. Iunij obſeruauimus. Sic inſtitutum fuiſſe ſedente Arcadio Archiepiſcopo in ſchola Bituricenſis Eccleſiæ S. Patroclum ſub cura Archidiaconi, eius in natali meminimus die 19. Nouembris. Fuiſſe autem ſcholarum præfectos in monaſteriis patet ex ſupplemento ipſius noſtri Martyrologij die 17. Decembris, quo conſignauimus memoriam Sancti Marcelli Monachi & Confeſſoris monaſterij Sancti Galli in Leodienſi Præſulatu ſcholarchæ.

Carolus Magnus orbis Chriſtiani ſummo bono natus, in eam curam incubuiſſe refertur à Monacho Engoliſmenſi, qui vitam eius ſcripſit ſub annum 788. vt inſtaurarentur in Galliis ſtudia litterarum, & ſcholæ publicæ conſtituerentur. Extat ſanè apud Sirmondum tom. 2. Concil. Galliæ conſtitutio ſeu epiſtola generalis de ſcholis per ſingula Epiſcopia & Monaſteria inſtituendis, *quatenùs* (vt reſcribit) *præter regularis vitæ ordinem, atque religionis ſanctæ conuerſationem, etiam in litterarum meditationibus, eis qui donante Domino docere poſſunt ſecundùm vniuſcuiuſque capacitatem, docendi ſtudium debeant impendere ; qualiter ſicut regularis norma honeſtatem morum, ita quoque docendi & diſcendi inſtantia ordinet & ornet ſeriem verborum.* Et infrà, *Quamobrem hortamur vos litterarum ſtudia non ſolùm non negligere, verùm etiam humillimâ & Deo placitâ intentione, ad hoc certatim diſcere, vt faciliùs, & rectiùs diuinarum ſcripturarum myſteria valeatis penetrare,* &c. *Tales verò ad hoc opus viri eligantur, qui & voluntatem & poſſibilitatem docendi, & deſiderium habeant alios inſtruendi. Et hoc tantùm eâ intentione agatur, quâ deuotione à nobis præcipitur. Optamus enim vos ſicut decet Eccleſiæ milites, & interiùs deuotos & exteriùs doctos ; caſtóſque bene viuendo, & ſcholaſticos* * *bene loquendo.* vide Concil. Cabilon. II. cap. 3. Pariſien. ſub Ludouico Pio, lib. 3. capite 12.

* Scholaſticus pro Clerico ſumitur, can. *ſedulò diſt.* 38.

1. *Tim.* 3. 15.

Vbi obſeruandum Clericis ſic proprium eſſe bonarum litterarum ſtudium (quod ipſi Timotheo vtile fuiſſe, & eius Diœceſanis fructuoſum teſtatur Apoſtolus) vt à litterarum peculiari peritia iamdudum Clerici nomen & ſcholaſtici promiſcuè vſurparetur ; is enim Clericus dicebatur paſſim, qui litteras nouerat, vnde vulgare

prouerbium, *il eſt bon Clerc*, id eſt ſciens & eruditus: item, *il eſt ignorant, il n'eſt donc pas Clerc*: cùm neſciret Latinè ſcilicet; aut ſaltem legere & ſcribere vulgari idiomate non valeret. Hinc Petrus Comes Britanniæ per ironiam *Mauclerc* vocitatus fuit, id eſt malus Clericus, quòd nimirum Sancto Ludouico Francorum Regi clientelare iuramentum præſtans, in inſtrumento homagij ſe deuinciri anguſtioribus formulis paſſus fuiſſet, quàm maiores feciſſent. Vice verſâ ſcholares, ſeu ſcholaſtici, pridem *Clerici* dicebantur; vnde huc vſque loco inditum nomen quod Pariſiis dicitur, *Le pré aux Clercs*, hoc eſt pratum ſeu prædium ſcholaſticorum, quòd etiamnum ad ius ſpectat vniuerſitaris, cui poſt graue litigium fuit nuper Prætoriani Senatus decreto, ſummâ æquitate vindicatum.

Certè Beatus Gelaſius Papa illiteratum neminem volebat in Clerum cooptari, nec promoueri ad vllos Eccleſiaſticos ordines, ſic enim ſcribit ad Epiſcopos Lucaniæ & Siciliæ. *Nec fas*, inquit, *eſſe confidat quiſque Pontificum, bigamos qui coniugia ſortientes ab aliis derelicta, ſiue quoſlibet pœnitentium, vel ſine litteris, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiæ publicarúmque rerum nexibus implicatos, aut paſſim nullâ temporis congruentis expectatione diſcuſſos, diuinis ſeruituros applicare myſteriis, neque pro ſuo libitu iura ſtudeant aliena peruadere abſque Sedis Apoſtolicæ diſpoſitione mandante.* Et infrà, *illitteratos quoque, & nonnullâ corporis parte imminutos, ſine vllo reſpectu ad Eccleſiaſticum didicimus venire ſeruitium. Quod ſimul antiqua traditio, & Apoſtolicæ Sedis vetus forma non recipit, quia nec litteris carens ſacris poteſt eſſe aptus officiis, & vitioſum nihil prorſus Deo offerri legalia præcepta ſanxerunt. Itaque de cætero modis omnibus hæc vitentur, nec quiſquam talis ſuſcipiatur in Clerum: ſi qui verò, vel temeritate propriâ, vel incuriâ præſidentium tales antè ſuſcepti ſunt, in iis quibus conſtituti ſunt locis eatenus perſeuerent, vt nihil vnquam promotionis accipiant, ſatiſque habeant, hoc ipſum ſibi pro nimiâ miſeratione permiſſum.* Hæc ſummus Pontifex Gelaſius. Sed verò vt ſunt diuerſi in Clero gradus, ita non vna in omnibus menſura ſcientiæ exigitur. Inſuper ſcientia requiritur in Prælato ſecundùm qualitatem Eccleſiæ, cuius regimini præponitur. *cap. Eccleſia veſtra, 57. de electione.* In Epiſcopo longè maior requiritur ſcientia, quàm in inferioribus Prælatis. Ponit in dotibus Epiſcopi Apoſtolus *doctrinam* eminentem, cùm vult eum *doctorem eſſe*, & *potentem in doctrina ſana ad redarguendum* Eccleſiæ & Euangelij hoſtes. Iura ſacra depoſcunt, (ſicut colligitur ex can. *qui Eccleſiaſtici* §. *Ecce, diſt.* 36. & can. *omnes pſallentes diſtinct.* 38.) vt Epiſcopus habeat notitiam veteris & noui Teſtamenti, & articulorum fidei explicitè, ideóque antequam ordinetur à Pontifice conſecratore inquiritur, an ſit ſtudio diuinarum litterarum ſufficienter exercitatus: ſed & Concil. Tridentinum ſeſſ. 22. cap. 2. de reformat. conſtituit, ne vllus in Epiſcopum promoueatur, niſi qui in vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiue Doctor, aut Licentiatus in Theologia & Iure canonico, meritò ſit creatus, aut publico Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur: quòd ſi Regularis

fuerit, à ſuperioribus ſuæ religionis ſimilem fidem habeat. Quamobrem ſcientiæ defectus eſt cauſa legitima deponendi aliquem ab Epiſcopatu *cap. fin. de ætat. & qual. & cap. inter cætera, de offic. ordinarij.* Scientia autem modica & nulla æquiparantur *capit. extirpandæ* 30. *de præbend.* Scientia tamen modica potius toleratur in minoribus, quàm maioribus ordinibus, & mediocris itidem toleratur in beneficiis ſimplicibus, non tamen in prælaturis, ſignatim verò in Rectoribus animarum, & Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, *gloſ. penult. ibidem.* Et Toletanum Concilium ſub Benedicto XI. capite ſecundo, cuius hic tenor eſt, *Quia in conſtitutione recolendæ memoriæ domini fratris Guillelmi quondam Sabinenſis Epiſcopi in Caſtellæ & Legionenſibus partibus Apoſtolicæ Sedis Legati, quæ incipit, cùm in perſonis, continetur, quòd perſonis Eccleſiaſticis ad ſacros ordines & beneficia curam animarum habentia promouendis, idoneitas maior requiritur, & amplior deſideratur litterarum peritia; ſitque ibi ſalubriter ſtatutum quòd nullus Clericus ad ſacros ordines promoueatur, niſi litteraliter ſciat loqui, pari ratione ſacro approbante Concilio ſtatuimus,* &c. Et infrà, *maiorem in Canonicis Cathedralium Eccleſiarum,* &c. *requirit litterarum peritiam.* Tamen canonicæ ſanctiones abſolutè in Clericis intolerabilem eſſe decernunt ſcientiæ defectum. *gloſ. ſcientiæ cap. ſi fortes, de electione,* ſed pro ordinum diuerſitate plus minúſve ſcientiæ in aliis quàm aliis exigunt. In Concilio IV. Toletano can. 24. ſic legitur: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis ſuſceperunt; Sacerdotes enim legere ſacras ſcripturas frequenter admonet Paulus Apoſtolus, dicens ad Timotheum, attende lectioni* (1. Timoth. 4.) *exhortationi & doctrinæ, & ſemper permane in his. Sciant igitur Sacerdotes ſcripturas ſanctas & canones, vt omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat: itáque ædificent cunctos, tam fidei ſcientiâ quàm operum diſciplinâ.* Porrò *can.* 5. *diſt.* 38. ex dictis Sancti Auguſtini conflatus vt prænotatur, exactè magis quæ ſciru Presbyteris neceſſaria maximè ſint præſcribit hâc ſerie: *Quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum, id eſt liber Sacramentorum, Lectionarius, Antiphonarius, baptiſterium, computus, canon pœnitentialis, pſalterium, homiliæ per anni circulum Dominicis diebus & feſtiuitatibus ſingulis aptæ. Ex quibus omnibus ſi vnum abſuerit, ſacerdotis nomen vix in eo conſtabit, quia valde periculoſæ ſunt Euangelicæ minæ, quibus dicitur, ſi cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt.* Paucis omnia Concilium Tridentin. comprehendit ſeſſ. 23. can. 14. vbi ait, *qui creandus eſt Presbyter,* &c. *eum ſcire oportet quæ noſſe omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, cum iis pariter quæ ad miniſtranda ritè populo Sacramenta pertinent.* Idem Concilium eadem ſeſſ. c. 13. *Qui Diaconus, vel ſubdiaconus eſt eligendus ſcire debet ea, quæ pertinent ad ſui ordinis munus & officium obeundum, & qui bene verſatus ſit in minoribus, & de iis bene inſtructus.* At verò in iis qui ſunt promouendi ad minores ordines requiritur, vt *ſaltem intelligant* (eum principiis ſalutis) *linguam Latinam: & bonum à Parocho & Magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant,* Concilium idem Tridentinum eadem

ſeſſ. capit. 11. *videlicet in litteris & moribus*, ibidem cap. 5. At verò in ſimplicis Tonſuræ Clericis eadem œcumenica ſynodus obſeruanda iubet quæ ſequuntur eadem ſeſſ. capit. 4. *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere & ſcribere neſciant*, &c. S. Carolus in quinto Concilio Mediolanenſi aliquid paulò auctius expetit in initiandis Tonſurâ Clericali; ſub titulo ſiquidem *examinis præficiendorum*, vbi formulam præſcribit eos inquirendi, qui hoc ſignaculum Clericalis militiæ depoſcunt, hæc inter cætera ab iis exigi ſtatuit: *A quo Sacerdote ſanctioris vitæ magiſtro inſtituti ſint ad Clericalis vitæ modum? an legere & pronunciare & ſcribere nôrint? Tum in vtroque genere experimentum fiat, an doctrinæ Chriſtianæ præcepta inſtitutáque ſciant? an epactæ intelligentiam habeant? Præterea an Sacramentum Confirmationis ſuſceperint?*

Regula eſt Canoniſtarum, in ſingulis beneficiis, eam litteraturam neceſſariam eſſe, quam ordo beneficiis annexus expoſcit. At beneficia quæ dicuntur ſimplicia poſſunt à Clerico ſimplicis Tonſuræ obtineri, qui nullum ordinem habet? quomodò igitur dignoſci poteſt litteraturæ proportio, quæ in eiuſmodi Clericis ſimplici Tonſurâ præditis ex iure deſideratur? Ex canonicis ſanctionibus ſuprà citatis, atque etiam ex eo quòd Clericus ſola Tonſura inſignis capax eſt beneficiorum ſimplicium impetrandorum & tenendorum, tenetur eſſe horum idoneus, quorum ſimplex Beneficiarius capax eſſe debet. Cùm igitur ſimplex Beneficiarius teneatur penſum diuini officij diurni & nocturni exſoluere; ea de cauſa Clericus ſimplex, vt aptus fiat aſſequendo eiuſmodi beneficio, penſi eiuſdem perſoluendi debet eſſe capax: ſcire igitur debet Latinè legere & intelligere, vt horas canonicas quotidie recitare poſſit. Sunt tamen qui velint ſolùm ad eiuſmodi idoneitatem teneri, cùm ad beneficium promouetur; cæterùm cùm initiatur Tonſura, ſufficere ea quæ à iure ſtatuta ſunt. De his verò, ex præmiſſis ſatis liquidò conſtat.

Sed quæri poteſt, an cùm, qui Tonſuram petit, ea non ſcit, quæ iura exigunt in creandis infimæ huius claſſis Clericis, nihilominus initiari poſſit? Reſpondeo, ſi prorſus ſit ignarus & illiteratus admitti non poſſe; canones enim vetant illiteratos ordinari, proinde & cooptari in Clerum. *can. pænitent. diſt. 55. & can. Dominus diſt. 56.* Sed ſi nihilominus initietur illitteratus quiſpiam Tonſura, ab Epiſcopo qui cum eo ſuper defectu diſpenſauerit? Reſpondeo, Epiſcopum ſuper totali defectu diſpenſare non poſſe, & in Toletano Concilio celebrato ſub pontificatu Benedicti XI. ſuprà citato, irritum declarari & inane, quod fuerit ſuper hoc perperam attentatum. Verùm ſi Tonſurâ initiandus, non ſit omnino ignarus & expers litterarum, at tantùm parum ſciens, ſed ardens in eo ſit charitatis & pietatis ſtudium, & morum ac vitæ probitas, quæritur an hæ dotes ſupplere queant hunc litteraturæ defectum? Reſpondeo poſſe, ſed accedente

Epiſcopi indulgentiâ, ex *canone ſecundo prædicti Concilij Toletani:* & probatur ex eo quod Epiſcopus poteſt, ſi quiſpiam his polleat inſignibus, diſpenſare cum eo vt promoueatur, *cap. niſi cùm pridem, de renunciat.* Certè in caſu huiuſmodi diſpenſatum reipsâ fuiſſe ab Epiſcopo cum viris religione præſtantibus, etſi ἀγράμματοι, illiterati & ignari eſſent, Eccleſiaſtica docet Hiſtoria: in cuius monimentis legimus Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, Macedonium Anachoretam ad Sacerdotium ipſum promouiſſe, qui vir erat penè litterarum expers, at ſanctiſſimæ vitæ meritis conſpicuus, vt Theodoretus narrat in vita ipſius Macedonij: ſed rarò id contigit, nec ex rarò contingentibus ſtatui regula agendorum debet. Exempla eiuſmodi in ipſa antiquitate pauca ſunt admodum, & nunquam induxerunt communem in Eccleſia vſum. Imò eò canones tendunt, vt contrarius mos ſeruetur: Sanctorum facta quædam ſunt admirabilia, potiùs quàm imitabilia; in his factum hoc Flauiani numerari poteſt, qui tamen cùm ſanctiſſimus fuerit (adeò vt poſt eius felicem agonem vniuerſa Synodus Calchedonenſis venerabunda exclamarit: *Flauianus pro fide occiſus eſt, Martyr pro nobis oret*) id feciſſe exiſtimandus non eſt abſque diuino afflatu. Adde quòd ſi perſonam ſpectamus, quam promouerit, priuilegio diuino prouectum Macedonium conſentaneum ſit credere. Si quis Macedonio ſimilem inuenerit in ſua diœceſi Epiſcopus, abſque ſcandalo & reprehenſione mihi videtur, hunc non ſolùm Clericali albo adſcribere, Tonſurâ inſignire: ſed etiam ad Eccleſiaſticæ gradus militiæ non immeritò promouere. Illitteratos enim & ignaros non cenſeo, qui docti ſunt in ſcientia Sanctorum, & ſpiritu pleni ſapientiæ, quo impleti cùm eſſent Petrus & Ioannes Apoſtoli, nihil illis intulit gratiæ decrementi, quòd à Caïpha & Anna, aliiſque Phariſæis cenſerentur idiotæ ac illiterati, hoc eſt ſæcularis eruditionis experres, quâ iis opus non erat, vt pote ſupernâ ſcientiâ & diuinâ planè ſapientiâ illuſtratis. Verùm vbi Deus loquitur, taceat homo neceſſe eſt; ſic tum voluit, & factum eſt prout ipſi complacuerat. At quamdiu Deus per ſigna extraordinaria non procedit, neque palam diſpenſat, ſuam Eccleſiam vult audiri, eiúſque ab omnibus ſeruari leges; quibus vt ſuprà demonſtratum eſt, omnis illiteratus & idiota (vt verbo vtar Apoſtoli) regulariter excluditur à Clericatu & Sacerdotio. Nec enim audiendi ſunt, qui vt hanc Eccleſiæ ſacram politiam ſuis aduerſam placitis amoliantur, prætexere ſolent ingens diſcrimen quod inter Clericatum extat & Sacerdotium. Peritos enim & ſcientes, neutiquam verò ignaros, multò minus illitteratos prorſus ad Presbyteratus ordinem promouendos eſſe: cæterùm ſimplicis ſoleæ Clericos creari poſſe, vt leuis armaturæ milites. Falluntur ſiquidem, & toto aberrant cælo, non conſiderantes, haud ſperandum eſſe futurum bonum & ſufficientem Sacerdotem, qui indignus, vt pote litterarum rudis, aut potiùs ignarus omnino, fuerit Clericus. Enimuerò eſt ianua

Act. 4.

1. *Cor.* 14.

& introductio Clericatus ad Sacerdotium, cui ita fermè hæret, vt Sacerdotium ipſum ſubſtat & cohæret Epiſcopatui, quemadmodum can. 8. diſt. 40. inſigni exemplô inſinuatur: *Sicut viri ac mulieris digna coniunctio vnum facit matrimonium, & ſicut duorum copulatio vnum perficit corpus; ita Clericatus & Sacerdotium vnum faciunt Preſbyterum, & electio & conſecratio vnum faciunt Epiſcopum, quæ omnia vnum efficiunt corpus, quod citiùs corrumpitur, & ad terram trahitur, niſi legaliter ſeruetur.* &c.

FINIS LIB. VI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

LIBER VII.

DE DISPOSITIONIBVS POSITIVIS, ſeu perficientibus ſuſcipientem.

PRÆFATIVNCVLA.

HACTENVS Clerici ideam exprimentes, ſculptoris induſtriam imitati ſumus, qui è duro & rudi ſtipite vel ſilice, pulcram vt eliciat imaginem, ſcalpro pleraque fragmenta demit ac paulatim aufert, donec incidendo, quam in mente habet, expreſſam efformet effigiem. Sic enim ſuperiori parte formam Clerici legitimam vt exhiberemus, omnia remouimus impedimenta, quæ materiæ diſpoſitionem præpediebant, erántque obſtaculo quominus affabrè efficta eiuſmodi figura prodiret. Nunc aliâ viâ progredimur pictoris artificium imitando, qui ſimplici tabulæ ſimulachrum quod meditatur appingit, ductis ſubtili penicillo lineamentis, additíſque coloribus, è quorum contemperamento perfectam in conſpectum educit ſuæ conceptionis internæ expreſſionem. Sic planè igitur Clerici ideam hâc in tabellâ depingimus, vt, quum obicibus remouendis iam non neceſſe ſit immorari, (qui ſcilicet ſuperiori ſyntagmate penitus ſublati ſunt) poſitiuis delineationibus ac genuinis coloramentis, forma illa quam ad archetypum expendimus, ſpectabilis appareat.

Nec tam difficile profectò hoc opus eſt, aut neceſſarium, vt præſtari in promptu nequeat, vel etiam prætermitti aliqua cum ratione non poſſit. Negatiuæ enim diſpoſitiones poſitiuas aliquatenus includunt, quin & natiuâ quaſi conſequentiâ inducunt: quis enim dum audit fœminam non poſſe in Clerum cooptari, continuò non intelligit, ſolum ſexum virilem capacem eſſe Clericatus? Infantibus ex iure non poſſe Tonſuram conferri, ſequi inde non elicit, nec amentes, nec dormientes, huius ſuſcipiendæ eſſe idoneos: proinde non alios ſacrâ hâc teſſerâ inſigniendos eſſe, quàm rationis compotes & diſcretione prædítos; ſpurios excludi, legitimos igitur aptos eſſe: Hæreticos & ſchiſmaticos, ſceleratos, excommunicatos, bigamos, energumenos, epilepticos, quin

& deformes, idiotas & illireratos repelli: adirum igitur patere huius ſacræ miliriæ ſolis Catholicis, iiſque innoxiis, nullâ cenſurâ irretiris, innuptis & monogamis, corpore integris, mente puris, & lirrerarum pro modô quo decet ſcientibus, proficiendíque, ram pietare, quàm doctrinâ cupidis, maximéque incenſis Deo in Clericaru milirandi puro ac ſyncero deuotionis affectu. Verùm etſi de iis ſatis copiosè pro inſtituto, in ſuperiori huius libri parte tractauerimus: quæ poſſenr etiam ad informandum candidatum Clericatus ſufficere: tamen ne quid deſit eorum deſiderio, qui pleniùs & accuratiùs tyrunculum eiuſmodi inſtrui, forſitan exacturi ſunt, lubens de diſpoſitionibus rurſum diſſerere aggredior, non quidem remouentibus, ſed perficientibus tam extrinſecis, quàm intrinſecis, paſſiuis & actiuis, præuiis & concomitantibus, &c.

PARS I.

DE DISPOSITIONIBVS EXTRINSECIS, PASSIVIS.

CAPVT PRIMVM.

De cura parentum, vt puer, quem Clero deſignant, conuenienter huic fini præparetur.

DISPOSITIO nihil aliud eſt, quàm præparatio congrua ad habitum: eſt enim tam ratio ordinis rerum in finem, quàm ratio ordinis partium in totum, ſecundum S. Thomam 1. p. q. 22. 1. c. & ad formæ ſuſceptionem apparatus: vnde diſpoſitio ſubiecti prior eſt naturaliter ſuſceptione formæ, ſed eſt poſterior actione agentis, inducentis ſcilicet ſuâ intentione ipſam formam, iuxta eundem S. Thomam. 12. q. 113. 8. 2. Cùm igitur quilibet artifex (etiam diuinus) intendat operi ſuo inducere diſpoſitionem optimam reſpectu ſui finis: certè ad parentes ſpectat, qui liberos ſuos Clericali profeſſioni deſtinant, ſedulò in hanc curam incumbere, vt ad formæ huius ſuſceptionem aptâ & conuenienti diſpoſitione præparentur; hæcque ipſa diſpoſitio eiſdem congruentibus modis, ac proportionatis eiuſmodi fini mediis inducatur.

Sanè matrimonium Sacramentum eſt, quô mas & fœmina fide mutuâ, ſanctóque fœdere coniunguntur ad liberos procreandum in obſequium & honorem Dei: ideò in veteri lege (quò id ſubindicaretur) omne primogenitum ſibi Deus voluit offerri, Exod. 13. num. 18. quamuis in primogenitis hominum, eam obligationem hoc pacto temperauerit, vt indulſerit oblatos primogenitos redimi quinque ſiclis: cùm enim ſolos

Leuitas ſuo tabernaculo & cultui deſtinâſſet, ratio excidiſſet huius reſeruationis, ſi tot primogeniti, oblati Deo ex cæteris tribubus ſacro miniſterio acceſſiſſent, nimíſque magna fuiſſet turba Sacerdotum, & miniſtrorum, qui proinde otioſi ſæpe fuiſſent, & tamen ali debuiſſent à populo, haud ſine ingenti ipſius populi grauamine, quod Deus lege ſuâ inferri noluit. Certè ſi in cunctis Chriſtiani populi familiis, primogenitus Eccleſiaſticis ordinibus dedicaretur, longè maior foret Clericorum multitudo, quàm Leuitarum in veteri lege fuerit, & quàm primogenitorum, etiam redemptorum tunc extiterit numerus, onerique grauiſſimo eſſet Chriſtiano orbi illa innumerabilis multitudo, quin & patenti foret vbique contemptui: quamobrem id optandum neutiquam exiſtimo, neque ſuadendum parentibus quibuſque, vt ex liberis ſaltem vnum Clericali militiæ deputent ac ſatagant huic profeſſioni mancipare. Primò, ſunt enim parentes qui vnicum dumtaxat filium habent, & ſpe procreandæ amplioris ſobolis deſtituuntur, ideóque ſenectutis ſuæ ſolatio hunc ſuum vnicum enutriunt, quem ſi nihilominus diuinis dedicarent miniſteriis, non dubium quin opus Deo gratiſſimum præſtarent, vt pote ſummæ pietatis ac fortitudinis. Secundò, accedit quod abſque vocatione legitima non licet in ſortem Domini aliquem adſciſcere vel impellere: vocatio verò eiuſmodi non pendet à parentum nutu, ſed Dei beneplacito, & vocati aſſenſu. Peccant igitur non leuiter parentes, qui ex mero arbitrio, ſine vlla voluntatis diuinæ conſultatione, & filiorum propenſionis exploratione illos cautis ſuaſionibus, vel etiam abſolutâ auctoritate impellunt, imò cogunt ad ſtatum Clericalem amplectendum, non quidem diuini obſequij obtutu, ſed familiæ temporali ſolatio, vel beneficiorum agglutinandorum intentô, ſub tituli vmbratilis Clericatus prætextu. At ſatis iam ſuprà exitioſum hunc abuſum lamentati ſumus, nec opus eſt iſthic non tam fletus noſtros, quàm totius Eccleſiæ hâc de re gemitus repetere. Viciniora ſaluti ſatius fuerit expectare, quin & exigere à piis parentibus: nam etſi filios ad Eccleſiaſticam profeſſionem vocare non poſſint, nec compellere debeant; iuſtis tamen ac legitimis modis ad eum ſtatum, qui non modò ſublimior, ſed ſanctior & ſecurior eſt eoſdem diſponere poſſunt.

Et ſanè ſi præcipuum finem ſpectent coniuges, ob quem ſacro ſunt inter ſe fœdere copulati, hunc eſſe, vt procreent liberos in obſequium & honorem Dei: hoc præſtare Deo debitum pro virili ex iniuncto munere procurabunt, vt quotquot genuerint liberos diligenter educari ſtudeant in Dei timore, & verô cultu, quemadmodum legitur feciſſe Tobias, de quo perpetuæ fidelium memoriæ hoc Spiritus Sanctus voluit ſacro in codice conſignari, *Cùm verò factus eſſet vir, accepit vxorem Annam, &c. genuítque ex ea filium, &c. quem ab infantia timere Deum docuit, & abſtinere ab omni peccato.*

Exemplum Annæ matris Samuëlis ſpectabili eſt etiam documento, poſſe parentes pio affectu conceptam prolem offerre Deo, & ab eius gratia poſtulare, vt votum ſeu deſiderium ſuum gratum, & acceptum

habere dignetur, naſciturǽque ſoboli congruas diſpoſitiones infundere, quibus eius obſequiis aptè & conuenienter præparetur. Piô eiuſmodi votô *facta eſt Anna* (vt eleganter ait Sanctus Chryſoſtomus) *ſuorum viſcerum immolatrix*, oblationéque iſtâ benedictionem multiplicem ſibi, viro, filióque promeruit: hoc exemplum Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 40. in ſanctum baptiſma cæteris matribus imitandum proponit*, *Infans tibi eſt* (inquit) *ne occaſionem improbitas arripiat, ab infantia ſanctificetur, ab ipſis vnguiculis ſpiritui conſecretur. At propter naturæ imbecillitatem ſigillum metuis? quàm imbecilli animô mater es? Atqui Anna Samuelem, priùs etiam quàm procreatus eſſet, Deo promiſit, atque in lucem editum ſtatim conſecrauit, nihil humanum verita, ſed Deo fidem habens.* Idem rurſum notat & ſuggerit orat. 20. in laudem Sancti Baſilij **, *Samuel* (inquit) *ante natiuitatem donatus, & poſt natiuitatem confeſtim ſacer.* Sed & S. Auguſtinus in Pſal. 98. *Samuel ab initio ætatis ſuæ in templo creuit:* & paulò pòſt, *Natus Samuel fuit apud matrem tempore lactis; mox vt eum ablactauit dedit in templum, vt ibi creſceret, ibi roboraretur in Spiritu, ibi Deo ſeruiret.*

* Νήπιόν σοί ἐστι; μὴ λαβέτω καιρὸν ἡ κακία. ἐκ βρέφους ἁγιασθήτω, ἐξ ὀνύχων καθιερωθήτω τῷ πνεύματι. οὐ δέδοικας τὴν σφραγῖδα διὰ τὸ τῆς φύσεως ἀσθενές; ὡς μικρόψυχος ἡ μήτηρ, καὶ ὀλιγόπιστος. ἡ Ἄννα δὲ, καὶ πρὶν ἢ γεννηθῆναι τὸν Σαμουὴλ, καθυπέσχετο τῷ Θεῷ, καὶ γεννηθέντα, ἱερὸν εὐθὺς ποιεῖ, οὐ τὸ ἀνθρώπινον φοβηθεῖσα, τῷ δὲ Θεῷ πιστεύσασα.

** Σαμουὴλ Θεῷ δοτὸς πρὸ γενέσεως, καὶ μετὰ τὴν γένεσιν εὐθὺς ἱερεύς.

Annæ pietatem iamdudum apud Chriſtianos præclarè imitata eſt matrona illa nobilitate atque ſanctitate peræquè inſignis, Iuliana, quam S. Ambroſius in exhortatione ad virgines introducit loquentem cum filio vnico quem habebat, & quem parente mortuo Deo in locum parentis conſecrabat, hoc memorabili effatu: *Tu fili impetratus meus, & votiuus meus, agnoſce à quo donatus ſis mihi, ille tua ora plaſmauit, ille tua membra diſtinxit, ille mea orata ſuſcepit, cuius templo, cuius obſequio, te antequàm naſcereris, ſacraui. Non parentibus, non tibi, ſed Deo natus es, cuius antequàm de vulua matris exires, eſſe cœpiſti. Et omnes quidem illius ſumus, ſed tamen tu ſpecialiter promiſſus, Domino tu redderis. Ego quaſi Anna promiſi, vt omnibus vitæ tuæ diebus ac noctibus à conſpectu Domini non recedas, tu exequere.* Subnectit pro coronide S. Ambroſius: *Egregia ſanè fœmina, quæ ſibi nihil reliquit, totum quod habuit Deo obtulit; cuius vita inſtitutio diſciplinæ eſt, & quædam formula caſtitatis, bono propoſito & meliori magiſterio.*

Pulchrè & appoſitè Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 8. filios appellat *matrimonij flores*: *Matrimonij*, inquit, *flores liberi, quos quidem carnalium pratorum diuinus collegit agricola, ſcilicet quos elegit*, non enim omnium eſt gratia hæc, ſed eorum dumtaxat quos Deus ſpeciali gratiæ ſuæ munere ſuam in ſortem, ſtatum ſcilicet Clericatus, & gradus ſui miniſterij ſegregare etiam ab vtero materno dignatus eſt: nec enim omnes qui in Clerum cooptantur, à Deo propterea quòd Clericali matriculæ ſunt adſcripti, electi ſunt; plerique enim ſine vocatione (vt experientia docet) ſe ingerunt, plerique à parentibus minùs ſapientibus quæ Dei ſunt, ſed quæ mundi ſpirantibus, intruduntur; quos Deus vocat pauci ſunt, ſed quotquot vocat, in benedictionibus dulcedinis ab eo præueniuntur.

Certè huc non ineptè referri poteſt quod ait S. Auguſtinus Eccleſiam à Deo haud ſecus ac ciuitatem à perito artifice ædificari, ſup. Pſal. 121. ad illa verba: *Ieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas*: ipſa (inquit) ciuitatis modo ædificatur, præciduntur de montibus lapides, conquadrantur

vt intrent in ſtructuram. Et ſerm. 256. de tempore, qui eſt de dedicatione templi: *Quod fiebat* (inquit) *quando iſta ſurgebant, hôc fit modò cùm congregantur credentes in Chriſtum: credendo enim quaſi de ſyluis, & montibus ligna & lapides præciduntur: cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur tanquam per manus fabrorum & opificum, dolantur, collimantur, complanantur;* Si in ſingulis lapidibus ſpecialis habetur delectus, tanta induſtria adhibetur, vt ſtructuræ myſticæ coaptari poſſint; quanta obſecro cura, quanta opera abhibenda eſt, vt ij qui in Eccleſiæ fabrica velut columnę ponendi ſunt, molem ædificij ſuo robore, ſuâ firmitudine portaturi, huic fini adæquentur, quandoquidem ſi inepti ſunt, nec loco ſtare poſſint, nec ſtructuram ſuſtentare? Verùm hoc non eſt volentis neque currentis ſed Dei miſerentis. Pueri ſunt nonnulli *ſuper quibus* (vt ait Ahias Propheta, 3. Reg. 14.) *inuenitur ſermo bonus à Domino:* etiam in familia parentum impiorum. at vt plurimùm ex piis parentibus ſibi Deus idoneos miniſtros deligit, túncque prouidet vt conuenientibus mediis ad finem diſponantur, quem intendit. Sicut igitur (vt S. Auguſtini verba rurſum vſurpare præſignatâ ex metaphorâ liceat) *ad conſtruendam domum orationis fidelium ſuorum Deus viſitat animum, excitat affectum, ſurrogat auxilium, inſpirat nec dum volentibus vt velint, adiuuat bonæ voluntatis conatus vt faciant:* ita planè quando ex aliqua fidelium familia aliquem Deus vocat ad Clerum, parentum illuſtrat mentes, mouet affectum, accendit deſiderium, vt puerulum etiam nondum in lucem editum, vel mox ac natus eſt, diuinis deſtinent altaribus, hánceque gratiam ipſi ſibi & infantulo, precibus, votis, omníque deuotionis inſtantiâ, ſatagunt promereri.

Serm. 256. de tempore.

Præclara ſuper hoc monita ad fideles parentes dirigit Sanctus Chryſoſtomus ſcribens hom. 9. in 1. ad Timoth. ad illa verba Apoſtoli, *Mulier ſaluabitur per filiorum generationem: Audite*, inquit, *iſta parentes, ac prorſus aſpicite huiuſmodi educationem magnorum præmiorum cauſam fore*, &c. *neque enim parui meriti eſt indultos à Deo liberos, ad ipſius exercere militiam, eique ab ipſis infantiæ pannis dedicare: nam ſi huius educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis, quemadmodum ſi neglixerint grauiſſimis cruciatibus.* Hinc illud S. Hieronymi in Epiſtola ad Lætam, *ſalus infantium magnum lucrum eſt.* qui lib. 1. aduerſus Iouinianum, aurea hæc verba parentibus conſignat, expendens illud Apoſtoli, *ſi permanſerint in fide, & dilectione cum caſtitate* (ſic enim vertit, vbi vulgata habet, *& ſobrietate*) *ſaluabitur*, inquit, *mulier ſi illos genuerit liberos qui virgines permanſuri ſint* (nempe ſi filij euadant Clerici, & filiæ Moniales) *ſi quod ipſa perdidit acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore compenſet & pomis.*

Porrò parentibus non modò proficit ad ſalutem, & gloriam pia hæc liberorum educatio, ſed ipſis filiis omnino confert ad veram felicitatem. Rectè dixit ſapiens prou. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea:* quamobrem Propheta ait Thren. 3. *Beatus vir qui portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua:* vbi Chaldaïca paraphraſis, *qui portauerit iugum præceptorum Domini à iuuentute ſua.* Quod ita etiam in textu legiſſe videtur Sanctus Ambroſius, locum hunc ipſum adducens ſerm. 19.

Digitized by Google

in Pſal. 118. *Qui à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla ſubdiderit, ſedebit ſingulariter remotus à ſtrepitu interpellantium paſſionum, & quietus ſilebit, cui neceſſe eſt animam iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi, anima quæ quærit Deum, quæ captiuas ſibi fecit omnes delicias iuuentutis.* Sed iſta iſagoge pendet vt pluri-mùm à parentum ſollicitudine & induſtriâ. Magni Sancti profectò à teneris vnguiculis inceperunt, ſed gratiâ diuinâ præuenti, & adiuti pio parentum moderamine.

Tria autem à patre parentum requiruntur potiſſimum; ſcilicet exempla, documenta, exercitamenta. Quoad primum, omnium in conceſſo eſt longè efficaciora eſſe ad mouendos animos exempla quàm verba, *Vnde cœpit Ieſus facere, priuſquam doceret.* Solerter idcircò ac præclarè S. Cyrillus Alexandrinus explicans de Chriſto iſtud Iſaiæ cap. 49. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum, & poſuit me quaſi ſagittam electam:* per gladium qui eſt in ore, verba doctrinæ, per ſagittam verò electam, & vt eſt in Hebræo, limatam & terſam, quæ eſt in opere, exempla vitæ intellexit; ſicut igitur, inquit, ſagitta magis penetrat, & ad longius ſpatium pertingit quàm gladius, ita exempla quàm verba efficaciùs animis imprimuntur. Animis, inquam, adhuc puris & nullis adhuc ſordibus inquinatis, quales ſunt infantium, qui inſtar ſunt ceræ mollis & candidæ, in qua faciliùs imagines informantur, & vt tabella nitida, & nondum tortuoſis lineamentis figuríſque deformibus deturpata: ſed his nihil eſt quod faciliùs inſcribi poſſit, quàm exempla parentum: hinc illud Sancti Hieronymi ad Lætam. *Nihil in te & patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet* Certè ſummus animarum magiſter Paulus efficacius nullum medium illo cenſuit ad impellendum filiorum animos, quàm parentum exempla; vnde excitat Timotheum ſuum adhuc ferè adoleſcentem, ad fidem & pietatem matris, & auiæ ſedulò in mentem reuocandum, quin & ex harum exemplo, ipſum quaſi hæreditâſſe inſignem, quô feruebat Chriſtianæ religionis affectum: ſic enim eum compellat; *Gratias ago Deo cui ſeruio à progenitoribus in conſcientia pura, quòd ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte & die deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus autem ſum quod & in te:* nempe floruerat Timotheus ſub felici auiæ & matris ſuæ diſciplinâ: quarum ſpectatâ fide & pietate, eoſdem ſpiritus religionis imbibit, quibus conceptis ad vſque Sacerdotium & Pontificatum, prophetiam & martyrium feliciter ſenſim progreſſus eſt.

I. Exempla piæ educationis liberorum. *Act. 1.*

2. *Timoth. 1.*

Exemplis pij parentes documenta addere debent; quæ, vt ait eleganter more ſuo Clemens Alexandrinus, *breues ac rectæ ad æternitatem ſunt viæ*, lib. 1. pædag. cap. 3. paterna, maternáque monita plurimùm certè valent ad filiorum laudabilem educationem. In Sanctorum geſtis paſſim videre eſt piorum parentum documenta ingenti his adiumento, quin & incitamento fuiſſe ad viriorum concipiendum horrorem, & virtutis imbibendum amorem, cultúmque ſectandum: fluit vt ros eloquium parentum in teneros liberorum animos; quamobrem Spiritus Sanctus filios

II. Documenta.

vt intrent in ſtructuram. Et ſerm. 256. de tempore, qui eſt de dedicatione templi: *Quod fiebat* (inquit) *quando iſta ſurgebant, hôc fit modò cùm congregantur credentes in Chriſtum: credendo enim quaſi de ſyluis, & montibus ligna & lapides præciduntur: cùm verò catechizantur, baptizantur, formantur tanquam per manus fabrorum & opificum, dolantur, collimantur, complanantur:* Si in ſingulis lapidibus ſpecialis habetur delectus, tanta induſtria adhibetur, vt ſtructuræ myſticæ coaptari poſſint; quanta obſecro cura, quanta opera abhibenda eſt, vt ij qui in Eccleſiæ fabrica velut columnę ponendi ſunt, molem ædificij ſuo robore, ſuâ firmitudine portaturi, huic fini adæquentur, quandoquidem ſi inepti ſunt, nec loco ſtare poſſint, nec ſtructuram ſuſtentare? Verùm hoc non eſt volentis neque currentis ſed Dei miſerentis. Pueri ſunt nonnulli *ſuper quibus* (vt ait Ahias Propheta, 3. Reg. 14.) *inuenitur ſermo bonus à Domino:* etiam in familia parentum impiorum. at vt plurimùm ex piis parentibus ſibi Deus idoneos miniſtros deligit, túncque prouidet vt conuenientibus mediis ad finem diſponantur, quem intendit. Sicut igitur (vt S. Auguſtini verba rurſum vſurpare præſignatâ ex metaphorâ liceat) *ad conſtruendum domum orationis fidelium ſuorum Deus viſitat animum, excitat affectum, ſurrogat auxilium, inſpirat nec dum volentibus vt velint, adiuuat bonæ voluntatis conatus vt faciant:* ita planè quando ex aliqua fidelium familia aliquem Deus vocat ad Clerum, parentum illuſtrat mentes, mouet affectum, accendit deſiderium, vt puerulum etiam nondum in lucem editum, vel mox ac natus eſt, diuinis deſtinent altaribus, hâncque gratiam ipſi ſibi & infantulo, precibus, votis, omníque deuotionis inſtantiâ, ſatagunt promereri.

Serm. 256. de tempore.

Præclara ſuper hoc monita ad fideles parentes dirigit Sanctus Chryſoſtomus ſcribens hom. 9. in 1. ad Timoth. ad illa verba Apoſtoli, *Mulier ſaluabitur per filiorum generationem: Audite, inquit, iſta parentes, ac prorſus aſpicite huiuſmodi educationem magnorum præmiorum cauſam fore,* &c. *neque enim parui meriti eſt indultos à Deo liberos, ad ipſius exercere militiam, eique ab ipſis infantiæ pannis dedicare: nam ſi huius educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis, quemadmodum ſi neglixerint grauiſſimis cruciatibus.* Hinc illud S. Hieronymi in Epiſtola ad Lætam, *ſalus infantium magnum lucrum eſt.* qui lib. 1. aduerſus Iouinianum, aurea hæc verba parentibus conſignat, expendens illud Apoſtoli, *ſi permanſerint in fide, & dilectione cum caſtitate* (ſic enim vertit, vbi vulgata habet, *& ſobrietate*) *ſaluabitur,* inquit, *mulier ſi illos genuerit liberos qui virgines permanſuri ſint* (nempe ſi filij euadant Clerici, & filiæ Moniales) *ſi quod ipſa perdidit acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore compenſet & pomis.*

Porrò parentibus non modò proficit ad ſalutem, & gloriam pia hæc liberorum educatio, ſed ipſis filiis omnino confert ad veram felicitatem. Rectè dixit ſapiens prou. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit non recedet ab ea:* quamobrem Propheta ait Thren. 3. *Beatus vir qui portauerit iugum Domini ab adoleſcentia ſua:* vbi Chaldaïca paraphraſis, *qui portauerit iugum præceptorum Domini à iuuentute ſua.* Quod ita etiam in textu legiſſe videtur Sanctus Ambroſius, locum hunc ipſum adducens ſerm. 19.

in Pſal. 118. *Qui à iuuentute iugum portauerit, & habenis maturi moderaminis teneriora volens colla ſubdiderit, ſedebit ſingulariter remotus à ſtrepitu interpellantium paßionum, & quietus ſilebit, cui neceſſe eſt animam iurgari cum corpore, decertare cum variis cupiditatibus, quia tulit iugum verbi, anima quæ quærit Deum, quæ captiuas ſibi fecit omnes delicias iuuentutis.* Sed iſta iſagoge pendet vt plurimùm à parentum ſollicirudine & induſtriâ. Magni Sancti profectò à teneris vnguiculis inceperunt, ſed grariâ diuinâ præuenri, & adiuti pio parentum moderamine.

Tria autem à parte parentum requirunrur potiſſimum; ſcilicet exem- I. Exempla piæ educationis liberorum.
pla, documenra, exerciramenra. Quoad primum, omnium in conceſſo eſt longè efficaciora eſſe ad mouendos animos exempla quàm verba, *Vnde cœpit Ieſus facere, priuſquam doceret.* *Act. 1.* Solerter idcircò ac præclarè S. Cyrillus Alexandrinus explicans de Chriſto iſtud Iſaiæ cap. 49. *Poſuit os meum quaſi gladium acutum, & poſuit me quaſi ſagittam electam:* per gladium qui eſt in ore, verba doctrinæ, per ſagitram verò electam, & vr eſt in Hebræo, limatam & terſam, quæ eſt in opere, exempla viræ inrellexir;
„ ſicut igitut, inquir, ſagirra magis penetrar, & ad longius ſpatium per-
„ tingit quàm gladius, ira exempla quàm verba efficaciùs animis impri-
„ muntur. Animis, inquam, adhuc puris & nullis adhuc ſordibus inqui-
„ naris, quales ſunr infanrium, qui inſtar ſunt ceræ mollis & candidæ, in
„ qua faciliùs imagines infotmantur, & vt rabella nitida, & nondum tor-
„ tuoſis lineamenris figuríſque deformibus deturpata: ſed his nihil eſt quod faciliùs inſcribi poſſir, quàm exempla parenrum: hinc illud Sancti Hieronymi ad Læram. *Nihil in te & patre ſuo videat, quod ſi fecerit, peccet* Certè ſummus animarum magiſter Paulus efficacius nullum medium illo cenſuir ad impellendum filiorum animos, quàm parenrum exempla; vnde excirar Timotheum ſuum adhuc ferè adoleſcentem, ad fidem & pieratem matris, & auiæ ſedulò in menrem reuocandum, quin & ex harum exemplo, ipſum quaſi hæredirâſſe inſignem, quô feruebat Chriſtianæ religionis affectum: ſic enim eum compellat; *Gratias ago Deo cui ſer-* *2. Timoth. 1.*
uio à progenitoribus in conſcientia pura, quòd ſine intermißione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte & die deſiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei quæ eſt in te non ficta, quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus autem ſum quod & in te: nempe floruerar Timorheus ſub felici auiæ & matris ſuæ diſciplinâ: quarum ſpectatâ fide & pierate, eoſdem ſpiritus religionis imbibir, quibus concepris ad vſque Sacetdotium & Ponrificatum, propheriam & martyrium felicirer ſenſim progreſſus eſt.

Exemplis pij parentes documenra addere debenr; quæ, vr air eleganter II. Documenta.
more ſuo Clemens Alexandrinus, *breues ac rectæ ad æternitatem ſunt viæ,* lib. 1. pædag. cap. 3. parerna, maternáque monira plurimùm certè valent ad filiorum laudabilem educationem. In Sanctorum geſtis paſſim videre eſt piorum parenrum documenra ingenri his adiumenro, quin & incitamento fuiſſe ad vitiorum concipiendum hortorem, & virrutis imbibendum amorem, culrúmque ſectandum: fluit vt ros eloquium parentum in teneros libetotum animos; quamobrem Spiritus Sanctus filios

Digitized by Google

ad parentum audiendos ſermones, monitáque & præcepta auidè auſcultandum, in ſcriptutis ſacris blandè inuitat, ac grauiter impellit: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*; ex Hebræo vertitur, *quia additio gratiæ erunt capiti tuo, id eſt inſtar coronæ aut ſerti è floribus, & quaſi torques è variis gemmis collo appenſi.* Felices ſunt pueri quibus contigit à patentibus ſuis erudiri in Dei lege & timore, in fidei principiis & religionis immaculatæ diſciplina; hæc enim vt eſt prima puerorum ſchola, ſic & præcipua, nam inde quicquid ferè de illorum prouectione ad pietatem & doctrinam, gradúſque Eccleſiaſticos, & ſalutis humanæ progreſſum mediante Dei gratiâ conſequitur, nam vt optimè ait S. Cyprianus, diſciplina eiuſmodi *cuſtos eſt ſpei, retinaculum fidei, lux itineris ſalutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magiſtra virtutis.* A prima etenim hac diſciplina puerorum formatrice, omnes aliæ virtutes, quaſi à ſemine vel radice reuerà oriuntur.

Prouerb. 1. 8.

Exercitamenta neceſſe eſt adiungi exemplis: nec enim ſolis parentum exemplis aut verbis efformari poſſunt pueri ad excelſam quandam virtutem. Sanè pet diſciplinam Spiritus ſanctus non ſolùm eruditionem, ſed & correctionem intelligit, quam à parentibus diligenti curâ adhiberi iubet Prouerb. 23. *Noli à puero*, inquit, *ſubtrahere diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virgâ, non morietur: tu percuties virgâ illum, & animam eius de inferno liberabis.* Sed cùm creuerit puer eò vſque vt iam ſit ſolidioris inſtructionis capax, quàm quæ à parentibus tradi poteſt, eorum cura eſſe debet, idoneis præceptoribus & magiſtris illos conſignare, à quibus queant ſublimiorem ad eruditionis gradum promoueri; ſic Apoſtolus ſignatim Timotheum memorat non abſque parentum prouidentiâ, à puero fuiſſe in bonis litteris inſtitutum, quin & initiatum ſacrarum litterarum documentis: *Tu*, inquit, *fili permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris: & quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* 2. Timoth. 3. 15. ſed cum exercitationibus litterarum, etiam adhibenda ſunt exercitia pietatis; quamobrem idem Apoſtolus ipſum Timotheum hortatur 1. Timoth. 4. 7. *Bonus eſto miniſter Chriſti, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ quam aſſecutus es, ineptas autem & aniles fabulas deuita, exerce autem te ipſum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ.* Sapienter idcitco ac religioſè feciſſe memoratur mater S. Edmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis, quem cùm puerum Pariſios mitteret ad litterarum ſtudia, duo cilicia ei dedit, admonens vt non inſiſteret litteris tantùm, ſed & intenderet ſenſuum & carnis mortificationi, vt lubriſcentis ætatis ſylueſtres præcideret ſurculos; virtutíſque & veræ pietatis erumpentes in floſculos frugiferos palmites enutriret, perenni ſtudio ſanctitatis & ſalutis. ſic enim in eius actis conſignatum reperi apud Surium tom. 11. die 16. Nouembris cap. 2. *Cùm autem mitteret eum cum fratre eius Pariſios vt liberalibus diſciplinis inſtituerentur, ne ex ignorantia laberentur in errores, duo eis cilicia dedit, iuſſitque vt bis quâlibet hebdomadâ ea induerent. Timebat enim prudens & religioſa fœmina, ne poſtquàm pubertatis annos attigiſſent, per abrupta inſanarum libidinum præci-*

pitia

pitia incauti agitarentur. Itaque ſpiritualium bellorum rudes, & imperitos ſapienter præmunire ſtuduit, ipſique Edmundo, quem præſcia ſanctitatis eius, præ cæteris filiis inſtantiùs amabat, cùm Lutetiæ litteris daret operam, cum lineis indumentis etiam cilicium mittere ſolita fuit; iiſque ille ſanctus puer omnem à ſe leuitatem repellens, choreas aliáque ludicra & ſpectacula deuitauit. Porrò Dominicis & feſtis diebus, vt erat à matre edoctus, ante ſumptum cibum perlegit pſalterium. Quo vſu ſcilicet aſſuefieret maturè perſoluendo Canonicarum precum penſo diurno, cùm ad ſacrorum ordinum gradus promoueretur.

Nota.

Filiorum adhuc paruulorum propenſionem diligenter attendere piorum parentum etiam ſpectat munus: magni enim momenti eſt inclinatio ad virtutem, plurimúmque valet in cuiuſlibet ſtatus ac profeſſionis delectu. Naturaliter (ait Gerſon part. 3. de myſtica Theologia practica) inclinatio ad multa hominem diſponit: & vt iuuat miris modis ad operationes has aut illas cõformiras & inclinatio naturalis, ſic ex aduerſo diſſonans propenſio tantùm obeſt, quòd vix libertas animi, vix diſciplinæ ratio, vix conatus aſſuefactionis ſufficit põdus eiuſmodi euincere: inconſultè igitur faciunt parentes plures habentes liberos, dum ſacræ militiæ eum deſtinant, qui ſæculari foret aptior, & econtrà, armis, commercio, vel foro applicant, qui libentiùs Clericatum amplecteretur. Prudenter at fecerunt parentes S. Lupi Archiepiſcopi Senonenſis, tam nobilitate illuſtres quàm pietate conſpicui, qui cùm animum eius pronum ad ſacra animaduertiſſent, Eccleſiaſticæ profeſſioni admouendum, recto iudicio cenſuerunt, quemadmodum in eius officio * ſuauiſſimo concentu Eccleſia modulatur. Reſponſ. 2. *Sacra pueri infantia diuinitus inſpirata, doctrinâ & religione pollebat. Cuius munere parentes inuitati eum Eccleſiaſticis officiis tradiderunt.* In cuius geſtis apud Surium 1. Septembris, hoc factum fuiſſe Sanctorum duorum Antiſtirum quorum nepos erat, felici conſilio memoratur: ſic enim ibi cap. 2. *Cunarum autem exacto tempore, ſtudiis litterarum admouendum curârunt; vbi tam breui in illo lampas cæleſtis gratiæ adeò ſe declarauit, vt omnes ſuos condiſcipulos anteiret, & tum ſplendore ſapientiæ, tum facundiæ vbertate longè ſuperaret. Erant verò matri eius fratres duo Auſtrenus & Aunarius, venerandi antiſtites, ille Aurelianenſis, hic Antiſsiodorenſis, qui etiam virtutum ſignis clarus extitit. Ii cernentes puerum Lupum religioni addictum, & erga Chriſti iuſſa exequenda ſtudioſum, in Clerum eum cooptarunt. Itaque ætate increſcente cœpit diuina officia accuratè perſoluere, ore mellifluo ſacras cantiones depromere, multâ abſtinentiâ rebellem carnem edomare, aſsiduis precibus ſanctorum Martyrum ſepulchra frequentare, afflictorum dolere inopiâ, ſectari hoſpitalitatem, charitate feruere, in eleemoſynas incumbere, mundum aſpernari, ac toto pectore ad cæleſtem illum paradiſum adſpirare.* Felices parentes, fortunatíque auunculi, qui talem tyrunculum Chriſti militiæ adſcripſerunt, in hanc tot tantíſque indiciis, & præſentis inclinationis & futuri progreſſus, manifeſtè propenſum: felicior puer, qui non tam naturali propenſione, quàm ſuperni afflatus impulſu, eam in partem quaſi ſuopte motu conceſſit, cui diuinis præordinationibus deſtinatus erat, & in qua ſic erat omnes numeros impleturus legitimæ vocationis, vt quibuſque Clericatus candidatis exemplo adeò ſpectabili, & auſpicatiſſimi initij, & fauſti omnino pro-

* Quod ex antiquo more in eius Eccleſia Pariſiis eius in feſto celebrari ſolet 1. Kal. Septembris.

greſſus ſucceſſúſque feliciſſimi anteiret! at fuit orationis fructus. Vnde eſt quòd parentes, quique ſint, addiſcant eiuſmodi prolis quæ diuinis miniſteriis meritò dicetur, haud ſe fore compotes, niſi piis votis, & religioſis actibus ſtuduerint, tantum donum ſibi & Eccleſiæ à Domino promereri.

CAPVT II.

Epiſcopi etiam eſſe partes, à Deo flagitare ſollicitatione aſſiduâ, vt tyrunculos Clericalis militiæ, ſui cultus amantes & miniſterij cupidos, Eccleſiæque vtiles, excitare velit.

Matth. 9. 38. ROGATE *dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*, ait Dominus ad ſuos Apoſtolos, quibus Epiſcopi in Eccleſiæ cura ac regimine ſucceſſerunt. Et multùm quidem intereſt Epiſcopi, Clericos à Deo excitari, quantùm neceſſarios, tantùm Eccleſiæ vtiles: *Eccleſia non eſt* (ait S. Hieronymus aduerſus Luciferianos) *quæ Sacerdotes non habet.* Sacerdotes autem fiunt ex Clericis, quorum ſunt apices, duces & anteſignani: eſſe non poteſt bonus Sacerdos, qui nequam vel inutilis ſit Clericus, feréque paris eſt periculi Eccleſiam penuriâ miniſtrorum laborare: ac multitudine affluere ignarorum vel improborum Clericorum, à quibus vt populus Chriſtianus edoceri ac ædificari non poteſt, ita nec Epiſcopus congruo ac neceſſario auxilio in ferendo paſtorali onere ſubleuari. Quamobrem piè ac prouidè ſancta mater Eccleſia in miniſtrorum delectu, examine ac ordinatione, ſolenne ieiunium indicit ac ſeruat, quod quatuor anni temporum appellamus, enixè à Deo petens vt idoneos teſtamenti ſui miniſtros ad ſui nominis honorem ac animarum ſanctificationem, & ſalutem concedere dignetur; exemplo ſcilicet illo Apoſtolico inducta quod in actis refert S. Lucas cap. 13. quo legimus: *Miniſtrantibus autem illis Domino* (λειτουργούντων, *ſacrificantibus* *, ſeu vt Syrus habet interpres; *Cúmque ipſi ieiunarent & preces auſpicarentur Deo*) *& ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes impoſuerunt illis manus*, &c. Vbi notat ſolitâ ſolertiâ atque acumine Sanctus Chryſoſtomus, *quando ordinatio erat tunc ieiunant*; ſic Paulus ipſe & Barnabas Act. 14. *conſtituebant per ſingulas Eccleſias Preſbyteros, orantes cum ieiunationibus.* Eccleſia hunc idcirco, etiamnum ritum obſeruat, ſeruandúmque præſcribit tam ordinanti quàm ordinandis, vt oratione & ieiunio præparentur ad huius initiationis myſterium. Quoniam verò Epiſcopi proprium munus eſt Clericos ſeligere & ad gradus ſingulorum ordinum promouere, eius quoque eſſe debitum Eccleſia in pontificali docet, orare etiam deprecatione ſolenni, vt iis congrua Spiritus Sancti dona Deus pro ſua bonitate largiatur, quibus ipſi Deo grati & fideles, ſibi autem ſolatio, Eccleſiæ decori, & vtilitati, plebíque fideli exemplo ac documento eſſe poſſint; ſic enim precatur An-

* Ita vertit Eraſmus, non ſine ſectariorum fremitu ac ſtupore.

tiſtes * ſacros ordines celebrans in Pontificali Romano: *Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator, ordinúmque diſtributor atque officiorum diſpoſitor, qui in te manens innouas omnia, & cuncta diſponis per verbum, virtutem & ſapientiam tuam Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſempiternâ prouidentiâ præparas, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cuius corpus, Eccleſiam videlicet tuam, cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorúmque connexam diſtinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis vnitam, in augmentum templi tui creſcere, dilataríque largiris ſacri muneris ſeruitutem, trinis gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Leui filiis, qui in myſticis operationibus domus tuæ, fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ, ſorte perpetuâ poſſiderent. Super hos quoque famulos tuos quæſumus Domine placatus intende*, &c. Et infrà; *Emitte in eos quæſumus Domine Spiritum Sanctum, quo in opus miniſterij tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur: Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſeruantia diſciplinæ; in moribus eorum præcepta tua fulgeant, vt ſuæ caſtitatis exemplo, imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeuerent: Denique ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam, capere potiora mereantur.* Et in ſupremi ordinis (Sacerdotij ſcilicet ad quem omnes inferiores tendunt) collatione piis his affectibus diuinam maieſtatem obſecrat; *Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, honorum auctor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuerſa, per quem cuncta firmantur; amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congruâ ratione diſpoſitum. Vnde & Sacerdotales gradus atque officia Leuitarum Sacramentis myſticis creuerunt, vt cùm Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis, & operis adiumentũ ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres*, &c. *Hâc prouidentiâ Domine Apoſtolis filij tui, Doctores fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt; Quapropter infirmitati noſtræ Domine quæſumus hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus; Da quæſumus omnipotens pater in hos famulos tuos Preſbyterij dignitatem, innoua in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, vt acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſurámque morum exemplo ſuæ conuerſationis inſinuent, ſint prouidi cooperatores ordinis noſtri, eluceat in eis totius forma iuſtitiæ, vt bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ redditurì, æternæ beatitudinis præmia conſequantur.* Et rurſus: *Deus ſanctificationum omnium auctor, cuius vera conſecratio, plenáque benedictio eſt* (in cæteris enim ordinibus inchoatur, in hac, quoniam Sacerdotio in ordinibus nullus maior eſt, abſoluitur.) *Tu Domine ſuper hos famulos tuos quos ad Preſbyterij honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, vt grauitate actuum & cenſurâ viuendi probent ſe ſeniores iis inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, vt in lege tua die ac nocte meditantes, quòd legerint credant, quòd crediderint doceant, quòd docuerint imitentur: iuſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem, cæteráſq; virtutes in ſe oſtendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purũ & immaculatum ſui miniſterij donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ* (ſubminiſtratum videlicet pro materia conſecrationis) *panem & vinũ*

* *In ord. diac.*

in corpus, & ſanguinem filij tui immaculatâ benedictione transforment, & inuiolabili charitate in virum perfectum ætatis plenitudinis Chriſti, in die iuſti & æterni iudicij Dei, conſcientia pura, fide vera, Spiritu ſancto pleni reſurgant. Per eundem Dominum, &c.

Si hunc votorum cumulum Eccleſia, per Pontificum ſuorum preces ſemper & vbique conſequeretur, nihil ex parte Sacerdotij & miniſterij Clericalis ſupereſſet optandum, adeſſent enim omnia, quibus Dei cultus dignè celebrari, ac magis magíſque in dies augeri, ipſa Eccleſia ædificari, ornari, & lætificari poteſt; floreret religio Catholica, populúſque inſtrui ad fidem, efformari ad iuſtitiam, excitari ad filialem Dei timorem & amorem, dirigíque ad ſalutem vndequaque poſſet. Rogare igitur debet Epiſcopus, vt mittat Dominus eiuſmodi operarios in vineam ſuam; nec ſatis eſt vt tantùm preces fundat, cùm Pontificali eos ordinat ritu; ſed iugi debet deſiderio, & affectu hoc in munus incumbere, aſſiduis ſcilicet flagitationibus Dominum deprecando, vt hæc ſibi ſolatia, & Eccleſiæ ſuæ ſubſidia concedere velit, atque in dies ſubiecta ad id apta officij, gratiæ multiformis donis dignetur informare. Nec precibus & votis tantùm Epiſcopus hoc à Deo beneficium poſtulare debet, at omni quo poteſt deſiderio, ſtudio & conatu ſatagere, vt qui cooptandi ſunt in Clerum, congruis ad Eccleſiaſticum miniſterium diſpoſitionibus præparentur.

DIGRESSIVNCVLA.
De ſeminariis.

NVLLVM efficacius remedium, aduersùs Clericorum infauſtas promotiones Epiſcopo ſuppetit, quàm ſeminariorum in ſua Diœceſi inſtitutio, optimáque eorum gubernatio: vnde non ſolùm irruentium paſſim in ſtatum Clericalem abſque diuina vocatione, & legitima diſpoſitione temeritas coërceatur, verùm etiam indignis ad ſacra munia præcludatur aditus: fiat verò circumſpectus & vtilis delectus eorum tyrunculorum, qui ſunt in Eccleſiaſticam militiam adſcribendi: hinc enim vt pendet felix huiuſce adſcriptionis initium, ſic & progreſſus ac ſucceſſus quàm auſpicatiſſimus eorum qui per hanc ianuam in miniſterium Domini ingredientur, meritò ſperari poteſt. Quamobrem piè omnino ac prudenter œcumenicum Concilium Tridentinum, quò occurſum iret infauſtis Clericorum primordiis, ſanctáque iis ac ſalutaria auſpicia procuraret, vnde præcipuum Sacerdotij robur, Eccleſiæ decus, & ſalutis animarum incrementum colligi poſſe non dubitabat: ſeminaria in qualibet Diœceſi & prouincia ab Ordinariis erigenda, præclarâ, quæ ſequitur, ſanctione conſtituit & mandauit ſeſſ. 23. c. 18.

Cùm Adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfectè, ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret: Sancta ſynodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Eccleſiæ, pro modo facultatum & Diœceſis

amplitudine certum puerorum ipſius ciuitatis & Diœceſis, vel eius prouinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc verò Collegio recipiantur; qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint; ac legere & ſcribere competenter nouerint; & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſeruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſiæ inſeruiendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit, aliósque in locum eductorum ſufficiet: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, Tonſurâ ſtatim, atque habitu Clericali ſemper vtentur: grammatices, cantus, computi Eccleſiaſtici, aliarúmque bonarum artium diſciplinam diſcent. Sacram ſcripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorũ, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta Confeſſoris iudicium, ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti; Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſeruiant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eáque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Diſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient; eos etiam ſi opus fuerit, expellendo; omniáque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſeruandum, & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios ſumptus certi reditus erunt neceſſarij, vltra ea quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur: iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur; itémque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat; ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, & quorumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum & Prioratuum cuiuſcumque ordinis etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hoſpitalium quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit: & beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiam ſi iuris patronatus cuiuſcumque fuerint, etiam ſi exempta, etiam ſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis & hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemptis annexa, & ex fabricis Eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis reditibus, ſeu prouentibus etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen ſeminaria diſcentium vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promouendum

Mm iij

actu non habentur; hæc enim exempta eſſe voluit: præterquam ratione redituum, qui ſuperflui eſſent vltra conuenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laïcos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolui ſolent, & milites cuiuſcumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non beneficia aliquot ſimplicia, cuiuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, ſine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum beneficiorum, vniones, & applicationes ſuſpendi, vel vllomodò impediri poſſint, ſed omninò quacumque vacatione, etiam ſi in curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſuprà commemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro penſionibus quas aliis forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis penſionibus, illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibuſvis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine, etiam immemorabili, quavis appellatione & allegatione, quæ executionẽ impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuũ ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatũ reperiatur; tunc portio ex ſingulis beneficiis, vt ſuprà, detracta & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur. Quòd ſi Cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati in hac ſeminarij erectione, eiúſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores, ſynodus Prouincialis acriter corripere, eóſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus, vbicumque fieri poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit. Rationes autem redituum huius ſeminarij Epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis. Deinde, vt cum minori impenſa huiuſmodi ſcholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit ſancta ſynodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates & alij locorum Ordinarij ſcholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum, cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint; alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remotâ; quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero verò officia, vel dignitates illæ quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina aut in iure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſe ipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida, non obſtantibus quibuſuis priuilegiis,

& conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Si verò in aliqua prouincia Eccleſiæ tantâ paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non poſſit; Synodus prouincialis vel Metropolitana cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in Eccleſia Metropolitana vel alia prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura collegia provt opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Eccleſiarum in quibus ſingulis collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur. In Eccleſiis autem amplas diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant. Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius ſeminarij inſtitutio, vel conſeruatio impediretur aut pertubaretur: Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro Eccleſiarum & beneficiorum qualitate etiam ſuprà ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & ſingula quæ ad felicem huius ſeminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Diu ante hanc editam ſanctionem à Concilio generali Tridentino, eiuſmodi ſeminariorum inſtitutio fuerat aliis Eccleſiaſticis decretis inchoata: etenim in Concilio IV. Toletano quod ſedente Honorio I. Pontifice, anno ſalutis 633. conſedit, eiuſmodi inſtituti præmeditatio fuit ſpeciali canone celebrata, qui ſic habet: *Omnis ætas ab adoleſcentia prona eſt ad malum, nihil enim incertius quàm vita adoleſcentium: ob hoc conſtituere oportuit, vt ſi qui in Clero* (irrepſit in editis codicibus, in Choro) *impuberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant.* Quæ lex Synodica ita Eccleſiæ Catholicæ complacuit, vt ipſa annuente in iuris ſacri codicem relata fuerit, 12. q. 1. can. *Omnis ætas.* Vbi tamen paululùm extat profuſiori ſerie; poſt verbum enim illud, *habeant*, in quo deſinit canon Toletanus, in pleriſque exemplaribus excuſis (quæ Coriolanus in ſua ſumma ſequutus eſt) apud Gratianum citato loco, connectuntur ſequentia: *Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, Sacerdotali tutelâ foueantur, vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſult..uerint, monaſteriis deputentur, vt vagantes animi & ſuperbi ſeueriori regula diſtringantur.* Hæc ibi: quæ in regia editione Conciliorum etiam ad verbum leguntur.

Quàm altè inſederit præcordiis Sancti Caroli Bortomæi Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis cura erigendorum eiuſmodi ſeminariorum (poſtquam ad exactam formam redacta eſt à Concilio Tridentino, cui legatus Sedis Apoſtolicæ aliquando cum collegis præfuerat) ſatis fit manifeſtum ex eius Synodis prouincialibus, in quibus hanc Coëpiſcopis ſuis frequenrer commendat ſollicitudinem, & ſummâ prudenriâ ac charitate proſpicit ipſorum ſeminariorum non modò extructioni, ſed & ſtabilimento ac felici per omnia regimini. Quid opus ſit ſingula recenſere non video, cùm plerique dicturi ſint me ea ſuggeſtum ire (ſi id vel

ſemel aggrediar) quæ omnibus nora ſunt. Ira cauſantibus nauſeam non mouebo: ſed quærentibus, cur non hoc loco tanti Cœliris oracula ſeriatim referam? haud abs re dixero, aduerſum eos nec me lites ciere, nec cenſere operæpretium ea minutim ire retextum, quæ peruium eſt in editis toto orbe Chriſtiano codicibus expreſſa conſpicere. Canam igitur (quoad ea quæ peruia vbique ſunt) vltrò receptui. Nec Sancti Caroli votis, aut edictis quicquam additum ire, vel minutum vllatenus, lubens (nedum ſomniando) præſumam. Indigitâſſe itaque ſpecialiter ſufficiat eiuſdem Sancti Caroli Concil. Mediolan. V. conſtitutionum parte 3. tit. *de iis quæ ad Ordinis Sacramentum pertinent*, ſub programmare, *de ſeminario.*

Huius ſpiritum ſancti Cardinalis & Pontificis, Deus non modò per Italiam, ſed & Galliam non ſine ſpeciali gratiæ ſuæ beneficio diffudit, adeò vt eius exemplis & documentis incenſi noſtri antiſtites pro virili abhinc contenderint ſeminaria eiuſmodi ſuis in prouinciis ac Diœceſibus erigere. Vix vllum poſt Tridentinum Concilium in Gallia habitum eſt Concilium Prouinciale, in quo de ſeminariorum inſtitutione certatim procurandâ, eorúmque diſciplina, ſubſidiis, & conſeruatione non fuerit ſpecialiter actitatum. Extant editæ hac de re in eorum actis ſanctiones, quas viſum in eorum gratiam quibus eiuſmodi codices in manu non ſunt, hîc propriis ſub titulis ac inſcriptionibus breui indiculo conſignare.

§. 1. *Seminaria iuxta Tridentini Concilij decretum in quauis Diœceſi inſtitui debent.*

ITA ſtatuit Concilium Rothomagenſe coactum anno 1581. ſub Carolo Cardinale Borbonio Metropolita & Normaniæ Primate, ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ de latere Legato, anno 1581. in Conſtitutione, quæ ad calcem extat eiuſdem Synodi Prouincialis, ſub titulo, *de ſcholarum & ſeminariorum fundatione & regimine*, quæ incipit: *Epiſcopi per ſuas Diœceſes*, &c. Item Concilium Burdegalenſe actum anno 1583. ſub Antonio de Sanſac Archiepiſcopo, tit. 24. qui eſt *de ſeminariis*, decreto quod incipit, *vt vinea Domini*, &c. Item Concilium Turonenſe eodem anno habitum à Simone Malleo Archipræſule, & eius Coëpiſcopis, decreto *de ſeminariis*, cuius eſt exordium, *Seminarij Clericorum inſtitutio*, &c. Ita & Concilium Rhemenſe celebratum eodem anno à Ludouico Cardinale à Guiſia Metropolita, Primate, & Legato nato Apoſtolicæ Sedis cum ſuis Suffraganeis, propria ſanctione de ſeminariis, quæ incipit, *Quemadmodum agricola.* De his ſic & ſtatutum in Concilio Bituricenſi habito an. ſalut. 1584. ſub Reginaldo Bituricenſi Archiepiſcopo, Primate ac Patriarcha Aquitaniæ, tit. *de ſeminariis maioribus, & minoribus ſcholis & vniuerſitatibus*, ſex in canones digeſto. Item in Aquenſi habito anno 1585. ab Alexandro Præantiſtite, & Comprouincialibus Epiſcopis, proprio decreto *de ſeminario*, cuius tituli exordium eſt; *Seminarij inſtitutio quàm vtilis ſit.* Necnon Toloſano itidem Prouinciali celebrato anno 1590. à Franciſco

ciſco de Ioyoſa S. R. E. Cardinali & Archiepiſcopo, parte 3. ſub inſcriptione de ſeminariis Clericorum cap. 5. quod incipit, *Et Synodi Tridentinæ ſanctiſſimis conſtitutionibus parentes*, &c. Cæterùm habuit anno 1624. Burdigalæ Concilium prouinciale Franciſcus Cardinalis Sourdeſius Archiepiſcopus Burdegalenſis, in quo, cap. 16. decretum de ſeminariis ea in prouincia erigendis & ſtabiliendis, renouatum eſt.

Leges ſeminarij cuiuſque Diœceſani, inſtituendi ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Ex conſtitutionibus in Conuentu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Decanorum, Archidiaconorum, & aliorum Eccleſiaſtici ſtatus Galliarum regni, Meloduni habito, menſe Septembri anno 1579.

PRÆCEPIT *ſacra Tridentina Synodus, vt Prouincialia Concilia quamprimùm ſeminaria Clericis ad pietatem, bonos mores, & ad litteras erudiendis conſtituant. Cuius Concilij œcumenici præcipuam formam ſequendam eſſe, & neceſſitas ipſa temporum & Clericorum penuria exigit; ſiue per beneficiorum quorumdam vacantium ad ſeminarium adiunctionem ab Epiſcopis faciendam; ſiue per omnium beneficiorum contributionem, iuxta decretum eiuſdem Tridentinæ Synodi, ſiue aliorum quorumdam bonorum huic congruentium operi adiunctionem, adhibito ſi opus ſit Metropolitani conſilio, vt in ſequentibus latiùs exponetur.*

Cùm itaque huic collegio propoſitum ſit ad Eccleſiaſticæ vitæ normam, & ingenuas artes dirigere iuuentutem, vt pro ſuo quiſque gradu & conditione, cùm ſibi ipſe profuerit, Eccleſiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodeſſe poſſit, & communi vtilitati conſulere, qui ſic egerint vt eius inſtituto reperiantur idonei, hæc in eis requiruntur.

De admittendis & dimittendis.

CAPVT I.

1. *Annum agant ad minimum duodecimum, & apti ſint ad litterarum ſtudia, & ad Collegij inſtitutionem accommodati.*

2. *Non recipiantur, niſi qui ſunt ex legitimo matrimonio nati, bonis moribus atque indole præditi, non aſperi, non duri, domeſticæ diſciplinæ libentiùs obtemperent.*

3. *Pauperum filios, ex eadem Diœceſi, ſi fieri poſſit, admitti vult Concilium, nec tamen ditiorum filios excludi vult, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant, Deo & Eccleſiæ inſeruiendi.*

4. *In litterarum ſtudiis eos proceſſus effecerint, vt idonei ſint qui primæ vel certè ſecundæ claſſi committantur, vt puerilis inſtitutionis iactis fundamentis, ad maiores atque reconditiores doctrinas deinceps accedant.*

5. *In Collegium ne admittantur, ſi aliquando hæreſi infecti fuerint, aut opinionibus à fide orthodoxa alienis, & niſi libenti animo acceſſerint ac promiſerint ſe futuros Eccleſiaſticos. Ne autem quiſquam ab hoc ſancto propoſito reſilire facilè*

greſſus ſucceſſúſque feliciſſimi anteiret! at fuit orationis fructus. Vndeeſt quòd parentes, quique ſint, addiſcant eiuſmodi prolis quæ diuinis miniſteriis meritò dedicetur, haud ſe fore compotes, niſi piis votis, & religioſis actibus ſtuduerint, tantum donum ſibi & Eccleſiæ à Domino promereri.

CAPVT II.

Epiſcopi etiam eſſe partes, à Deo flagitare ſollicitatione aſſiduâ, vt tyrunculos Clericalis militiæ, ſui cultus amantes & miniſterij cupidos, Eccleſiæque vtiles, excitare velit.

Matth. 9. 38.

ROGATE *dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam*, ait Dominus ad ſuos Apoſtolos, quibus Epiſcopi in Eccleſiæ cura ac regimine ſucceſſerunt. Et multùm quidem intereſt Epiſcopi, Clericos à Deo excitari, quantùm neceſſarios, tantùm Eccleſiæ vtiles: *Eccleſia non eſt* (ait S. Hieronymus aduerſus Luciferianos) *quæ Sacerdotes non habet.* Sacerdotes autem fiunt ex Clericis, quorum ſunt apices, duces & anteſignani: eſſe non poteſt bonus Sacerdos, qui nequam vel inutilis ſit Clericus, feréque paris eſt periculi Eccleſiam penuriâ miniſtrorum laborare: ac multitudine affluere ignarorum vel improborum Clericorum, à quibus vt populus Chriſtianus edoceri ac ædificari non poteſt, ita nec Epiſcopus congruo ac neceſſario auxilio in ferendo paſtorali onere ſubleuari. Quamobrem piè ac prouidè ſancta mater Eccleſia in miniſtrorum delectu, examine ac ordinatione, ſolenne ieiunium indicit ac ſeruat, quod quatuor anni temporum appellamus, enixè à Deo petens vt idoneos teſtamenti ſui miniſtros ad ſui nominis honorem ac animarum ſanctificationem, & ſalutem concedere dignetur; exemplo ſcilicet illo Apoſtolico inducta quod in actis refert S. Lucas cap. 13. quo legimus: *Miniſtrantibus autem illis Domino* (λειτουργούντων, *ſacrificantibus* *, ſeu vt Syrus habet interpres; *(Cúmque ipſi ieiunarent & preces auſpicarentur Deo) & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Tunc ieiunantes & orantes impoſuerunt illis manus*, &c. Vbi notat ſolitâ ſolertiâ atque acumine Sanctus Chryſoſtomus, *quando ordinatio erat tunc ieiunant*; ſic Paulus ipſe & Barnabas Act. 14. *conſtituebant per ſingulas Eccleſias Preſbyteros, orantes cum ieiunationibus.* Eccleſia hunc idcirco, etiamnum ritum obſeruat, ſeruandúmque præſcribit tam ordinanti quàm ordinandis, vt oratione & ieiunio præparentur ad huius initiationis myſterium. Quoniam verò Epiſcopi proprium munus eſt Clericos ſeligere & ad gradus ſingulorum ordinum promouere, eius quoque eſſe debitum Eccleſia in pontificali docet, orare etiam deprecatione ſolenni, vt iis congrua Spiritus Sancti dona Deus pro ſua bonitate largiatur, quibus ipſi Deo grati & fideles, ſibi autem ſolatio, Eccleſiæ decori, & vtilitati, plebiſque fideli exemplo ac documento eſſe poſſint; ſic enim precatur An-

* Ita vertit Eraſmus, non ſine ſectariorum fremitu ac ſtupore.

tiſtes * ſacros ordines celebrans in Pontificali Romano: *Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, honorum dator, ordinúmque diſtributor atque officiorum diſpoſitor, qui in te manens innouas omnia, & cuncta diſponis per verbum, virtutem & ſapientiam tuam Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, ſempiternâ prouidentiâ præparas, & ſingulis quibuſque temporibus aptanda diſpenſas. Cuius corpus, Eccleſiam videlicet tuam, cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorúmque connexam diſtinctione membrorum, per legem mirabilem totius compaginis vnitam, in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris ſacri muneris ſeruitutem, trinis gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Leui filiis, qui in myſticis operationibus domus tuæ, fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ, ſorte perpetuâ poſſiderent. Super hos quoque famulos tuos quæſumus Domine placatus intende*, &c. Et infrà; *Emitte in eos quæſumus Domine Spiritum Sanctum, quo in opus miniſterij tui fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ tuæ munere roborentur: Abundet in eis totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritualis obſeruantia diſciplinæ; in moribus eorum præcepta tua fulgeant, vt ſuæ caſtitatis exemplo, imitationem ſanctam plebs acquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium præferentes, in Chriſto firmi & ſtabiles perſeuerent: Denique ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam, capere potiora mereantur.* Et in ſupremi ordinis (Sacerdotij ſcilicet ad quem omnes inferiores tendunt) collatione piis his affectibus diuinam maieſtatem obſecrat; *Domine ſancte pater omnipotens æterne Deus, honorum auctor, & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt vniuerſa, per quem cuncta firmantur; amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis, per ordinem congruâ ratione diſpoſitum. Vnde & Sacerdotales gradus atque officia Leuitarum Sacramentis myſticis creuerunt, vt cùm Pontifices ſũmos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis, & operis adiumentũ ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres*, &c. *Hâc prouidentiâ Domine Apoſtolis filij tui, Doctores fidei, comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt. Quapropter infirmitati noſtræ Domine quæſumus hæc adiumenta largire, qui quanto fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus; Da quæſumus omnipotens pater in hos famulos tuos Preſbyterij dignitatem, innoua in viſceribus eorum ſpiritum ſanctitatis, vt acceptum à te Deus ſecundi meriti munus obtineant, cenſurámque morum exemplo ſuæ conuerſationis inſinuent, ſint prouidi cooperatores ordinis noſtri, eluceat in eis totius forma iuſtitiæ, vt bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur.* Et rurſus: *Deus ſanctificationum omnium auctor, cuius vera conſecratio, plenáque benedictio eſt* (in cæteris enim ordinibus inchoatur, in hac, quoniam Sacerdorio in ordinibus nullus maior eſt, abſoluitur.) *Tu. Domine ſuper hos famulos tuos quos ad Preſbyterij honorem dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, vt grauitate actuum & cenſurâ viuendi probent ſe ſeniores iis inſtituti diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, vt in lege tua die ac nocte meditantes, quòd legerint credant, quòd crediderint doceant, quòd docuerint imitentur: iuſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem, cæteráſq; virtutes in ſe oſtendant, exemplo præbeant, admonitione confirment, ac purũ & immaculatum ſui miniſterij donum cuſtodiant, & per obſequium plebis tuæ* (ſubminiſtratum videlicet pro materia conſecrationis) *panem & vinũ*

* *In ord. diac.*

in corpus, & ſanguinem filij tui immaculatâ benedictione transforment, & inuiolabili charitate in virum perfectum ætatis plenitudinis Chriſti, in die iuſti & æterni iudicij Dei, conſcientia pura, fide vera, Spiritu ſancto pleni reſurgant. Per eundem Dominum, &c.

Si hunc votorum cumulum Eccleſia, per Pontificum ſuorum preces ſemper & vbique conſequeretur, nihil ex parte Sacerdotij & miniſterij Clericalis ſupereſſet optandum, adeſſent enim omnia, quibus Dei cultus dignè celebrari, ac magis magíſque in dies augeri, ipſa Eccleſia ædificari, ornari, & lætificari poteſt; floreret religio Catholica, populúſque inſtrui ad fidem, efformari ad iuſtitiam, excitari ad filialem Dei timorem & amorem, dirigíque ad ſalutem vndequaque poſſet. Rogare igitur debet Epiſcopus, vt mittat Dominus eiuſmodi operarios in vineam ſuam; nec ſatis eſt vt tantùm preces fundat, cùm Pontificali eos ordinat ritu; ſed iugi debet deſiderio, & affectu hoc in munus incumbere, aſſiduis ſcilicet flagitationibus Dominum deprecando, vt hæc ſibi ſolatia, & Eccleſiæ ſuæ ſubſidia concedere velit, atque in dies ſubiecta ad id apta officij, gratiæ multiformis donis dignetur informare. Nec precibus & votis tantùm Epiſcopus hoc à Deo beneficium poſtulare debet, at omni quo poteſt deſiderio, ſtudio & conatu ſatagere, vt qui cooptandi ſunt in Clerum, congruis ad Eccleſiaſticum miniſterium diſpoſitionibus præparentur.

DIGRESSIVNCVLA.
De ſeminariis.

NVLLVM efficacius remedium, aduersùs Clericorum infauſtas promotiones Epiſcopo ſuppetit, quàm ſeminariorum in ſua Diœceſi inſtitutio, optimáque eorum gubernatio: vnde non ſolùm irruentium paſſim in ſtatum Clericalem abſque diuina vocatione, & legitima diſpoſitione temeritas coërceatur, verùm etiam indignis ad ſacra munia præcludatur aditus: fiat verò circumſpectus & vtilis delectus eorum tyrunculorum, qui ſunt in Eccleſiaſticam militiam adſcribendi: hinc enim vt pendet felix huiuſce adſcriptionis initium, ſic & progreſſus ac ſucceſſus quàm auſpicatiſſimus eorum qui per hanc ianuam in miniſterium Domini ingredientur, meritò ſperari poteſt. Quamobrem piè omnino ac prudenter œcumenicum Concilium Tridentinum, quò occurſum iret infauſtis Clericorum primordiis, ſanctáque iis ac ſalutaria auſpicia procuraret, vnde præcipuum Sacerdotij robur, Eccleſiæ decus, & ſalutis animarum incrementum colligi poſſe non dubitabat: ſeminaria in qualibet Diœceſi & prouincia ab Ordinariis erigenda, præclarâ, quæ ſequitur, ſanctione conſtituit & mandauit ſeſſ. 23. c. 18.

Cùm Adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfectè, ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret: Sancta ſynodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Eccleſiæ, pro modo facultatum & Diœceſis

amplitudine certum puerorum ipſius ciuitatis & Diœceſis, vel eius prouinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religiosè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc verò Collegio recipiantur; qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint; ac legere & ſcribere competenter nouerint; & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſeruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſiæ inſeruiendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit, aliòſque in locum eductorum ſufficiet: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, Tonſurâ ſtatim, atque habitu Clericali ſemper vtentur: grammatices, cantus, computi Eccleſiaſtici, aliarúmque bonarum artium diſciplinam diſcent. Sacram ſcripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorũ, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta Confeſſoris iudicium, ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti; Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſeruiant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eáque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Diſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient; eos etiam ſi opus fuerit, expellendo; omniáque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſeruandum, & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios ſumptus certi reditus erunt neceſſarij, vltra ea quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur: iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur; itémque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat; ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, & quorumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum & Prioratuum cuiuſcumque ordinis etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hoſpitalium quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit: *& beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiam ſi iuris patronatus cuiuſcumque fuerint, etiam ſi exempta, etiam ſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis & hoſpitalibus, & aliis quibuſvis locis piis, etiam exemptis annexa, & ex fabricis Eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis reditibus, ſeu prouentibus etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen ſeminaria diſcentium vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promouendum*

actu non habentur; hæc enim exempta eſſe voluit: præterquam ratione redituum, qui ſuperflui eſſent vltra conuenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laïcos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolui ſolent, & milites cuiuſcumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non beneficia aliquot ſimplicia, cuiuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, ſine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum beneficiorum, vniones, & applicationes ſuſpendi, vel vllomodò impediri poſſint, ſed omninò quacumque vacatione, etiam ſi in curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſuprà commemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro penſionibus quas aliis forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis penſionibus, illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibuſuis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine, etiam immemorabili, quauis appellatione & allegatione, quæ executionẽ impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuũ ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatũ reperiatur; tunc portio ex ſingulis beneficiis, vt ſuprà, detracta & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur. Quòd ſi Cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati in hac ſeminarij erectione, eiúſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores, Synodus Prouincialis acriter corripere, eóſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus, vbicumque fieri poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit. Rationes autem redituum huius ſeminarij Epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis. Deinde, vt cum minori impenſa huiuſmodi ſcholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit ſancta Synodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates & alij locorum Ordinarij ſcholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum, cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint; alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remotâ; quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero verò officia, vel dignitates illæ quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina aut in iure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſe ipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida, non obſtantibus quibuſuis priuilegiis,

& conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Si verò in aliqua prouincia Eccleſiæ tantâ paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non poſſit; Synodus prouincialis vel Metropolitana cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in Eccleſia Metropolitana vel alia prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura collegia prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Eccleſiarum in quibus ſingulis collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur. In Eccleſiis autem amplas diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant. Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius ſeminarij inſtitutio, vel conſeruatio impediretur aut pertubaretur: Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro Eccleſiarum & beneficiorum qualitate etiam ſuprà ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & ſingula quæ ad felicem huius ſeminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Diu ante hanc editam ſanctionem à Concilio generali Tridentino, eiuſmodi ſeminariorum inſtitutio fuerat aliis Eccleſiaſticis decretis inchoata: etenim in Concilio IV. Toletano quod ſedente Honorio I. Pontifice, anno ſalutis 633. conſedit, eiuſmodi inſtituti præmeditatio fuit ſpeciali canone celebrata, qui ſic habet: *Omnis ætas ab adoleſcentia prona eſt ad malum, nihil enim incertius quàm vita adoleſcentium: ob hoc conſtituere oportuit, vt ſi qui in Clero* (irrepſit in editis codicibus, in Choro) *impuberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant.* Quæ lex Synodica ita Eccleſiæ Catholicæ complacuit, vt ipſa annuente in iuris ſacri codicem relata fuerit, 12. q. 1. can. *Omnis ætas.* Vbi tamen paululùm extat profuſiori ſerie; poſt verbum enim illud, *habeant*, in quo deſinit canon Toletanus, in pleriſque exemplaribus excuſis (quæ Coriolanus in ſua ſumma ſequutus eſt) apud Gratianum citato loco, connectuntur ſequentia: *Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, Sacerdotali tutelâ foueantur, vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultauerint, monaſteriis deputentur, vt vagantes animi & ſuperbi ſeueriori regula diſtringantur.* Hæc ibi: quæ in regia editione Conciliorum etiam ad verbum leguntur.

Quàm altè inſederit præcordiis Sancti Caroli Borromæi Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis cura erigendorum eiuſmodi ſeminariorum (poſtquam ad exactam formam redacta eſt à Concilio Tridentino, cui legatus Sedis Apoſtolicæ aliquando cum collegis præfuerat) ſatis fit manifeſtum ex eius Synodis prouincialibus, in quibus hanc Coepiſcopis ſuis frequenter commendat ſollicitudinem, & ſummâ prudentiâ ac charitate proſpicit ipſorum ſeminariorum non modò extructioni, ſed & ſtabilimento ac felici per omnia regimini. Quid opus ſit ſingula recenſere non video, cùm plerique dicturi ſint me ea ſuggeſtum ire (ſi id vel

ciſco de Ioyoſa S. R. E. Cardinali & Archiepiſcopo, parte 3. ſub inſcriptione de ſeminariis Clericorum cap. 5. quod incipit, *Et Synodi Tridentinæ ſanctiſſimis conſtitutionibus parentes*, &c. Cæterùm habuit anno 1624. Burdigalæ Concilium prouinciale Franciſcus Cardinalis Sourdeſius Archiepiſcopus Burdegalenſis, in quo, cap. 16. decretum de ſeminariis ea in prouincia erigendis & ſtabiliendis, renouatum eſt.

Leges ſeminarij cuiuſque Diœceſani, inſtituendi ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Ex conſtitutionibus in Conuentu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Decanorum, Archidiaconorum, & aliorum Eccleſiaſtici ſtatus Galliarum regni, Meloduni habito, menſe Septembri anno 1579.

PRÆCEPIT ſacra Tridentina Synodus, vt Prouincialia Concilia quamprimùm ſeminaria Clericis ad pietatem, bonos mores, & ad litteras erudiendis conſtituant. Cuius Concilij œcumenici præcipuam formam ſequendam eſſe, & neceſſitas ipſa temporum & Clericorum penuria exigit; ſiue per beneficiorum quorumdam vacantium ad ſeminarium adiunctionem ab Epiſcopis faciendam; ſiue per omnium beneficiorum contributionem, iuxta decretum eiuſdem Tridentinæ Synodi, ſiue aliorum quorumdam bonorum huic congruentium operi adiunctionem, adhibito ſi opus ſit Metropolitani conſilio, vt in ſequentibus latiùs exponetur.

Cùm itaque huic collegio propoſitum ſit ad Eccleſiaſticæ vitæ normam, & ingenuas artes dirigere iuuentutem, vt pro ſuo quiſque gradu & conditione, cùm ſibi ipſe profuerit, Eccleſiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodeſſe poſſit, & communi vtilitati conſulere, qui ſic egerint vt eius inſtituto reperiantur idonei, hæc in eis requiruntur.

De admittendis & dimittendis.

CAPVT I.

1. *Annum agant ad minimum duodecimum, & apti ſint ad litterarum ſtudia, & ad Collegij inſtitutionem accommodati.*

2. *Non recipiantur, niſi qui ſunt ex legitimo matrimonio nati, bonis moribus atque indole præditi, non aſperi, non duri, domeſticæ diſciplinæ libentiùs obtemperent.*

3. *Pauperum filios, ex eadem Diœceſi, ſi fieri poſſit, admitti vult Concilium, nec tamen ditiorum filios excludi vult, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant, Deo & Eccleſiæ inſeruiendi.*

4. *In litterarum ſtudiis eos proceſſus effecerint, vt idonei ſint qui primæ vel certè ſecundæ claſſi committantur, vt puerilis inſtitutionis iactis fundamentis, ad maiores atque reconditiores doctrinas deinceps accedant.*

5. *In Collegium ne admittantur, ſi aliquando hæreſi infecti fuerint, aut opinionibus à fide orthodoxa alienis, & niſi libenti animo acceſſerint ac promiſerint ſe futuros Eccleſiaſticos. Ne autem quiſquam ab hoc ſancto propoſito reſilire facilè*

poſſit, vnuſquiſque cùm admittitur, vnum aut duos ex ſuis propinquis Reuerendiſſimo Epiſcopo offeret, qui fideiubeant & promittant, ſe annuam penſionem ſoluturos; ſi qui admittitur, ex ſua culpa, in ſtatu Eccleſiaſtico perſeuerare nolit, niſi adeò pauper eſſet, vt æquum iudicaretur cum illo diſpenſandum eſſe.

6. Antequam recipiantur, eorum inquiratur conditio, cæteráque quæ in illis deſiderari dictum eſt, qui degere in Collegio volunt. Quòd ſi ea omnia adfuerint quæ expetuntur, leges ipſis inſtitutionéſque Collegij legantur: quibus etiam ſe obtemperaturos promittant, idque ſibi perſuadeant, atque adeò, qui eos in ſeminario collocant, niſi ſe ad eius finem accommodarint (cuius rei per aliquot dies periculum fiet) eſſe à Collegio ſine vlla cunctatione aut tergiuerſatione dimittendos. Atque idem faciendum, ſi poſt aliquantum temporis à recto itinere deflexerint, niſi reditus in viam, ſuperiorum Collegij iudicio ſperatur.

7. Admiſſio autem & electio eiuſmodi Clericorum penes Epiſcopum eſſe debet, qui cum conſilio Reuerendorum Canonicorum ſeniorum, & grauiorum eos admittet, & ſi opus fuerit dimittet, eáque omnia conſtituet quæ ad bonam ſeminarij conſeruationem facere in Domino exiſtimabit; curabítque, vt ſeminarij præfectus ad ſe vel duos Canonicos referat, quid de ſingulorum moribus & profectu ſentiant. Et ſæpius viſitando Collegium operam dabunt vt dyſcoli, & incorrigibiles ac malorum morum ſeminatores acriter puniantur, omniáque auferent quæ impedimento eſſe poſſent in Clericis, quominus finem propoſitum conſequantur; in quibus hæc eſſe ſolent.

8. Ea negligere quæ ad pietatem, Collegij inſtitutum, & præfectos pertinent: cum iis ſocietatem inire, qui minùs proficiunt; facilè obtrectare: ſuos errores deferri (licèt ob eorumdem vtilitatem fiat) molestè ferre, aut eos inficiari, aut excuſare: pœnas iniunctas grauiter accipere: ſingulare aliquid velle, quod iis expedire nequaquam videatur. Quæ quidem omnia verè impedimenta dicuntur; nam experientiâ compertum eſt, qui hanc, vel huiuſmodi viam ingrediuntur, eos neque ſibi ipſis prodeſſe, & obeſſe cæteris.

De iis quæ ad pietatem ſpectant.

CAPVT II.

1. Expedit imprimis, vt ſe omnes pietati Chriſtianæ dedant: quæ quidem pietas in quouis ſtatu & genere eſt maximè rerum omnium neceſſaria, quæque præcipuè in hoc Collegio poſtulatur: ſtudeant etiam modeſtiæ, virtuti, & morum elegantiæ, & caueant aliis ſuo exemplô detrimento eſſe, curéntque ex iis rebus fructum ſibi colligere, quæ ad hunc finem referuntur; atque illud etiam intelligant, eò maiore æſtimatione vnumquemque fore, quò illum præclaræ actiones meliorem eſſe oſtenderint.

2. In virtute proficere cupientes, eâ formâ regendi contenti eſſe debebunt, quam illi, in quorum diſciplinam ſe tradunt, aptiorem eſſe iudicauerint. Monitiones verò, & ob errata ſibi irrogatas pœnas, dimiſſo gratóque animo ſuſcipere; illáque emendare cupiant & ſtudeant, cuius quidem rei causâ pœnæ imponuntur.

3. Singuli ſingulis ſaltem menſibus Sacerdoti peccata confitebuntur; atque etiam ſi Confeſſario viſum fuerit, ſacram Euchariſtiam ſumant, ad eam magnâ ſe diligentiâ præparantes. Ad hoc autem conducent religioſæ quædam inſtitutiones,

Digitized by Google

quæ illis à Præfecto vel Confeſſario dabuntur; librorum piorum lectio, & religioſum aliquod genus orandi & meditandi. Poſt ſacro-ſanctam verò ſynaxim quam antè imbiberant animo, pietatem tueantur, hiſce aut eiuſmodi aliis adiumentis.

4. *Singuli Breuiarium, preces horarias Beatæ Virginis, & eiuſdem roſarium habebunt. Qui verò nedum breuiarium recitare tenentur, quotidie preces horarias ad Beatam Virginem recitabunt; illáſque ita diuidere poterunt vt partem recitent matutino tempore, quo per dimidiam horam precabuntur; partem eo quo rei diuinæ interſunt dum Sacerdos ſummiſſa voce legit: veſperi verò poſt tempus, quod à cœna quieti tribui ſolet, omnes ſimul recitabunt litanias, & priuſquam cubitum ſe conferant, per horæ quadrantem conſcientiam diſcutient, dúmque cubitum diſcedunt, dum ſurgunt, dum induunt, Deo ſe commendare conſueſcant.*

5. *Conſtituto in loco, Miſſæ ſacrificio, diebus ſingulis interſint, & diebus feſtis in Cathedrali, vel aliis ciuitatis Eccleſiis iuxta Reuerendiſſimi Epiſcopi voluntatem, inſeruiant.*

6. *Studeant fructus ex ſacris lectionibus, & concionibus quas in Templo audient, colligere, & ex cohortationibus, quæ interdum in ipſo Collegio habebuntur.*

7. *In menſæ benedictione & gratiarum actione conueniens deuotio ac reuerentia obſeruetur: & dum corpus edendo reficitur, ſuæ etiam animæ ſpiritalis refectio in Domino ex lectione vel concione quæ tunc temporis habebitur, præbeatur.*

8. *Vt verò in diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, Tonſurâ ſtatim atque habitu Eccleſiaſtico ſemper vtantur: nec priùs aliud diſcant, quàm memoria teneant Catechiſmi compendium: vbi autem ad eam ætatem peruenerint, quâ ſecundùm canones ad ſacros ordines promoueri poſſunt, mox promoueantur, ſi tamen ea pietate, & doctrina præditi ſint, quâ par eſt.*

9. *Denique vt breui magnos in virtutibus & pietate progreſſus faciant curandum eſt quàm diligentiſſimè, vt qui ſeminario præficiuntur viri ſint graues, prudentes, & omni virtutum genere ornati, quíque ſuo exemplo & piis cohortationibus tam priuatis quàm publicis, omnes ſibi ſubditos ad ſtudium pietatis, & virtutis incitare poſſint.*

De iis quæ ad obedientiam pertinent.

CAPVT III.

1. *Quoniam omnem ordinem ſine obedientia perturbari neceſſe eſt, omnes Præfecto & ſuis Moderatoribus parere diligenter oportet: & non modò Collegij communia decreta perſtudioſè obſeruare, ſed etiam ea omnia, quæ illis ad eundem finem ſpectantia præſcribuntur. Quare Præfectum & Moderatores ſuos tamquam Patres intueantur; ſeipſos verò bonos filios, vt decet præbeant.*

2. *Quiſquis, cùm excitabitur manè horâ quartâ, ſtatim exurgat, vt ea præſtare poſſit quæ ante precationem fiunt: & interdiu ſe promptos in eis rebus exequendis præbeant quæ illis (prout ratio temporis poſtulabit) præſcribentur, vel campanæ ſonô ſignificabuntur, vt ad ſcholas accedere, ad menſam, aliáſque exercitationes: quæ omnia præſtare debent, niſi aliud quid eis Moderatorum voluntate permittatur.*

3. *Res ſuas optimè curent, eáſque ſuo loco optimè collocatas, benéque compoſitas & mundas ſeruent.*

in corpus, & ſanguinem filij tui immaculatâ benedictione transforment, & inuiolabili charitate in virum perfectum ætatis plenitudinis Christi, in die iuſti & æterni iudicij Dei, conſcientia pura, fide vera, Spiritu ſancto pleni reſurgant. Per eundem Dominum, &c.

Si hunc votorum cumulum Eccleſia, per Pontificum ſuorum preces ſemper & vbique conſequeretur, nihil ex parte Sacerdotij & miniſterij Clericalis ſupereſſet optandum, adeſſent enim omnia, quibus Dei cultus dignè celebrari, ac magis magiſque in dies augeri, ipſa Eccleſia ædificari, ornari, & lætificari poteſt; floreret religio Catholica, populúſque inſtrui ad fidem, efformari ad iuſtitiam, excitari ad filialem Dei timorem & amorem, dirigíque ad ſalutem vndequaque poſſet. Rogare igitur debet Epiſcopus, vt mittat Dominus eiuſmodi operarios in vineam ſuam; nec ſatis eſt vt tantùm preces fundat, cùm Pontificali eos ordinat ritu; ſed iugi debet deſiderio, & affectu hoc in munus incumbere, aſſiduis ſcilicet flagitationibus Dominum deprecando, vt hæc ſibi ſolatia, & Eccleſiæ ſuæ ſubſidia concedere velit, atque in dies ſubiecta ad id apta officij, gratiæ multiformis donis dignetur informare. Nec precibus & votis tantùm Epiſcopus hoc à Deo beneficium poſtulare debet, at omni quo poteſt deſiderio, ſtudio & conatu ſatagere, vt qui cooptandi ſunt in Clerum, congruis ad Eccleſiaſticum miniſterium diſpoſitionibus præparentur.

DIGRESSIVNCVLA.
De ſeminariis.

NVLLVM efficacius remedium, aduersùs Clericorum infauſtas promotiones Epiſcopo ſupperit, quàm ſeminariorum in ſua Diœceſi inſtitutio, optimáque eorum gubernatio: vnde non ſolùm irruentium paſſim in ſtatum Clericalem abſque diuina vocatione, & legitima diſpoſitione temeritas coërceatur, verùm etiam indignis ad ſacra munia præcludatur aditus: fiat verò circumſpectus & vtilis delectus eorum tyrunculorum, qui ſunt in Eccleſiaſticam militiam adſcribendi: hinc enim vt pendet felix huiuſce adſcriptionis initium, ſic & progreſſus ac ſucceſſus quàm auſpicatiſſimus eorum qui per hanc ianuam in miniſterium Domini ingredientur, meritò ſperari poteſt. Quamobrem piè omnino ac prudenter œcumenicum Concilium Tridentinum, quò occurſum iret infauſtis Clericorum primordiis, ſanctáque iis ac ſalutaria auſpicia procuraret, vnde præcipuum Sacerdotij robur, Eccleſiæ decus, & ſalutis animarum incrementum colligi poſſe non dubitabat: ſeminaria in qualibet Diœceſi & prouincia ab Ordinariis erigenda, præclarâ, quæ ſequitur, ſanctione conſtituit & mandauit ſeſſ. 23. c. 18.

Cùm Adoleſcentium ætas, niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad voluptates ſequendas, & niſi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfectè, ac ſine maximo ac ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeueret: Sancta ſynodus ſtatuit, vt ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his maiores Eccleſiæ, pro modo facultatum & Diœceſis

amplitudine certum puerorum ipſius ciuitatis & Diœceſis, vel eius prouinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio in loco conuenienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religioſè educare, & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur. In hoc verò Collegio recipiantur; qui ad minimum duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati ſint; ac legere & ſcribere competenter nouerint; & quorum indoles, & voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuò inſeruituros. Pauperum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditiorum excludit, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo & Eccleſiæ inſeruiendi. Hos pueros Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbitur, diuiſos, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum, partim cùm ei opportunum videbitur, Eccleſiarum miniſterio addicet; partim in Collegio erudiendos retinebit, alióſque in locum eductorum ſufficiet: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum perpetuum ſeminarium ſit. Vt verò in eadem diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, Tonſurâ ſtatim, atque habitu Clericali ſemper vtentur: grammatices, cantus, computi Eccleſiaſtici, aliarúmque bonarum artium diſciplinam diſcent. Sacram ſcripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorũ, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediſcent. Curet Epiſcopus vt ſingulis diebus Miſſæ ſacrificio interſint, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata, & iuxta Confeſſoris iudicium, ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti; Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis diebus feſtis inſeruiant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum & grauiorum, quos ipſi elegerint, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, conſtituent, eáque vt ſemper obſeruentur, ſæpiùs viſitando operam dabunt. Diſcolos & incorrigibiles, ac malorum morum ſeminatores acriter punient; eos etiam ſi opus fuerit, expellendo; omniáque impedimenta auferentes, quæcumque ad conſeruandum, & augendum tam pium & ſanctum inſtitutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt. Et quia ad Collegij fabricam inſtituendam, & ad mercedem præceptoribus & miniſtris ſoluendam, & ad alendam iuuentutem, & ad alios ſumptus certi reditus erunt neceſſarij, vltra ea quæ ad inſtituendos, vel alendos pueros ſunt in aliquibus Eccleſiis & locis deſtinata, quæ eo ipſo huic ſeminario ſub eadem Epiſcopi cura applicata cenſeantur: iidem Epiſcopi cum conſilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Epiſcopo, alter ab ipſo Capitulo eligatur; itémque duorum de Clero ciuitatis, quorum quidem alterius electio ſimiliter ad Epiſcopum, alterius verò ad Clerum pertineat; ex fructibus integris menſæ Epiſcopalis, & Capituli, & quorumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum & Prioratuum cuiuſcumque ordinis etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, & hoſpitalium quæ dantur in titulum, vel adminiſtrationem iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit: *& beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiam ſi iuris patronatus cuiuſcumque fuerint, etiam ſi exempta, etiam ſi nullius Diœceſis, vel aliis Eccleſiis, Monaſteriis & hoſpitalibus, & aliis quibuſuis locis piis, etiam exemptis annexa, & ex fabricis Eccleſiarum & aliorum locorum, etiam ex quibuſcumque aliis Eccleſiaſticis reditibus, ſeu prouentibus etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen ſeminaria diſcentium vel docentium ad commune Eccleſiæ bonum promouendum*

actu non habentur; hæc enim exempta eſſe voluit: præterquam ratione redituum, qui ſuperflui eſſent vltra conuenientem ipſorum ſeminariorum ſuſtentationem, ſeu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis ſcholæ appellantur, & omnium monaſteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laïcos, ex quibus ſubſidia Eccleſiaſtica ſolui ſolent, & milites cuiuſcumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, fratribus S. Ioannis Hieroſolymitani dumtaxat exceptis, partem aliquam vel portionem detrahent, & eam portionem ſic detractam, nec non beneficia aliquot ſimplicia, cuiuſcumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præſtimonia, vel præſtimoniales portiones nuncupatas etiam ante vacationem, ſine cultus diuini, & illa obtinentium præiudicio, huic Collegio applicabunt & incorporabunt. Quod locum habeat, etiam ſi beneficia ſint reſeruata, vel affecta, nec per reſignationem ipſorum beneficiorum, vniones, & applicationes ſuſpendi, vel vllomodò impediri poſſint, ſed omninò quacumque vacatione, etiam ſi in curia effectum ſuum ſortiantur, & quacumque conſtitutione non obſtante. Ad hanc autem portionem ſoluendam beneficiorum, dignitatum, perſonatuum, & omnium & ſingulorum ſuprà commemoratorum poſſeſſores, non modò pro ſe, ſed pro penſionibus quas aliis forſan ex dictis fructibus ſoluerent, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis penſionibus, illis erit ſoluendum, ab Epiſcopo loci per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia compellantur; etiam vocato ad hoc, ſi videbitur, auxilio brachij ſæcularis: quibuſvis, quoad omnia & ſingula ſupradicta, priuilegiis, exemptionibus, etiam ſi ſpecialem derogationem requirerent, conſuetudine, etiam immemorabili, quavis appellatione & allegatione, quæ executionẽ impediat, non obſtantibus. Succedente verò caſu, quo per vniones effectum ſuũ ſortientes, vel aliter ſeminarium ipſum in totum, vel in partem dotatũ reperiatur; tunc portio ex ſingulis beneficiis, vt ſuprà, detracta & incorporata ab Epiſcopo, prout res ipſa exegerit, in totum, vel pro parte remittatur. Quòd ſi Cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum Prælati in hac ſeminarij erectione, eiúſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopum Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores, ſynodus Prouincialis acriter corripere, eóſque ad omnia ſupradicta cogere debeat; & vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus, vbicumque fieri poterit, promoueatur, ſtudioſè curabit. Rationes autem redituum huius ſeminarij Epiſcopus annis ſingulis accipiat, præſentibus duobus à Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis. Deinde, vt cum minori impenſa huiuſmodi ſcholis inſtituendis prouideatur, ſtatuit ſancta ſynodus, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates & alij locorum Ordinarij ſcholaſterias obtinentes, & alios quibus eſt lectionis vel doctrinæ munus annexum, ad docendum in ipſis ſcholis inſtituendos, per ſe ipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneos ſubſtitutos, ab eiſdem ſcholaſticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos, etiam per ſubtractionem fructuum, cogant & compellant. Quòd ſi iudicio Epiſcopi digni non fuerint; alium, qui dignus ſit, nominent, omni appellatione remotâ; quod ſi neglexerint, Epiſcopus ipſe deputet. Docebunt autem prædicti quæ videbuntur Epiſcopo expedire. De cætero verò officia, vel dignitates illæ quæ ſcholaſteriæ dicuntur, non niſi Doctoribus, vel Magiſtris, aut Licentiatis in ſacra pagina aut in iure canonico, & aliis perſonis idoneis, & qui per ſe ipſos id munus explere poſſint, conferantur: & aliter facta prouiſio, nulla ſit & inualida, non obſtantibus quibuſuis priuilegiis,

& conſuetudinibus etiam immemorabilibus. Si verò in aliqua prouincia Eccleſiæ tantâ paupertate laborent, vt collegium in aliquibus erigi non poſſit; Synodus prouincialis vel Metropolitana cum duobus antiquioribus ſuffraganeis in Eccleſia Metropolitana vel alia prouinciæ Eccleſia commodiori, vnum aut plura collegia prout opportunum iudicabit, ex fructibus duarum aut plurium Eccleſiarum in quibus ſingulis collegium commodè inſtitui non poteſt, erigenda curabit, vbi pueri illarum Eccleſiarum educentur. In Eccleſiis autem amplas diœceſes habentibus, poſſit Epiſcopus vnum vel plura in Diœceſi, prout ſibi opportunum videbitur, habere ſeminaria: quæ tamen ab illo vno, quod in ciuitate erectum & conſtitutum fuerit, in omnibus dependeant. Poſtremò, ſi vel pro vnionibus, ſeu pro portionum taxatione, vel aſſignatione & incorporatione, aut qualibet alia ratione difficultatem aliquam oriri contigerit, ob quam huius ſeminarij inſtitutio, vel conſeruatio impediretur aut pertubaretur: Epiſcopus cum ſuprà deputatis, vel Synodus prouincialis pro regionis more, pro Eccleſiarum & beneficiorum qualitate etiam ſuprà ſcripta, ſi opus fuerit, moderando, aut augendo, omnia & ſingula quæ ad felicem huius ſeminarij profectum neceſſaria & opportuna videbuntur, decernere ac prouidere valeat.

Diu ante hanc editam ſanctionem à Concilio generali Tridentino, eiuſmodi ſeminariorum inſtitutio fuerat aliis Eccleſiaſticis decretis inchoata: etenim in Concilio IV. Toletano quod ſedente Honorio I. Pontifice, anno ſalutis 633. conſedit, eiuſmodi inſtituti præmeditatio fuit ſpeciali canone celebrata, qui ſic habet: *Omnis ætas ab adoleſcentia prona eſt ad malum, nihil enim incertius quàm vita adoleſcentium: ob hoc conſtituere oportuit, vt ſi qui in Clero* (irrepſit in editis codicibus, in Choro) *impuberes aut adoleſcentes exiſtunt, omnes in vno conclaui commaneant, vt lubricæ ætatis annos non in luxuria, ſed in diſciplinis Eccleſiaſticis agant, deputato probatiſſimo ſeniori, quem & magiſtrum doctrinæ & teſtem vitæ habeant.* Quæ lex Synodica ita Eccleſiæ Catholicæ complacuit, vt ipſa annuente in iuris ſacri codicem relata fuerit, 12. q. 1. can. *Omnis ætas.* Vbi tamen paululùm extat profuſiori ſerie; poſt verbum enim illud, *habeant*, in quo deſinit canon Toletanus, in pleriſque exemplaribus excuſis (quæ Coriolanus in ſua ſumma ſequutus eſt) apud Gratianum citato loco, connectuntur ſequentia: *Quòd ſi aliqui ex his pupilli exiſtunt, Sacerdotali tutelâ foueantur, vt & vita eorum à criminibus intacta ſit, & res ab iniuria improborum. Qui autem his præceptis reſultauerint, monaſteriis deputentur, vt vagantes animi & ſuperbi ſeueriori regula diſtringantur.* Hæc ibi: quæ in regia editione Conciliorum etiam ad verbum leguntur.

Quàm altè inſederit præcordiis Sancti Caroli Borromæi Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis cura erigendorum eiuſmodi ſeminariorum (poſtquam ad exactam formam redacta eſt à Concilio Tridentino, cui legatus Sedis Apoſtolicæ aliquando cum collegis præfuerat) ſatis fit manifeſtum ex eius Synodis prouincialibus, in quibus hanc Coëpiſcopis ſuis frequenter commendat ſollicitudinem, & ſummâ prudentiâ ac charitate proſpicit ipſorum ſeminariorum non modò extructioni, ſed & ſtabilimento ac felici per omnia regimini. Quid opus ſit ſingula recenſere non video, cùm plerique dicturi ſint me ea ſuggeſtum ire (ſi id vel

ciſco de Ioyoſa S. R. E. Cardinali & Archiepiſcopo, parte 3. ſub inſcriptione de ſeminariis Clericorum cap. 5. quod incipit, *Et Synodi Tridentinæ ſanctiſſimis conſtitutionibus parentes*, &c. Cæterùm habuit anno 1624. Burdigalæ Concilium prouinciale Franciſcus Cardinalis Sourdeſius Archiepiſcopus Burdegalenſis, in quo, cap. 16. decretum de ſeminariis ea in prouincia erigendis & ſtabiliendis, renouatum eſt.

Leges ſeminarij cuiuſque Diœceſani, inſtituendi ad Concilij Tridentini præſcriptum.

Ex conſtitutionibus in Conuentu Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, Decanorum, Archidiaconorum, & aliorum Eccleſiaſtici ſtatus Galliarum regni, Meloduni habito, menſe Septembri anno 1579.

PRÆCEPIT *ſacra Tridentina Synodus, vt Prouincialia Concilia quamprimùm ſeminaria Clericis ad pietatem, bonos mores, & ad litteras erudiendis conſtituant. Cuius Concilij œcumenici præcipuam formam ſequendam eſſe, & neceſſitas ipſa temporum & Clericorum penuria exigit; ſiue per beneficiorum quorumdam vacantium ad ſeminarium adiunctionem ab Epiſcopis faciendam; ſiue per omnium beneficiorum contributionem, iuxta decretum eiuſdem Tridentinæ Synodi, ſiue aliorum quorumdam bonorum huic congruentium operi adiunctionem, adhibito ſi opus ſit Metropolitani conſilio, vt in ſequentibus latiùs exponetur.*

Cùm itaque huic collegio propoſitum ſit ad Eccleſiaſticæ vitæ normam, & ingenuas artes dirigere iuuentutem, vt pro ſuo quiſque gradu & conditione, cùm ſibi ipſe profuerit, Eccleſiæ etiam orthodoxæ pro virili parte prodeſſe poſſit, & communi vtilitati conſulere, qui ſic egerint vt eius inſtituto reperiantur idonei, hæc in eis requiruntur.

De admittendis & dimittendis.

CAPVT I.

1. *Annum agant ad minimum duodecimum, & apti ſint ad litterarum ſtudia, & ad Collegij inſtitutionem accommodati.*

2. *Non recipiantur, niſi qui ſunt ex legitimo matrimonio nati, bonis moribus atque indole præditi, non aſperi, non duri, domeſticæ diſciplinæ libentiùs obtemperent.*

3. *Pauperum filios, ex eadem Diœceſi, ſi fieri poſſit, admitti vult Concilium, nec tamen ditiorum filios excludi vult, modò ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præ ſe ferant, Deo & Eccleſiæ inſeruiendi.*

4. *In litterarum ſtudiis eos proceſſus effecerint, vt idonei ſint qui primæ vel certè ſecundæ claſſi committantur, vt puerilis inſtitutionis iactis fundamentis, ad maiores atque reconditiores doctrinas deinceps accedant.*

5. *In Collegium ne admittantur, ſi aliquando hæreſi infecti fuerint, aut opinionibus à fide orthodoxa alienis, & niſi libenti animo acceſſerint ac promiſerint ſe futuros Eccleſiaſticos. Ne autem quiſquam ab hoc ſancto propoſito reſilire facilè*

quæ illis à Præfecto vel Confeſſario dabuntur; librorum piorum lectio, & religioſum aliquod genus orandi & meditandi. Poſt ſacro-ſanctam verò ſynaxim quam antè imbiberant animo, pietatem tueantur, hiſce aut eiuſmodi aliis adiumentis.

4. Singuli Breuiarium, preces horarias Beatæ Virginis, & eiuſdem roſarium habebunt. Qui verò nedum breuiarium recitare tenentur, quotidie preces horarias ad Beatam Virginem recitabunt; illáſque ita diuidere poterunt vt partem recitent matutino tempore, quo per dimidiam horam precabuntur; partem eo quo rei diuinæ interſunt dum Sacerdos ſummiſſa voce legit: veſperi verò poſt tempus, quod à cœna quieti tribui ſolet, omnes ſimul recitabunt litanias, & priuſquam cubitum ſe conferant, per horæ quadrantem conſcientiam diſcutient, dúmque cubitum diſcedunt, dum ſurgunt, dum induunt, Deo ſe commendare conſueſcant.

5. Conſtituto in loco, Miſſæ ſacrificio, diebus ſingulis interſint, & diebus feſtis in Cathedrali, vel aliis ciuitatis Eccleſiis iuxta Reuerendiſſimi Epiſcopi voluntatem, inſeruiant.

6. Studeant fructus ex ſacris lectionibus, & concionibus quas in Templo audient, colligere, & ex cohortationibus, quæ interdum in ipſo Collegio habebuntur.

7. In menſæ benedictione & gratiarum actione conueniens deuotio ac reuerentia obſeruetur: & dum corpus edendo reficitur, ſuæ etiam animæ ſpiritalis refectio in Domino ex lectione vel concione quæ tunc temporis habebitur, præbeatur.

8. Vt verò in diſciplina Eccleſiaſtica commodiùs inſtituantur, Tonſurâ ſtatim atque habitu Eccleſiaſtico ſemper vtantur: nec priùs aliud diſcant, quàm memoria teneant Catechiſmi compendium: vbi autem ad eam ætatem peruenerint, quâ ſecundùm canones ad ſacros ordines promoueri poſſunt, mox promoueantur, ſi tamen ea pietate, & doctrina prædìti ſint, quâ par eſt.

9. Denique vt breui magnos in virtutibus & pietate progreſſus faciant curandum eſt quàm diligentiſſimè, vt qui ſeminario præficiuntur viri ſint graues, prudentes, & omni virtutum genere ornati, quíque ſuo exemplo & piis cohortationibus tam priuatis quàm publicis, omnes ſibi ſubditos ad ſtudium pietatis, & virtutis incitare poſſint.

De iis quæ ad obedientiam pertinent.

CAPVT III.

1. Quoniam omnem ordinem ſine obedientia perturbari neceſſe eſt, omnes Præfecto & ſuis Moderatoribus parere diligenter oportet: & non modò Collegij communia decreta perſtudioſè obſeruare, ſed etiam ea omnia, quæ illis ad eundem finem ſpectantia præſcribuntur. Quare Præfectum & Moderatores ſuos tamquam Patres intueantur; ſeipſos verò bonos filios, vt decet præbeant.

2. Quiſquis, cùm excitabitur manè horâ quartâ, ſtatim exurgat, vt ea præſtare poſſit quæ ante precationem fiunt: & interdiu ſe promptos in eis rebus exequendis præbeant quæ illis (prout ratio temporis poſtulabit) præſcribentur, vel campanæ ſonô ſignificabuntur, vt ad ſcholas accedere, ad menſam, aliáſque exercitationes: quæ omnia præſtare debent, niſi aliud quid eis Moderatorum voluntate permittatur.

3. Res ſuas optimè curent, eáſque ſuo loco optimè collocatas, benéque compoſitas & mundas ſeruent.

4. *Caueant per Collegium vagari ſtudiorum præſertim tempore, vel alio quo id non licet cum iis colloquantur, qui ſibi obuiam fient, tempus conterentes.*

5. *Nemo alterius cubiculum intrabit abſque facultate Præfecti, neque loca miniſtrorum domeſticorum adibunt, aut quicquam ab eis accipient, vel ab alio quopiam, niſi impetratâ veniâ.*

6. *Nemo cum cæteris cubiculi eiuſdem colloquetur, aut cùm eſt ſtudendum, aut veſperi poſt precationem, aut maximè ante eandem ſine Præfecti facultate: neque quiſpiam alterius menſam adeat, aut cubiculo egrediatur ſine Præfecti permiſſu.*

7. *Cum iis tantùm agent contubernalibus cum quibus agere permittentur, ad eorum vtilitatem: neque pauciores tribus vnà erunt quietis tempore ſine facultate Præfecti: ſine qua etiam cum externis ne colloquantur.*

8. *Nemo Collegio ſine facultate, & comite ſibi addito, egrediatur; & cum eodem reuertatur. Nec litteras mittat, aut aliunde accipiat niſi per manum Præfecti, qui eas diligenter perleget, ne quid in illis ſit, quod quemquam offendere poſſit.*

9. *Extra Collegium nemo apud aliquem comedat, niſi apud ſuos parentes vel propinquos, idque raro & cum facultate; nec extra Collegium dormiat niſi neceſſitate coactus. Quòd ſi quis inſciente Præfecto foris egreſſus fuerit, vel remanſerit, non admittatur rurſus in Collegium, niſi admonito Reuerendiſſimo Epiſcopo, cuius erit videre, an ſit denuo recipiendus, nec ne?*

10. *Nemo quicquam retinebit, quod ſuperiori velit eſſe celatum: neque donodabit aut accipiet, abſque eius permiſſu: nec ſuæ pecuniæ cuſtos erit; ſed apud eum deponet cui fuerit hoc munus impoſitum: qui eam in eius vſus impendet, ex præfecti præſcripto.*

De iis quæ ad modeſtiam.

CAPVT IV.

1. *Quiſque in Templo debitum ſilentium teneat & modeſtiam: & in lectionibus & repetitionibus intereundum & redeundum è gymnaſio, & inter deambulandum, modeſtè ſe gerat.*

2. *Superiores & maiores colant & obſeruent, eóſque qua par eſt modeſtia alloquantur; ſintque in loquendo circumſpecti, & caueant alios verbis offendere, ſtudeántque concordiam cum omnibus retinere: Quod ſi quid contrà acciderit, quamprimum in gratiam redire conentur.*

3. *Nemo ne ioco quidem alium tangat, ſed vbique & apud omnes eandem teneant modeſtiam.*

4. *Eo tempore quod animorum corporúmque remiſſioni conceditur, nihil agant immodeſtè, & caueant ne immoderata exercitatione æſtuet corpus: nemo verò eo loco, qui eiuſmodi requiei eſt conſtitutus exibit, niſi ab eo ad quem hoc officium pertinet, vel ſaltem à ſui cubiculi Præfecto, ſit ei facultas conceſſa.*

5. *Quamquam Collegium pro ſua parte cuiuſque veletudinis rationem habeat, vnuſquiſque tamen ſuam curet valetudinem: cúmque aliquid ſibi parum ſalubre ſenſerit aut noxium, continuò Superiorem admonebit.*

6. *Si quando in grauem morbum inciderent, qui etiam diuturnus fore videretur; quorum commodo foret in vrbe curatio, eam potiùs extra Collegium quærant, ne quid eorum, vel Collegij commodo aduerſetur: Qui autem minus commodè poſſent,*

in vrbe; in Collegio ea omnia officia ipſorum valetudini præſtabuntur, quæ Chriſtiana charitas imprimis requirit. Eorum autem eæ partes erunt, ne qua in re illis reſiſtant ad quos ipſorum valetudinis cura pertinebit.

De iis quæ ad ſtudia.

CAPVT V.

1. *Omnem diligentiam in ſtudiis bonarum artium adhibeant, vt earum curriculum quamprimùm conficiant: ſacram ſcripturam, libros Eccleſiaſticos, homilias Sanctorum, atque ſacrorum tradendorum, maximè quæ ad confeſſiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum & cæremoniarum formas ediſcant.*

2. *Omnes ſuis præceptoribus obtemperent, dénique operam vt ex lectionibus, repetitionibus, concertationibus, compoſitionibus fructum percipiant, & quæ animaduerſione digna videbuntur, in commentarium referant; Quòd ſi quid erit, de quo dubitent, magiſtrum adeant.*

3. *Rationem ſtudendi, iis à ſtudiorum præfecto datam, diligenter ſeruent, paratique ſint rationem, vbi exigetur, reddere: ſintque in ediſcendis lectionibus diligentes, & iis præfixo tempore memoriter recitandis, & ſtylo exercendo, aliíſque litterarum exercitationibus.*

4. *Latinè loquendi legem non violent, neque ad aliam, quàm ad ſuam ſcholam quiquam accedant, quæ ea erit ad quam, vbi de ipſorum doctrina periculum factum fuerit, idonei iudicabuntur.*

5. *Nemo à ſcholis abſit conſtituto tempore abſque Præfecti facultate, neque iis ante extremum tempus egrediatur. Tunc verò ad Collegium quiſque vnà cum aliis, & Præfecto ſibi tradito reuertetur. In Gymnaſio cum externis ne colloquantur, nec libros emant, vel habeant, qui à Superiore, eorum ſtudiis fore vtiles non iudicentur.*

6. *Eos Reuerendiſſimus Epiſcopus in tot claſſes, quot ei videbuntur, diuidet, iuxta eorum numerum, ætatem, ac in diſciplina Eccleſiaſtica progreſſum: & partem cùm ei opportunum videbitur Eccleſiarum, præſertim animarum curam habentium miniſterio addicet, partem in Collegio erudiendos retinebit, alióſque in locum eductorum ſufficiet: ita vt hoc Collegium Dei miniſtrorum, Chriſtianum ſeminarium ſit.*

De iis, qui ſeminarij negotiis ſpiritualibus & litterariis, ac etiam temporaneis præerunt.

CAPVT VI.

1. *Nullus in ſeminarium aliquo functurus officio admittetur, niſi diligenter à Reuerendiſſimo Epiſcopo aut ſuis deputatis examinatus & probatus: ad cuius etiam nutum ab officiis amouebuntur omnes, cùm ita in Domino iudicauerit.*

2. *In ſeminario vnus erit Primarius, cui omnes, qui in Collegio ſunt, tam in rebus ſpiritualibus quàm aliis obedient, quíque totius ſuæ adminiſtrationis ſemel ſaltem in anno rationem reddet Reuerendiſſimo Epiſcopo, præſentibus duobus de Capitulo, & totidem à Clero ciuitatis deputatis.*

3. *Erit etiam Procurator, qui in omnibus rebus præſertim temporalibus Pri-*

tum fuit Galliæ Epiſcopis (vt ipſi in ſuo libello ſupplici eidẽ Regi porrecto, nõ ſinę dolore referunt) *quòd ipſi Tonſuras conferrent indignis*. Facile erat abſterſum ire hoc dedecus, ſi ſeminario tum diſciplina, vel tum inſtituta, vel poſtea quàm ab vltimo Concilio generali inſtitui ſancitum eſt, à Prælatis, vt debuerat, procurata fuiſſet. Obſecrandus Deus, vt eorum præcordiis pium hunc affectum infundat, quo tantum Eccleſiæ ſubſidium, tantum ſibi ſolatium, tantum Clero decus & ornamentum conciliate ſatagant, omni quo par eſt ſtudio & conatu. Non deerit miſericordiarum pater, & Deus totius conſolationis piis eorum curis, ſed ſuperno auxilio conatus eorum adiuuabit, ac felici etiam fortunabit ſucceſſu; interim ſimus oportet dominici monimenti memores; *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.*

CAPVT III.

Intereſſe etiam Parœci, ſedulam curam impendere, vt pueri qui Clero adſcribendi ſunt, congruâ inſtructione præparentur.

PRÆCLARE S. Carolus in ſynodica conſtitutione de Parocho & Parochiis, in Concilio VI. Mediolanenſi editâ, de Rectoris Parœcialis Eccleſiæ diſſerens officio, dignitate, & debitâ ipſi à populo filiali obſeruantiâ: *Qui ſalutis ſuæ erunt* (inquit) *memores, huius rei grauitatem eorum quæ commemorata ſunt ratione perpendent, quíque aliquando ſecum animo reputabunt, non ſolùm parochialem Eccleſiam ſibi datam eſſe, in qua primùm Baptiſmo ſuſceptô, Chriſtô Domino renati, aliis ſacramentis aluntur ad perpetuam ſalutem: ſed Parochum etiam Sacerdotem, ſibi parentis loco eſſe debere, quem diligant, colant, atque obſeruent, hoc ſibi proponentes, illum pro fidelibus ſibi commiſſis apud Deum internuncium ac deprecatorem eſſe, diuinæ legis interpretem, diſpenſatorem myſteriorum Dei, Chriſtianæ vitæ & morum diſciplinæ magiſtrum, à quo omne petant, piè, rectéque agendi conſilium, ac denique miniſtrum omnium ferè quæ ad ſalutem eis neceſſaria ſunt. Huic autem noſtræ monitioni, etſi omnes pro præcipua ſalutis ſuæ cura audientes eſſe debent: imprimis tamen patresfamilias, tutores, curatores, ludimagiſtros, cæteróſque aliorum moderationi, curationíve præfectos cohortamur, diuináque conteſtatione admonemus, vt de ſua, & aliorum quorum curam gerunt, ſalute ſolliciti, primùm ipſi hæc paterna amplectantur monita, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment, idque curent vt non ſolùm Miſſæ & diuinorum officiorum tempore illi in parochialem Eccleſiam conueniant, verùm etiam vt inſtitutas in ea doctrinæ Chriſtianæ ſcholas ſtatis illis diebus frequentent.*

Parochi dignitas, & officium à Sancto Carolo egregiâ deſcriptione expreſſum.

Quæ ſcilicet, Parœci ſub cura & ſpeculatione in ſua cuiuſque terminatione eſſe ſolent, imò debent. Ad eum enim Catecheſis primum munus ſpectat, cúmque ſit omnium ſuæ parœciæ incolarum paſtor, pater & magiſter, puerorum maximè piæ inſtitutioni incumbere atque inſiſtere credito ex officio tenetur. Refricanda hîc venit in memoriam ſanctio Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis n. 20. capitularis quod an. 797.

dorum ſtudium ſpeciale adhibeat. Sanctus Carolus Bottomæus, in quo Deus zeli paſtotalis ſpiritum, ſuperioribus ſæculis non quidem extinctum, at languentem & nonnihil remiſſum renouauit, piè & prudenter excitandæ Epiſcoporum & Patochorum diligentiæ circa pueros, quos Clericatui fore aptos cenſuerint, in iis inſtituendos ac informandos quæ affinia ſunt eiuſmodi ſtatui, ptoſpiciens, præclarum hoc decretum in Concilio IV. Mediolanenſi 4. parte, tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis?* promulgauit. *Vbi primùm Epiſcopus aut Parochus aliquem nouit, qui vel ſponte ſe Clericali militiæ adſcribi velit; vel à parentibus adhuc infans deſtinetur, hoc ſedulò curet, vt ille quò diligentiùs Clericali diſciplinæ, vitæque religioſæ inſtitutis primùm imbuatur, Eccleſiam frequentiùs adeat, functiones quas Clerici obeunt, cæteráque id generis officia & miniſteria cernat, ipſique Parocho, vel alij Sacerdoti, quem idem Epiſcopus maluerit, in diſciplinam curámve traditus; Eccleſiaſticorum hominum conſuetudine vtatur, ſicque multiplici ratione cùm paulatim & Clericalis vitæ officiis obeundis, & laboribus ſuſcipiendis aſſueſiat; tum diſcat etiam atque animaduertat quod vitæ genus, ſi ordinis Sacramento initiari vult, ſequi debeat; proindéque de re tota maturiùs antè deliberet. Parochi verò ſit, illiúſve, cuius curæ Epiſcopi iuſſu traditus eſt, eum quæcumque Clericalis vocationis, inſtitutioniſve ſunt, aliquando monere, ac docere diligenter. Item vt ad Eccleſiæ miniſterium plures inſtituantur, qui ab ineunte ætate, ad pietatem vitæque innocentiam cum litterarum doctrina coniunctam, accuratè inſtructi, & ſanctè vtilitérque pòſt inſeruiant. Illud vnuſquiſque Parochus valde ſtudeat, vt quàm plurimos poteſt pueros, præſertim pauperes bonâ indole præditos, qui ſpem afferant ſe ſacris initiatos miniſtros vtiles fore, ad Eccleſiaſticæ vitæ normam accuratè erudiat; eoſdémque prætereà cùm ante, tum etiam imprimis poſt ſuſceptam Clericalem Tonſuram, ac deinceps minoribus Ordinibus adſcriptos pio paternæ charitatis ſtudio, optimis moribus Clericali religioni congruentibus, Clericaliúmque functionum diſciplinâ bene informet, litteriſque inſtruat; eos præſertim qui ab aliis probatis viris artem litterarum profitentibus, ob inopiam aliámve cauſam, commodiùs diligentiúſque informari non poſſunt.* &c. *Eorum autem ſingulorum mores, ſtudia, litterarúmque progreſſionem, Epiſcopo Parochus aliquando ſignificet, vt ſuo tempore, vel in ſeminarium cooptati, vel aliâ quacumque viâ adiuti, pro ætatis ratione, próque ingenij captu ſtudiis grauioribus ſe dedere queant.* Hæc S. Carolus ſui æui Ambroſius, quin alter Paulus & Helias.

Excitate iampridem anteà ad paſtorale hoc ſtudium Parochorum animos Aquiſgranenſis Synodus quæ conuenit ſub Ludouico Pio anno 836. voluiſſe videtur cap. 5. *de vita & doctrina inferiorum ordinum*; ſiquidem cap. 5. inſcripto *de officio Preſbyterorum, erga ipſos qui ad illorum Eccleſias pertinent*, eoſdem Parochos (quos ſtylo canonum, pet ſingularem prærogatiuam, Preſbyteros nuncupat) ita monet atque hortatur: *Preſbyterorum verò, qui præſunt Eccleſiæ Chriſti, & in confectione diuini corporis & ſanguinis, conſortes cum Epiſcopis ſunt, miniſterium eſſe videtur vt in doctrina præſint populis, & in officio prædicandi, nec in aliquo deſides inuenti appareant. Item vt de omnibus hominibus qui ad eorum Eccleſiam pertinent, per omnia curam*

Digitized by Google

gerant, ſcientes ſe pro certo reddituros rationem pro ipſis in die iudicij, quia cooperatores ordinis noſtri proculdubiò eſſe noſcuntur; Quapropter ab ortu natiuitatis cuiuſque ad ſe pertinentis prædictam curam habeat. Quòd ſi pro parte ſuſceptæ ſub Epiſcopo, imò cum Epiſcopo ſollicitudinis paſtoralis, per omnia curam eorum omnium gerere obſtringuntur, qui ipſorum parochiæ alumni aut incolæ ſunt: quanto magis eorum puerorum quos ad Clericale officium, vel diuinæ vocationis præſignificatio, vel parentum pia intentio, vel ipſa puerorum propenſio, deſignare ac inuitare dignoſcitur? maximè cùm (vt ex canonicis ſanctionibus conſtat) eorum non ſit tantùm muneris puerorum Chriſtianæ inſtitutioni inuigilare, ac delectui ordinandorum proſpicere, ſed de iis qui promouendi ſunt, coram Epiſcopo præbere ſolidum teſtimonium. Hinc illud decretum Concilij Nannetenſis (quod refertur diſt. 24. can. *quando*, éſtque illius Synodi can. 11.) *quando Epiſcopus ordinationem facere præſumit, omnes qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feriâ quintâ ante ordinationem vocandos eſſe, vnà cum Preſbyteris qui eos repræſentare debent.* Enucleatiùs rem exprimit Concilium vniuerſale poſtremum ſeſſ. 23. de reformatione cap. 5. quo ſtatuit vt ad minores ordines promouendi *bonum à Parocho & Magiſtro ſcholæ in qua educantur, teſtimonium habeant.* Porrò non promouendos ad altiores gradus ſine Parochi proprij interuentu, ſubinde declarat ſancta ipſa Synodus hac ſerie, ibidem; *Hi verò qui ad ſingulos maiores erunt aſſumendi, per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, qui Parocho aut alteri cui magis expedire videtur* (vbi videlicet parochus defuerit, vel infirmitate aliqua erit præpeditus, aut fortè minùs idoneus, quàm officio par eſſet) *committat, vt nominibus ac deſiderio eorum qui volunt promoueri, publicè in Eccleſia propoſitis, de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita à fide dignis diligenter inquirat,* &c. *Et litteras teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, ad ipſum Epiſcopum confeſtim tranſmittat.*

Ad huius canonicæ legis amuſſim ac præſcriptum ſe gerit Eccleſia Pariſienſis, quæ ſuo in rituali nuper edito auctoritate Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini D. Ioannis Franciſci de Gondy Pariſienſis Archiepiſcopi, egregiam parænesim ad Parochos de hac puerorum, qui ad Clericatum aſpirant, vel deſtinantur, ſedulâ inſtructione, proponit tit. de *Sacramento Ordinis* p. 281. & ſeqq. Ex qua non mihi integrum foret prætermittere quæ magis huius loci ſunt propria; ſunt hæc verò præſertim: *Vt magna & ſalutaris Eccleſiæ vtilitas ex eo exiſtit, cùm pueri bona indole prædìti qui ſpem afferant ſe ſacris initiatos, Eccleſiæ miniſtros vtiles fore, initiantur primâ Tonſurâ Clericali, per quam omnibus tam minoribus, quàm ſacris ordinibus aperitur ianua, & ad Eccleſiaſticæ vitæ normam accuratè erudiuntur; ita plurimorum malorum radicem* (Parochus) *eſſe ſignificet, cùm nullo poſthabito delectu, neque quâ par eſt intentione parentes filios plerumque ineptiores, & qui nullam præ ſe ferunt ſpem virtutum diſciplinæ ſanctiſſimæ Clericalis, huic ſacræ militiæ offerunt adſcribendos, adſcriptóſque religiosè educare, vel educari curare negligunt. Quare frequenter admoneat, imprimis, vt ſi quos offerre velint, meliores & aptiores Eccleſiaſtico miniſterio deligant, non rei familiaris augendæ gratiâ, non quæſtus auiditate, non familiæ*

ſua ſuſtentandæ ſtudiô, non honorum cupiditate, non ambitione, non denique rei alterius affectu, ſed eâ ſolùm causâ vt Deo Eccleſiæque ſeruiant; deinde ſuam operam collocent, vt ea prima clericali Tonſura initiati, vitæ ſpiritualis ſtudiis & exercitationibus imbuantur, & Eccleſiaſticorum virorum pietate præcellentium vtantur conſuetudine. Præterea doceat tam eos qui prima Tonſura clericali, & ipſis ordinibus initiari volunt, quàm iiſdem initiatos, hoc ſibi proponant opus eſſe, vt non ſolùm Dei gloriam in omnibus quærant, quod quidem cum omnibus tum maximè fidelibus commune eſſe conſtat, ſed etiam vt illas virtutes maximè ſectentur, quarum officiis ipſi arctiùs quàm alij homines laïci deuinciuntur: Atque illæ quidem ſunt deuotionis, pietatiſque zelus, caſtitas, ſobrietas, pax, charitas, oratio, vſus frequens Sacramentorum ſanctiſſimorum, aliæque multæ vitæ ſpiritualis exercitationes, in quibus perpetuus eſſe debet Eccleſiaſticæ vitæ curſus. Tum verò adiungat congruentiſſimum fore, ſi tum ij qui clericali Tonſura, & ordinibus initiari volunt, tum etiam ij qui adſcripti ſunt, Eccleſiam parochialem frequentiùs, maximéque diebus Dominicis & feſtiuis adeant; illi vt functiones quas Clerici in Eccleſia obeunt, cæteráque id genus miniſteria ſtudioſè obſeruent, Hi verò vt ordinis ſui munera, quâ decet pietate ac diligentiâ exequantur. Qui autem aliquo ſacro ordine initiati, ad maiorem promoueri cupiunt, id præcipuè curent, vt Domino Archiepiſcopo Parochus certum teſtatúmque facere queat, quòd illi ordinis iam ſuſcepti miniſterio, debitè functi fuerint in Eccleſia Parochiali; ipſe verò Parochus ſemper quàm diligentiſſimè obſeruabit, eorum vitæ diſciplinam, mores, ſtudiorum, & exercitationum clericalium inſtituta, omnémque agendi vſum, opportuno vt tempore de iis poſſit teſtificari: ſi quis illorum aliquem ex ſacris ordinibus ſuſcipere in animo habet, tres denunciationes de eo faciat tribus dominicis vel feſtiuis diebus (adhibitis iiſdem cautionibus, quæ in denunciationum matrimonij 2. 3. 6. & 7. regulis infrà ſcribuntur) in Pronao, vel infra Miſſæ Parochialis ſolennia, ita vt vltima denunciatio facta ſit ante feriam 3. hebdomadæ antecedentis hebdomadam, quâ ordines conferuntur. Et infrà; *ſi nullum impedimentum afferatur, Parochus teſtimoniales poſt viginti quatuor horas ab vltima denunciatione faciat ad dominum Archiepiſcopum deferendas, quibus in litteris de vita & moribus eius, qui ordinari volet, mentionem faciat.* Atque hactenùs de munere Parochi circa Tonſurâ clericali initiandos, & promouendos ad ordinum tam inferiorum, quàm maiorum Eccleſiaſticos gradus.

CAPVT IV.

De Magiſtrorum ſcholæ & Præceptorum officio, circa pueros initiandos Tonſura clericali, &c.

IN Concilio Burdegalenſi poſtremo, quod D. Franciſcus de Sourdis, tituli S. Praxedis S. R. E. Preſbyter Cardinalis, nec non Burdegalenſis Præantiſtes, ſuis cum Coëpiſcopis anno ſalut. 1624. celebrauit, egregiæ factæ ſunt conſtitutiones de iuuentutis præceptorum ac magiſtrorum delectu & officio, quas hîc relatum ire (quòd earum notitia & obſeruatio tam vtilis, quàm neceſſaria vbique videatur) noſtro propoſito de informandis pueris ad Clericatum promouendis, tam pietatis, quàm doctrinæ Chriſtianæ & morum diſciplinæ documentis, quin & litterarum præludiis prorſus ſit conſentaneum.

Ex decretis Prouincialis Concilij Burdegalenſis anno 1624. celebrati, cap 1. à ſect. 5. ad 9.

PRÆCEPTORES autem publici, ſiue humaniorum litterarum, ſiue ſcientiarum ſublimiorum profeſſores, antequam ad id muneris ſeſe accingant, eandem profeſſionem fidei in eiuſdem Ordinarij manibus ex animo legere, ſcriptámque, & ſubſignatam deponere decernimus; quóſque item ad gradus honoris, & ſcientiarum apicem euehere par erit, idem ipſi præſtare teneantur.

Qui verò præceptores in pagis, & vicis docebunt iuuentutem, præter profeſsionem fidei ſuperiùs traditam, litteras inſuper ab Ordinario loci accipiant, quibus de facultate docendi ſibi conceſſâ, Rectoribus Eccleſiarum fidem facere poſſint: ſecùs, ne patiantur eos Rectores, vllô pactô docere, inuigiléntque aſſiduè ne quis huiuſmodi præceptorum, quod non raro accidit, ſit vinoſus, blaſphemus, maledicus, ſcurra, aut aliquo vitio ita inquinatus, quòd inde tenera iuuentus ſemina vitiorum exſugere queat; déque iis omnibus Ordinarium certiorem citò faciant Rectores, vt indignis præceptoribus amotis alij in eorum locum ſuffecti, iuuentuti piè adoleſcenti prodeſſe poſsint. Ac ne progreſſu temporis iidem præceptores à virtute, & proborum morum metâ deficere videantur, curent ſæpiſsimè Rectores, de eorum moribus, vitâ, religione, ſtatu, exercitiis, ad Ordinarium ſcribere. Neque ſecùs fiat de iis præceptoribus, qui docendi gratiâ in domibus priuatis aſſumuntur, ſed omnes prorſus eandem fidem profiteantur, ſint orthodoxi, nullúſque hæreticus aut de hæreſi ſuſpectus ad id munus à parentibus aſciſcatur. Quòd ſi huiuſmodi parentes amodò alios præceptores, quàm Catholicos liberis ſuis aſſumpſiſſe, aut poſthàc aſſumere cognoſcantur, eos quàm citò à filiis ſuis arcere, & è domô pellere, Eccleſiaſticis cenſuris compellantur.

Quoniam autem tanti æſtimatur rerum commutandarum ratio & ars, vt parentes neglectâ filiorum ſalute, eos in regiones hæreticorum ditioni ſubiectas,

& in quibus cultus diuinus proſcriptus omninò reperitur, diſcendi idiotiſmi gratiâ emittere non vereantur: omnes parentes, aut quoſcumque liberorum curam habentes, hortamur in Domino, & pro pretioſâ pignorum ſalute, ſuæque conſcientiæ ſoluendâ obligatione, obſecramus ne eoſdem eâ ratione ante vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum, aut alium conſiſtentis iudicij firmum, in eaſdem regiones emittant; quam ætatem ſi qui attigêre, & eos eò amandare conueniat, curent ſollicitè prædicti parentes, aut alij ad quos cura pertinet, vt antequàm proficiſcantur, ita fidei orthodoxæ ſcutô inſtructi ſint, & armati, quò lethifera hæreticorum tela animosè valeant declinare, conſulántque ſuper hoc parochos ſuos, vt inſtructiores euadant.

Omnes autem præceptores ſiue publici, ſiue priuati, Catechiſmum, ſiue doctrinam Chriſtianam, eâ formâ dumtaxat, quæ ab Ordinario loci ſibi præſcribetur, iuuentutem docere, lectiones præuiâ oratione incipere, itémque finire, & ſingulis Dominicis, & feſtis ſolennibus diſcipulos ad Eccleſiam pro officiis diuinis, & concionibus verbi Dei audiendis, deducere teneantur, iiſque diebus ſolùm de Catechiſmo, & materiâ piâ & deuotâ habituri.

Cautum ſit vehementer omnibus, ne diſcipulis prælegant, vel eoſdem legere patiantur libros, ex quibus tum peruerſam doctrinam, tum morum corruptionem haurire poſſint, ſed omnia pura, terſa, & ad indicem Concilij Tridentini perpurgata, & concinnata exponantur; qui ſecùs feciſſe aut facere auſi fuerint, vt iuuentutis temeratores, graui pœnâ afficiantur.

Et hæc quidem de cura generali Præceptorum & Ludimagiſtrorum erga pueros: de ſpeciali verò circa eos qui ad militiæ Eccleſiaſticæ tyrocinium vel aſpirare, vel deſtinari videntur, etſi illa Synodus diſertim nihil expreſſerit, ſatis tamen prædictis ordinationibus cenſuit inſinuari tanto ſolerriori ſtudio, & operâ à Magiſtris, & Præceptoribus eſſe ſuper hos inuigilandum, ac modis omnibus contendendum, vt accuratiùs longè quàm cæteri edoceantur, ſtrictiori exerceantur diſciplinâ, & ad pietatis, & doctrinæ ſtudia inſtantiùs excitentur. Sanctio eſt Concilij œcumenici Tridentini ſeſſ. 23. cap. 5. vt ad minores ordines promouendi, (quales ſunt, qui prima Tonſura Clericali ſunt inſigniti) *bonum à Parocho, & Magiſtro ſcholæ in qua educantur teſtimonium habeant:* Vix autem bonum teſtimonium hâc de re ferre poſſunt, qui non ſatis diligenter eorum excoluerint mores, promouerint ſtudia, & præceptis eoſdem imbuere clericali profeſſioni conuenientibus, eâ, quâ neceſſe eſt ſedulâ curâ, & virili operâ non contenderint.

Mos iam paſſim ferè inualuit apud eos præſertim, quibus vberes opes ſuppetunt, domeſticos ſuis liberis præceptores & pædagogos præficere, quatenus à teneris vnguiculis non ſolùm ad bonos mores ab iis inſtituantur, doctrinæ Chriſtianæ diſcant principia, litterarum rudimentis imbuantur. Magnum hoc eſt compendium ad felicem puerorum inſtitutionem, ſi ij deligantur huic muneri homines, qui dotibus ad id neceſſariis præditi ſint, maximè verò ſani ſint in fide, in doctrina præſtantes, morúmque integritate polleant, quâ diſcipulis ſuis exemplo eſſe poſſint ad ſynceram pietatem & virtutem; ipſi verò eâ fide quâ oportet, & diligentiâ ſuum erga commiſſos pueros officium exequantur: Meminerint,

non adulandum neque conniuendum ſibi eſſe pueris, in quibus deprehenderint igniculos malitiæ: nec parcendum iis qui fuerint in vitia procliues, vel ſegnes ad religionis officia, & ſtudia doctrinæ ac exercitia diſciplinæ. Pulchrè Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi Chriſtiani c. 7. adductis Iſaiæ verbis c. 11. *Percutiet terram virga oris ſui:* præceptorem quemque hortatur monitis & exemplis ſuis, etiam minas, quin & verbera, vbi neceſſe viderint, adhibere; **Vt quibus verbum ſuadens, & admonens non medetur, eis minæ medeantur, quibus enim non medentur minæ, eis virga medebitur, quibus verò virga non medetur, eos ignis depaſcet.* At tanto exitio à præceptoribus eſt omni ſtudio ac ſolertiâ præcauendum; quod demum fiet ſi à Deo piè ac inſtanter vt pat eſt poſtulârint, ſibi dari ſpiritum iudicij, ſcientiæ & ſapientiæ, conſilij ac fortitudinis: pueris verò ſibi traditis ad docendum, & ducendum (& iis maximè qui ad clericalem militiam ſunt inſtruendi;) *ſpiritum intellectus, pietatis, ac timoris Domini.* At conferant ſuâ ex parte Pædagogi tria neceſſe eſt, ſcilicet optima præbeant diſcipulis documenta, optima exempla, optimáque exercitamenta: ** *Hæ ſunt enim* (vt ſanctè ac ſcitè dicit præfatus Clemens Alexandrinus cap. 3.) *breues ac directæ viæ ad æternitatem.*

* ἵν' ὃς ὁ λόγος ὁ πείθων οὐκ ἰᾶται, ἀπειλὴ ἰάσηται· ὃς δ' ἡ ἀπειλὴ οὐκ ἰᾶται, ἡ ῥάβδος ἰάσηται· ὃς δ' ἡ ῥάβδος οὐκ ἰᾶται, τὸ πῦρ ἐπινέμεται.

** σύντομοι ὁδοὶ καὶ σύντομοι εἰς ἀϊδιότητα.

Cæterùm Concilium Rothomagenſe anno 1581. coactum à Carolo Cardinale Borbonio Sedis Apoſtolicæ Legato, ac Rothomagenſi Metropolitâ, & Primate genuinum ſpecimen, tam præceptoris idonei, quàm eius circa pueros ad tyrocinium clericale educandos, officij compendium expreſſit ſub titulo, de ſcholarum & ſcholarium regimine; ſiquidem optat Sacerdotio eum eſſe inſignem, ætate maturum, in Eccleſiæ miniſteriis verſatum, cui (ſicut de Beato Auguſtino ſcribitur) diſpliceant omnia, quæ aguntur in ſæculo, præ dulcedine Dei, & decore domus eius; ſeueritatem potiùs præ ſe ferat, quàm exerceat, ſuâ præſentiâ, & ſollicitudine omnes in officio contineat.

Verùm cùm hæc inſignia potiùs in Præfectum quadrent ſcholæ, quàm (ſi non exigi, ſaltem inueniri poſſint) in domeſtico familiaríque puerorum præceptore, qui apud parentes eos regit ac inſtruit; Synodus deſcendit ad peculiares, & domeſticos eiuſmodi pædagogos, in quibus pares requirit dotes, iis, quæ in præceptoribus ſcholarum, inferioribus generali Præfecto deſiderari poſſunt: Hos enim tales eſſe debere cenſet, de quorum religione Catholica, probitate, & capacitate nemo dubitare aut conqueri iure queat, & de quibus fidele teſtimonium reddat diſcipulorum in deuotione & doctrina profectus.

Vt ſe verò gerere debeant erga pueros ſuæ curæ commiſſos (qui Eccleſiaſticæ militiæ iam adſcripti ſunt, vel huius ſunt tyrocinio deſignati) his legibus præſcribit. *Ad pietatem & religionem à teneris imbibendam; imprimis doceantur Clerici, omnibus feſtiuis diebus, manè antequam ad Eccleſiam vadant, atque à prandio poſt veſperas, Catechiſmi Catholici compendium memoriâ tenere, & per mutuas interrogationes de ipſo omni poſcenti rationem reddere,* &c. *Et vbi prouectiores euaſerint, eiſdem diebus & horis, quæ etiam in feſtorum vigiliis admiſcenda erit lectio de catechiſmo Romano; vt inde addiſcant Sacramentorum doctrinam & miniſterium, nec non de aliis libris ad totum officium Preſby-*

terorum pertinentibus. (Vix certè in priuata domo hæc exercitamenta præſtari poſſunt: quamobrem conſultiùs fecerint parentes, qui deſtinatos Clero liberos, vel iam in eius album cooptatos, poſtquam delibârint diſciplinarum humaniorum theoremata: aut ſeminariis edocendos tradiderint, vel certè piis congregationibus, eiuſmodi exercitationibus addictis.) *Bis autem in hebdomada pomeridianis horis ad canticum Eccleſiaſticum, & Pſalterium intelligendum cum hymnis exerceantur, atque ad decentem pronunciationem Epiſtolarum, Euangeliorúmque, Collectarum, & omnium quæ dicuntur in officio diuino, & adminiſtratione Sacramentorum. Exerceantur etiam ſaltem ſemel aut bis in menſe ſuo ordine pro captu ingenij & doctrinæ, in declamationibus, & exhortationibus (tanquam habeantur ad populum) de præceptis legis & Eccleſiæ, de articulis fidei, virtutibus ſequendis, & vitiis euitandis, aut de aliqua ſcripturæ ſententia, vt ſint ad omne opus bonum inſtructi: nullos libros nôrint à Sede Apoſtolica damnatos, nec illis vlli legantur, niſi pudici, & qui ad morum correctionem, & ædificationem conducunt.*

Sicut in omni re, à teneris aſſueſcere multum eſt, valde mane à ſomno ſurgentes Clerici, &c. *diſcant memoriter recitare voce ſubmiſſa ſeptem pſalmos pœnitentiales cum Litania & collectis, ad Dei, & Sanctorum implorandam opem, pro iis qui in dignitate conſtituuntur, ac toto populo Chriſtiano, ſed maximè pro benefactoribus viuis atque defunctis. Poſteà ſacris ordinibus initiati bini atque bini breuiarium dicant, & deuotè dettotæ ſuum Deo ſeruitutis penſum perſoluant. Alij verò iuniores, horas Beatæ Mariæ eodem modò exoluant. Inde verò omnes ſtudio ſe dedant vſque ad ipſam Miſſam, in cuius fine dicant Proſam, Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitùs lucis tuæ radium; aut hymnum, Veni creator, cum aliquibus ſuffragiis, & collectis de Spiritu Sancto, B. Maria, aliis Sanctis; pro pace Eccleſiæ, ſanctiſſimo D. N. Papa, & Chriſtianiſſimo Rege, ac toto populo Chriſtiano, ſed præcipuè pro parentibus & benefactoribus viuis ac defunctis.*

Initio prandij aut cœnæ, atque etiam in fine, benedictionem & gratiarum actionem cum ſuperioribus ſuffragiis ac pſalmo, De profundis, ne intermittant; legatúrque aliquid de ſacra ſcriptura, aut homiliis Patrum, quo paſcatur animus cum corpore.

Poſtremò antequàm diſcedant cubitum, doceantur meditari de peccatis & actionibus tranſacti diei, de quibus Deo ſit reddenda ratio, vſque ad verbum otioſum; de beatitudinis æternitate, breuitate, incertitudine & miſeriis vitæ humanæ, futuri iudicij & inferni rigore ac damnatione, diémq; concludant bono fine, in præcedentibus ſuffragiis. Quoties verò domi precabuntur, genua flectant, & caput aperiant, &c.

Feſtis ſolennioribus, ac ſaltem ſingulis menſibus confiteantur peccata ſua, & iuxta Confeſſoris iudicium, ſumant corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti. Diſcant etiam ab eodem Confeſſore proprias conſcientias exonerare & repurgare. Ad communionem autem præparentur adhortationibus Rectoris, ſiue Confeſſarij, aut alterius pij viri; inſuper librorum, & religioſarum meditationum ac precationum lectione & vſu.

Obteſtamur autem in Domino omnes, &c. *Præceptores & Moderatores, vt ſibi commiſſos adoleſcentes ad omne opus bonum exerceant*, &c. *Non permittant eos torpere aut ſordidos in veſtitu, & omni ſupellectile, ſed eos ad omnem honeſtatem, & mundiciam ac diligentiam efforment; in ſpiritu lenitatis & manſue-*

tudinis eoſdem de omnibus erudiant & corripiant , ne priùs oderint Eccleſiaſticum miniſterium , quàm nouerint. Ament eos & foueant tanquam filios , quos generant in Chriſto , miniſtros Dei futuros. Deſiderent potiùs ab eiſdem amari , quàm timeri ; & ad Chriſti imitationem inuitent potiùs cum debita reuerentia ad ſe venire , quàm à ſuo conſpectu fugere. Ad bene agendum & proficiendum incitent ipſos magis pudore , virtutis amore , atque etiam liberalitate & præmij ſpe , quàm formidine pœnæ. Non tamen erga deſperatos , aut aliorum corruptores ſint indulgentiores , aut aculeo careant ; ſed poſt tentata omnium monitorum & diſciplinæ remedia , agant maturiùs , &c. de eorum expulſione (vel deſertione) *ne totus grex inficiatur aut pereat.*

Viciſſim Clerici *obediant ſuis Præpoſitis , tanquam Patribus , & ab eorum nutu toti pendeant prompti , & parati ad omnia quæ fuerint illis præſcripta ; Nec minùs patientes ad perferenda quælibet incommoda : nec vagari , nec tempus perdere , aut vanis colloquiis inſumere , nec alios ab officio diuertere aut depranare ſtudeant ,* &c.

PARS II.

DE DISPOSITIONIBVS INTRINSECIS, ET ACTIVIS.

ANTILOQVIVM.

PARVM proficeret cura parentum erga filios, Epiſcopi ſollicitudo, Parochi vigilantia, Præceptorum induſtria atque inſtantia; ſi qui ad ſtatum Eccleſiaſticum deſtinantur, nihil ex ſua parte conferrent, quo eiuſmodi profeſſioni apti ac idonei euaderent. Vulgare eſt apud nos prouerbium, *Le bon oyſeau ſe fait de ſoy-meſme*, id eſt, auis generoſa ſeipſam, ad luctam accingit. Tametſi enim *nihil poſſimus ex nobis tanquam ex nobis*, vt ait Apoſtolus 2. Cor. 3. *ſed ſufficientia noſtra ex Deo ſit*, ipſe tamen Deus qui confert gratiam, vult eam à nobis poſtulari, & ei nos cooperari, quia *aliquid de noſtro* (ait S. Hilarius) *præſtandum eſt*, vt talentum ſuperno datum munere, non ſolùm conſeruetur, at etiam augeatur, ac multiplicetur, quo potioris doni efficiamur capaces.

Samuel qui antequam natus, à matre (patre quoque annuente) diuino miniſterio in cultu tabernaculi deſtinatus, gratum in ſanctuario præbuit Deo & hominibus de ſe ſpectaculum : ſpeculum quoque eximium extitit pueris Clericalis ſtatus candidatis, cuius intuitu proſpicere poſſint, quantâ cum pietate & innocentiâ, deuotione, puritate, & animi ardore ad ſacræ huius militiæ ſeſe accingere debeât tyrocinium. Inſigne profectò Samuelis elogium eſt, *quod à puero apud Dominum magnificatus ſit.*
Rabbi Dauid. tametſi enim Rabbini hîc ſuo more ludant, comminiſcentes eundem ab infantia vſum rationis accepiſſe : triennem iam verò edoctum in arte canen-

Google

canendi, & pulſandi inſtrumenta muſica ab Heli ſummo Sacerdote, fuiſſe diuinas laudes, cæteris cum Leuitis in Tabernaculo ſcientiſſimè modulatum: quod nec Watablus improbabile putat; attamen quatenus intelligi debeat, quòd magnificatus fuerit adhuc puſillus apud Dominum non ex eiuſmodi incertis autumationibus, imò anilibus commentis colligi debet, cùm facile ſit elicere ex patenti diuinæ paginæ contextu, ex qua liquet eum ab infantia Deo dicatum, inſignem innocentiam, puritatem, deuotionem, eximium diuini cultus ſtudium exhibuiſſe, nec vnquam deflexiſſe à tramite pietatis ſuſcepto, at pertexiſſe ſemper in augmentum virtutis; & non magis corpore in ætatem, quàm animo in ſanctitatem adoleuiſſe. Hinc non ſemel tantùm ait ſcriptura, magnificatum eſſe puerum Samüelem apud Dominum 1. Reg. 2. At ſubiungit, Deo & hominibus placuiſſe ſuo in virtutem continuò progreſſu; *Puer autem Samüel proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Domino, quàm hominibus.* Et iterum capite tertio: *Creuit autem Samuël, & Dominus erat cum eo:* Hinc factus Propheta adhuc puer, Doctórque ſummi ipſius Sacerdotis, in cuius conſpectu tanto ſpiritu religionis atque iuſtitiæ Domino miniſtrabat: excubitor ſanctuarij, Arcæ cuſtos, accenſor lucernæ, oraculorum diuinorum exceptor & interpres, iudex ſimul ac Sacerdos*: impiorum malleus, Regum pater, vindex legis, præco iuſtitiæ, fidei cuſtos, vltor impietatis, zelator diuinæ gloriæ; magnificum hinc à Spiritu Sancto promeritus poſt conſummatam perſeuerantiam, elogium Eccleſiaſt. 47. *Dilectus à Domino Deo ſuo Samüel Propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit principes in gente ſua: in lege Domini congregationem iudicauit, &c. in fide ſua probatus eſt Propheta, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipotentem, in oppugnando hoſtes legis circumſtantes vndique, in oblatione agni immolati, & intonuit de cælo Dominus, & in ſonitu magno auditam fecit vocem ſuam, &c. Teſtimonium præbuit in conſpectu Domini & Chriſti; pecuniam & vſque ad calceamentum ab omni carne non accepit, & non accuſauit illum homo.*

* Intellige, non iure ordinis, ſed honore.

Ad hunc typum vtinam pueri Clericalis militiæ tyrones ſtudioſè ſe componerent, & quæ in eo conſpiciunt initia, & progreſſus imitarentur! Gratia Dei piè petentibus profectò non deeſſet, quâ optatos aſſequerentur ſucceſſus: liceat hîc in pios affectus S. Bernardi erumpere, qui adductô Samuelis exemplô, mox addit, de conſid. lib. 4. cap. 5. *O ſi talium daretur virorum copia, quid illo iucundius ſæculo!* &c. *quis det viuere, vt videre contingat? O ſi viderem in vita mea Eccleſiam Dei talibus innixam columnis! O ſi Domini mei ſponſam cernerem tantæ commiſſam fidei, tantæ creditam puritati!* Faxit Deus, vt renaſcentem iam quem cernimus Clericalis vitæ ſpiritum, ita etiam conſpicere liceat creſcentem, adoleſcentémque vt poſteri prouectum videant, in eam perfectionis plenitudinem, quam ſanctus ipſe Bernardus ſpectare Dei miniſtros, Eccleſiæque Rectores cupiebat: *Quid me*, inquit, *beatius, quidue ſecurius, cùm eiuſmodi circa me* (quo nomine intelligit vnum-

quemque fidelem) *vitæ meæ, & cuſtodes ſpectarem ſimul & teſtes: quibus omnia mea ſecreta ſecurè committerem, communicarem conſilia, quibus me totum refunderem, tanquam alteri mihi: qui ſi vellem aliquatenus deuiare, non ſinerent, frænarent præcipitem, dormitantem excitarent: quorum me reuerentia & libertas extollentem reprimeret, cadentem corrigeret: quorum me ſubſiſtentia & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem: quorum me fides & ſanctitas, ad quæque ſancta, quæque honeſta, quæque pudica, ad quæque amabilia, & bonæ famæ prouocaret.* Hæc vir ille deſideriorum, alter ſui æui Daniel, alter Helias, alter Ieremias, ſanctis lachrymis & gemitibus liquefactus, totus nihilominùs igneus: quem zelus domus Dei comedebat, animarum exurebat amor, Dei gloria, Eccleſiæ decus, Cleri honor & ſalus, miris affectibus ſuccendebat. Sed ferè extra oleas abripior, dum non aduerto, me nonnihil deflectere à præfixis lineis: hîc enim non texenda ſunt Sanctorum elogia, ſed ea dumtaxat tractanda ſunt, quæ ad officium ſpectant eorum qui militiæ Eccleſiaſticæ albo inſcribuntur; videlicet quid à parte ſua conferre debeant, vt non modò ſuſcipiendæ teſſeræ, at obeundis Clericalis diſciplinæ muneribus fiant idonei, digníque haud minùs honore, quàm nomine & titulo Clericatus euadant. Rectè docet S. Thomas 1.2. q. 111. art. 8. ad 2. *Diſpoſitionem ſubiecti, eſſe priorem naturaliter ſuſceptione formæ, ſed eſſe poſteriorem actione agentis.* Non eſt itaque quòd quiſpiam ſibi blandiatur formam Clericalis vitæ ſibi inditam aliquando fore, niſi ipſemet, vt eam acquirat ſeriò elaboret, ac pro virili contendat per congruas diſpoſitiones ſuo animo imprimere. Duplex porrò eſt actionis genus; ſiquidem vna eſt actio quæ tranſit in aliquid exterius, ſicut vrere; alia verò quæ non ad extrà erumpit, ſed in ipſo manet agente, ſicut ſentire, quoad corpus, & quoad animam intelligere & velle: in efformando Clerico duplicem quærimus actionem, quâ tam interiùs quàm exteriùs ad ſuſcipiendam formam ſtatus huiuſmodi præparetur. De interna igitur & externa illa actione nobis eſt impræſentiarum diſſerendum.

Idem 1. 2. q. 18. 3. 1. q. 23. 2. 2.

CAPVT PRIMVM.

De internis diſpoſitionibus, quibus Clericalis profeſſionis candidatus ad Clericalem perfectionem inſtruitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

De intentione amplectendæ ſeriò Eccleſiaſticæ profeſſionis; ſeſéque Deo in perpetuæ ſeruitutis obſequium dedicandi.

N*ON iuxta intuitum hominis ego iudico;* (dicit Dominus 1. Reg. 16.) *homo enim videt ea quæ patent; Dominus autem intuetur cor:* quamobrem qui accedit ad ſortem Domini, cor ſuum illi debet ante omnia, ſpontaneo animo totaliter offerre, iuxta illud diuinum monitum, *Fili, præbe mihi cor tuum:* omninò certè neceſſum eſt, vt nemo ad Clericalem Tonſuram admitti poſtulet, niſi qui Clericalem animum pro eo tempore habuerit. Piè & prudenter ideò Moguntiaca Synodus, Caroli Magni auſpiciis celebrata, can. 23. ſuprà citato conſtituit, *vt nullus tondeatur, ſine legitima ætate, & ſpontanea voluntate;* Quamobrem periti in rebus Eccleſiaſticis ante omnia exquirendum volunt ab eo, qui ad Clericale tyrocinium accedit, vtrum ſæcularibus deſideriis renuntiare, vtrum aliquando ſeſe cœlibatui aſtringere, vtrum clericaliter viuere, Eccleſiaſticámque diſciplinam lubenter amplecti velit; inſupérque hunc eſſe diligenter informandum de ſingulis conſiliis aut præceptis, quæ à Clericis neceſſariò ſeruanda ſunt, vt eius animus exploretur; an iugum Domini ſponte ſuâ ſubire veniat, vtrum ad ſingula quæ ipſi explicata fuerint, paratus ſit, & ad omnem Clericorum legem obſeruandam benè affectus, ne aut temerè incepiſſe, aut leuiter propoſitum deſeruiſſe aliquando exiſtimari poſſit: *Enimuerò* (vt ait Dominus Lucæ 9.) *nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei.* Benè & inſigniter, Doctor celebris Halerius, in aureo ſuo opere de ſacris electionibus & ordinationibus, p. 136. admonuit, quòd ſi diuinæ prouidentiæ arcana ſcrutari licet, ex pluribus qui abſque cauſa à Clericali ſtatu deſciuerint, præſertim, ſi anteà bonis Eccleſiaſticis ditati fuerint, paucos reperias, qui non vel malè perierint, vel non inter ſæcularium negotiorum vortices grauiter periclitati fuerint. Plures numerati poſſent, ſed vetuſtiora magis exempla placent. Certè Iulianus Apoſtata poſtquam ad Lectoris in Eccleſia gradum atque officium fuiſſet prouectus, ſtatum ſuum deſerens, ipſam religionem exuit: vbi autem Imperator purpurâ induiſſet, in ea breuiter & peſſimè vixit, & infeliciter periit. Addi poteſt quod notauit Thomas Walſingham de Aimerico à Monteforti, qui Clericatui renunciás, & miles effectus, paulò pòſt præmaturâ & parú felici morte ſublatus eſt. Caſus Cæſaris à Borgia adeò omnibus notus eſt, vt referre non opus ſit: affine eſt quod Robertus in Gallia Chriſtiana commemorat in cata- *Prou. 23. 26.*

logo Virdunenſium Præſulum num. 82. *Ludouicus à Lotharingia filius Renati Ducis & Philippæ Gueldriæ natus 1500. 5. Kal. Maij, fuit etiam Metenſis Epiſcopus, ſed vtroque Præſulatu abdicato, factus Comes Vaudemontij, paulò pòſt occiditur in Neapolitana expeditione 10. Kal. Septembris 1528. (vt ait Claudius Paradinus) ibique in ſancta Clara ſepultus. Moriens valde doluit, ſe ſtatum Eccleſiaſticum deſeruiſſe; & certè vix quicquam boni aut proſperi huiuſmodi accidiſſe legimus.*

Parentum culpâ hoc vt plurimùm vſuuenit, qui ſolo honorum & bonorum temporalium intuitu, liberos ſuos in Clericatum impellunt, parum conſiderantes, quin nec curantes, ſi in hunc ſtatum propenſi, ſponte ſuâ Clericali Tonſurâ initientur, quos etiam renitentes, aut parum aptos huic profeſſioni mancipant: cuius illi pertæſi, vbi adoleuerint, inde reſiliunt, peioréſque in ſæculo ſæpe euadunt, quàm fuiſſent, ſi Clericali albo nuſquam fuiſſent adſcripti. At hoc etiam vt plurimùm contingit ipſorum parentum inconſtantiâ, qui aliis priuati filiis, quos in mundo exaltare totis viribus ſatagebant; hos quos quaſi ſpurios domô eiecerant, & nexibus obſtrinxerant profeſſionis Eccleſiaſticæ: inde infortunio coacti reuocant ad ſæculum, & implicant aperto animarum diſcrimini. Excandeſcit in cæcos eiuſmodi, impióſque parentes non immeritò S. Bernardus epiſt. 111. *O durum patrem!* inquit, *ô ſæuam matrem! ô parentes crudeles & impios, imò non parentes ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filij eſt. qui me malunt perire cum eis, quàm regnare ſine eis; qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi, rurſus ad ignem vnde vix ſemiuſtus exiui; rurſus ad latrones, à quibus ſemiuiuus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano, iam aliquantulùm conualui, reuocare conantur, & militem Chriſti propè iam rapto cælo triumphantem, ab ipſo iam introitu gloriæ, tanquam canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum, ad ſæculum reducere moliuntur.* Plura alia ſubnectit amaro potiùs calamo quàm animo, tam memoranda Clerico, quàm parentibus metuenda.

Cæterùm lapſum huiuſmodi facilè liberi declinarent, ſi cùm Clero adſcribuntur vel parentum impulſu, vel alia quauis ratione, ita comparari nihilominus accederent ad ſortis Domini conſortium, & tyrocinium Eccleſiaſticæ profeſſionis: vt ſyncera intentione perſeuerandi in hoc ſtatu, & nunquam excutiendi iugum Domini, ſed illud alacriter ferendi, & progrediendi ad perfectionem non modò ordinis, ſed & vitę Clericalis, toto animi affectu, ad Eccleſiaſtici conſeſſus veneranda adyta ſe poſtularent admitti. Si ſe Deo ita dicarent & offerrent, verè tranſirent *in ſortem Domini*; nemo eos eriperet de manu eius; Pater eos traheret ad Filium; & Filius eis Patrem reuelaret, ſanctificaret eos Spiritus Sanctus, ſacríſque eos miniſteriis, perenni nexu, inſolubilíque deuinciret: denique diuinæ Trinitati dicati piæ deuotionis affectu, & ſacris actionibus erudiri, quantò fierent ſummæ maieſtati gratiores, tantò donis potioribus augerentur. Sic magnificabatur Samüel, qui puer accinctus Ephod lineo miniſtrabat ante faciem Domini, & proficiebat atque creſcebat, & placebat tam Deo quàm hominibus.

ARTICVLVS II.

De deuotione.

Lib. de Abrahã Patriarch. — *De patient.* — *De patient.* — *Ibid. artic. 1.*

VIRTVTEM hanc ordine primam, & fundamentum cæterarum cenſebat S. Ambroſius, & rectè, nam *deuotio eſt virtutis religionis præcipuus actus*, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 82. 2. o. *& pinguedo animæ cauſata à charitate, & conſeruans eam.* Ibidem, quæ ſcilicet omnium virtutum caput eſt, & vinculum perfectionis, plenitudo legis, *ſummum*, vt ait Tertullianus, *fidei Sacramentum*, Chriſtiani nominis theſaurus: *Præcipuum*, (inquit Clemens Alexandrinus in paræn.) *hominis Chriſtiani munus; fundamentum pacis*, (ait S. Cyprianus) *firmitas vnitatis*, quæ & opera & martyria præcedit: S. Baſil. *radix mandatorum* orat. de tribus Diis: Nazianzenus ep. 20. *doctrinæ noſtræ caput, virtutum omnium columna.* Auguſtinus ſerm. 53. de tempore *arx omnium virtutum:* Proſper lib. 3. vitæ contemplatiuæ, *mors criminum, vita virtutum.* Huius itaque cùm deuotio natiua ſit ſoboles, comes indiuidua, & cuſtos fidelis, quàm magna ſit, & præcellens virtus manifeſtè patet Doctor Angelicus deuotionis expendens ipſum nomen, hinc illud deducit; *Deuoti*, inquit, *apud gentiles olim dicebantur, qui ſe eorum Diis deuouebant in mortem, pro ſui exercitus ſalute, vt de duobus Deciis narrat Liuius.* Tamen vulgus arbitratur deuotionem eſſe gaudium vel dulcedinem animi ſpiritualem, quam homo pius haurit ex rerum cæleſtium contemplatione, aliíſque ſpiritualibus pietatis exercitiis: vt ſanctus Auguſtinus initiô conuerſionis ſuæ ex cantu Eccleſiaſtico, *Quantum fleui*, inquit, *in hymnis, & canticis tuis ſuauè ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter, voces influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis.* Nec abs re; axioma etenim Theologorum eſt, deuotionem per ſe & primò cauſare delectationem, quamuis ſecundariò & per accidens excitet triſtitiam. Ratio eſt, quia triplex eſt cauſa deuotionis: extrinſeca & principalis quæ eſt Deus; intrinſeca, quæ duplex, nempe contemplatio bonitatis Dei, & beneficiorum eius, & conſideratio propriorum defectuum; ſicut illa igitur excitat gaudium, ita hæc triſtitiam parit.

Sed S. Thomas deuotionem propriè vult eſſe *ſpecialem actum voluntatis, promptæ tradendi ſe ad famulatum Dei*, 2. 2. q. 82. 1. o. quamobrem etſi omnibus Chriſtianis ſit communis, qui in Baptiſmo, Satanæ & pompis eius, & operibus eius abrenunciârunt, vt Deo toti addicerentur, fieréntque gens ſancta, genus electum, populus acquiſitionis: eſt tamen Religioſis & Clericis propria, quorum illi ſe Deo per tria vota in religione approbata, *abrenunciatis* (vt verbo vtar S. Dionyſij) *omnibus diuiſibilibus, deuouerunt*; iſti per Clericalem ipſam initiationem ſeſe ſpeciali actu voluntatis tradiderunt ad cultum & famulatum Dei, & miniſterium Eccleſiæ; ſícque in Domini ſortem, vt Clerici nomen importat, peculiari modô ac iure tranſierunt. Præclarè atque appoſitè ſuper hoc vocabulo ratiocinatur S. Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum; *Clericus*, inquit,

qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ, interpretetur ſuum vocabulum, & nominis definitione prolatâ nitatur eſſe quod dicatur; ſi enim κλῆρος Græcè, Latinè ſors appellatur; propterea Clerici dicuntur quod de ſorte Domini ſint, vel quia Dominus, ſors, id eſt pars Clericorum eſt: qui autem vel eſt pars Domini, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet vt ipſe poſſideat Dominum, & ipſe poſſideatur à Domino, &c. *ſi ergo pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Leuita, & Sacerdos, viuo de decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar,* &c. Hinc cùm aliquis ab Epiſcopo in ordinem & album Clericorum per Tonſuræ ſuſceptionem refertur; iſtam rerum omnium abdicationis, & renunciationis formulam recitare iubetur ex Dauidis pſalmis deſumptam, *Dominus pars hæreditatis meæ*, &c. quibus verbis Deum ſibi vnicè diligendum, & inquirendum proponit, húncque theſaurum ſuum, hunc delicias ſuas, hunc hæreditatem ſuam, hunc ſcopum ſuum, principium & finem eſſe profiteatur.

Clerici ſpecialiter ad laudem Dei electi ſunt, ait S. Auguſtinus præfatione in Pſalmos: nihil verò eſt quod Deo gratiorem laudem efficiat, quàm oratio, & orationem quàm deuotio, ex qua proficiſcitur, vt flos è radice, radius è ſole, riuulus è fonte. Falluntur qui putant deuotionem eſſe propriam fœminei ſexus; eo quòd Eccleſia oret *pro deuoto fœmineo ſexu*; quo titulo etiam piarum mulierum precibus, eo quod ſibimet præſcripſit Epitaphio S. Carolus Borromæus, ſe commendat: Et S. Ambroſius ab hac virtute, haud minus quàm fide & caſtitate laudat Beatam Agnetem, *In qua fuit* (ait lib. 1. de Virginibus) *virtus ſupra naturam, deuotio ſuper ætatem.* Et inficiari quidem nolim deuotionem abundare in ſimplicibus, & mulieribus propter humilitatem, quæ elationem comprimit. Sed S. Thomas nihilominus docet 2. 2. q. 82. 3. 3. ſcientiam, vt & aliam quamuis perfectionem, dummodò ſit ſubiecta Deo, & charitati ſubordinata deuotionem augere. Cùm igitur eiuſmodi ſcientia quæ manuducit ad amorem & cultum Dei, abundare debeat in Clericis: patet hinc quòd feruere præ cæteris deuotione illos oporteat, quam ſi habuerint, eam ipſa Dei ſcientia nonnihil adaugebit. Sanè vt propria virtus mulieris pudicitia eſt: qua ſublata ei nihil boni ſupereſt: ſic deuotio Clerico conuenir, adeò vt ſi hæc ei deficiat, nec Clerici nomen mereatur. hinc illud Apoſtoli, *ſpiritu feruentes*, S. Hieronymus in prælaudata epiſtola ad Nepotianum de Clericorum vita, propriè ad Clericos refert: quo zelo deferueſcente, proximum fore diem mundi extremum exiſtimat. Nullum certè Clerico euenire poteſt maius infortunium, quàm ſi in eo feruor deuotionis deferbuerit: tum enim hæc metuenda Chriſti interminatio illum tangit, *Quia tepidus es, te euomam.* Omni ſtudio igitur cauere debet, ne ſpiritus pietatis (qui in Apoſtolos deſcendit ſub ignis ſpecie) in ſe ſi ſemel arſerit, vnquam remittatur aut tepeſcat. Memor eſſe debet Apoſtolici moniti, *Spiritum nolite extinguere*, 1. Theſſal. 5 id eſt non ſolùm dona, gratias, lumina, afflatus, impulſus; ſed etiam ardorem illum ſtrenuè Deo ſeruiendi, eíque per omnia complacendi, nomen eius glorifi-

Rom. 12. 1.

candi, cultum promouendi, tuendi legem, augendi fidem, procurandi animarum ſalutem, piè & purè Eccleſiaſticum miniſterium exequendi, denique ea omnia affectandi, quærendi, conſectandi, quæ Deo ſunt placita, & regno eius amplificando conducibilia; ſi enim verè Clericus deuotus eſt, omnibus modis ſeſe in Dei obſequium, & ſuam proximíque ſalutem conuertet, expendet, applicabit, deuotio enim ſecundùm Caſſianum eſt *feruor bonæ voluntatis, quem mens cohibere non valens, certis indiciis manifeſtat.*

Scotus cenſet eſſe *motum mentis in Deum*, q. 20. Quodlibet. Secundùm beatum Thomam, *eſt voluntas prompta faciendi, quæ ad Dei ſeruitium pertinent.* At Gerſonius ſup. Cant. *Magnificat* ex Hugone tract. de orat. dicit eſſe *eleuationem mentis in Deum per pium & humilem affectum fide, ſpe & charitate ſubnixum:* Alij Theologi volunt eſſe *collectionem mentis*, nec ineptè; ſiquidem cùm ſit ex priorum placitis *eleuatio*, &c. non poteſt mentis eleuatio in Deum fieri per pium & humilem affectum, quin colligatur ad vnitatem; in qua vnione S. Dionyſius docet conſiſtere myſterium Theoſophiæ Chriſtianæ.

S. Bernardus ſuper Cantica, deuotionem aromaticum eſſe cenſet vnguentum, ex omnibus ſuaueolentis odoribus confectum: adumbratum igitur eſſe reor per myſticum thymiama compoſitum Dei iuſſu à Moyſe (Exod. 30.) ex pretioſis quibuſque aromatibus, vt in ſanctuario ſemper fragraret. Rabini ad illud Canticorum: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* cap. 3. 6. narrant ex altare thymiamatis, virgulam fumi in cælum rectà ſic aſcendiſſe, vt nullo ventorum flatu, nulla aëris iniuriâ ageretur in tranſuerſum. Ita profectò pium animæ deſiderium, affectus, intentio, deuotio ad Deum eſt dirigenda, vt in omni ſtudio & opere Deo placere, eiúſque gratiam demereri cupiamus, non noſtram, ſed Dei gloriam in omnibus, & per omnia quæramus, nihílque ſit quod cordi noſtro ſapiat, niſi quod ſupernæ maieſtati gratum & acceptum eſſe intelligimus. Sed ſi qui ſunt qui huic ſtudio incumbere debeant proculdubio Clerici ſunt, qui ſe diuinis dedicârunt totos obſequiis, deuotioníſque ipſo nomine Clericali quod perferunt, actum & affectum profitentur: ad quos ideò ſpecialiter hoc Principis Apoſtolorum monimentum ſpectat: *Sicut diſpenſatores multiformis gratiæ Dei, ſi quis loquitur, quaſi ſermones Dei, ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.* 1. Pet. 4. ſuccinit vas electionis Paulus Rom. 12. *Habentes donationes, ſecundùm gratiam quæ data eſt nobis, differentes; ſiue prophetiam ſecundùm rationem fidei, ſiue miniſterium in miniſtrando, ſiue qui docet, in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in ſimplicitate, qui præeſt in ſollicitudine, qui miſeretur in hilaritate: dilectio ſine ſimulatione; odientes malum, adhærentes bono; charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes; ſollicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes.*

ARTICVLVS III.

De Oratione.

SANE ſunt pleraque impedimenta deuotionis, vt procliuitas ad conſolationes terrenas huius ſæculi, immoderata ſollicitudo rerum temporalium, nimia curioſitas in inquirendis & notandis alienis potiùs vitiis quàm propriis defectibus & peccatis; in indagandis plus æquo arcanis tam rerum naturalium, quàm ſupernaturalium, adeò vt cauenda ſit etiam immoderata affectio ad ſtudium litterarum, etiam Theologiæ; quæ ſolet, niſi temperetur, non modò ferè totum conterere tempus huius vitæ, ſed etiam ebibere omnem ſuccum deuotionis. At ſicut hi obices deuotionem obruunt, ſic eam excitant, & nutriunt nonnulla propria adiumenta; v. g. aſſidua diuinæ præſentiæ cogitatio, conſideratio diuinorum beneficiorum, maximè verò Dominicæ Paſſionis meditatio; propriorum defectuum perpenſio; ſed longè magis ſtudium orationis. S. Bernardus ingenioſè profectò monet deuotionem, nō vno eodémque modô ab omnibus comparari: *Non omnibus*, inquit, *eodem modo data eſt gratia iſta, ſcilicet deuotio. Porrò Thomas in latere, Ioannes in pectore, Petrus in ſinu patris, Paulus in tertio cælo, ſecreti huius gratiam ſunt aſſecuti; Prior mulier ſtrauit in tuto loco humilitatis, poſterior in ſolio ſpei, Thomas in fundamento fidei, Ioannes in lecto charitatis, Paulus in intimo ſapientiæ, Petrus in luce veritatis.* Cur non dixit de Petro in exercitio orationis? cùm enim is oraret, cælum ſibi omnibúſque electis patenter reſeratum vidit; item & de Paulo qui dum oraret, illuminatus eſt, orationéque Apoſtolus gentium cum Barnaba conſecratus fuit; ſicut Chriſtiani naſcuntur in aqua (hinc Chriſtus ad Petrum & Andream Matth. 4. *faciam vos fieri piſcatores hominum:* myſtici enim ſunt Chriſtiani piſces, vndis vitalibus in gratia geniti; atque in aquis pœnitentiæ poſt lapſum ad vitam gratiæ renaſcentes) ſic Clerici oratione initiantur, Sacerdotes ordinantur, Epiſcopi conſecrantur: hæc igitur proprium eſt eorumdem elementum, quandoquidem ex quo principio res fiunt aut prodeunt, in eodem & ab eodem conſeruantur. Præclarè S. Ambroſius, *Non pugnamus*, inquit, *ſed oramus, arma Sacerdotum lachrymæ ſunt;* inermis igitur prorſus eſt Clericus vel Sacerdos, qui oratione non munitur: at fortis & inuictus, qui eius nititur præſidio; vnde S. Bernardus ſcribens ad Eugenium rectè docet lib. 4. cap. 6. *De omni re orationi plus fidendum, quàm vlli induſtriæ vel labori:* Experimento id plerique ſancti Præſules didicerunt. Oratione S. Iuuenalis Epiſcopus hoſtes à ciuitatis obſidione fugauit; ita & B. Anianus Aurelianenſis, & S. Lupus Trecenſis. Et verò S. Martinus mirificè deditus orationi, per huius efficaciam tot mirabilia operatus eſt; ita & S. Ambroſius, qui maiorem partem noctis orationibus inſumebat, ſe hac arte omnia peregiſſe fatebatur, quæ fecit & docuit tam contra hæreſes, quàm vitia, & pro fide & Eccleſia, diuinâ fultus ope compleuit. Legitur de S. Hugone Epiſcopo Gratianopolitano, quòd factus Epiſcopus, cùm inueniſſet Clerum miro modo collapſum: videns

ſe

ſe ſuis viribus non poſſe illum reformare, ad Deum confugit die ac nocte inuocans eum, proſtratus in terram, non parcens ſibi in laboribus, ieiuniis, diſciplinis, lachrymis & vigiliis, & infra breue tempus mirabilem fructum fecit in populo, & Clerum magnificè reformauit. S. Lupus Senonenſis, Cletum quoque ſuum delapſum magna ex parte in incontinentiam, orationibus ſuis ad puram vitam reduxit. Sanctus Carolus Borromæus ſtudio Deum orandi, diuináque meditandi feruentiſſimus fuit, noctes ipſas precando conſumebat; bis in anno in ſolitaria loca ſecedebat, vt orationi tranquilliùs vacaret: abhorrebat à rebus nouis nunciandis, vel audiendis, ne à contemplatione diſtraheretur; quo ſtudio ad id conſcendit ſanctitatis faſtigium quod totus orbis venerabundus ſuſpicit, & magna illa & ſtupenda patrauit, quæ perpetuæ admirationi in Eccleſia erunt. Sanctus Bernardus ſuper Cantica ſerm. 76. *Omne Paſtorum Eccleſiæ robur & præſidium in oratione repoſitum* aſſeuerat; *Boni paſtores*, inquit, *dormientibus ſubditis peruigilant, tanquàm rationem reddituri pro animabus eorum, pernoctantes in oratione, hoſtium vigilias ſagaciter explorant, anticipant conſilia malignantium, deprehendunt laqueos, cor ſuum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illos.* Sanctus Thomas Angelicus Doctor, à prima ætate orationi ſeſe addixit, cuius ſubſidio, potiùs quàm vllo alio ſuo ſtudio aut labote, quicquid ſciret ſeſe aſſerebat aſſecutum; donum caſtitatis ipſa oratione impetrauit; aliquando enim ante ſignum crucis flexis genibus orans, ibíque ſomnio (non ſine diuino nutu & beneficio) correptus, per quietem ſentire viſus eſt, ſibi ab Angelis conſtringi lumbos, quo ex tempote, omni poſteà libidinis ſenſu caruit. Chariſmata Spiritus Sancti ſi quis æmularur Clericus, ad orationis exercitium ſeſe aptare debet, cuius ope hæc abundanter ſuprà quàm dici poteſt, modò piè & congruenter oret, proculdubiò conſequetur. Id expreſſè tradit documentum Sanctus Bernardus ſerm. 6. de Aſcenſione Domini; *Apoſtoli decem dies*, inquit, *in hac expectatione Spiritus Sancti ſederunt, perſeuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu: & tu igitur orare diſce, diſce quærere, diſce petere, donec inuenias, donec accipias, donec aperiatur tibi; nouit Dominus figmentum tuum; fidelis eſt, non te permittet tentari ſupra id quod poſſis, confide in ipſo, quòd ſi fideliter rogaueris, nec diem decimum expectabis, præuenit certè in benedictionibus dulcedinis deſolatam animam, & orantem, vt fideliter, & non ad inſipientiam tibi, conſolari renuens in ipſius memoria delecteris, inebriatus ab vbertate domus & voluptatis eius torrente potatus, ſic nimirum & Eliſæus oraſſe legitur.* Et ſerm. 9. in Cantica, ſponſa loquente de ſponſo (animâ piâ de Chriſto) *Repentè adeſt ille, annuit voto, dat oſculum, implétque in ea ſermonem qui ſcriptus eſt, deſiderium cordis eius tribuiſti ei, & voluntate labiorum eius non fraudaſti eum*, &c. *Quibus ſtudium eſt orare frequenter, experti ſunt quod dico, ſæpe corde trepido & arido accedimus ad altare, orationi incumbimus; perſiſtentibus autem repente infunditur gratia, pingueſcit pectus, replet viſcera inundatio pietatis, & ſi quis ſit qui premat lac conceptæ dulcedinis, vbertim fundere non tardabunt.* Doctrina eſt S. Thomæ 2.2. q. 83.

14. ad 4. *qui ſemel orat deuotè, remanet deuotior per plures dies*; igitur qui conſtanter orat, & piè euadit deuotiſſimus, pietatíſque ſpiritum ex orationis limpidiſſimo fonte longè vberrimum, actuoſiſſimum, & efficaciſſimum concipiet.

ARTICVLVS IV.

De Caſtitate.

ASPICE *epiſtolas Pauli* (ait Tertullianus, in exhortatione caſtitatis) *omnes pro pudicitia, pro caſtitate & ſanctitate prætendunt; omnes in luxuriæ & laſciuiæ, ac libidinis negotia iaculantur.* Tametſi verò omnes Chriſtianos ad caſtitatem cohortetur Vas ipſe electionis, *vt vaſa*, inquit, *ipſi ſint honoris in domo Dei*, Eccleſiaſticis tamen tantò impenſiùs eius cultum commendat, quantò profeſſione ſacra ſpecialiùs eius ſtudio obſtringuntur; hinc ſuum ſic admonet Timotheum; *iuuenilia deſideria fuge (vt poſſis eſſe vas in honorem, ſanctificatum & vtile, Domino præparatum ad omne opus bonum) ſectare verò iuſtitiam, fidem, ſpem, charitatem cum iis qui inuocant Dominum de corde puro.* 2. epiſt. 2. ſubindicans cæteras virtutes, niſi puritate cordis & animi, corporíſque caſtitate nitantur, eſſe velut columnas ſine baſi, aut gemmas & vniones iacentes in luto. Et epiſt. 1. 4. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate*; quaſi hæc virtus in Clerico ſumma ſit omnium cæterarum. Nec modò in Timotheo *dilecto ſuo, ſibique*, vt ait, *per omnia vnanimi*; Philipp. 2. 20. hoc exigit virtutum decus, at in omni Eccleſiaſtico Prælato; *Oportet*, inquit c. 3. *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, &c. *ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum*; Et infrà, *filios habentem ſubditos, in omni caſtitate:* Clerici Epiſcoporum filij ſunt, à quibus per ordinationem generantur: hos igitur tales fore Apoſtolus deſiderat, qui humilitate ſint ſublimes, caſtitate præcellentes; vnde continuò ſubiungit, *Diaconos ſimiliter pudicos*, &c. *habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Eſpencæus ait duas eſſe claſſes Clericorum in Eccleſia, Epiſcopos & Preſbyteros, qui ſunt in ordine principante; Diaconos & inferiores Clericos, qui ſunt in ordine miniſtrante: generale vt eorum nomen præfert Diaconus; ſic ipſorum eſt exemplar commune, ad cuius formam & normam componi debent. Is verò ex documento Apoſtoli, quin & præcepto, pudicitiæ debet eſſe ſpeculum, myſteriúmque habere fidei, hoc eſt, ſuum obire munus, in conſcientia pura. Haud ita ſum hebes vt neſciam Diaconos, & qui proximè eos ſequuntur, Subdiaconos arctiùs cæteris minoribus Clericis aſtringi continentiæ; Cùm inferioribus his miniſtris, & Clericis non ſit nefas poſt ſuſceptam teſſeram militiæ Eccleſiaſticæ, & ordines quatuor minores, conuolare ad connubialis thori conſortium; ſed quamdiu in Clericatu conſiſtunt, & ad ſuperiores ordines aſpirant, Canones cultui continentiæ eos aſtringunt. Concilium Ocenſe tempore Sancti Gregorij in Hiſpania celebratum anno 598. can. 2. præcipit vt Clericis pudica, &

caſta ſit vita. Concilium Viennenſe in Auſtria ſub Clemente IV. à Guidone Cardinale & Legato Apoſtolicæ Sedis coactum can. 3. diſtrictè etiam iubet, vt Clerici continenter & caſtè viuere ſtudeant, quatenus puro corde, & mundo corpore Deo poſſint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare: ſecus qui fecerint decernit Synodus ex tunc omni beneficio Eccleſiaſtico eſſe priuatos; alij canones vetant ad altiores gradus ordinum vſquam eos, qui impudicitiæ conuicti ſunt, promoueri. Quamuis verò, vt ait Apoſtolus, *honorabile ſit connubium*, nec inferioribus Clericis prohibitum ſit Eccleſiaſticis legibus; tamen ſi qui Clerici ſola prima Tonſura inſigniti, ad nuptias conuolârint, ſacra decreta eos declarant ab omni priuilegio Clericali extorres, beneficiíſque, ſi quæ habent poſt coniugium initum, priuati, vt videre eſt toto titulo, *de Clericis coniugatis*, qui tertius eſt lib. 3. decret. maximè cap. *ſi qui Clericorum*, &c. ſanè, &c. cap. *quod à te, cap. Diuerſis; cap. Ioannes, & cap. ex parte tua*, &c. *Heb. 13. 4.*

Caſtitas certè Clericis ita eſt neceſſaria, vt qui hanc non coluerint, vt ſuæ profeſſionis proprium inſigne, Clericali honore ac nomine, ipſo notoriô lapſu carnis excidant, aptíque eſſe deſinant, ſi res in proſpectum prodeat, Clericali officio. At econtrà ſi continentiæ præfulgeant nitore, tantum inde commendationis mereantur, vt nihil ſit honoris quod in Eccleſia Dei ſperare non poſſint, imò gratiæ à Deo conſequi. Siquidem Clerico continenti, & pudico, in diuinæ Maieſtatis conſpectu nihil eſt acceptius & nihil amabilius; vnde Apoſtolus, poſtquam iis pudicitiam commendauit, ſubiungit continuò, 1. Timoth. 3. 13. *Qui enim bene miniſtrauerint* (id eſt vt præmonuit, in conſcientia pura) *gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

Sanctus Hieronymus ex profeſſo libellum ſeu didacticam ſcripſit epiſtolam ad Nepotianum, de Clericorum vita; in qua cùm totus ſit vitiis deteſtandis, quæ offuſcant Clericalis ordinis nitorem, præcipuè inuehitur contra impudicitiæ virus. Tum ad virtutes digreſſus quæ Clericorum ſunt potiori ornamento, ſuper omnes attollit obſeruantiam caſtitatis; effuſóque affectu tuendi Clericalis honoris, (qui huius virtutis cultu præſertim floret ac fulgeſcit) ſtudium eius imprimis ſuadet ac commendat; *Hoſpitiolum*, inquit, *tuum, aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant: omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites; nec in præterita caſtitate confidas; nec ſanctior Dauid, nec Samſone fortior, nec Salomone eſſe potes ſapientior. Memento ſemper quòd Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi, quilibet ſanctus frater aſſiſtat, & germana, vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei*, &c. *ſcio quoſdam conualuiſſe corpore, & animo ægrotare cœpiſſe. Periculosè tibi miniſtrat cuius vultum frequenter attendis: ſi propter officium Clericatus, aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas; tales habeto ſocios, quorum contubernio non infa-*

meris. ſi Lector, ſi Acolythus, ſi Pſaltes te ſequitur, non ornetur veſte, ſed moribus; nec calamiſtro criſpent comas, ſed pudicitiam habitu polliceantur; ſolus cum ſola, ſecretò & abſque arbitro vel teſte non ſedeas. Si familiariùs eſt aliquid loquendum, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non eſt tam inhumana, vt nullum præter te habeat, cui ſe audeat credere. Caueto omnes ſuſpiciones, & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, antè deuita. Crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicatas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandáſque & dulces litterulas, ſanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meum deſiderium, omnes delicias & lepores, & riſu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum in comœdiis erubeſcimus, in ſæculi hominibus deteſtamur: quantò magis in Monachis & in Clericis, quorum & Sacerdotium propoſito, & propoſitum honoratur Sacerdotio. Alia eiuſdem ſancti Doctoris hac de re dicta aurea ex variis eius decerpta ſcriptis can. 17. diſt. 33. referuntur, qui eiuſmodi ſententiis æternâ memoriâ dignis, velut lamina autea ſpecioſis interſtincta gemmis, totus conſtat: *Hoſpitiolum tuum, aut rarò aut nunquam mulierum pedes terant; quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Fœmina conſcientiam ſecum pariter habitantis exurit. Nunquam de formis mulierum diſputes. Fœminæ nomen tuum nouerint, vultum neſciant. Fœminam quam bene videris conuerſantem mente dilige, non corporali frequentia.*

Sed iuueni Clerico non ſolùm mulierum contubetnia, & crebra cum fœminis colloquia cautè vitanda ſunt: ſed etiam adoleſcentum tantillùm impuritatis ſuſpectorum diligenter cauendæ frequentationes. Præclarum Tobiæ elogium litteris ſacris inditum voluit Spiritus Sanctus:
Tob. 1. *Cùm eſſet iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile geſſit in opere:* & cùm cæteri ad malum certatim concurrerent; *hic ſolus fugiebat eorum conſortia, ſed pergebat in Ieruſalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſraël.* Ita Daniel laudatur, quòd cum ſociis aliquot ſe ſegregauerit à communi puerorum cœtu, qui aulæ delicias, diuinis mandatis præferebant. Samuelis innocentiam dilaudat plerisque titulis ſacra Regum hiſtoria: ſed puritate potiſſimùm eum placuiſſe Deo ſignanter meminit, ideóque ſpeciatim notat 1. Reg. 2. 11. *Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini, ante faciem Heli Sacerdotis.* Ita nimirum caſtè ſe gerebat, vt ſe in conſpectu Domini miniſtrare ſemper tecogitaret, nec oculos fugeret, ſed quæreret Heli ſummi Sacerdotis, ſenis & iuſti, quem vitæ ſuæ arbitrum, teſtem ac iudicem ptæ morum integritate & vitæ continentia habere gaudebat. ſubdit verò c. 3. & illud nonnihil memorabile ſacer textus; *Samüel dormiebat in Templo Domini, vbi erat arca Dei:* quaſi diceret, non cum ſuis coætaneis, ne vllo concubitus contagio macularetut, ſed ſolus dormiebat in ipſo Dei tabernaculo, vbi erat arca Domini, vt eius præſentiæ reuerentiâ ab omni laſciuia iuuentutis, & ne dum impuro actu, at à vitioſa quoque vel minimùm cogitatione cohiberetur; ſimúlque plus in Sanctuario orans, quàm dormiens continentiæ donum vigi-

liis & precibus aſſiduis impetraret, vel impetratum cautiùs, & conſtantiùs cuſtodiret.

Pleraque ſunt media, vel adiumenta, quibus parari vel conſeruari poſſet caſtitas, pro quibus aſſequendis vel adhibendis eo ſtudioſiùs debet homo præſertim Eccleſiaſticus ab ineunte ætate laborare, quo infeſtiorẽ hæc virtus habet hoſtem; vt pote domeſticum & internum. *Nulla maior eſt victoria* (inquit lib. de pudicitia S. Cyprianus) *quàm ea quæ de cupiditatibus refertur; qui hoſtem vicit fortior fuit, ſed alter qui libidinem repreſſit, ſeipſo fortior fuit. qui inimicum proſtrauit, externum hoſtem percuſſit: qui cupiditatem repreſſit hoſtem domeſticum ſuperauit. Malum omne faciliùs vincitur quàm voluptas: quia illud quicquid eſt, horridum eſt, hoc blandum eſt.* Et verò, noſtro in Apologetico *pro orthodoxo Sanctorum cultu*, fusè oſtendimus fortiores ſe præſtitiſſe Martyres in domandis carnis illecebris, quàm tormentis ſuperandis, glorioſiorſque perfunctos agone qui oblatas delicias vel ſpreuerunt, vel vi ſibi adhibitas fortiter proculcârunt: quàm qui teterrimos quoſque perpeſſi cruciatus extremos, ſpiritus in acerrimis pœnis & doloribus profuderunt. Facilius fuit Sancto Hieronymo vigiliis, ieiuniiſque atterere corpus, cilicio carnem premere, flagellis membra lacerare, ſilice tundere pectus, quàm motus reprimere vel excutere feruentis ætatis, ſtimulóſque carnis in laſciuiam pronæ ſuperare. S. Paulus luſit ferè in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis, in frigore & nuditate, in periculis fluminum, latronum, periculis ex genere, in naufragiis, in flagellis, in vinculis, in ſaxeo imbre, in quibuſcumque perſecutionibus & preſſuris, nec vmquam vota fudit ad Deum vt ab iis immunis foret, ſed inſtanter Dominum obſecrauit, vt à ſtimulo carnis, quem vocat colaphum Sathanæ, eriperetur: *Ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me*, Aſmodæus ille ſcilicet teterrimus, turpiſſimus, impellens in libidinem, animúmque defixum ſupernis meditationibus ab his ferè detrahens, & in cœnum fœtidum penè deprimens concupiſcentiæ carnis. Nec quod petebat tantâ inſtantiâ diuinus ipſe Apoſtolus obtinuit, ſed potiora impetrauit, à tentatione enim non eſt liberatus, ſed aduerſùs eam diuina ope protectus: non fuit immunis factus à lucta, ſed ſecurus redditus eſt de victoria, & in pugna perſiſtere iuſſus eſt, vt inſigniori coronâ donaretur. *2. Cor. 12. 8.*

Sanè ſunt, vt præfati ſumus, nonnulla media & auxilia quibus vel parari caſtitas, vel conſeruari, & augeri poſſit, nempe humilitas, (de qua infrà) caſtigatio tum externa corporis, per ieiunia, vigilias, chameunias, ſpontaneas flagellationes, tum interna, per contritionem ſpiritus & mortificationem perturbationum & cupiditatum animi; item fuga occaſionum, vt otij, commorationis vel colloquij cum fœminis, conuiuiorum, ſpectaculorum, comœdiarum &c. prætereà cuſtodia ſenſuum, communio frequens, meditatio nouiſſimorum, & cætera quædam: vnum tamen ſuper hæc omnia, medium eſt præſtantiſſimum & efficaciſſimum, oratio videlicet, quam ipſe Spiritus Sanctus per Sapientem ad hoc ſingulariter commendauit: *Sciui* (ait diuinè afflatus ipſe Sapiens) *quoniam ali-*

ter eſſe non poſſum continens, niſi Deus det; & idcirco adij Dominum & deprecatus ſum illum; dixi ex totis præcordiis meis, Deus patrum meorum &c. Hinc S. Cyprianus citato libro de pudicitia, cùm aliquot media pro caſtitate tradidiſſet, tandem concludit efficacius ad eam impetrandam, nihil oratione dari poſſe, quæ infeſtas integritati mentis & corporis acies longè profligat ac depellit; ſed (paulò ante finem) inter hæc, imò & ante hæc contra turbas & vitia omnia de diuinis caſtris auxilium petendum eſt; *Solus enim potens eſt Deus, qui homines dignatus eſt facere, & plena hominibus auxilia præſtare:* quæ ſanè tantæ virtuti parandæ ac conſeruandæ penitus neceſſaria ſunt, ſiquidem vt paululùm ante medium eiuſdem opuſculi ipſemet S. Cyprianus dicit: *Ex vtero ſanctitatem cuſtodiſſe, & infantem ſe vſque in ſenectutem tenuiſſe, admirandæ potentiæ eſt: niſi quod blandas corporis leges non nôſſe magis felicitatis eſt, notas iam viciſſe, virtutis eſt; Sic tamen vt virtus iſta de dono Dei veniat, licèt ſe in membris hominibus oſtendat.* A Deo igitur patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum deſcendit, cum omni pietatis inſtantia peti debet; quantò enim donum præſtantius, tantò eſt enixiùs poſtulandum; quàm præcellens verò & pretioſum ſit hoc diuinum munus, nemo ſcit, niſi qui accipit; nemo accipit, niſi qui petit fideliter & perſeueranter. Nouerat & obtinuerat theodidactus Bernardus, qui dicebat; *Caſtitate quid decorius quæ mundum de immundo conceptum ſemine, de hoſte domeſticum, Angelum de homine facit, &c. ſola eſt caſtitas quæ in hoc mortalitatis & loco & tempore, ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat:* Nouerat & acceperat Gregorius Nazianz. cuius hæ ſunt voces, Orat. in laudem S. Baſilij, Angelicę huius quoque virtutis amatoris, paranymphi, ac poſſeſſoris: * *Eximia res eſt virginitas & cælibatus, atque in Angelorum naturæ ſingulari ordine debet cęſeri, vereor enim dicere Chriſti, qui cùm propter nos procreandus eſſet ex virgine procreatur; Virginitatem lege præſcribens, vt hinc abducentem, ac mundum contrahentem, vel potiùs mundum ad mundum tranſmittentem, præſentem ſcilicet ad futurum.* At tranſcendit hos omnes titulos, illis encomiis, quibus eamdem virtutem attollit ac adornat; *Pudicitia eſt*, inquit, *honor corporum, ornamentum morum, ſanctitas ſexuum, vinculum pudoris, fons caſtitatis, pax domus, concordiæ caput. Pudicitia ſollicita non eſt, cui placet niſi ſibi. Pudicitia ſemper verecunda, dum innocentiæ mater eſt*, &c. *nihil ornamentorum quærit, decus ſuum ipſa eſt. Hæc nos commendat Deo, connectit Chriſto, beata ipſa, & beatos efficiens, apud quoſcumque habitare dignatur.* Sed in Clericis florere maximè lætatur, quorum decus præcipuum eſt. Extat liber inſignis inter ipſius S. Cypriani opera inſcriptus *de ſingularitate Clericorum*, quem etſi ſolertiores cenſores eius eſſe non putent, æqualis tamen auctoris eſſe geminum arbitrantur partum: Auctor iſte adeo vetus & doctus (quem eſſe Origenem ex phraſi quidam eliciunt, quæ Græca eſt, & genium huius ſcriptoris aperrè ſpirat & ſtylum redolet,) ipſo in opuſculi huius præclari limine rationem reddens, cur id prænotârit de ſingularitate Clericorum; & nihilominus de ſola eorum continentia toto ipſius libri tenore diſſerat, reſpondet huic vindicandæ virtuti ſe diuinô etiam

* Μέγα παρθενία καὶ ἀζυγία καὶ τὸ μετὰ Ἀγγέλων τετάχθαι, καὶ τῆς μοναδικῆς φύσεως. ὀκνῶ γὰρ εἰπεῖν Χριστοῦ, ὃς καὶ γεννηθῆναι θελήσας διὰ τοὺς γεννητοὺς ἡμᾶς, ἐκ παρθένου γεννᾶται, παρθενίαν νομοθετῶν, ὡς ἐντεῦθεν μετάγουσαν, καὶ κόσμον συντέμνουσαν, μᾶλλον δὲ κόσμον κόσμῳ παραπέμπουσαν, τὸν ἐνεστῶτα τῷ μέλλοντι.

Beatus Cyprianus lib. de bono Pudicitiæ.

præcepto operam admouere, quòd ſpecialiter ad eos eius ſpectet obſeruatio, *in qua ſumma ſit & regula Clericalis diſciplinæ.* Inſuper verò inſcripſiſſe eumdem hoc titulo, quòd deceat Clericos vita ſingularis, à mulierum conſortio ſeiuncta, nec id ſuadere proprio motu ſe aggreſſum: *Domini enim correptione ſcribere*, inquit, *compulſus ſum, qui miſerum me, pro veſtra negligentia cum ſeueritate corripiens, mandare præcepit, ne Clerici cum fœminis commorentur*, videlicet tum propter periculum incontinentiæ, tum ad euitanda ſcandala. Atque adeò & in conuentu ſacrorum & in viſitationis, & exhortationis munere apud fœminas obeundo, ſeueritatem, & omnem honeſtatem Clericis vſitatam eſſe debere. Concludit verò eruditum ac reuerà pium, multíſque aliis nominibus inſigne hoc opus, arcâ cedrinâ dignâ, hac parænetica coronide; *Sic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in Clericis Eccleſiæ ſenatus candidus conſtet, ſeueritas in vobis circa fœminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur, vt ſemel omnia colligamus ad clauſulam, breuiarium relegimus vobis, quod ad compendioſam plenitudinem redigens Paulus Apoſtolus, inſinuat: De cætero fratres quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, hæc agite, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.*

ARTICVLVS V.

De humilitate.

AFFINIS eſt continentiæ humilitatis virtus: *Nec enim* (inquit Caſſianus lib. 6. inſtit.) *ſufficit ſolùm corporale ieiunium ad conquirendam vel poſſidendam perfectæ caſtimoniæ puritatem*, &c. *niſi ante omnia fundata fuerit humilitas vera; ſine qua nullus penitus vitij poterit triumphus acquiri*, &c. *Etenim caſtitatem ſeniores apprehendi non poſſe aiunt, niſi priùs humilitatis in corde fundamenta fuerint collocata.* Porrò ad ſui ſuſtentaculum non magis caſtitas indiget humilitate, quàm opus eſt humilitati continentiâ, vt ſolidè poſſit fulciri; S. Gregorius id expreſſè docet lib. 21. Moralium cap. 3. *Si*, inquit, *vel caſtitatem humilitas deſerat, vel humilitatem caſtitas relinquat, apud auctorem humilitatis & munditiæ prodeſſe; quid præualet vel ſuperba caſtitas, vel humilitas inquinata.*

Nulla ſplendidior gemma in ornatu Pontificis (ait S. Bernardus ad Papam Eugenium lib. 2. cap. 6.) *humilitate eſſe poteſt; quæ Chriſti quoque æterni Pontificis ſummíque omnium Sacerdotis, præcipuus ornatus fuit*; vnde Leo Magnus ſcribens ad Dioſcorum ſuo more verè & eleganter ait: *Tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina, non in abundantia verbi, nec in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate conſiſtit, quam Dominus I[illegible] ab vtero matris, vſque ad ſupplicium crucis, omni fortitudine elegit & docuit; vnde ſuis dicit diſcipulis, diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* Sanè cùm humilitate Chriſtus potiſſimùm claruerit, iuſſerítque Apoſtolis huius virtutis exemplum (quod imprimis ille imitandum eis præbuerat) omni ſtudio æmulari; ſítque illa ſplendidior gemma in ornatu ſummi Pontificis; Quantò magis debet à Sacerdote,

Diacono, Subdiacono & minorum ordinum miniſtris, infimíſque omnium, Clericis primæ Tonſuræ, obſeruari: ſine qua nec Cleto adſcribi meruerunt, nec Eccleſiaſticæ militiæ poſſunt gradus, titulô iuſtô conſcendere, nec vllas aſſequi virtutes. Humilitas ſiquidem eſt primum medium, & vltimum in ſchola Chriſti. Hinc piè & præclarè S. Auguſtinus ep. 56. *Si quæras quæ via ſit ad obtinendam veritatem* (& virtutem) *quidque primum ſit in religione & diſciplina Chriſti? Reſpondebo: Primum eſt humilitas; quid ſecundum? humilitas; quid tertium? humilitas. Et quoties interrogabis, toties hoc dicam. Sicut enim Demoſthenes eloquentiæ primas, ſecundas, tertias*, &c. *dedit pronunciationi, ita eaſdem ego dabo humilitati in ſchola Chriſti.*

Reprehendit S. Bernardus præſules, qui in ſua dignitate gloriantur lib. 2. de conſid. cap. 5. & cap. 8. ſic compellat Eugenium vt hortetur, ſibi de honore nequaquam blandiendum eſſe: *Glorieris*, inquit, *in teſtimonio conſcientiæ tuæ, ſed non minùs vt eodem ipſo humilieris. Rara vox, nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum; ſi ſummum te putas, qui ſummus es, infimus es; non enim dignitates ſunt virtutes.* Quam genuinè depingit & grauiter arguit, ac ſuauiter nihilominus admonet Prælatum Sanctus Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, inaniter gloriantem; *Inter fluctus*, inquit, *Epiſcopi animum concutientes, omnium peſtilentiſſimus eſt inanis gloria: ex ea enim prouenit quod Epiſcopus grauiter excandeſcit in minimè noxios, delectatur ex miniſterio ineptè atque indecenter ab aliis miniſtrato, & dolet, ſi cui proſperè ſui muneris functio ceſſerit. Ex ea fluunt laudum appetentia, honoris deſiderium, doctrinæ voluptatem, non vtilitatem captans, illiberales adulationes, palpationes minimùm generoſæ, diuitum cultus nulla ratione impenſi, gratiarum, munerúmque largitiones*, &c. A quibus quàm procul eſſe debeat Epiſcopi animus, ſynceræ verò humilitati, & exili de ſe æſtimationi defixus, doctè, prudenter & religioſè os illud aureum ſubinde docet ac oſtendit.

Manifeſtum eſt, inquit Sanctus Hieronymus, *in Epiſcopo Preſbyterum contineri, eandem enim formam habet*; quamobrem quibus ille regulis moralibus inſtruitur, ſic itidem informatur. Porrò vt Epiſcopus exemplar eſt Preſbyteri, ſic Preſbyter Diaconi, viciſſímque iſte norma eſt inferiorum omnium Clericorum: ſicut igitur ait S. Dionyſius de Angelis, inferiorum virtutes in ſuperioribus eſſe repoſitas: ſuperiorúmque lumina in inferiores gradatim defluere: ſic inferiores Eccleſiaſtici ordines in ſuperioribus continentur, deſcendúntque in inferiores ſuperiorum perfectiones & exempla. Cùm igitur humilitas ſit præcipuum Euangelici Pontificatus & Sacerdotij ornamentum: eſt itidem inferiorum Clericorum commune decus.

S. Gregorius ordines Eccleſiaſticos ſine hac virtute exiſtimabat conſiſtere non poſſe: eam enim eſſe, quæ concordiam Eccleſiaſticam parit, & cuſtodit. Rixati non leguntur inuicem diſcipuli Domini, niſi cùm de primo gradu honoris contenderunt: Et primùm quidem indignè tulerunt amborum fratrum ambitum, qui in regno Domini primos poſtulârunt dari ſibi conſeſſus (Matth. 20. 25.) poſteà altercati ſunt in nouiſſima

uiſſima cœna, inter ſe de Collegij totius primatu. *Facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior;* ſed ad concordiam non alio modo eos reuocauit Chriſtus, quàm humilitatis commendatione; *Qui maior eſt in vobis*, inquit, *fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Ita apud S. Lucam c. 22. ſed apud B. Matthæum: *Non ita erit inter vos* (ſcilicet vt inter ſæculi poteſtates) *ſed quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus.* Vbi aduertendum quòd non dixerit qui erit maior, erit minor; ſed qui voluerit inter vos fieri maior; Maior enim reuera inter illos fuit is de quo ait Euangelium; *primus eſt Simon Petrus;* Maiores & illi erant *qui ſupra modum erant Apoſtoli*, vt vas electionis loquitur 2. Cor. 12. Erant omnes Apoſtoli maiores omnibus aliis Chriſti Diſcipulis, quin & Prophetis, & Euangeliſtis excellentiores. *Poſuit enim Dominus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas* 1. Cor. 12. ſed magna differentia eſt inter eſſe primum, ſeu maiorem, & velle primum aut maiorem fieri. Primum ſua in Eccleſia inſtituit Chriſtus: alterum prohibuit. Quamobrem hîc monendi ſunt, qui Eccleſiaſticæ militiæ ſeſe albo adſcribi poſtulant, vt ab iſto appetitu prioritatis, vel maioritatis caueant diligenter. Licet quidem, & honeſtum ac laudabile eſſe in ſæculari militia mundi iudicant ſapientes, poſt tyrocinium expletum, per ſingulos eiuſdem militiæ gradus, ad honores etiam ſummos eluctari. At in Chriſti militia licet quidem promereri gradus maiores, at non licet affectare, neque appetere. Præclarè S. Thomas 2. 2. q. 161. 1. o. docet *humilitatem virtutem eſſe quâ refrænatur animus, ne immoderatè tendat ad alta*, ideóque tendere in magna ſuper ſe ex confidentia propriarum virium, contrariari humilitati; non autem ſi ex confidentia Dei 2. 2. q. 129. 3. 4. Humilitas enim reprimit ſpem, ſeu ſpiritum ad alta tendentem 2. 2. q. 161. 4. c. Humilitas verò triplex eſt: (vt idem Angelicus Doctor ait ibidem 1. 1.) pœnoſa ab extrinſeco, ſtulta ex ignorantia propriæ dignitatis (eſt enim iuſtus qui ſe nimiùm ſubmittit à multa humilitate, Eccleſiaſtici 19. 24.) & virtus ex cognitione ſui, ad eam enim pertinet conſiderare proprios defectus 2. 2. q. 35. 1. 3. Quamobrem verè humilis ſeſe paſſim deteriorem aliis reputat; vnde tãtùm abeſt vt ſe efferat ſuper alios, quin efferri ſe anxiè patitur. Itaque ſi candidati Clericatus verè ſunt humilitate præditi, minimè gloriabuntur de ſua ſuper plebem euectione; quin Laïcos ſeſe meliores exiſtimabunt. Nec ad ſuperiores gradus, aut maiores ordines, eo intento aſpirabunt, quo euadant maiores ac inſigniores: verùm promotione huiuſmodi ſeſe indignos reputabunt, nec delatos ſacros honores alio propoſito ſuſcipient, quàm deſiderio meliùs Deo ſeruiendi, & Eccleſiæ proficiendi, ſcilicet non vt præſint, ſed vt proſint; non vt maiores fiant, ſed meliores. Moniti enim huius ſedulò debent recordari: *Quanto magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*, Eccleſ. 3. 20. Magnum vtique theſaurum, quem beatiſſima Virgo eâdem viâ inuenit: *inuenit enim gratiam apud Dominum. Quia Deus* (vt ipſa exultans in Domino declarat) *humilitatem ancillæ ſuæ reſpexit:* ſic & Ioannes Baptiſta quum ſe indignum profeſſus eſſet, qui ſolueret corrigiam Chriſti calceamenti, dignus factus

Matth. 10.

Luc. 1.

eſt qui eum baptizaret: & qui ſe Prophetam negabat, pluſquàm Propheta meruit à Domino appellari; quin & eiuſdem voce prædicari, Angelus, Præcurſor, & vox Verbi æterni: legis terminator, præco Euangelij, alter Elias, alter Abel, regni cælorum prodromus, ſponſi paranymphus, denique & amicus præcipuus; adeóque euaſit illi ſimilis, vt Chriſtus ipſe præ ſanctitatis excellentiâ paſſim exiſtimaretur. Ita & Petrus dum ſe indignum putat Chriſti præſentiâ & conſpectu, *Exi à me* (inquit) *quia peccator ſum Domine; ab ipſo* (vt eleganter ait Leo Magnus) *in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumitur*, paſſioni eius adæquatur, fit fundamentum Eccleſiæ, regni cæleſtis obtinet claues, oues dominici gregis perpetua ſub cuſtodia recipit, fit Apoſtolorum princeps, Chriſti amoris in vniuerſum genus humanum vicarius conſtituitur, Epiſcopalis coronæ apex, Sacerdotij vertex, organúmque in Eccleſia præcipuum diuinæ omnipotentiæ. Sic & Paulus factus ex coruo columba, ex lupo agnus, cùm infra omnes ſe demittit, ſpecialis eminentiæ promeruit à Chriſto donatiuum. Peccatorum ſe maximum profitetur, Apoſtolorúmque minimum, indignúmque qui Apoſtolus cenſeatur: at pronunciatur à Domino, vas electionis, prædicator veritatis, Doctor gentium, Apoſtolíque titulum per excellentiam conſequitur. Ioannes dilectus Domini, quo ſingulari titulo amoris & honoris ſuper omnes Coapoſtolos poterat meritò gloriari; numquam tamen ſe tam ſublimi elogio inſigniuit; at ſe diſcipulum paſſim inſcripſit, & ſeniorem dumtaxat ſeu Preſbyterum. Cæterùm quia de ſe longè infra ſe ſenſit, adeò vt qui ſupra pectus Domini recubuerat, auſus non ſit in reſurrectionis triumpho ſepulchrum eius introire, quúmque primùm eum conſpexit rediuiuum, ac de morte & inferno triumphantem præ timore & reuerentia, non acceſſit, vt in eius ſinum caput ſuum ſicut pridem reclinaret; at cecidit ad pedes eius tanquam mortuus, vt vilíſque vermiculus ſeſe ad eius veſtigia proculcandum ſummâ veneratione proiecit, idcirco eum erexit ipſius Regis gloriæ manus, vóxque diuina omnem abiicere metum, ſecurum vt pote de gratia eidem præcepit, euexítque ad regni cæleſtis luſtrationem, diuinæque Maieſtatis aulam cernere iuſſus, verba quot ſcripſit, tot protulit myſteria, onuſtúſque tot honorum titulis, quot ornatus donis gratiæ, & gloriæ ſplendoribus ad mortales, ferè iam immortalis factus, rediit; non modò dilectus Diſcipulus, at illuſtris Apoſtolus, præcipuus Euangeliſta, primus Propheta Chriſtianus, Virgo itidem, & Confeſſor, & Martyr. Sed quorſum dicet fortaſſis quiſpiam hæc omnia? Nimirum ad incutiendum ſeruis Dei (quales inprimis Clerici ſunt) virtutis humilitatis, neceſſitatem, vtilitatem, excellentiam; vnáque veritatem dominici iſtius axiomatis, *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.* Luc. 14. 11.

ARTICVLVS VI.

De modeſtia.

NON *tamen indocta humilitas, ſed quæ habeat ſui modeſtiam & ſcientiam laudatur*, ſcitè ac veritati congruenter ſcribit S. Ambroſius Offic. lib. 1. Ratio eſt quia etſi ad humilitatem pertineat conſiderare proprios defectus, nemini tamen liceat contemnere dona Dei in ſe, tum enim non humilitas foret, ſed vitium ingratitudinis: itaque modeſtiâ etiam in humilitate opus eſt; imò in omni virtute. Vnde optimè quidam cecinit, *S.Thom. 2.2.q. 35.a.1.*

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines
Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.

Quamobrem quicquid originum ſcrutarores, de virtutis huius etymologia cenſeant, modeſtiam, à modô & teneo, dictam exiſtimo: quod etiam ſenſiſſe S. Bernardus mihi videtur, ſic ſcribens ad Eugenium lib. 3. de conſid. *In te conſtitito; non infrà deiici, non ſuprà attolli, non euadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, ſi non vis perdere modum, locus medius tutus eſt; medium ſedes modi, & modus virtutis.* Modeſtiæ eſt igitur cultum, & motum, & noſtram omnem occupationem vltra defectum, & citra exceſſum ſiſtere.

Non ineptè tamen Tullius retulit modeſtiam ad animum 3. Rhetor. Eſt, inquit, modeſtia in animo continens moderationem cupiditatum; qua inſuper pudor honeſtatis claram & ſtabilem comparat auctoritatem. Eſt inſuper (ait Offic. lib. 1.) ſcientia eorum quæ aguntur, aut dicuntur collocandorũ. Et reuerà quamuis ſecundùm Theologos modeſtia ſit moderatiua paſſionũ, ſeſe tamen extendit circa actiones interiores & exteriores (vide S. Thomam, 2.2.q.160.a.0.) Quamobrem, pleræque illi virtutes ancillantur, temperantia ſcilicet, continentia, clementia, manſuetudo, humilitas: ſic enim quædam refrænanda, ac intra iuſtam virtutis menſuram continenda, moderatur per ſuffraganeas auxiliatrices; 1. Interiorem animi motum humilitate cohibet. 2. Deſiderium pertinentium ad cognitionem, quod per bonam ordinationem coërcet & dirigit; hâc enim diſcernitur quid faciendum, dimittendum, & quo modo, quo ordine, in quo conſiſtere auxiliante conſtantiâ facit. 3. Corporales etiam motus, & actiones componit vt decenter fiant & modeſtè, tam in iis quæ ſeriò, quàm iis quæ ioco aguntur. Vtitur verò ad hoc efficiendum modeſtia tribus adminiculis: Ornatu ſcilicet, quo in agendis decentia obſeruatur: Auſteritate (non nimiâ tamen) qua in colloquiis, & quibuſcumque aliis adhibetur moderatio: Eutrapelia, quæ eſt moderatio circa ludos, dicta vel facta iocoſa: tribus obſeruatis, primò vt ſint verba vel facta non turpia, vel aliàs nociua: ſecundò, vt non ſoluatur animi grauitas: tertiò, vt verba vel facta ludicra congruant perſonis, locis, temporibus, & aliis circumſtantiis. Denique temperat etiam & dirigit modeſtia exteriorem apparatum, vt in veſtibus & huiuſmodi, quod præſtat humilitate, in quantum hæc ſecundùm quoſdam eſt habitus reſecans ſu-

perabundantia in ſumptibus & præparationibus, & excludens gloriæ intentionem in exteriori cultu. Ac ſufficientiæ ope, quæ faciat vt non quærantur deliciæ in ſuperfluo cultu; determinat enim quibus vti oportet, & quæ ad viuere ſecundùm ſtatum cuiuſque conueniunt. Demùm ſimplicitatis concurſu & operâ, qua excludit ſuperuacaneam ſollicitudinem, & ſuperfluorum cohibet appetitum. His ſtipata comitibus modeſtia Deo & hominibus grata, candido vultu, verecundò aſpectu, ſimplici habitu, pudico & graui inceſſu progreditur, vt ſe Clericalis militiæ ſiſtat ſequendam Candidatis, quam iis inprimis Spiritus Sanctus colendam & amplectendam ſacris in ſcripturis commendat. Prouerb. 22. 4. *finis modeſtiæ, timor Domini*, qui ſcilicet *eſt initium ſapientiæ* Pſal. 110. 9. Hinc Apoſtolus Galat. 9. recenſet inter fructus ſpiritus cum fide, manſuetudine, continentia, caſtitate, modeſtiam; & ſcribens ad Coloſſ. cap. 3. & 12. *Induite vos*, inquit, *ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam*, &c. & ad Philippenſes cap. 4. 5. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*. Obteſtatur Corinthios 2. epiſt. 10. 1. per modeſtiam Domini, ratus efficaciore ſe non poſſe erga eos perſuaſione vti, quàm virtutis huius, quæ potiſſimùm in Chriſto refulſit, conſideratione: *Ipſe ego Paulus obſecro vos*, inquit, *per manſuetudinem, & modeſtiam Ieſu Chriſti*; quaſi diceret, poſſem quidem interpellare per auctoritatem & poteſtatem Domini: ſed ſatiùs cenſeo vos per eius manſuetudinem & modeſtiam obteſtari: hac enim lenitatis & modeſtiæ mirabilis, qua ſe geſſit virtute, ſpero vos faciliùs ad ea, quæ à vobis exigo, pelliceri poſſe: Quis enim tam durus & ſaxeus, tam brutus & barbarus, qui modeſtiæ Verbi Incarnati recordatus, ſe medullitùs affici, concuti, allici non ſinat, pungi, commoueri, quin & ſuauiter compelli, non ſentiat? Virtutem hanc idcircò idem Apoſtolus in primariis Epiſcopi (qui Chriſti typum præferre debet, vt Apoſtolorum diſcipulus docet Ignatius) dotibus requirit; *Oportet* (inquit ad Timotheum ep. 1. 3.) *Epiſcopum non eſſe percuſſorem, ſed modeſtum*: aliàs non fore ſcilicet præditum Chriſti (cuius exempla inprimis illum imitari oportet) benignitate & moderatione: proinde nec eò dignum futurum ſublimi gradu, in quo qui conſidet, viuum vt ſimulachrum diuinitatis, & Chriſtianæ perfectionis ſpeculum animatum, debet omnibus in ipſum conſpicientibus elucere. Nec Epiſcopum modò, ſed Sacerdotem, & quemuis alium virum Eccleſiaſticum modeſtiâ, Apoſtolus poſtulat, gratum vt Deo præſtet miniſterium, & populo fideli vtile, exornari: *Seruum enim* (inquit 2. Timoth. 2.) *Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati*, &c. Idem monet S. Petrus 1. ep. 3. 16. *Dominum Chriſtum*, inquit, *ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe; ſed cum modeſtia & timore conſcientiam habentes bonam, vt in eo quod detrahunt vobis confundantur, qui calumniantur veſtram bonam in Chriſto conuerſationem.* En veri idea Clerici expreſſiſſima, ab eo auctore depicta, qui vt Euſebius loquitur*, fuit *primus Chriſtianorum Pontifex*: Apoſtolorum autem à S. Matthæo inſcribi-

* *In Chronico. Matth. 10. Ioan. vlt.*

tur Primarcha, à Chriſto vniuerſam regendi Eccleſiam curam & poteſtatem accepit; in qua effigie cernere eſt modeſtiam ferè potiſſimum ſibi locum vendicare, timoríque Dei, & bonæ conſcientiæ indiuiduo nexu copulari, adeò vt qui hac careat nec fulgete bonæ cõſcientię nitore, nec timoris Dei ſpirituali dono frui poſſit. Studioſè igitur, & quàm diligẽter Clerici huic ſibi comparandæ virtuti incumbere debent, quæ caſtimoniæ & innocentiæ indicium eſt, ac columbinæ ſimplicitatis, & Eccleſiaſticæ profeſſionis viſibilis eſt character: eſt enim modeſto viro (qualis decet eſſe Clericum) in ipſo motu, geſtu, inceſſu, tenenda verecundia: habitus enim mentis in corporis ſtatu cognoſcitur: hinc homo cordis noſtri abſconditus, aut leuior, aut iactantior, aut turbidior: aut contrà, grauior & conſtantior, purior & maturior æſtimatur. Effigies certè diſciplinæ, forma honeſtatis eſt; quamobrem ſcitè Auguſtinus in regula, *in moribus noſtris nihil fiat, quod cuiuſque offendat aſpectum, ſed quod noſtram deceat ſanctitatem.*

ARTICVLVS VII.

De Sobrietate.

ONIÆ ſummi Sacerdotis laus eſt diuino in codice conſignata, quòd ſobrietate & modeſtia præſertim claruerit; ob quas virtutes Rex Antiochus, Nobilis cognomento, tametſi gentilis mortem eius effuſè deplorauit, *Contriſtatus itaque animo Antiochus propter Oniam, flexus ad miſericordiam, lachrymas fudit recordatus defuncti ſobrietatem & modeſtiam.* 2. Machab. 4. 17. Sunt hæ duæ germanæ ſorores, quæ ſeiungi non poſſunt, quas ideò (quia maximè decent Sacerdotem) coniunctim laudat Spiritus Sanctus in Onia Pontifice, & Apoſtolus in Epiſcopo, qui Cleri caput eſt & exemplar, coniunctim itidem requirit; *Oportet* (inquit 1. Timoth. 3.) *Epiſcopum eſſe ſobrium, modeſtum.* Et verò duæ hæ virtutes non tam ſimiles mutuóque affines ſunt, quàm ferè promiſcuæ: modeſtia ſobrietas quædam eſt, viciſsímque ſobrietas quædam eſt moderatio, non tantùm in cibo & potu, ſed etiam in re omni quæ vſui homini eſſe poteſt, quin & in omni actione, quæ ab eo poteſt elici: ſapienter hac de virtute Seneca philoſophatus eſt, vbi ait: *Hanc ſanam & ſalubrem formam vitæ tenete, vt corpori tantùm indulgeatis, quantùm bonæ valetudini ſatis eſt; cibus famem ſedet, potio ſitim extinguat, veſtis frigus arceat, domus munimentum ſit aduerſus infeſta corporis: hanc virum ſeſpes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil intereſt; ſcitote tam bene hominem culmo, quàm auro tegi; cogitate nihil præter animum eſſe mirabile, cui magno nihil magnum eſt*, ep. 5. hæc Seneca, qui Chriſtianus Philoſophus, ob amicitiæ commercium cum Paulo Apoſtolo, Chriſtianæque ſapientiæ conſona quæ paſſim in ſcriptis tradidit documenta, appellati promeruit (quamobrem inter Scriptores Eccleſiaſticos à S. Hieronymo cenſitus eſt, in catalogo num. 12.) Verùm altiori philoſophia vas ipſe electionis Paulus, ſobrietatem etiam ad animam, mentalémque operationem extendit Rom. 12. *Non plus ſapere*, inquit, *quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem.* legit S.

Irenæus lib. 5. cap. 20. *ſapite ad prudentiam:* Sanctus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, *ſapite ad pudicitiam:* Sanctus Chryſoſtomus, *ſapite ad modeſtiam:* S. Auguſtinus ep. 47. *Sapite ad temperantiam: Temperantia autem* (ſubiungit) *eſt modus & temperamentum, quo quiſque vti debeat, vt intra ſuos terminos ſe contineat.* Exceſſerunt hos limites hæreſeon architecti, qui inflati ſpiritu ſuperbiæ, & de ſe plus æquo præſumentes, altiora ſe ſcrutati ſunt, effræni appetitu ſcientiæ, ſeu celebritatis nominis, extra metas elapſi, & propriæ ſufficientiæ, & Chriſtianæ modeſtiæ ac humilitatis, ſeu ſobrietatis, quam ſeruandam in omnibus, maximè in ſcientia, ſeu ſciendi curioſitate Apoſtolus præſcribit. S. Ambroſius ſobrietatem ſpiritualem, quæ omnia abigit vitia, & cunctas alit virtutes, actúſque omnes ad normam Chriſtianæ diſciplinæ, affectúſque exæquat ac moderatur, ſuis in hymnis, omnibus infundi fidelibus piè ac concinnè depoſcit; vbi ſcilicet ita modulatur in hymno, *Splendor paternæ gloriæ*, quem Eccleſia concinit in laudibus feriæ 2. quando de tempore fit officium:

Chriſtúſque nobis ſit cibus,
Potúſque noſter ſit fides;
Læti bibamus ſobriam
Ebrietatem ſpiritus.

Mira profectò ebrietas, quæ ita ſobria eſt, vt Chriſto pias mentes coniungat, & fidem caſti connubij ei intemeratam cuſtodiat. Sobrietas quoque mirabilis quæ ſic inebriat, vt Spiritus Sancti in animas pudicas illapſum ardenter ſitiat, lætitiæque ſpirituali admiſceat pios pœnitentiæ gemitus, & feruentes iuſtitiæ & charitatis affectus.

Mira ſunt virtutis huius elogia, quæ à S. Auguſtino & Hugone Victorino alternis quaſi modulis concinuntur: *Sobrietas* (ait ille) *eſt mentis & ſenſus, membrorum omnium, corporíſque tutela, caſtitatis pudicitiæque munimentum, pudori proxima, amicitiæ pacíſque ſocia, honeſtati ſemper coniuncta; criminum, vitiorúmque omnium profuga. Eſt recti iudicij tenax, memoriæ recordationiſque ſpecula, ſecretorum cuſtos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, ſtudiorum & bonarum artium diſcipula pariter & magiſtra, conſiliorum capiendorum artifex & pediſſequa, bonæ famæ ſemper auida, ſalubria atque vtilia proferens; Quid plura? Eſt virtutis ſingulare auxilium cuncta cum ratione diſponens, in congregatione honeſtorum ſeſe ſemper ingerens.* Hæc ille. Iſte verò, *Sobrietas* (inquit) *temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, ſuperbiam deteſtatur, fidem ſibi committentibus ſeruat, domum familiámque gubernat;* ſed cur non addit, ipſam regit & ornat Eccleſiam?

Certè Apocalypſis 21. Amethyſtus inter fulcimenta nouæ Ieruſalem numeratur; *Duodecimum fundamentum Amethyſtus.* Hunc lapidem pro ſobrietate poni nonnulli arbitrantur; lapis eſt violaceo colore fulgentiùs emicans hyacintho, ſculptura facilis. Perfectiorem tradunt triplici colore radiare, roſaceo, violaceo, & purpureo, leniterque fundere flammulas. Porrò qui gemmæ huius vires, facultates, & vſus indagârunt, aiunt malas cogitationes ab ea prohiberi, felix ingenium, vigilantiam,

ac induſtriam efficere (vide gemmarum & lapidum hiſtoriam Anſelmi Boëtij Brugenſis, Rudolphi II. Imperatoris medici, lib. 2. cap. 34.) imò geſtantem principum gratiam ſibi facilè conciliare, quæ vix vera cenſeo. Probabilius eſſe reor quod plerique aſſerunt, geſtatum precioſum hunc lapidem ebrietatem prohibere, idque vini colore, quo præditus eſt, indicari; quaſi illam vim pro facultatis characteriſmo habeat, ab hácque facultate Græcè ἀμέθυστη ſortitum nomen. Experimento probatum quidam volunt hanc ei ineſſe virtutem: vmbilico ſiquidem admotum vini vaporem ad ſe trahere, eúmque diſcutere, ac proinde arcere crapulam ac ebrietatem: ſi ita eſt ſymbolum hunc eſſe ſobrietatis genuiniſſimum, nemo inficiabitur; Quem ideò ſubſterni muris nouæ Sion pro fundamento, myſtico intellectu inſitæ huius proprietatis & virtutis, conſequens erit ire conceſſum.

Sacerdotium eſt Eccleſiæ fundamentum: & Clericalis Ordo eſt ſuſtentaculum Religionis, ſed ipſe ſobrietate ſolidatur, ſine qua ſtabilis & firmus in pietate & iuſtitia, honore & decore ſuo nequit conſiſtere. Doctrina eſt inſignis S. Thomæ 2. 2. q. 149. a. 4. ſobrietatem eſſe maximè neceſſariam iuuenibus, quia in eis viget concupiſcentia: Mulieribus item, quia in eis deficit robur mentis, & ipſæ pronæ ſunt ad voluptates corporis conſectandas: In ſenibus quoque in quibus ratio vigere debet ad aliorum eruditiònem & correptionem: ſed maximè neceſſariam eſſe Epiſcopis, & quibuſlibet Eccleſiæ miniſtris, qui mente deuotâ debent ſpiritualibus officiis inſiſtere, & populum per ſapientiam gubernare; addi poteſt & exemplo caſtimoniæ, temperantiæ, modeſtiæ & ſobrietatis, cæteris fidelibus prælucere.

Laudat ſobrietatem plerіſque vtilitatis ac excellentiæ titulis Gerſon Doctor Chriſtianiſſimus, part. 4. ſermon. 1. Dominicæ Quadrageſimæ, è quo operæpretium non inane viſum eſt, quæ ſequuntur verba, vt pote notabilia, in Candidatorum Clericatus gratiâ decerpere: *Sobrietas* (inquit) *vinorum, & ciborum facit animam ſobriam, & eleuari ad Deum: aufert vitia, & plantat virtutes: vis acquirere ſenſum & ſapientiam, ſobrietas neceſſaria eſt, exemplo Salomonis & Danielis, ſociorúmque eius: vis habere animæ ſanitatem, imò & corporis, opus eſt tibi ſobrietate, ſecundùm dictum ſapientis: in multis eſcis erit infirmitas, & plures gula quàm gladius occidit: vis pacare Deum, & de præteritis peccatis ſalutarem agere pœnitentiam, ſume ſobrietatem exemplo Niniuitarum & Dauid, ac generaliter omnium verè pœnitentium; vis ſeruare iuſtam hæreditatem tuam in paradiſo, ſobrietas tibi neceſſaria eſt, alioquin ipſam perderes, exemplo Eſau, Euæ & Adæ; vis claudere portam omnibus vitiis, ſume ſobrietatem, alioquin anima tua omnibus exponetur peccatis.* Hæc Gerſon, paucis verbis multa complexus: paucioribus Hugo Victorinus: ſobrietatis perſeuerantia inæſtimabilis eſt animi fortitudo, omnes eam virtutes, & omnes laudum tituli concupiſcunt; quia ſine ipſa ornari aut placere non poſſunt, maximè in Clerico; nam vt ait S. Auguſtinus, *ſobrietas eſt non minima pars cultus Dei*; cui ſua ex profeſſione ſpeciali debito Clerici adſtricti ſunt. Hinc S. Hieronymus Clericum inſtituens in perſona Nepotiani, ſobrietatis ſtudiū eidem ſummo-

perè commendat, atque acriter in quoſdam infimæ ſortis Clericos inuehitur, qui in cibis non paſtũ modò ſuperfluum, ſed & delicias quærebant. *Natus in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam & mella faſtidio: noui & genera & nomina piſcium, in quo littore concha lecta ſit, calleo; ſaporibus auium diſcerno prouincias, & ciborum me raritas ac nouiſſima damna ipſa delectant.* Salsè quidem & ironicè: ſed verè, piè & grauiter; idem porrò eâdem epiſtolâ inter medium & finem: *Nunquam*, inquit, *vinum redoleas, ne audias illud Philoſophi: Hoc non eſt oſculum porrigere, ſed vinum propinare.*
Tit. 1. *Vinolentos Sacerdotes, & Apoſtolus damnat, & vetus lex*
Leuit. 10. *prohibet. Qui altari deſeruiunt vinum, & ſiceram non bibant. Sicera Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur quæ inebriare poteſt, ſiue illa quæ frumento conficitur, ſiue pomorum ſucco, aut cùm faui decoquuntur in dulcem, & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctiſque frugibus aqua pinguior coloratur. Quicquid inebriat, & ſtatum mentis euertit, fuge ſimiliter vt vinum: nec hoc dico quòd Dei à nobis creatura damnetur; ſiquidem & Dominus vini potator eſt appellatus, & Timotheo dolenti ſtomachum modica vini ſorbitio relaxata eſt: ſed modum pro ætatis & valetudinis, & corporum qualitate exigimus in potando. Quòd ſi abſque vino ardeo adoleſcentiâ, & inflammor calore ſanguinis & ſucculento, validóque ſum corpore, libenter carebo poculo in quo ſuſpicio veneni eſt. Pulchrè dicitur apud Græcos, & neſcio an apud nos æque reſonet; Pinguis venter non gignit mentem tenuem,* (Senarius eſt apud Græcos in hæc verba, παχεῖα γαςὴρ λέπτον οὐ τίκτει νόον.) *Tantum tibi ieiuniorum modum impone, quantum ferre potes: ſint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa ieiunia. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultatéſque ciborum quærere, caryeas, piper, nuces, palmarum fructus, ſimilam, mel, piſtacia. Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario non veſcamur pane, & dum delicias ſectamur, à regno cælorum retrahimur. Audio prætereà quoſdam, contra rerum hominùmque naturam, aquam non bibere, nec veſci pane; ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, baccharúmque ſuccum, non calice bibere, ſed concha: Proh pudor! Non erubeſcimus iſtiuſmodi ineptias?* &c. *inſuper etiam formam abſtinentiæ in deliciis quærimus.* Hactenùs S. Hieronymus, feruens Zelator Clericalis ſobrietatis, & fucatæ nihilominus, ac mollis abſtinentiæ acerrimus inſectator.

ARTICVLVS VIII.

De Pace & Concordia.

NON *eſt regnum Dei eſca & potus, ſed pax & gaudium in Spiritu Sancto*, ait Apoſtolus Rom. 14. quibus verbis non obſcurè inſinuat, ebrietate pacẽ in regno Dei, quod eſt Eccleſia perturbari, ſobrietate foueri. Inde ad Galatas 5. ebrietatibus & commeſſationibus, ferè immediatè inimicitias, contentiones, æmulationes, iras, rixas, diſſenſiones, ſectas, inuidias coniungit; quibus ſi Clericus deditus ſit, neceſſe eſt peſſum eat, & alios perdat; *Prauus ſocius eſt*, ait Philoſophus in Topicis, *qui*

qui impedit commune bonum; Omnis enim ſocietas eſt facta cauſâ alicuius boni: Idem 1. Polit. quod qui impedit ſocietate indignus eſt: nemo verò magis impedit quàm qui turbat pacem, diſcordiam ſerit: *ſicut enim pacis bonô omnia conſtant, ita diuiſione ac diſcordiâ omnia dilabuntur.* Hinc illud S. Auguſtini ep. 5. *Conſtruuntur concordiâ ciuitates, diſcordiâ autem deſtruuntur.* Ieruſalem ædificatur vt ciuitas, cuius eſt participatio in idipſum, Pſal. 121. Sed pax illa Eccleſiæ (inquit idem B. Auguſtinus ſerm. 169. de tempore) pendet à ſacrorum Miniſtris, qui ſi diſſideant ab inuicem, plebem ſcindunt: ſi autem ſint vnanimes, & cõcordes communem fidelium nuttiunt rranquillitatem. Cauendum igitur ſummoperè iubet Apoſtolus, ne Epiſcopus, & paſtor quiſpiam ordinetur, qui ſit litigioſus: vbi autem Græcum autographum ἄμαχον habet, id eſt *alienum à pugna:* S. Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos vertit, *abſque iurgio, & contentione*. Planè ad ſenſum Apoſtoli, qui alibi dicit, *ſiquis autem videtur contentioſus eſſe; nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei*, 1. Cor. 11. 16. ſubindicans eiuſmodi vitandos eſſe quaſi peſtes; proinde minimè admittendos ad Eccleſiæ regimen, & conſortium Cleri. Si quis igitur in Clerum cooptari velit, ſtudioſus pacis & concordiæ imprimis eſſe debet, iiſque characteribus prædicus, qui decent collegam Eccleſiaſticæ ſocietatis. Genuinis hunc lineamentis Hugo à S. Victore lib. 3. de anima depingit, *Amabilis ſocius*, inquit, *omnibus eſt officioſus & nulli oneroſus, quia deuotus ad Deum, benignus ad proximum, ſobrius ad mundum: Domini ſeruus, proximi ſocius, mundi dominus, ſuperiora habet ad gaudium, æqualia ad conſortium, interiora ad ſeruitium.* Vt verò talis euadat, ſpiritum pacis & vnitatis à Deo effuſis precibus eum oportet poſtulare; próque virili, ſua ex parte ſatagere, vt cum omnibus ſit pacificus, maximè autem concors cum ſymmyſtis. Monitum priſci ſapientis facilè eò conducit; Homines quibuſcum verſeris, tribus modis conſidera, nempe vt præſtantiorem te, aut inferiorem, aut æqualem: præſtantiori quidem auſcultare, & obtemperare conuenit; inferiori perſuadere modeſtè; æquali autem conſentire: hoc ſanè modô nunquam in contentiones incides. *Epictet. apud Stobæum.*

Porrò contentio nonnihil differt à diſcordia, licèt adæquè paci cum aliis malis opponatur: diſcordia enim eſt in corde, contentio in ore. *S. Thom. 2. 2. q. 37. art. 39.* ſchiſma, rixa & bellum in opere. Pax verò & tranquillitas ordinis maximè in voluntate: includit verò concordiam & addit vnionem; proinde *Idem ibid. q. 29. 1. c.* diuiſionem, rixam, iurgium & altercationem excludit: parit autem *Idem. 1. 2. q. 70. 3. c.* gaudium, quia affert quietem à perturbationibus, & à fluctuatione deſiderij ſedationem: cauſatur autem ex iuſtitia, quæ ſubtrahit occaſiones *Idem 2. 2. q. 29. 3. 3.* litigiorum atque tumultuum: quamobrem vt pax ſine iuſtitia eſſe non poteſt (vt monet S. Auguſtinus lib. 2. de ciuit. Dei, cap. 21.) ſic iuſtitia nunquam inſidet cuiuſpiam animo, ſine pacis affectu vel effectu. Hæc decus eſt Eccleſiæ (ait S. Chryſoſtomus ſerm. de patientia.) Meminerit igitur tyrunculus militiæ noſtræ, Eccleſiaſticam pacem noſtram eſſe teſſeram & hæreditatem, vt S. Auguſtinus lib. 83. qq. rectè docet.

ARTICVLVS IX.

De Charitate & Patientia.

PAx tamen non eſt virtus, ſed effectus charitatis, ait S. Thomas 2. 2. q. 29. a. 4. o. *Cùm*, inquit, *pax cauſetur ſecundùm ipſam rationem dilectionis Dei & proximi, non eſt alia virtus cuius pax ſit actus proprius, niſi charitas.* Articulo autem præcedenti explicat, quomodò cauſetur pax à charitate, in corp. artic. *Duplex*, inquit, *vnio eſt de ratione pacis, quarum vna eſt ſecundùm ordinationem propriorum appetituum in vnum; alia verò eſt ſecundùm vnionem appetitus proprij cum appetitu alterius, & vtramque vnionem efficit charitas; primam quidem vnionem ſecundùm quod Deus diligitur ex toto corde, vt ſcilicet omnia referamus in ipſum, & ſic omnes appetitus noſtri feruntur in vnum; aliam verò prout diligimus proximum ſicut nos ipſos: ex quo contingit quòd homo vult implere voluntatem proximi, ſicut & ſui ipſius; & propter hoc inter amicabilia vnum ponitur, identitas electionis, vt patet in 9. Ethicorum: & Tullius dicit in lib. de Amicitia, quòd Amicorum eſt idem velle, idem nolle:* addere debuiſſet, *ſecundùm Deum:* ad cuius beneplacitum tam noſtrum, quàm proximi velle & nolle, vt ad propriam regulam iuſtitiæ, & centrum omnis bonæ vnionis, finémque omnium vltimum referendum eſt. Quod verò ipſe Angelicus Doctor anteà docuiſſet, effectum eſſe iuſtitiæ, iuxta illud Iſa. 32. *Et erit opus iuſtitiæ pax;* ſic cum proximè dictis conciliat: *Pax eſt opus iuſtitiæ indirectè in quantum ſcilicet remouet prohibens; ſed opus charitatis directè, quia ſecundùm propriam rationem charitas pacem cauſat. Eſt enim amor vis vnitiua, vt Dionyſius dicit cap. 4. de Diuinis nominibus, pax verò eſt vnio appetitiuarum inclinationum.*

Idcirco Apoſtolus charitatem exprimit 1. Cor. 13. totam pacificam; *Charitas*, inquit, *patiens eſt, benigna eſt. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.*

Inſignis eſt admodùm hic ſcripturæ locus; quem Patres accuratim expendentes, præclariſſima hinc documenta, & quaſi Chriſtianæ diſciplinæ Encyclopædiam, tanquam ex penu locupletiſſimo & fonte limpidiſſimo delibârunt. Ter-Tullius ille Chriſtianus decus Africanæ Eccleſiæ ſuo in libro de patientia, quò planum faciat charitatem nihil quàm pacem ſpirare; totum hunc locum Apoſtoli ad patientiam reflectit, excutiens enim hæc diuina verba, *Charitas patiens eſt:* &c. *Dilectio*, inquit, *ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, cuius niſi patientiæ diſciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis eſt, ita patientiam ſumit, beneficia eſt, malum patientia non facit; non æmulatur, id quidem patientiæ proprium eſt; nec proteruum ſapit, modeſtiam de patientia traxit; non inflatur, non proteruit, non enim ad patientiam pertinet. Cæterùm quid impatientiæ reliquiſſet; ideò, inquit, dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat, vbique patiens eſt.* Magiſtrum ſecutus Beatus Cyprianus libro, quem ad eius imitatio-

nem ſcripſit de bono patientiæ, Charitatem licèt omnium virtutum ſupremam, nihilominùs ferè totam reuocat ad patientiam & pacem. *Charitas fraternitatis, inquit, vinculum, eſt fundamentum pacis, tenacitas ac firmitas vnitatis, quæ & ſpe & fide maior eſt; quæ & opera & martyria præcedit, quæ nobiſcum ſemper æterna apud Deum in regnis cæleſtibus permanebit. Tolle illi patientiam, & diſſoluta non durat. Tolle ſuſtinentiam, & nullis radicibus ac viribus perſeuerat. Apoſtolus denique cùm de charitate loqueretur, tolerantiam illi & patientiam iunxit*, &c. *Oſtendit inde illam perſeuerare tenaciter poſſe, quòd nôrit omnia ſuſtinere.*

Eodem ſpiritu afflatus S. Chryſoſtomus, regnum charitatis vniuerſum in patientia collocauit; illam (dum omnia ſuſtinet) de omnibus ſuauiter, at nihilominùs glorioſè triumphare docens homil. 34. quâ minutim Apoſtoli verba ponderat & expendit: ac homines charitatis ipſius inſignibus carentes, viuis exprimit coloribus; ea porrò præditos oppoſitis lineamentis depingit*, *Charitas, inquit, patiens eſt, contentioſos notans; benigna eſt, factioſos & clandeſtinos: non inuidet aduerſus eos, qui ægrè ſuperiores ferunt; non eſt procax, perſtringit diſſolutos: non inflatur, ſuperbos; non eſt faſtidioſa, cõtra eos qui ſe demittere, & proximo inſeruire nolunt: non quærit quæ ſua ſunt, in eos qui cæteros deſpiciunt: non irritatur, non cogitat malum, in contumelioſos: non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati, in inuidos. Rurſum omnia ſuffert, ad ſolatium circumuentis & oppreſſis; omnia ſperat ad ſolatium reiectis & deſperatis.* Qua ex doctrina ſequitur charitatem homines ex contentioſis dociles & tranquillos efficere: ex iracundis patientes & benignos; ex emularis morigeros, ex procacibus modeſtos, ex ſuperbis humiles, ex faſtidioſis tractabiles, ex tenacibus liberales, ex contumelioſis verecundos, ex turbulentis pacificos, ex inuidis miſericordes, ex temerariis prudentes, ex mendacibus veraces, ex iniquis iuſtos, ex irreligioſis timoratos, pios & deuotos. Hiſque philtris, eiuſmodi affectos vitiis facilè poſſe ad conſimiles virtutes pellicere, morbóſque animi quos à ſe excuſſerunt, ipſo charitatis ſpiritu ſanare, vel ſuperare in aliis, aut ſaltem ſine labis contagio tolerare.

* ἡ ἀγάπη μακροθυμεῖ, πρὸς τοὺς ἀλλήλοις φιλονεικοῦντας· χρηστεύεται, πρὸς τοὺς διεστῶτας, καὶ ὑπούλους· οὐ ζηλοῖ, πρὸς τοὺς βασκαίνοντας τοῖς ὑπερέχουσι· οὐ περπερεύεται, πρὸς τοὺς διασπασθέντας· οὐ φυσιοῦται, πρὸς τοὺς κατεπαιρομένους αὐτῶν· οὐκ ἀσχημονεῖ, πρὸς τοὺς οὐκ ἐθέλοντας συγκαταβαίνειν· οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, πρὸς τοὺς ὑπερορῶντας τῶν λοιπῶν· οὐ παροξύνεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, πρὸς τοὺς ὑβρίζοντας· οὐ χαίρει ἐπὶ τῇ ἀδικίᾳ, συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, πρὸς τοὺς βασκαίνοντας πάλιν· πάντα στέγει, πρὸς τοὺς ἐπιβουλευομένους· πάντα ἐλπίζει, πρὸς τοὺς ἀπεγνωσμένους.

Ad hos charitatis effectus ſpectaſſe S. Gregorius mihi videtur, qui eadem verba Apoſtoli perpendens lib. 10. Moral. c. 8. *Charitas, inquit, patiens eſt, quia illata mala æquanimiter tolerat: benigna verò eſt, quia pro malis bona largiter miniſtrat; non æmulatur, quia per hoc quod in præſenti nihil appetit, inuidere terrenis ſucceſſibus neſcit. Non inflatur, quia cùm præmium internæ retributionis anxia deſiderat, de bonis ſe exterioribus non exaltat. Non agit perperam, quia quæ ſe in ſolum Dei ac proximi amorem dilatat, quicquid à rectitudine diſcrepat ignorat. Non eſt ambitioſa, quia quæ ardenter intus ad ſua ſatagit, foris nullatenus aliena concupiſcit. Non quærit quæ ſua ſunt, quia cuncta quæ hîc tranſitoria poſſidet, velut aliena negligit, cùm nihil ſibi eſſe proprium, niſi quod ſecum permaneat, agnoſcit: Non irritatur, quia & iniuriis laceſſita ad nullos ſe vltionis motus excitat, cùm pro magnis laboribus maiora poſt præmia expectat. Non cogitat malum, quia in amore munditiæ mentem ſolidans, dum omne odium radicitùs eruit, verſare in animo quod inquinet neſcit. Non gaudet ſuper iniquitate; quia quæ ſola dilectione erga omnes inhiat, nec de perditione aduerſantium exultat. Congaudet autem*

veritati; quia vt ſe cæteros diligens, per hoc quod rectum in aliis conſpicit, quaſi de augmento proprij profectus hilareſcit.

Certè ſi quis hoc ſpiritu viuit, hócque animatus habitu, motus actúſque ſuos, tam internos quàm externos ita compoſuerit, vt omnia ex ptincipio charitatis aut faciat aut patiatur; is profectò erit digniſſimus, qui non modò admittatur ad Clericalis militiæ tyrocinium, verùm etiam ad eiuſmodi militiæ quoſuis honores (hos etſi non ambiat, ſed fugiat) promoueatut. Sed aduertendum imprimis eſt ex doctrina S. Thomæ, ordinem charitatis attendi ſecundùm affectum & effectum 2. 2. q. 26. 6. o. ipſam vetò dari charitatem ſecundùm menſuram ſubiecti, id eſt ſecundùm capacitatem naturæ & conatum, 1. p. q. 62. 6. c. de natura patet in Angelis, de conatu conſtat etiam in hominibus, quibus ſecundùm intentionem conuetſionis in Deum datur maior gratia & gloria: ſed non modò naturæ gradus eſt à Deo, verùm etiam iſta conuerſio, & conuerſionis intentio non dependet ex conditione naturæ, vel ex capacitate naturalis virtutis, ſed ex voluntate Spititus Sancti diſtribuentis ſua dona prout vult 1. Cor. 12. Siquidem etiam diſpoſitionem, & conatum præuenit Spiritus Sanctus, mouens mentem hominis vel plus, vel minus, ſecundùm beneplacitum ſuum. Idem S. Thomas 2. 2. q. 24. 3. o. vnde Apoſtolus ad Epheſ. 4. *vnicuique noſtrû n data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti.*

Hinc axioma illud Theologicum: charitatem in nobis naturaliter non eſſe, nec cauſari ex actibus noſtris, ſed à Deo infundi merô donô: idem 2. 2. ead. q. 2. o. & q. 172. 2. ad 1. etenim charitas ſuperexcedit totius naturæ facultatem: S. Thom. 1. 2. q. 113. 9. ad 3. Itaque quomodo tantum bonum ac chatitas, quæ eſt radix & fotma omnium vittutum; quæ eſt vinculum perfectionis, mors criminum, vita virtutum, ſummum fidei ſacramentum, gratiæ Dei theſaurus, omnium donorum Dei præcipuum, quod ipſum martyrium tranſcendit, quod nos diuinæ naturæ conſortes efficit, quæ eſt quędam patticipatio diuinæ charitatis, quæ Deus eſt (adeò vt nobilior qualitate animâ etiam Chriſti ſecundùm aliquid à nonnullis cenſeatur, *cùm ſit participatio Spiritus Sancti*) humanis viribus poſſit cōparati? *1. Thom. 2. 2. q. 23. 3. ad 3.*

Dices; cut igitur inter diſpoſitiones ad Clericalem ſtatum recenſes charitatem, quaſi ex noſtra poteſtate eſſet eam acquirere, quâ efficiamur vocationis huius capaces? Non abs re equidem cādidatos Eccleſiaſticæ militiæ huc impello, ſiquidem ex Apoc. 3. didici charitatē à nobis poſſe aliquomodo, quoad extenſionē, acquiri, ſic enim ibi legimus; *Et Angelo Laodiceæ Eccleſiæ ſcribe, hæc dicit,* &c. *teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ Dei. Scio opera tua, quia neque frigidus es neque calidus; vtinam frigidus eſſes aut calidus; ſed quia tepidus es, & nec calidus nec frigidus, incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis, quia diues ſum, & locupletatus & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus; ſuadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & veſtimentis albis induearis.* Super quæ diuina verba Richardus à S. Victore acumine planè Angelico hunc in modum diſſerit; *Poſt increpationem adiungit admonitionem,* &c. *ſuadeo,* inquit, *tibi, emere à me aurum ignitum: quid per*

aurum ignitum rectiùs deſignatur quàm charitas? quæ vt aurum per charitatem fulget, vt ignis per dilectionem feruet, quæ quoque in electis in fornace tribulationis iudiciũ ſubit examinationis; dicit ergo, ſuadeo tibi à me emere aurum, id eſt charitatem luce intimi ſplendoris fulgidam, feruore dilectionis ignitam, in electis meis per fornacem tribulationis probatam: eme impenſis orationis à me, à quo ſunt certa bona ſpiritualis gratiæ vt locuples fias. Facilis ſanè & compendioſa comparandi tanti doni ratio; quùm emi poſſit ferè nullo operæpretio, ſed ſimplici prece & oratione. Pulchrè S. Ambroſius lib. 7. Comment. in Lucam c. 15. ſuper illa verba, *Pater da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit. Vides*, inquit, *quod diuinum patrimonium petentibus datur, nec putes culpam Patris, quòd adoleſcentiori dedit; nulla Dei regno infirma ætas, ipſe ſe certè iudicauit idoneum, qui popoſcit; petite igitur, ait Dominus, & accipietis; quicquid enim patrem petieritis in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16. Cætera bona tamen non ſimpliciter peti poſſunt, ſed ſub conditione, ſi ita expedierit noſtræ vel proximorum ſaluti: nec enim petitur in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra rationem ſalutis, ait S. Auguſtinus tract. 102. in Ioannem: at charitatis donum abſolutè peti poteſt, eſt enim donum prorſus bonũ, & quo nemo vllatenus valet abuti, virtutúmque omnium ſic forma eſt, vt nequeat ipſa eſſe informis (ſic loquútur Theologi) ſine qua nulla poteſt eſſe perfecta virtus; quam quiſquis habet, habet omnes alias virtutes, vnde vinculum dicitur perfectionis, quia quicquid perficit hominẽ in eſſe gratiæ, charitas colligat & cõtinet, vnde à S. Auguſtino, c. 42. l. de natura & gratia, *eſt veriſſima, pleniſſima, & perfectiſſima iuſtitia.*

ARTICVLVS X.

Zelus animarum.

CHARITAS hoc enim proprium habet, vt tendat in vltimum finem ſub ratione finis vltimi, quod alicui alteri virtuti non conuenit (S. Thom. 2. 2. q. 26. 1. 1.) eſt enim propriè amor Dei nõ qualiſcumq; ſed quo diligitur Deus vt beatitudinis obiectum: habet autem principale obiectum bonitatem Dei, ſecundarium verò, bonum proximi, 2. 2. q. 66. 6. c. ipſa ſiquidem diligit proximum propter Deum: ideóq; obiectũ eius propriè eſt Deus, nam dilectio Dei eſt finis dilectionis proximi, 2. 2. q. 44. 2. c. quid enim facit charitas? niſi tendere hominẽ in Deum, vt ſuum principium & vltimũ finem, & ſupremum bonum, vniendo ipſi Deo hominis affectum, & quidem proximè, nam immediatè vnit hominem Deo, adhærendo ei per ſpiritus vnionem. Quapropter eſt religionis principium, qua mediante homo facit quæ diuini cultus ſunt 2. 2. quæſt. 81. 2. ad 1.

Nemo igitur ſe in ſortem Domini tradere poteſt, id eſt in Clerum cooptari, cum voto ſalutis proximi & ſui ipſius poſtulare, niſi præeũte charitate, quæ, vt ait Clemens Alexandrinus in parænesi, *Præcipuũ hominis Chriſtiani munus eſt*, & vt ſcribit S. Gregorius Nazianzenus, *doctrinæ caput.* ep. 20. & vt B. Proſper loquitur lib. 3. vitæ contemplatiuæ c. 13. *affectionum omnium* (pij hominis) *potentiſſima, in omnibus ſemper inuicta, actionum bonarum ſumma, morum ſalus, finíſque* (hoc eſt perfectio & conſummatio)

cæleſtium præceptorum. At verò Deus gloriam ſuam intra ſe habet, nec eam
apud homines niſi in ipſorum ſalute quærit. Scitè ideò Origenes in Exo-
dum, ad illa verba quæ eo libro paſſim occurrunt, *Eſt ſolennitas Domini
Dei noſtri*, cap. 10. *die 7. erit ſolennitas Domini*, 13. *Cras ſolennitas Domini eſt*,
32. Obſeruat dies iſtos ſolénes dici Domino, nō quòd in iis felicior ſit, ſed
quòd beneficia his diebus potiora contulerit, quorum fit ab hominibus
ſolennis recognitio: ſed & feſtum agere Deum, quando nobis beneficia
largitur; quia nihil ei iucundius noſtra ſalute, noſtra felicitate eſſe poteſt;
verè igitur, & ſcienter, ac piè ſcripſit S. Gregorius homil. 12. in Ezechie-
lē, *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt animarum zelus.* Quin
ab hoc affectu Deū appellari *zelotem* in ſacris ſcripturis, S. Dionyſius lib. de
diu. nom. aduertit atque monet, *quòd ingenti nos amore proſequatur:* cha-
róſque reuerà imprimis ſe habere Deus ipſe in ſuis oraculis ſignificat, qui
eius imitatione ſaluti hominum inuigilant, pióque feruore ſpiritus huic
officio incumbūt, quo *Dei coadiutores* appellari ab Apoſtolo promerētur.

Appoſitè ad hæc S. Chryſoſtomus hom. 3. in Geneſim: *Nihil*, inquit,
*ita gratum eſt Deo, & ita curæ, vt animarum ſalus, ſicut clamat Apoſtolus dicens:
Qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Et iterū
Deus ipſe ait, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Talem igitur
habentes Dominum, tam miſericordem, tam benignum, tam manſuetum, cùm no-
ſtræ, tum fratrum noſtrorum ſalutis curam geramus: & vt ſcias quantum
bonum ſit cum ſalute noſtra & alios lucrari, audi prophetam ex perſona
Dei dicentem: Qui educit pretioſum à vili, quaſi os meum erit: quid hoc eſt?
Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem pro-
ximum induxerit, pro virili humano me imitatur: etenim ipſe cùm Deus ſit,
propter nihil aliud noſtram induxit carnem, & crucem quoque ſuſcepit, ni-
ſi vt nos peccato obnoxios à maledicto liberaret. Si igitur ipſe qui Deus eſt,
ineffabilis eſſentiæ, ob miſericordiam ineffabilem, hæc omnia propter nos, &
noſtram ſalutem ſuſtinuit, cur non & nos erga fratres iuſti ſumus, agnoſcen-
téſque eos, vt membra noſtra, & eripientes ex Diaboli faucibus in viam
virtutis inducamus? Nam vt anima corpore melior eſt, ita eis, qui indigen-
tibus pecunias, & facultates ſuppeditant, maioribus præmiis digni ſunt ij, qui
admonendo & continuè docendo, in viam arctam ſupinos ac deſides inducunt,
monſtrando eis diuinarum virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam.
Hæc omnia cùm ſcimus, præ omnibus aliis vitæ curis de ſalute animarum lo-
quamur proximis, eandem illis ſollicitudinem ingerentes.*

Hic eſt *ſpiritus ardoris*, quo ablutum ire Deus per Eſaiā promiſerat ſor-
des filiarum Sion, mittendo *ſuper omnem locum montis huius nubem per diem,
& fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte.* Hic eſt ignis quem venit
Chriſtus mittere in terram: quóque incenſus in ligno crucis, voluit vt
Luc. 12. 49. inde diffuſus, vbicumque arderet. Hic inquam ignis, quo vas electionis
2. Cor. 5. 14. inflammatus, clamabat; *Charitas Dei vrget nos, quis infirmatur, & ego non*
2. Cor. 11. 29. *infirmor: quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quô ſuccenſus Petrus, *amoris
Chriſti* in oues ab eo redemptas *vicarius* *, perditorem animarū Simonem
** S. Ambroſ. in vlt. Lucæ.* forti conflictu debellauit & proſtrauit; vtque gregem ſeruaret, quē Do-
minus ſibi commiſerat, in medio ouilis ſe interimi paſſus, morte ſua, vt

Chriſtus ei prædixerat, *clarificauit Deum.* Neque enim alio motiuo impulſus quàm diuinæ gloriæ propagandæ, & procurandæ orbis vniuerſi ſalutis, Romam, vrbem mundi dominam ſe contulit. Cuius Apoſtolicum feruorem S. Leo admiratus, ſic eum ideo compellat: *Ad hanc ergo vrbem tu beatiſſime Apoſtole Petre venire non metuis, & ſiluam iſtam frementium beſtiarum, & turbulentiſſimæ profunditatis oceanum, conſtantior quàm quùm ſupra mare gradereris, ingrederis.* Hôc eodem animatus ſpiritu ardoris de cura animarum, quoſcumque ea ſpectat, paſtorali voce admonebat: *Seniores* (id eſt Preſbyteros) *obſecro conſenior & teſtis paſſionum Chriſti*, &c. *paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundùm Deum; non turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo;* toto igneo ſcilicet, & nihil aliud quàm ſanctificationem animarum ſpiranti: quicquid agitis aut ſuſtinetis, referentes ad diuini honoris augmentum, & generis humani vtilitatem, ac beatitatem. At verò vt efficaciùs impellat, donatiuum his eximium proponit. *Et cùm*, inquit, *apparuerit princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam:* Stephanus Protomartyr hoc armatus zelo & animatus præmio, lapides torrentis dulces inuenit: *Per charitatem Dei* (ait S. Fulgentius ſerm. de S. Stephano) *ſæuientibus Iudæis non ceſſit; per charitatem proximi, pro lapidantibus interceſſit: per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur; per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem, & quem habuit in terra perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem.* Hoc ſcopo, hoc fine, Deus athletas ſuos, noui Teſtamenti præcones, fundatores Eccleſiæ, Doctores veritatis, acerbis agonibus voluit occumbere, vt ſanguis eorum, fieret *ſemen Chriſtianorum:* ipſi verò lubenter vltróque extrema quæque perpeſſi ſunt, vt eius beneplacito obſequentes animas hominum lucrarentur. *Beati ſiquidem Martyres*, (ait S. Ambroſius ſerm. 77. qui etiam S. Maximino tribuitur) *nec ſibi vixerunt, nec ſibi mortui ſunt, exemplum enim nobis reliquerunt bene viuendo conuerſationis, tolerando fortiter, paſſionis*, &c. Succinit S. Hieronymus, cùm enim quis videret tantâ perſeuerantiâ ſtare Martyres atque torqueri, & in ſuis cruciatibus gloriari, *odor notitiæ* (inquit) *Dei diſſeminatur in gentes, & ſubit cogitatio quòd niſi verum eſſet Euangelium, ſanguine nunquam defenderetur.* Neque enim (ad Hedib. q. 11.) delicata & deliciis ſtudens ac ſecura confeſſio eſt, ſed in carceribus, in plagis, in perſecutionibus, in fame, in nuditate & ſiti. *Hinc triumphus eſt Dei, & Apoſtolorum victoria*, quin & Martyrum & Confeſſorum, Eccleſiaſtici maximè ordinis, nec Pontificalis modò aut Sacerdotalis, ſed & inferiorum quorumcumque graduum. Minorum hîc ſelecta quædam exempla ſtatuemus, quoniam ſuperiorum ordinum plurima ſunt omnibus notiſſima: ipſo in limine Romani Martyrologij vnum perilluſtre extat, Amalachij Martyris, quem gradu tantùm Lectorem nonnulli diptychorum ſacrorum annotant elucidatores, de quo ſic præſignatæ tabulæ ipſis Kalendis Ianuarij: *Romæ S. Amalachij Martyris, qui iubente Alipio vrbis Præfecto, cùm diceret, hodie octaua Dominici* (natalis Domini, vt legit Galeſinius) *diei ſunt, ceſ-*

Ioan. vlt.

Serm. 1. de SS. Apoſt. Petro & Paulo.

1. Pet. 5. 1.

Tertull. in apolog.

ſtate à ſuperſtitionibus idolorum, & à ſacrificiis pollutis; à gladiatoribus occiſus eſt. Similis zeli inſigne ac fortunatum trophæum refert Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 26. de Telemacho ſolitario. Is ſub Honorio Imperatore venit Romam, vbi forte abominandum gladiatorum ſpectaculum edebatur; deſcendit tum & ipſe in circum, ac dirimere concurſum & infeſta arma rentauir: at ſpectatores cædis furore perciti ſitientis cruorem dæmonis, lapidibus obruunt pacis moderatorem *; qui certè non alio inter eos impetu irruerat, quàm Chriſtiani zeli ardore, ſcilicet vt ferinam corporum impediret dilaniationem, & animarum quæ inde ſequitur, perniciem auerruncaret. Sed dum zelo humanæ pacis & ſalutis ferales auertit enſes, in lapidum imbres incurrit, quibus licèt obrutus, ludorum eiuſmodi tragicorum promeruit excidium, vnàque conſpicui martyrij perenne decus, in vtraque Eccleſia, tam triumphante, quàm militante obtinuit. Atque hæc de Martyribus infimi etiam ordinis Clericalis, animarum zelatoribus vſque ad vitæ & ſanguinis profuſionem feruentiſſimis. Cæterùm ſi de Confeſſorum exemplis ſeriem contexere aggrederer, tempus me profectò præteriret enarrantem. Certè in noſtro Martyrologio plurima commemorauimus, quæ niſi illic ſcripſiſſem, hîc enarrare forſitan non incongruum foret: ſed vt oleum & operam perdere, actum agere, ita & quaſi noua & ſelecta ire depromptum, quæ alibi iam dicta ſunt, ſuperuacaneum eſſe reor: ſatis igitur hîc monuiſſe videtur quotquot poſt Apoſtolorum tempora, & Martyrum exceſſus, doctrinâ ſanctitatéque floruerunt in Eccleſia Dei, eoſdem quoque animarum zelo ferè incredibili excelluiſſe. In promptu deſignâſſe præ cæteris ſufficiat, SS. Athanaſium, Baſilium, Chryſoſtomum, Martinum, Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Gregorium tam Nazianzenum, quàm Romanum, Bernardum; qui ſpiritu & virtute Eliæ animati, opus Dei circa animarum ſalutem mirabili pietatis æſtu ac charitatis inſtantiâ procurârunt, huícque officio poſtpoſuerunt omnia, ſui ferè ipſimet penitus obliti, totíque in hoc ſtudium intenti, quòd Dei beneplacitum eſſe perpetuum non neſcirent. Sanè hoc celebre dictum Richardi à S. Victore nunquam poterit ſatis pro dignitate commendari, *Neſcio* (aïebat) *an maius beneficium poſſit homini à Deo conferri, quàm vt per eius obſequium aliqui conſequantur ſalutem, ſi tamen homo cooperetur ex charitate.*

* Ex hoc conſtat hunc Telemachum alium eſſe ab Amalachio ſuprà memorato: Tametſi hunc cum illo eundem Baronius exiſtimarit. Præter id enim quod tempora repugnant, cùm iſte ſub Honorio, ille ſub Diocletiano (vt Galeſinius notat) ſit paſſus: Certè Amalachius vt eſt in Martyrologio, quod ſub veteris Romani titulo Roſweydus edidit, decollatus fuit; Alipij Præfecti iuſſu Telemachus gladiatorum concurſu lapidibus obrutus fuerit, teſte qui ſuprà Theodoreto.

Qui ſeſe Clero adſcribi petit, hanc gratiam igitur à Deo poſtulare eum oportet; nec enim vt otiô torpeat, ſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ debet addicere; aut vt ſibi dumtaxat proſit, quaſi aliorum curâ hoc ipſo titulo Clericali ſit exemptus; at in Dei tranſiiſſe ſortem, ſic ſe recogitet, vt deinceps totus eius obſequio mancipetur. A ſuis autem miniſtris id Deus diſtrictè exigit, vt non modò ſint propriæ ſalutis ſolliciti, ſed plebis quoque conuerſioni, & ſanctificationi indefeſſam curam ac operam adhibeant: quam vt promoueant, propriæ vtilitatis etiam ſpiritualis nonnihil imminutum iri libenter etiam pati eoſdem neceſſe ſit. Strenuè & alacriter hoc proprium incommodum, alienæ ſalutis procurandæ gratiâ pertulit S. Franciſcus, cuius hac de cauſa memorabile factum S. Bonauentura

uentura c.12. vitæ eius, verbis eiuſmodi commemorat. *Fidelis reuera famulus, & miniſter Chriſti Franciſcus, vt cuncta perfectè & fideliter perageret, illic potiſſimum virtutum exercitiis intendebat, quæ Deo magis placere cognouerat. Dubitans verò an potiùs orationi quàm prædicationi vacandum eſſet, fratrumſententiam exquiſiuit: ſiquidem ego inquiens ſimplex & imperitus ſermone, maiorem accepi orandi gratiam quàm loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum: in prædicatione diſtributio donorum cælitus acceptorum: in oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad ſummum & verum bonum, cum vigoratione virtutis: in prædicatione ſpiritualium pulueriꝫatio pedum, diſtractio multa, & relaxatio diſciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur & audimus, & quaſi vitam Angelicam agentes, inter Angelos conuerſamur; in prædicatione multâ vti oportet condeſcenſione ad homines, & humanè inter eos viuendo cogitare, videre, dicere, & audire; ſed vnum videtur præponderare his omnibus ante Deum, quòd vnigenitus Dei filius propter animarum ſalutem de ſinu patris deſcendit, vt ſuo mundum informans exemplo, verbum ſalutis loqueretur, & ideò videtur magis Deo placitum, quòd intermiſſa quiete, foras egrediar ad laborem.* Subiungit S. Bonauentura quòd cùm ex illa collatione cum fratribus, vir ſanctus nihil adhuc omnino certi ſtatuiſſet, eum cõfugiſſe ad preces Sanctæ Claræ, aliorúmq; ſui Ordinis ſanctitate præſtantiũ, qui cùm voluntatem Dei humili & aſſiduâ ſciſcitatione cognouiſſent prædicationi potiùs eſſe incumbendũ, continuò Franciſcum ſuccinxiſſe ſe, & cum tanto feruore iter ingreſſum, ac ſi factâ manu Dei ſuper eum induiſſet è cælo virtutẽ.

Cæterùm non eò proſpicit hoc exemplum, vt iuuenes Clericos ſoláque primâ initiatos Tonſurâ velim ſe ingerere prædicationi, lucri animarum prætextu; omnia tempus habent, nec omnibus omnia licent; ſed huc ſpectat facti tam inſignis commemoratio; primò, vt diſcant Clerici etiam adoleſcentes, ex Dei iudicio, anteferendam proximi ſalutem propriæ quieti, adeóque ipſi etiam orationi; non quòd deſerenda hæc ſit penitus, ſed nonnihil gratiâ lucri animarum intermittenda, quò hominum ſalutiferæ inſtructioni faciliùs & inſtantiùs vacari poſſit. Plus enim longè eſſe lucrari vnam animam, quàm orationi perpetuæ, relictô iuuandi proximum ſtudiô, hærere. Deinde ſciant ſe maturè huic officio inſtructionis proximi debere comparare, præmiſſâ tamen ſeriâ humilíque conſultatione diuinæ voluntatis, ſedulâ imploratione gratiæ, congruis ad munus huiuſmodi exercitationibus, lectione potiſſimùm & oratione: híſque præeuntibus & ducibus exhortatiunculis priuatis, deinde etiam, ſi per ſuperiores licet, publicis, tum catecheſibus, quarum exercitium ſummi etiam viri tam humilitatis exemplô, quàm charitatis in proximum feruore etiam grandæui, & doctrinæ eminentiâ percelebres ſponte ſua obierunt; vtà Panteno, Clemente, Origene, Heracla, quondam factum in Eccleſia Alexandrina legimus, & non ita pridem in Pariſienſi, ac ſubinde Lugdunenſi à magno illo Ioanne Gerſon Academiæ Pariſienſis Cancellario: cuius æuo Sanctus Vincentius Ferrerius, Ordinis Prædicatorum inſigne lumen, eodem officio ſummâ charitate ac humilitate perfunctus eſt; de

quo qui eius res geſtas memoriæ conſignauit Petrus Rauzanus, ita ſcribit: *Neque dumtaxat ætate prouectos ſublimium rerum capaces erudiebat, ſed etiam pueros certis ad ſe horis euocatos inſtituebat, docens eos quemadmodum cruce ſe ſignarent, orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem, atque fidei ſymbolum enunciarent, Deum colerent, amarent; parentibus, & proximis quibuſque honorem haberent, & debita officia perſoluerent.* Quo pari affectu S. Auguſtinus conciones *ad Catechumenos* dudum habuit (quarum vna extat etiamnum tom. 6.) librúmque vnum contexuit *de catechizandis rudibus* tom. 4. aliúmque *de fide & ſymbolo* tom. 3. Quæ hîc memorata volui, tum vt tantorum Eccleſiæ luminum zelus circa animarum ſalutem, poſterorum memoriæ altiùs infigeretur: tum vt ab hoc præſtando non modò adultis rudibus, ſed & pueris ſalutis ſubſidio, nullo pudore abſterrerentur; quod præſtitum conſtat ab iis qui in Eccleſia ſuppares Apoſtolis extiterunt; denique vt opitulandi pereuntibus animabus artes, eáſque ad iuſtitiæ tramitem & ſalutis aditum reuocandi, nec non deducendi in viam pacis ac felicitatis æternæ, non modò deſiderium, ſed & peritiam calleant, noſcántque eam non in ſola verbali inſtructione ſitam eſſe, ſed iis in officiis eſſe inſuper repoſitam, quæ Sanctus Gregorius lib. 10. Moral. cap. 6. tam accuratè & rectè, quàm piè & eleganter deſcribit: *Rurſus*, inquit, *cùm cogitat, vt ea alteri faciat quæ ſibi ab altero fieri expectat, penſat nimirum, vt malis bona, & bonis meliora reſpondeat; vt erga procaces manſuetudinem longanimitatis exhibeat, vt malitiæ peſte languentibus gratiam benignitatis impendat, vt diſcordes pace vniat, & concordes ad concupiſcentiam veræ pacis accingat, vt indigentibus neceſſaria tribuat, vt errantibus viam rectitudinis oſtendat, vt afflictos verbo & compaſſione mulceat, vt accenſos in huius mundi deſideriis, pia increpatione reſtringat, vt minas potentum ratiocinatione mitiget, vt oppreſſorum anguſtias, quanta præualet ope, leuet; vt foris reſiſtentibus opponat patientiam, vt intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam, vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet; ſic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem ferendo tranſcendat, vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quoſque miniſteriis in amore ſeruet, vt proximorum mala, cùm corrigere non valet, taceat, vtque cùm corrigi loquendo poſſunt, ſilentium, conſenſum eſſe pertimeſcat: vt ſic ea quæ tacet toleret, ne tamen in animo virus doloris occultet, vt ſic maleuolis manus benignitatis exhibeat, ne tamen per gratiam à iure rectitudinis excedat, vt cuncta proximis quæ præualet impendat, ſed hæc impendendo non tumeat, vt ſic in paucis quæ exhibet, timoris præcipitium paueat, ne tamen à boni exercitio torpeſcat; vt ſic quæ poſſidet tribuat, quatenus quanta ſit largitas remunerationis attendat*, &c. Hæc S. Gregorius; quæ ſi, vt par eſt, initiandus Clero, vel iam eius choro adſcriptus, mediteur, profectò non ſolùm accuratè cognoſcet quid exigat, & præſtare poſſit verus & ſyncerus animarum zelus; ſed reipſa inſuper eadem præſtabit ac exequetur adæquatè: nec eſt enim quòd animum deſpondeat præ tenuitate naturalium virium; ſi enim Deum poſuerit adiutorium ſuum, ab expectatione

ſua non confundetur, at experimento comprobabit quàm pia, vera, ſyncera ac efficax ſit hæc ad ipſum miſericordię fontem, Eccleſię Catholicæ, in Dominica 11. poſt Pentecoſtem deprecatio, *Deus qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis & vota; effunde ſuper nos miſericordiam tuam, vt dimittas quæ conſcientia metuit, & adiicias quod oratio non præſumit. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Hæcque alia oratio; *Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exequamur & factis. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.* *Dominic. 17.*

ARTICVLVS XI.

Zelus propriæ ſalutis.

QVID *prodeſt homini* (ait Saluator Matth. 16. 26.) *ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Nec ſi prophetizauerit, nec ſi miracula fecerit, nec ſi pleroſque docuerit, quin & ad fidem & ſalutem innumeras animas adduxerit, hoc ei proderit quicquam, ſi ipſe immemor propriæ ſalutis, ſuâ demum ex culpa pereat. Apoſtolus id diſertè docet ad Corinthios ſcribens 1. epiſt. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens; & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Charitatem autem non habet qui in ſeipſum ita crudelis eſt, vt per peccatum animam occidat, æternæque mortis eam ſuo reatu addicat exitio; ideo, ait idem Apoſtolus eadem epiſt. cap. 9. in fine: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim ipſe reprobus efficiar.* Ex quibus verbis hæc infert S. Ambroſius ep. ad Eccleſiam Vercellenſem, *Ergo qui non caſtigant corpus ſuum* (vt ſcilicet cohibeant vel emundent à peccatis) *& volunt prædicare aliis, ipſi reprobi habentur*; id eſt à Deo reiecti, cæloque excluſi.

Infelix Iudas patenti eſt exemplô; non ſe intruſerat in Apoſtolorum collegium, at vocatus fuerat à Domino, imò etiam electus, ſiquidem Chriſtus ipſe ait Ioann. 6. *Nonne ego vos duodecim elegi?* Miſſus fuerat quemadmodum alij ad euangelizandum regnum Dei; prædicauit, dæmones eiecit, infirmos curauit, aliáque miracula edidit, ſicut alij Apoſtoli, vt conſtat Lucæ 9. ſed quid hoc ei profuit? Sanè nec Chriſti vocatio, nec in cœtum Apoſtolicum cooptatio, nec miſſio, nec prædicatio, nec miraculorum operatio infelicem hominem ab exitio ſeruauit, qui propriæ ſalutis oblitus, & Dominum prodidit, & ſeipſum perdidit: vnde vocatus à Domino *filius perditionis*, non quidem quòd alios perdiderit, (quos potiùs ad regnum Dei verbis & ſignis inuitauerat) ſed quòd ſeipſum incuriâ propriæ animæ, ſpontaneo reatu, finalíque impœnitentia, nimirum funeſta deſperatione præcipitauerit in ſempiternum exitium. *Ioan. 17.*

Caſus Origenis,qui pro fidei tutela & illuſtratione, ſex millia voluminum ſcripſerat,qui adhuc adoleſcens patrem ſuum,alióſque plurimos ad martyrium fortiter ſubeundum excitauerat,ad ídque ipſe cucurrerat,qui animarum ſeptemdecim millia Chriſto cōciliauerat, hæreſiarchas quoſdam ad fidem reduxerat; qui auditores innumeros diſcipulos crucis, & Euangelij aſſertores effecerat, qui doctrinâ ſuâ totum orbem obſtupefecerat, *primus Eccleſiæ magiſter* poſt Apoſtolos, appellari promeruerat, qui fidei profeſſionem, quam ſubiecit Fabiano Papæ, tantâ humilitate, quantâ ſcientiæ excellentiâ promulgauerat; Noui & veteris Teſtamenti ſeptem editiones, ad Chriſtianæ veritatis demonſtrationem ac defenſionem concinnauerat: qui iam ſenex in perſecutione Decij pro fide ipſa inſigniter certauerat, ac ingentia etiam tormenta perpeſſus fuerat. Tanti, inquam, viri caſus à Cardinale Bellarmino aſſertus in ipſo eius elogio, quem (quæſo) non terreat? quis lapſum adeò formidabilem ſeria mente recogitans, attenta meditatione reuoluens, ſibi quantumuis docto, quouis Eccleſiaſtico gradu inſigni, quantolibet exantlato pro fide & iuſtitia laboris æſtu, glorioſo; quibuſuis etiam inclyto victoriis, palmis onuſto, meritis cumulato, ſibi plurimùm non timeat? memor illius Dominici monimenti, *ſi in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet?* Apoſtolicæque illius vocis; *qui ſtat, videat ne cadat;* item metuendæ huius ſententiæ 1. Pet. 4. *Tempus eſt vt incipiat iudicium à domo Dei: & ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi parebunt?*

Tertulliani quoque & Oſij hîc caſus, etiam plurimùm deplorabilis, prætermitti non debet. Et Tertulliani quidem merita egregia, lapſúmque miſerabilem, tam ſyncero animo, quàm eleganti calamo Vincentius Lirinenſis cap. 24. Commonitorij 1. aduerſus profanas vocum nouitates dudum expoſuit: *Quid enim hoc viro doctius,* (inquit) *quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? nempe omnem philoſophiam, & cunctas philoſophorum ſectas, auctores, adſertoréſque ſectarum, omnéſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtudiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus eſt: Ingenio verò nonne tam graui ac vehementi excelluit, vt nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine irruperit, aut pondere eliſerit? Iam porro orationis ſuæ laudes quis exequi valeat? quæ tanta neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui, quos ſuadere non poterat, impellat; cuius quot penè verba, tot ſententiæ ſunt, quot ſenſus tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnoſtici, cæteríque, quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus euertit. Et tamen hic quoque poſt hæc omnia, hic (inquam) Tertullianus, Catholici dogmatis ac vetuſtæ fidei parum tenax, ac diſertior multò quàm fidelior, mutatâ deinceps ſententiâ, fecit ad extremum quod de eo Beatus Confeſſor Hilarius quodam loco ſcribit: ſequenti, inquit, errore detraxit ſcriptis probabilibus auctoritatem.* Vtinam non ſibi ſalutem, quam perdit, quiſquis fidem lædit: quiſquis ad extrà digreſſus, ad intrà non tendit; aliorum eruditioni intentus, curæ ſuipſius ſalutis oblitus.

Cataſtrophen Oſij Cordubenſis Epiſcopi, S. Hilarius in 5. Matth. flebili voce itidem deplorat; *Quis rogò,* inquit, *de ſuo exitu potuit eſſe ſecurus,*

ſi omnium ſynodorum laudibus Oſium celebratum, & Scriptorum cunctorum illorum temporum præconiis exaltatum, tótque ex diuerſis atque multiplicibus certaminibus, coronis auctum, hominem in Conciliis agentem patronum atque magiſtrum, videat tam inopinatè proſterni, ac inſtar ſalis infatuati pedibus proculcari, tantúmque ducem effici exercitus deſertorem, immò ad hoſtes deficientem, & in caſtris hoſtium profitentem, transfugam adeò ignominioſè conſtitui, eóque potiſſimùm tempore, (proh dolor!) quo de laboribus immenſis præmium accepturus, & de innumeris victoriis fuiſſet donandus à ſummo Imperatore coronis.

Exempla hæc metuenda nimis, quiſquis ad ſacra munia aſpirat ac ſtudia accedit Eccleſiaſtica, apud ſe perpendere debet, altíſque animæ ſenſibus diligenter incutere. Hinc enim diſcet *non altum ſapere*, ſed modeſtè, & de ſe humiliter ſemper & vbique ſentire, vnaque perſpiciet, quàm vanum ſit circa plurima externa diuagari, cùm *vnum reuera ſit neceſſarium*; videlicet ſtudium non quidem multiplicis ſcientiæ, ſplendidíque circa alios erudiendos laboris; at procurandæ propriæ ſalutis; nam ſi hac cura ac intentione quiſque caret, licèt aliis fortè ſeminet, ſibi certè neque ſerit, neque metit; & dum aliis lucet, ipſe impingit; alios enim dum monet, nec ſe mouet, ipſe perit.

Diſquirunt nonnulli ſatis anxiè, *quid ſit Epiſcopi præcipuum munus?* Aliqui dicunt eſſe prædicationem, quæ dicitur proprium munus Epiſcoporum in Concilio Tridentino c. 4. *ſeſſ.* 24. *de reformat.* Alij dicunt eſſe correctionem morum ſubditorum, quod etiam dicitur officium Epiſcopi proprium eodem in Concilio cap. 1. *ſeſſ.* 14. *de reformat.* ita Canoniſtæ Doctores paſſim ſentiunt in *Clementina vnica de officio Ordinarij*: alij aſſerunt ſitum eſſe in aſſidua oratione; in celeri cauſarum expeditione: alij in ædificandis vel inſtaurandis Eccleſiis & locis piis: alij in viſitandis infirmis, aut largitione eleemoſynarum: alij in aliis rebus. Sed Cardinalis Palæotus in ſuo Archiepiſcopali, tenet præcipuum munus eſſe illud quod ex Epiſcopi nomine deſumitur, ſcilicet vigilantiam, & ſollicitudinem ſuper gregem ſibi commiſſum, vt ſaluetur, & non pereat; atenim hæc omnia ad Epiſcopi munus iure proprio ſpectare, hócque vltimum maximè ei incumbere ſuſcepto ex officio, neutiquam inficiabor: verumtamen cenſeo præcipuum, & ſummum Epiſcopi aut paſtoris cuiuſque munus in eo cardine verſari, ſtudio ſcilicet ſtrenuo & perenni ſaluandi animam ſuam, quam vtique ſaluare non poteſt, niſi cæteris officij debitis vndequaque ſatisfaciat. Nec mea hæc eſt ſententia, ſed expreſſa doctrina Apoſtoli ſic ſuum admonentis dilectum præ cæteris diſcipulum: *Dum venio* (ait 1. Timoth. 4.) *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, &c. *Hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus: attende tibi, & doctrinæ: inſta in illis: hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Vbi notare iuuat præcipere Apoſtolum, vt Timotheus priùs attendat ſibi ipſi quàm doctrinæ, ſítque ſui ipſius ſaluandi ante omnia ſollicitus: tum enim fore vt ſeipſum ſaluum faciens, eorum quoque quorum curam gerit, ſit prouecturus, quin &, iuuante Deo, operaturus ſalutem.

Quæſtio notabilis.

Ad hoc ſpeculum ſeſe componere neceſſe eſt, quiſquis ad Clericalem

ſtatum contendit, omnia enim (ſicut dixit ac fecit vas ipſe electionis Paulus) arbitrari detrimenta debet, vt Chriſtum lucrifaciat. Poſthabeat igitur omnia vitæ huius ſtudia & commoda, animæ ſuæ ſaluationi; vnum hoc eſt ei abſolutè neceſſarium: hunc igitur præcipuum affectum, hoc deſiderium, ſtudium & conatum ſi in animum induxerit, piæ huic, fideli ac felici animæ efficietur ſimilis, de qua dixit Dominus, *meliorem partem eligit, quæ non auferetur ab ea*, Luc. 10.

ARTICVLVS XII.

Zelus honoris Dei iuriſque, & decori Eccleſiæ.

ZELO *zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*, inquit 3. Reg. 19. *Elias propheta qui ſurrexit quaſi ignis, & cuius verbum quaſi facula ardebat*, Eccleſ. 48. Vtinam qui ad Dei miniſterium accedunt; *in ſpiritu & virtute Eliæ* accederent, ſicut Ioannes Baptiſta venit, de quo ait Dominus, Ioan. 5. *Ipſe erat lucerna ardens & lucens;* Quæ diuina verba perpendens S. Bernardus in ſerm. de Natiuit. S. Ioan. Bapt. *Eſt*, inquit, *tantum lucere, vanum, tantùm ardere paruum, ardere & lucere perfectum*, &c. *Sapientis ardor internus, foris lucet; etſi ei non datur vtrumque, curet ſemper ardere magis*, &c. *Væ nobis fratres, ſi luxerimus tantùm. Nam lucemus quidem, & magnificamur ab hominibus; ſed mihi pro minimo eſt vt ab humano iudicer die, qui enim iudicat me Dominus eſt, qui feruorem ab omnibus exigit: ſplendorem verò non ita. Ignem, inquit, veni mittere in terram, & quid volo niſi vt accendatur? hoc nempe commune mandatum*, &c. *Cæterùm ſingulariter Apoſtolis & Apoſtolicis viris dicitur, luceat lux veſtra coram hominibus, nimirum tanquam accenſis, & vehementer accenſis, & quibus non timeatur à flatu quolibet & impulſione ventorum*, &c. *Ioannes in ſpiritu velut Angelus eruditur*, &c. *verè ardens & vehementer accenſus, quem ſic præoccupauit flamma cæleſtis, nouus ille ignis recens elapſus è cælo.*

Non igitur venit tantùm, vt Elias, ſed & vt Angelus, quo nomine etiam à Domino honoratur: Angeli ſemper cum igne apparent, ſic Angelus in rubo ardenti Moyſi apparuit; ſic Angelus qui ortum Samſonis eius parentibus prænunciauerat, dum offerrent holocauſtum, cum flamma ignis ſacrificij ſurſum rediit. *Cùm aſcenderet flamma ignis in cælum, Angelus Domini pariter in flamma aſcendit*, Iudicum 13. ita Danieli viſus eſt Angelus *cuius facies erat velut ſpecies fulguris, & oculi eius vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorſum ſunt vſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis*. Daniel. 10. ita & quem Chriſtus rediuiuus ac in patris gloria triumphans miſit ad dilectum ſuum Ioannem, Angelus, *habebat oculos tanquam flammam ignis, & pedes ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti*. Apoc. 1. alium idem Ioannes conſpexit apparatu quoque mirabilem, c. 10. *cuius pedes erant tanquam columnæ ignis*. Nec id his fuit ſingulare; Angeli enim omnes ignei ſunt, dicente de iis generatim ſcripturâ, Pſal. 103. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos* flammam ignis*, Hebraïcè, *es lohet*, ignem flammantem & flagrantem: Romanum pſalterium habet, *ignẽ lucentem*: Aquila vertit, πῦρ λάβρον, *ignem impetuoſum*,

* Legit Tertull. lib. 2. cont. Marc. c. 8. *Apparitoret.*

vehementem: quæ omnia ſignificant Angelis ineſſe maiorem magíſque ſurſum ferentem ab omni materiali ſubſtantia puritatem, quàm habeat ignis (vide S. Dionyſium de cæleſt. hierarch. c. 15. & S. Damaſc. lib. 2. de fide c. 5.) Sed inſuper longè maiorem habere agilitatem, ignitionem, feruorem, vim penetrandi, acumen, actiuitatem & deſiderium circa diuinum miniſterium, quàm ſit intenſus feruor ac ardor in igne.

Ignis porrò ille Angelorum nihil eſt aliud, quàm eorum zelus, quo ſemper & vbique feruent pro honore & gloria Dei: quo ſi exuerentur, Angeli & miniſtri Dei, beatíque ſpiritus, & puri actus eſſe deſinerent: quemadmodum S. Ambroſius ſapienter & planè diuinè ſuper Pſal. 118. annotauit; *Angeli*, inquit, *ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt prærogatiuam, niſi eam zeli ardore ſuſtentent.*

Quod in cæleſti regno Angeli ſunt; hoc ipſum in ſubcæleſti ſunt Chriſti Apoſtoli & Diſcipuli, vnde antequam orbem inuaderent, ſuperno illo igne, quo feruent Angeli lucis, à Spiritu Sancto fuerunt inflammati; *Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, qui ſedit ſupra ſingulos eorum.* Act. 2. Piè, doctè, ac eleganter arcanum linguarum eiuſmodi ignearum inſidentium ſupra Apoſtolorum ac Diſcipulorum capita, ediſſerit Arator lib. 1. Carminum in Acta cap. 3. vbi ita modulatur,

Res maxima cogit
Non reticere diu, quid ſit quòd ſpiritus almus
His datur in flamma, Iordanis ab amne columba.
Quod nunc ritè canam, promiſſáque debita ſoluam,
Si ſua dona ferat. Duo ſunt hæc ſigna figuræ,
Vt ſit ſimplicitas, quam congrua diligit ales,
Quæ ne tarda gerat ſine dogmatis igne tepores,
Sic pariter ſuccenſa fides, ibi deſtinat vndis
Vnanimos, hîc ore iubet flagrare docentes:
Mentibus inſtat amor, ſermonibus æſtuat ardor.

Idem myſterium notauit S. Gregorius hom. 30. in Euangelia, dicens in igneis linguis deſcendiſſe Spiritum Sanctum ſuper Apoſtolos & Diſcipulos, inſediſſéque ſuper ſingulos eorum, *vt eos ſpirituali ardore accenderet.*

Spiritualis ille ardor zelus eſt: quem eſſe aurum illud igneum cenſet S. Ambroſius, quod à ſe Spiritus Sanctus poſtulare Laodicenum Epiſcopum Apoc. 3. præcepit; *Conſulo tibi vt emas à me aurum igne probatum.* Serm. 18. in Pſal. 118.
Hic enim eſt zelus Dei, ait S. Ambroſius, *hic eſt fidei vapor, deuotionis feruor, charitatis ardor, Angelorum vigor, quin & vita Dei*, id eſt, qua Deus viuit in nobis; de qua vita & eius actu & affectu, hæc igneo ore ac pectore Martyr Ignatius ad Epheſios ait: *Tantùm in Chriſto inueniamur, vt verè viuamus, abſque eo ne reſpirare quidem velitis; is enim mea ſpes eſt, is mea gloriatio, hæ meæ indeficientes diuitiæ; in quo vincula à Syria Romam vſque circumfero, ſpirituales margaritas, in quibus vtinam mihi contingat conſummari, ac participem Chriſti paſſionum, & ſocium mortis eius fieri, & reſurrectionis à mortuis, & æternæ vitæ.* Zelum igitur debet habere Sa-

cerdos; ipſe enim Angelus Domini exercituum eſt, nec miniſterium ei gratum præſtare poteſt, niſi zeli feruore exarſerit, nam ſi remiſſus ſit, aut negligens, ſtatim à Domino audiet hanc indignationis vocem, *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.*

In die iudicij, ignem zelum ſuum eiaculaturum aduerſus reprobos, Apoſtolus ſcribens ad Hebræos cap. 10. proteſtatur. *Terribilis eſt*, inquit, *expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios.* Vbi in vulgata legitur æmulatio, Græcè eſt πυρὸς ζῆλος, id eſt, zelus ignis, quaſi tribueret illi Apoſtolus ſenſum, & zelum vindicandi peccata in Deum admiſſa, eiúſque violatam gloriam à præuaricatoribus diuinæ legis vlciſcendi; (hoc igne ſuccenſum ſe Dauid innuit Pſal. 118. dicens, *Tabeſcere me fecit zelus meus: quia obliti ſunt verba tua inimici mei.*) intelligens ſcilicet per zelum ignis, eiuſmodi vehementiam & impetum, quo quaſi naturali quodam zelo vlciſcetur, & puniet acerrimè peccatores, iniuriáſque in Deum dominum & creatorem ſuum admiſſas, ſeuerè & acriter vindicabit.

Hanc ignis æmulationem, ſeu zeli diuini vim & ardorem, actum, motum, & impetum Sancti maximè qui Sacerdotio præfulſerunt, vel publico aliquo munere in Dei populo perfuncti ſunt, leguntur imitati: quotieſcumque etenim contemni Dei maieſtatem, lædi honorem, minui vel impediri gloriam, legem violari aduerterunt, toto ſpiritus zeli impetu aduerſus impios vel iniquos exarſerunt, irruerunt. Exempla ſunt hoc de ſpirituali ardore ſacris in ſcripturis illuſtria, videlicet Moſis, *Exod.* 32. Phinees, *Num.* 25. Ioſue, *Ioſ.* 7. Iſraëlitarum, *ibidem* 22. *Iudic.* 20. Samüelis, 1. *Reg.* 13. & 15. Dauidis, *Pſal.* 69. Eliæ, 3. *Reg.* 18. & 19. Ezechiæ, 4. *Reg.* 18. Ioſue, *ibidem c.* 23. Zachariæ filij Ioiadæ Pontificis, 2. *Paralip.* 24. Eſdræ, 1. *Eſd.* 9. Nehemiæ, 2. *Eſd.* 13. Mathathiæ, 1. *Machab.* 2. Porrò in nouo Teſtamento, *Chriſti ſolis iuſtitiæ.* Hic ardor toto eius vitæ excurſu eminenter emicuit, ex eóque tanquam omnis gratiæ & ſanctitatis principio, in Sanctos defluxit, velut in radios diuino influxu vibratos. Petrus qui vicarius fuit primus eius in oues amoris, hoc ſpiritus ardore pro diuinæ gloriæ vltione ac tutela, primus omnium aduerſus reos diuinæ maieſtatis efferbuit, Actor. 5. Hinc protomartyr Stephanus Act. 7. Hinc vas electionis Paulus ibidem c. 13. Rom. 9. 2. Cor. 11. Gal. 3. & 4. ſociúſque eius Barnabas, *vir ille bonus*, Act. 11. 24. *& plenus Spiritu Sancto*, Act. 14. & Simeon ille Apoſtolus, qui non ab oppido originis (Cana Galileæ) Zelotes, at à feruore ſpiritus pro aſtruenda Chriſti fide, legéque tuenda Euangelij, cognominatus eſt, cui ideò hoc elogium appendit S. Hieronymus com. in Matth. *Simon, qui & Simon Zelotes, zelo Domini feruens accepit Ægypti principatum, & poſt Iacobum iuſtum cathedram tenuit Hieroſolymorum:* quem ex zeli iterum non tam titulo, quàm meritò laudat epiſt 53. ad Riparium Preſbyterum aduerſus Vigilantij errores.

B. Timothei prædilecti diſcipuli S. Pauli, zelus in Apocalypſi ſub nomine Angeli Epheſi commendatur à Domino: *Scio*, inquit, *laborem tuum & patientiam tuam, quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui*

ſe

ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inuenisti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Huius exemplum prætermitti non debet; tanto hic animi ardore pro Chriſti cultu & gloria exarſit, vt verſans in medio nationis prauæ, Epheſi ſcilicet inter incredulos & idololatras, pati nullomodò poſſet execranda ab iis ſacra fieri. Qui zelus feruentiſſimus ei diram quidem necem, at inſignem peperit martyrij demum randem coronam, quemadmodum Eccleſiaſticæ tabulæ pethibent 24. Ianuarij; cùm enim Dianæ immolantes Apoſtolici ſpiritus ardore atgueret, lapidibus ab iis obrutus eſt. *Diuinus ergo Timotheus* (ſic habent eius acta quæ refert Lipomanus part. 1. Sanctorum hiſtoriæ) *hoc ægrè ferens, & igne zeli viſceribus inflammatus, & partim quidem conſiliis vſus, & admonitionibus, cùm minimè potuiſſet iis perſuadere, vt à tali inſania abſtinerent, accedit ad eos in media compita cum iam feſtum ageretur, rurſus admonens, docens, increpans, quidque non faciens ex iis quæ poſſent dimouere homines à tali inſania; illi autem eius dicendi libertatem ægrè ferentes, quæcumque habebant in manibus, iis aduersùs eum vſi ſunt, eum ferientes, & per vrbem trahentes cum qua dici poſſit crudelitate & inhumanitate: at tandem humi iacentem cùm omnis virtus vitalis, & operatio eum deficeret, quidam Chriſtiani eum tollentes, parum adhuc, & ægrè ſpirantem, & iam morti vicinum, vltra ciuitatis portum depoſuerunt, vbi cùm Deo commendatum emiſiſſet ſpiritum, corpus rurſus piè & ſanctè in quodam loco condunt qui apud eos Pion (id eſt pinguis) dicitur.* Extat epiſtola Polycratis, qui poſt ipſum B. Timotheum Epheſienſi Eccleſiæ præfuit, de eius martyrio ad cunctos Aſiæ, Phrygiæ, Pamphyliæ, Ponti & Galatiæ Sacetdotes: quæ vt fuſiori quidem ſerie, ita longè accuratiori glorioſum eius agonem pro diuinæ veritatis & Maieſtatis vindiciis fortiter & animosè exantlatum deſcribit, his verbis nimirum: *Nouis accuſationibus & obtrectationibus apud Domitianum delatus Ioannes Apoſtolus, in exilium actus eſt in vnam Cycladum cui Inſulæ Pathmo nomen eſt; remanente ſemper Epheſi Sancto Timotheo, & Eccleſiam Chriſti ſanctè pro virili adminiſtrante: ſed adhuc in vrbe Epheſiorum ſupererant quædam reliquiæ veteris idololatriæ, quas nōdum abſcindere valuerat paſtoralis auctoritas: nam plurimi obſeruabant adhuc gentilitio ritu Catagogia; ſic enim vocant inſanam quandam celebritatem, quâ incedebant populi prætextâ induti, & perſonati facies ſuas velantes, ne in maleficiis agnoſcerentur, portabántque tum clauas, quæ ropalia vocant, & imagunculas ſimulachrorum Deorum pallis ſudibúſque infixas, carmine planè deridenda, nefanda & indigna concinentes, inuentum profectò Dæmoniorum ad maleficia plurima, nam in ciuium domos irrumpebant, caſtas matronas ſtuprabant, virgines opprimebant, homicidia plurima perpetrabant, & plurimum ſanguinis effundebant, innumera alia committentes flagitia, quæ bono ciuitatis, & ſaluti ſtatus Reipublicæ conuenire mentiebantur. Quam inſaniam cùm Timotheus, cui ciuitas maximè curæ erat, vt qui Epiſcopalem ſuſceperat adminiſtrationem, reprimere vellet, vnâ die illius nefandæ ſolennitatis ad porticum currens, in medio eorum ſtetit, benigniſſimè eos adhortatus dicens: O viri Epheſij nolite hâc idololatriâ inſanire, ſed illum, qui verè Deus eſt, agnoſcite, depoſitis his, quibus eum offenditis, & quæ vos ciuitatémque veſtram nihil iuuant inſaniis. Hæc & ſimilia his ſanctum Epiſcopum*

Vu

ſuum proſequentem furioſa prætextatorum & perſonatorum turba partim ropalis, ſudibus & pallis, quibus ſuperpoſita ferebantur ſimulachra, partim ſaxis appetunt, & virum Dei eis ſalutis viam oſtendentem crudeliſſimè trucidant. Quem adhuc ſpirantem quidam ſerui Dei rapuerunt è medio, & deduxerunt vſque in montem, qui ciuitati adiacet, vbi protinus ſacratum Deo reddidit ſpiritum. Compleuit autem glorioſum martyrium primus Patriarcha Epheſiorum Timotheus 22. menſis Ianuarij; Neruâ moderante Romanum imperium, & Proconſule Peregrino procurante Aſiam; apud nos verò regnante D. N. Ieſu Chriſto.

Illuſtre viri huius Apoſtolici profectò hoc exemplum eſt, & quod zeli Eccleſiaſtici omnibus Clericis & Chriſti miniſtris, pro diu[illegible] honoris aſſertione & tutela aduerſùs quamvis impietatem, expreſſum ſpecimen præbet, viuámque quaſi in nitenti ſpeculo animi feruentis pro defenſione fidei, ac diuini cultus propugnatione effigiem proparulo exponit; Paululùm igitur huic contemplando, quæſo, hîc immoremúr; non modicum enim licet piæ æmulationis hinc haurire lumen.

Si petat quiſpiam, quid ſit zelus? Reſpondet Sanctus Ambroſius: *gratia Dei munus, quod exquirit, quod ſuperuenit, quod ſe iuſti infundit pectori, efficítque in iis qui zelum ipſius habent, ſibi inimicos putent, qui ſunt hoſtes Dei, quamuis patrem, fratres, ſorores.* Sanctus Baſilius orat. 23. in anima rationali dicit quamdam eſſe acrimoniam, quæ cùm ad pietatem acceſſerit, zelum parit: *Zelus autem*, inquit, *fidei præſidium eſt: propugnaculum, & tuitio religionis.* Proficiſcitur etenim zelus à duabus maximis virtutibus (vnde magis elucet eiuſdem excellentia) ſcilicet à charitate & religione in Deum; rectè ſiquidem docet Gerſon part. 3. de conſolat. Theologiæ, libro tertio pſ. 1. *Zelum eſſe deſiderium vehemens, quo quis incitatur ea tollere, quæ rei ſibi dilectæ videntur aduerſa: vnde quantò intenſior dilectio, tantò ex ea oritur zelus ardentior:* Ex quo ſequitur, qui Deum ſuper omnia diligit, quò plus eum amat, eò magis pro eius honore & gloria, vehementi ferri impetu aduersùs diuinæ ipſius maieſtatis contemptores, vel temeratores eius legis atque iuſtitiæ.

Porrò, quòd ex charitate proficiſcatur pulchrè S. Bernardus inſinuat ſerm. 49. in Cant. *Cùm duo ſint*, inquit, *beatæ contemplationis exceſſus, in intellectu vnus, & alter in affectu, vnus in lumine, alter in feruore; vnus in agnitione, alter in deuotione: pius ſanè affectus, & pectus amore calens, & ſanctæ deuotionis infuſio, etiam & ſpiritus vehementi repletus zelo, non planè aliunde quàm è cella Chriſti vinaria*, (muſto nimirum diuini amoris affluenti & redundanti) *reportantur.*

Sed ſi ita eſt, quid ſibi volunt igitur, qui zelum *iuſtam iram definiunt; imò & odium?* Implicare enim manifeſtè tam hæc videntur, quantùm amor & odium contraria ſunt, itáque & indignatio paci & beneuolentiæ aduerſantur; attamen nulla hîc contradictio, cùm ſubordinata non pugnent: at verò doceat S. Thomas ſup. 1. ad Corinthios c. 14. *eſſe zelum quidem feruentem dilectionem*, ſed itidem *odium, inuidiam, indignationem: quia ſecundum à primo procedit.* Hinc zelus viri pro vxore amorem

ſimul & odium includit; quantò magis enim maritus coniugem amat, tantò acriori odio perſequitur eum qui vim eius pudicitiæ inferre tentat: quò plus filius patrem diligit ac reueretur, eò feruentiori incitatur odio aduerſus eos, qui eum lædere, vel aliqua afficere iniuria nituntur: ſic populus Regi ſuo fidelis, quò potiori eum amore ac cultu proſequitur, hoſtes eius acriori animo repellit, honorem eius aduerſus eos defendit, regnum eius augere contendit, eóſque qui minuere illud vel diripere contendunt, totis viribus impetit ac oppugnat.

Quapropter iure expoſtulat Deus aduerſum Iudæos: *Filius*, inquit Malach. 1. *honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum; ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* Quaſi diceret, ſi me timetis, vt ſeruus dominum, & amatis, vt filius diligit patrem: quare igitur mei cultus ſtudium non habetis, honorem non zelatis, ſed gloriam negligitis, & legem contemnitis; cùm pro horum tutela, & incremento par eſſet vos vitam, & ſanguinem profundere? *Væ mihi*, quia *tacui*, inquit Iſaias *, tempus enim tacendi; & tempus loquendi: quando de noſtris iniuriis agitur, contumeliíſque nos quiſpiam & probris laceſſit, tunc ſilendi tempus eſt, quia *ſi patienter ſuſtinemus*, (ait Apoſtolorum princeps 1. ep. 2.) *in hoc gratia eſt apud Deum*: at vbi Dei nomen blaſphemiis violatur, irridetur religio, fides læditur, impugnatur Eccleſia, iuſtitia temeratur, diuina infringuntur mandata, ritus ſacri profanantur, impij inſoleſcunt, ſacrilegia fiunt, Dei denique regnum ab eius hoſtibus, modis quibuſque impetitur; tunc hercle non tacendi tempus eſt, ſed loquendi, ſed agendi, ſed patiendi quicquid extremum eſt, pro eius tuitione omnia exponere nos oportet, Timothei fidelis Chriſti ſerui exemplô, qui vbi aduertit impios contra diuinas leges inſanire, Dæmonibus deferre quæ Dei ſunt, animas & corpora perdere, nefandis actibus contaminare ſacra, idolis litare, ſuperſtitionibus ludere, Chriſtianæ pietati illudere, abominationibus replere iam dicatam Chriſto vrbem, Pauli voce in Euangelio eruditam, Ioannis magiſteriô in fide confirmatam, diuinóq; cultui conſecratam, ſibi denique (videlicet ipſimet Timotheo) vt proprio Paſtori & Epiſcopo commendatam: tum ſanè ſe continere non potuit, quin igneo zeli quo feruebat impetu, aduerſùs execranda hæc Sathanæ machinamenta, atque propudioſa molimina erumperet, hæcque ad irrumpendum ſcandala, forti & animoſo renixu ſeſe impiis illis inferni emiſſariis, tantâ impuritate, quantâ nequitiâ bacchantibus, *vt columnam ferream, & murum æreum opponeret*, Ierem. 1. Inſiliit igitur in impetu Spiritus Domini, totus igneus, totus ardens diuinæ gloriæ amore, & impietatis odiô inter furioſa hæc infidelium agmina irruit in compita, inter ſacrilegos ſacrificiorum focos, inter cruentas Dæmonum aras, diſcurrit; nutibus, ſignis, lachrymis, vocibus perditos illos interpellat, vt deſinant tam nefandis modis veri Dei numen offendere, diabolicíſque iam pati nolint ſe illudi præſtigiis, ſpurcitiíſque inquinari, quibus parari ſibi intelligant ſempiternum exitium, hoc horreant ſi ſe ament, maturéque triumphanti iam vbique Chriſto dent manus, à quo omnis ſalus & perennis felicitas, ſi modò fideles eſſe

* *Eſa. 6.*

velint, repudiatíſque funeſtis ſuperſtitionibus, ſacra amplecti Chriſtiana, ab ipſis ſperanda ſit. Sic Timotheus ttahens currum gloriæ Domini erupit *è medio lapidum ignitorum in ſimilitudinem fulguris coruſcantis*, ſic irruit, ſic corruit, tonans ſimul & cadens, corruens ſimul & reſurgens, dum vicit enim occubuit, animam in ipſa ptofudit victoria; mori potuit, tacere non potuit: ſed ſic mortem fortiter pto Chriſto oppetendo nunquam in Dei cauſa, Pontifici, Paſtori, Pteſbytero, Diacono, vllíque Chriſti miniſtro, vel minimo Eccleſiæ Clerico, vbi loqui, clamare, intonare oportet, fas eſſe conticere, at pto virili repugnandum impiorum auſibus, & vt ait Cyprianus (& ipſe inclytus Chriſti pugil) *vigore planè Sacerdotali* iis non renitendum modò; ſed occurrendum, & vt loquamur cum Paulo vaſe electionis Timothei didaſcalo, *nec ad horam*, nec ad momentum *cedendum*; nec illorum eteniin minas metuendas eſſe, nec verendum vt pro Deo loqui volentibus in die hominis, ſermo, ratio, víſque refringendi aduerſariorum obices (quos *caſtra diaboli* appoſitè vocat Ignatius) vnquam, vſquámque deficiat; Chriſti enim ſummæ veritatis promiſſio eſt, Luc. 21. 15. *Dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* O ſi liceret hîc exſpatiari, & in medium ſigillatim proferre argumenta explorata huius veritatis, ſimúlque exempla recenſere illuſtria Apoſtolorum & Martyrum, quibus zelo diuino ſuccenſis diuina hæc opitulatio, quoties neceſſum fuit, auſpicatò adfuit: nec modò loquendi vis inſuperabilis, at patiendi pro Chriſti fide & gloria inuictus etiam inter acerbiſſimos quoſque cruciatus animus! tempus me profectò deficeret enarrantem, nec ſi linguis hominum loquerer & Angelorum, ſatis pro dignitate, pium hunc ardorem tuendi diuini honoris, quem in conflictu quique ſuo Athletæ Chriſti prodiderunt, poſſem exprimere. Pulchrè quiſpiam S. Dionyſij Areopagitæ, noſtri Apoſtoli, martyrium ediſſerens, quærit, cur in caminum ignis coniectus, inter voraces flammarum globos conſumi non potuerit? Reſpondet verò, id in cauſa fuiſſe, quia ipſe diuini igne zeli ſuccenſus, omnem materialis incendij vim ardore illo ſuperno reſtingebat, quin penitus extinguebat,

Ignibus è mediis Dionyſius integer exit:
Nil mirum; Chriſti fortior ignis erat.

Conſimili acumine de Sancto Laurentio, Leo Magnus in ſerm. de eius natali, ait, *Superari charitatis Chriſti flamma non potuit: ſegnior enim fuit ignis qui foris vſſit, quàm qui intus accendit.* Zelum inclyti huius Archileuitæ confert Hugo Victorinus in clauſtro animæ, cum Abrahæ zelo proptium filium Deo in holocauſtum offerentis, ſed pleriſq; titulis anteponit. *Fortiſſimus Abraham, ſed Beatus Laurentius fortior fortiſſimo; audiamus quemlibet; Abraham ſua dimiſit, & Laurentius ſua diſperſit pauperibus; Abraham filium ſuum Deo obtulit; Laurentius ſeipſum pro filio Dei. Hic ignem parat, colligat filium, gladium euaginat, ſed Angelum Dei audit prohibentem ne perficiat; ille ad ignem poſitus Chriſtum prædicat, carnifices verò vrgentes, carbones miniſtrando, verbis non exaſperat: efficitur Domino holocauſtum, id eſt totum incenſum, intus igne charitatis, exterius verò flammâ*

tribulationis: hic quia obediens efficitur, filium recipit incolumem: ille quia perſeuerat in tormentis, à Dei filio recipitur ad ſalutem.

Zelo ardentiſſimo efferbuit dudum Lucifer Caralitanus Epiſcopus, pro Chriſtianæ Religionis ſtrenua defenſione: quo ardore feruens ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis, Orientem & Occidentem peragrauit. Zeli huius flagrantiſſimi indicio ſunt tituli librorum quos in lucem emiſit, contra Chriſtianæ veritatis & Catholicæ vnitatis aduerſarios, v. g. *De non parcendo delinquentibus in Deum. De non conueniendo cum hæreticis. Quòd moriendum ſit pro filio Dei.* Si zelus hic hæreat Epiſcoporum, Sacerdotum, & Clericorum præcordiis, profectò nihil ampliùs de incremento regni Dei apud homines poterit deſiderari, omnia fauſta, proſperáque apud Chriſtianos erunt. Impleretur in Eccleſia illud propheticum Malach. 3. *Erit* (in hac) *Dominus ſicut ignis conflans, emundabit argentum, & purgabit filios Leui. Et conflabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & ipſi ſacrificia offerent in iuſtitia; placebitque Domino ſacrificium Iudæ & Ieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.*

Circa ann. Chriſti 340.

Martyres pugnauerunt præſertim aduersùs Iudæos & Ethnicos: Confeſſores deinde contra hæreticos & ſchiſmaticos. *Robur Dei exercitus in Sacerdotio, & Clero conſiſtit;* quibus incumbit pro eius cultu, fide, lege, & grege omnibus impiis ac iniquis fronte apertâ reluctari: ſtare vt columnas ferreas & muros æreos aduerſus quaſcumque inferorum acies; frementéſque non ſolùm arcere ab ouili lupos, at vulpes etiam inſidiantes intercipere. Appoſitè & ſolerter incipientis Lutheri fraudibus occurrens Ioannes Fiſcherus tum Epiſcopus Roffenſis, ac poſteà S. R. E. Cardinalis, & quod longè glorioſius eſt, Martyr Chriſti, (occiſus Henrici VIII. Regis Anglorum iuſſu, anno 1535. iam ſenex) vt vulpes tam aſtuta & verſipellis, quàm crudelis & exitioſa Reipublicæ Chriſtianæ, ac iſte pſeudo-monachus erat, qui mille nouerat nocendi artes, ab ipſo ferè exordio infauſtorum moliminum, intercluderetur; illud ſponſæ in Canticis c. 3. claſſicum intonabat: *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit:* ergo cautius cuſtodienda à beſtiolarum eiuſmodi ſubdolis excurſibus. At bene monenti, & maturè præoccupandum fraudulento hæreſiarchæ, cordatè & vtiliter ſuadenti, nec à Cleri Primatibus, nec à poteſtatibus ſæculi fuit (vt par erat) auſcultatum. Quod de Ario dixit dudum S. Hieronymus initio lib. 3. com. ep. ad Galat. *Arius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quòd non ſtatim oppreſſa eſt, eius flamma depopulata eſt totum orbem;* id ipſum in Luthero euenit. Nihil ſanè Eccleſiæ ſalutarius eſſe poteſt, quàm ſi non modò rugientibus leonibus, & furentibus lupis fortiter à viris præſertim Eccleſiaſticis occurratur, at vulpeculis etiam clanculùm ſerpentibus & irrepentibus in vineam Domini præcludantur aditus, laqueíque intendantur, quibus velociter priuſquam noceant, capiantur. Cæterùm pro fide non modò vigilare debent Sacerdotes & Clerici aduersùs impiorum inſultus, non minùs certè contra eorum aſtus, quàm æſtus ſedulæ agendæ ſunt excubiæ. S. Bernardus ſcribens in Cantica tribus expreſſis ſermonibus, vide-

licet 64. 65. & 66. claſſicum illud, *capite nobis vulpes paruulas*, attendit ac expendit, in his porrò monet non deſignari vulpecularum nomine apertos hæreticos, ſed ſubdolos & per inſidias fraudéſque animas deprædantes, virúſque ſpargentes perfidiæ, eò magis exitioſum quò magis occultum, & ſub ſpecie pietatis vel ſimplicitatis, aut etiam humanitatis, & honeſtatis latens: *Difficultatem, inquit, occultatio facit? olim confligebat hæreticus palam; nam inde hæreticus maximè, quòd palam vincere cupiebat, at ſuccumbebat; ita ergo facilè illæ capiebantur vulpes. Quid enim ſi poſitâ in lucem veritate hæreticus in ſuæ pertinaciæ tenebris remanens, ſolus foris relegatus areſceret? Nihilominus captæ reputabantur vulpes condemnatâ impietate, & impio foras miſſo, oſtentui vtique iam victuro, non fructui. Ex hoc iuxta Prophetam, erant illi vbera areſcentia, & venter ſterilis, quia non repullulat error publicè confutatus, & falſitas aperta non germinat. Quid faciemus, his maligniſſimis vulpibus vt capi queant, quæ nocere quàm vincere malunt, & ne apparere quidem volunt, ſed ſerpere?* ita ſerm. 65. at ſerm. 66. ſic graphicè exitiales has vulpeculas depingit: *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas; ipſæ ſunt quæ prætergrediuntur viam, & vindemiant vineam. Non ſunt contentæ deſerere viam, niſi deſertare vineam poſſint, addentes præuaricationem. Non ſufficit hæreticos eſſe, niſi & hypocritæ ſint, vt ſit ſupra modum peccans peccatum*, &c. *quinam iſti prædones? hi oues ſunt habitu* (nam vt ait ſuperiori ſermone circa medium, *Catholicos ſe fingunt*) *aſtu vulpes, actu & crudelitate lupi; hi ſunt qui boni videri, non eſſe, mali non videri, ſed eſſe volunt: mali ſunt & boni videri volunt, ne ſoli ſint mali: mali videri timent, ne parum ſint mali. Etenim minùs ſemper malitia palam nocuit, nec vmquam bonus niſi boni ſimulatione deceptus eſt. Ita ergò in malum bonorum, boni apparere ſtudent, vt plus liceat malignari; neque enim eſt apud eos virtutes colere, ſed vitia colorare quaſi quodam virtutum miniô: denique impietatem nomine religionis intitulant, innocentiam definiunt tantùm in aperto non lædere: innocentiæ proinde ſolùm ſibi vendicantes colorem*, &c. *Multùm ſic proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum vt cancer ſerpit.* Hæc S. Bernardus. In cuius verbis quis non videt propriis lineamentis fortia exprimi ingenia, quæ noſtra hac ætate pullulârunt? Chriſtianos ſe Catholicóſque paſſim profitentur, nihilque minus quàm athei, & libertini videri volunt. At neque, inquiunt, bardi ſumus, neque cæci: Rationis ſe amantes eſſe, quamobrem ſibi licere de omnibus philoſophari. Hinc tametſi palam Deum negare non audeant, per cuniculos eiuſdem impetunt maieſtatem. Non curare illum de rebus humanis aiunt, quæ fato cedant, nullâ ſupernâ lege regantur. Negatâ prouidentiâ iuſtitiam eodem diſcurſu tollunt; metum mox vltionis æternæ ſcelerum quorumvis auferunt: conſequenter & ſpem futuræ beatitudinis. Hinc ſubiungunt religionem inuectam fuiſſe neceſſitate politicâ, vt homines in diſciplina, & metu quem ipſa religio incutit, continerentur: Cæterùm ex honeſtate, & propter bonum ordinis, pacíſque humanæ concordiam, & iuſtitiæ ciuilis ſtudium (quod ideò laudabile eſſe non negant) abſtinendum eſſe ab omni ſcandalo quo perturbetur publica ſocietas. At cæteroquì omnia eſſe libera & adiaphora. Quô po-

ſito axiomate, omnem vt ſubnectunt religionem; ſic impietatem & impuritatem quamcumque inducunt, ruptiſque viriorum obicibus, & virtutis ac pietatis radicibus ſtirpitùs euulſis, aditum quibuſque flagitiis vaſtiſſimum aperiunt. Adeò verò hæc cautè effundunt venena perfidiæ, vt ſiquis minùs eorum ſerpentinis ſibilis aſſentiatur, & quid peſtiferi in iis eorum dictis ſuboleat, moneátque religionem lædi; vulpinâ ſe cute contegant, excipiunt ſiquidem ſe non ſeriò loqui, ſed ludicrè tantùm ad terendum tempus: quæ verò dixerunt, aliena eſſe colloquia, quæ referunt ore quidem candidô ſed aduersâ mente: Catholicos ſiquidem ſe medullitùs eſſe, & omnibus quæ mater Eccleſia docet, præbere prorſus aſſenſum. Sic res tranſigitur iocô: at ſparſum vulpinâ aſtutiâ virus auditorum animis ſenſim exitium parit. O ſi tunc ibi adeſſet quiſpiam cordatus Sacerdos, vel Clericus, qui pro Deo & aris quô decet ardore pietatis inflammaretur, vigoréque planè Chriſtiano ac Eccleſiaſtico os eiuſmodi peſtiferum oculi compeſceret renixu: caperet vulpem illam paruulam, aſtutiámque diabolicam eius coram omnibus detegeret; obſtrueret linguam maledicam; atheum & impium altâ voce ſubdolum hunc garrulum inclamaret: *Allideret paruulos eius ad petram*; id eſt ſerpentina oua, priuſquam *de ſemine colubri egrederetur regulus*, auſpicatò elideret. His enim reprobis hominibus confeſtim eſt occurrendum; nec ſinendum, vt venena pleno ore diffundant; at ex quo primam ſcintillam impietatis euomunt, ſtatim his qui adſunt, ne audiant, ſed caueant ocyùs à Sathanæ occulto emiſſario, intonandum eſt valido clamore, & vehementi pietatis ſpiritu, qui ab omni metu vel reuerentia hominis, perſonarúmque acceptione, quando de Dei honore agitur, prorſus abhorret. Sic blaſphemi ſine mora increpandi ſunt à viris præſertim Eccleſiaſticis, quibus reuerentia Dei potiori curæ eſſe debet, ſiquidem non minùs peccant, ait S. Auguſtinus, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in cælis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris: qui in tantum igitur erumpunt ſcelus, ſine vllo reſpectu ætatis aut dignitatis, citò, acriter, fortiter arguendi ſunt: quia *blaſphemia* (ait Sanctus Hieronymus epiſt. 32.) *veniam non meretur.*

Porrò vir Eccleſiaſticus acuere zeli gladium, non ſolùm debet aduerſùs impios blaſphemos & hæreticos, ſed etiam aduersùs ſchiſmaticos, & quoſcumque Eccleſiæ hoſtes. Nihil cedere potuit honeſtius Zachariæ Pontifici, quàm in Sanctuario, pro iure Sanctuarij, & causâ religionis occumbere: cui ideò S. Cyprianus lib. de exhortatione martyrij, meritò triumphale hoc cecinit Epinicium; *Zacharias Sacerdos interficitur in medio templi & altaris, vt illic hoſtia ipſe fiat, vbi Deo hoſtias immolabat:* id ipſum ſub lege gratiæ contigit Sancto Thomæ Archiepiſcopo Cantuarienſi, cui ideò in feriis Natalis Domini propria in Eccleſia obtruncato ac coronato hoc non tam epitaphium, quàm elogium indelebile inſcriptum fuit,

Quis moritur? Præſul. Cur? pro grege. qualiter? enſe.
Quando? Natali. Quis locus? ara Dei.

Axioma iuris ſacri illud eſt, teneri Epiſcopum pro defenſione iurium

Eccleſiæ vitam ponere, quemadmodum notatur *gloſ. Pro altaribus in can. Conuenior*, 23. q. 8. his verbis: *Prælatus debet mortem ſubire non ſolùm vbi fides vel ſalus Eccleſiæ impugnatur, ſed etiam vbi res vel claues Eccleſiæ auferuntur.* Hinc magnanimæ illæ voces S. Ambroſij ex ep. 33. ad Marcellinam ſororem ſignato canone relatæ: *Conuenior ipſe à Comitibus & Tribunis vt Baſilicæ fieret matura traditio, dicentibus, Imperatorem iure ſuo vti; eò quòd in poteſtate eius eſſent omnia; reſpondi, ſi à me peteret quod meum eſſet*, &c. *me non refragaturum; quanquam omnia quæ mea ſunt, eſſent pauperum* (id eſt pauperibus deſtinata;) *Verùm ea quæ diuina ſunt, imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta: ſi patrimonium petitur, inuadite; ſi corpus, occurram; vultis in vincula rapere? vultis in mortem? voluptati mihi eſt, non ego me vallabo circumfuſione populi, nec altaria tenebo, vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratiùs immolabor.* Et infrà: *Allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe vniuerſa: Reſpondeo, noli te grauare Imperator, vt putes in ea quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere; noli te extollere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto Deo ſubditus; ſcriptum eſt, quæ Dei Deo, & Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem Palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ; publicorum tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum*, &c. *Reſpondi, ego quod Sacerdotis eſt, quod Imperatoris eſt faciat Imperator, prius eſt vt animam mihi quàm fidem auferat*, id eſt fidelitatem Deo, & Eccleſiæ mihi commiſſæ debitam. Nimius forem ſi cætera minutim perſequerer, exempláque hîc ſigillatim irem congeſtum piorum Epiſcoporum, qui pro Eccleſiæ auctoritate, libertate, facultatibus, capita in extremum diſcrimen coniecerunt. In noſtro Martyrologio pleraq; licet deprehendere: item in alio libro noſtro de Epiſcopali Monogamia, vbi hac de re nonnihil diſſettauimus. Addere hîc liceat Epiſcopū in ſeipſo pietatis & iuſtitiæ formam vniuerſo Clero præferre, ad quam Clericus quiſque ſedulò ſe componere tenetur. Nec enim ſolus Epiſcopus Eccleſiæ iuriſdictionem, immunitatem, dignitatem, poſſeſſiones debet ex officio tueri; Clerici quoque ſuo pro cuiuſque gradu, iura hæc zelô plenô defendere tenentur, can. *Maximianus* 23. q. 4. & ibi gloſ. *Conſilium*, & ad id officium compelli poſſunt ac debent, gloſ. *Operam.* in can. *vos autem* 16. q. 1. vtrobique ex S. Auguſtini ſcitis & dictis, vide & canonem, *Hæc eſt fides* 24. q. 1. & can. *Iulianus* 11. q. 3. ſed congerendis hîc canonicis auctoritatibus, & exemplis non hæreo; hac de re aliquando fuſiùs dicturus, ſi Deus cœptis adfuerit, in hæc verba, *Canonicum priuilegium*: quæ vetuſtiſſimo ritu, ab initióque regni recepta in Galliis formula in iureiurando Regis (cùm liliorum ſceptra Cæſar ipſe noſter capeſſit) exprimuntur, habentúrque paululùm fuſiùs in peruetери codice membraneo librariæ meæ ſupellectilis. At hæc quoad præſens, non tam miſſa fiant, quàm intermiſſa.

De Eccleſiæ decoro hoc non eſt loco ſilendum. Id quàm altè inſitum eſſe debeat Clericorum præcordiis, ſatis decorè & accuratè, attamen non poteſt pro rei dignitate enunciari: Sanctus Hieronymus laudat Nepotianum in ætate florenti vitâ functum de eius intenta ſollicitudine, circa Templi Dei munditiam & ornatum: *Erat*, inquit, *ſollicitus ſi niteret altare,*

tare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pauimenta terſa, ſi ianitor creber in porta, vela ſemper in oſtiis, ſi ſacrarium mundum, ſi vaſa luculenta; & in omnes cæremonias pia ſollicitudo diſpoſita, non minus, non maius negligebat officium, vbicumque eum quæreres, in Eccleſia inuenires, &c. *Beſclehel noſtrum plenum ſapientiâ & ſpiritu Dei ſcriptura teſtatur: Hyram quoque filium mulieris Tyriæ, quòd alter tabernaculi, alter templi ſupellectilem fabricati ſint*, &c. *Hoc idem poſſumus de iſto dicere, qui Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula diuerſis floribus, & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbraret, vt quicquid placebat in Eccleſia, tam diſpoſitione, quàm viſu, Preſbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.*

Sed præcipuum Eccleſiæ decorum in moribus Cleri conſtat: hinc apud veteres *honor* pro *ordine* promiſcuè ſumebatur, quòd nimirum Eccleſiæ honor, & decor præcipuus ſitus ſit in Clericalis ordinis puritate ac ſanctimonia. Pulchram efformat ideam ipſemet Sanctus Hieronymus, eiuſmodi Eccleſiaſtici decori ex ſui Nepotiani moribus, in præcitato eius epitaphio ſeu potiùs elogio, quô ſic eum laudat, vt quibuſque Sacerdotibus & Clericis proponat viuum ſimulachrum totius honeſtatis & pietatis imitandum: *Quid multa*, inquit, *fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur; Ieſu bone! qui gemitus, qui eiulatus? quæ ſibi interdictio, quæ fuga oculorum omnium? Tum primùm & ſolùm auunculo iratus eſt; querebatur ſe ferre non poſſe, & iuuenilem ætatem incongruam Sacerdotio cauſabatur; ſed quantò magis repugnabat, tantò magis in ſe ſtudia omnium concitabat & merebatur, negando quòd eſſe nolebat, eóque dignior erat, quò ſe clamabat indignum. Vidimus Timotheum noſtri temporis, & canos in ſapientia, electúmque à Moyſe Preſbyterum quem ipſe ſciret eſſe Preſbyterum; igitur Clericatum, non honorem intelligens, ſed onus, primam curam habuit, vt humilitate ſuperaret inuidiam: deinde vt nullam obſcæni in ſe rumoris fabulam daret, vt qui mordebantur, ad ætatem eius, ſtuperent ad continentiam. Subuenire pauperibus, viſitare languentes, prouocare hoſpitio, lenire blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: cæcorum baculus, eſurientium cibus, ſpes miſerorum, ſolamen lugentium fuit: ita in ſingulis virtutibus eminebat, quaſi cæteras non haberet: inter Presbyteros, & coæquales primus in opere, extremus in ordine, quicquid boni fecerat ad auunculum referebat; ſiquid fortè aliter euenerat, quàm putaret, eum neſcire, ſe erráſſe dicebat. In publico Epiſcopum, domi patrem nouerat; grauitatem morum hilaritate frontis temperabat; gaudium in riſu, non cachinnum intelligeres. Virgines & viduas Chriſti honorare vt matres, hortari vt ſorores cum omni caſtitate. Iam verò poſtquam domum ſe contulerat, & relictô foris Clericô, duritiæ ſe tradiderat Monachorum, creber in orationibus, vigilans in precando; lachrymas Deo, non hominibus offerebat; ieiunia in aurigæ modum pro laſſitudine & viribus corporis attemperabat. Menſæ auunculi intererat, & ſic appoſita quæque libabat, vt & ſuperſtitionem fugeret, & continentiam ſeruaret. Sermo eius per omne conuiuium de ſcripturis aliquid proponere, libenter audire, reſpondere verecundè, recta ſuſcipere, praua non acriter confutare, diſputantem contra ſe magis docere, quàm vincere, & ingenuo pudore qui vincebat ætatem, quid cuius eſſet ſimpliciter confiteri: atque in hunc modum eruditionis gloriam declinando erudituſſimus habebatur; illud,*

Aliam Eccleſiaſtici viri effigiem ab Apollinari Sidonio genuinè quoq; depictam, apud eundem cernere eſt lib. 4. ep. 24.

aiebat, Tertulliani, iſtud Cypriani, hoc Lactantij, illud Hilarij eſt. Sic Minutius Felix, ita Victorinus, in hunc modum eſt locutus Arnobius, &c. *vnde hic feruor niſi ex amore Dei, vnde legis Chriſti indefeſſa meditatio, niſi ex deſiderio eius qui legem dedit.* Hactenùs S. Hieronymus de ſuo Nepotiano, in quo Clericale decus perfectum (vt in eo emicuit) graphicè delineat, & quibuſque viris Eccleſiaſticis ad decorum domûs Dei quæ eſt Eccleſia, ſedulâ imitatione ſequendum exponit. Æmulationem hanc ratus ſummè laudabilem ſi quis ad typum adeò excellentem Eccleſiaſticæ modeſtiæ, honeſtatis, caſtitatis, & ſapientiæ ac religionis ſuos efformare mores ſeriò contenderit: hoc modô enim zelus optimus eſt, & ab Apoſtolo pleriſque locis v. g. 1. Cor. 12. 13. & 14. ibidem 1. 12. 39. 2. Cor. 9. 2. Gal. 4. 18. Tit. 2. 14. commendatur: cùm honeſtum illud, & laudabile ſtudium continet, quo accendimur ad alicuius virtutes imitandas, aut etiam ſuperandas, ſine vllo liuore, ſed merô amore ac cultu ſynceræ ac defæcatæ ab omni ſcoria ſuperbiæ & inuidiæ virtutis. Huc collimat S. Gregorij Nazianzeni præclara hæc ſententia: *Noli cogitare te malis præſtantiorem videri; ſed triſtare quòd ſis bonis inferior:* hæcque S. Baſilij ſerm. de zelo; *ſi quempiam videris vitæ temperatæ, & reliquæ morum honeſtatis ſtudioſum, tuum etiam ſtudium intende, vt fias ſimilis fructuoſæ ficui,* &c. *& oliuæ non tantùm ſpecioſæ, ſed & frugiferæ in domo Dei.*

Piè & eleganter S. Ambroſius iam laudatus in Pſal. 118. monet quidem zelum decoris domûs Dei, viris Eccleſiaſticis potiſſimùm competere, quibus, vt ait, incumbit *incorruptam ſeruare Eccleſiæ caſtitatem:* verùm non tam in externo templo, quàm ſpirituali (quod in nobis eſt) curandum eſſe diuinæ habitationis nitorem & decorem: *Zelo vindicatur Ieruſalem,* (inquit) *zelo Eccleſia congregatur; zelo fides acquiritur; zelo pudicitia poſſidetur:* at non ſolùm locum Eccleſiæ zelare debemus, ſed Dei quoque interiorem *in nobis domum.*

Nec in nobis modò, ſed in aliis quoque; & ſic in illis & in nobis, vt etiam in ipſa Eccleſia viſibili decorum ſtudeamus procurare; indecorum verò quicquid eſt, ex hac excludere. Mirabilis eſt in hoc tradendo theoremate tam verbis quàm ſenſibus venerabilis Beda, qui ad cap. 2. Ioannis hunc in modum eloquitur: *Zelo domûs patris Saluator impios eiecit de templo: zelemus & nos fratres chariſſimi domum Dei, & quantùm poſſumus, ne quid in ea prauum geratur, inſiſtamus. Si viderimus fratrem, qui ad domum Dei pertinet, ſuperbiâ tumidum, detractionibus aſſuetum, ebrietati ſeruientem, luxuriâ eneruatum, iracundiâ turbidum, ſi alio cuiquam vitio ſubſtratum: ſtudeamus in quantum facultas ſuppetit, caſtigare, polluta ac peruerſa corrigere: & ſi quid de talibus emendare nequimus, non ſine acerrimo mentis ſuſtinere dolore, & maximè in ipſa domo orationis, ne quid ineptum fiat, ne quid fraternam orationem impediat, totis viribus agamus.*

Eſt & aliud decorum Eccleſiæ, quod in ſtudio accurato & diligenti ſeruandorum ad amuſſim myſticæ diſciplinæ rituum ſacrorum, & cæremoniarum conſidet. Hôc ſuccenſus dudum ſub lege emicuit Nehemias, qui huius obtentu ſibi miſericordiam impendi à Domino non immeritò deprecatur in fine 2. Eſdr. *Recordare* (inquit) *Domine Deus meus,*

Digitized by Google

aduersùs eos qui polluunt Sacerdotium, iúſque Sacerdotale & Leuiticum; igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis, & conſtitui ordines Sacerdotum & Leuitarum, vnumquemque in miniſterio ſuo, & in oblatione lignorum in temporibus conſtitutis & in primitiuis. Memento mei Deus in bonum. (Amen.) S. Gregorius Nazianzenus hanc cæremoniarum ſacrarum harmoniam in religione Catholica mirabilem, partem eſſe non minimam diuini cultus & decoris Eccleſiæ rectè ac grauiter docet, orat. 1. in Iulianum *, *Tales enim eſſe vt nullus eorum qui veſtigiis noſtris inſiſtunt*, inquit, *eas æmulari poſſit, quandoquidem non tam humanis ingeniis atque inuentionibus, quàm vi diuinâ, temporiſq; firmitate vigorem obtinuerunt.* Certè nulla religio ſine cæremoniis conſiſtere poteſt, vt rectè ſcribit S. Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum c. 11. præter id enim quòd affectum, intelligentiam, & memoriam cæremoniæ iuuant, & fidem exercent, myſteriáque eius repræſentant; vt ex interna pietate & deuotione animi oriuntur, ita religionem conſeruant, nutriunt & augent (idem S. Auguſtinus libro de cura pro mortuis, c. 5. ep 119. c. 11. & lib. 9. c. 6. & 7.) veros Dei cultores ab impiis, & Catholicos ab hæreticis diſtinguunt: quamobrem pro parte diuini cultus non minimâ à Patribus & Theologis habentur. Ratio eſt manifeſta: cùm enim conſtet homo animâ & corpore, debet Deum honorare & colere vtroque modô, ſcilicet animô per actus interiores, & corpore per exteriores; quemadmodum Deus offenditur, & ignominiâ afficitur non ſolùm internô actu, ſed etiam externô: vnde Dauid Regum piiſſimus, ita de impiis qui ſacra profanant ad Deum ipſum conqueritur Pſal. 73. 3. &c. *Leua manus tuas in ſuperbias eorum in finem. Quanta malignatus eſt inimicus in Sancto? Et gloriati ſunt qui oderunt te in medio ſolennitatis tuæ, quaſi in ſilua lignorum ſecuribus exciderunt ianuas* (domus tuæ) *in idipſum, in ſecuri & aſcia deiecerunt eam: incenderunt igni ſanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde ſuo cognatio eorum ſimul, quieſcere faciamus omnes dies feſtos Dei à terra.* Sic econtrà externo actu honoratur & colitur. hinc piorum qui Dei cultum externis actibus exercuerunt, auxerunt, illuſtrauerunt, diuina oracula paſſim Deo gratam deuotionem enunciant & commendant. Ratio accedit alia, omnes virtutes licèt in animo conſiſtant principaliter, tamen per actus externos conſummantur: atqui religio eſt omnium virtutum præcipua: quamuis igitur potiſſimùm in animo ſita ſit, nihilominùs perfici debet per actum exteriorem, aliàs non eſſet, vt cæteræ, vltimo actu conſummata. Inſuper inficiatur nemo vocalem orationem eſſe cultum Dei, proinde negari non debet quòd adoratio corporalis etiam actus ſit cultus diuini; quemadmodum enim oratio vocalis eſt cultus Dei, qui eſt mentalis indicium; ita adoratio externa, quia eſt ſignum interioris. Denique natura docet Deum colendum eſſe ab homine ſummô modô; at magis colit qui corpore & animo veneratur, quàm qui animô tantùm colit. Ad cultum igitur diuinum ritus & cæremoniæ pertinent, eiúſque partem faciunt.

* Χριστιανοῖς τὰ ἔθη καὶ νομοθετήματα τὰ τοιαῦτα ἦν, ἃ οἷα ὑπ' οὐδενὸς ἂν ἄλλου ζηλωθέντα τῶν ἡμῖν ἕπεσθαι βουλομένων, ὅπου δὴ μὴ ἀνθρωπίναις ἐπινοίαις μᾶλλον ἢ θείᾳ δυνάμει καὶ χρόνου βεβαιότητι τὰ τοιαῦτα γεγένηται.

Quæ cauſa eſt cur Patres reprehendant ſacrorum Præſules qui cæremonias ignorant, vt videre eſt apud S. Baſilium ep. 63. quâ Sabellium Afrum, & Marcellum Galatin hoc nomine perſtringit, quemadmodum

& S. Leo ep. 4. arguit de inſcitia Eccleſiæ rituum Epiſcopos Siciliæ, ep. 4. c. 1. & S. Innocentius ep. 1. ad Decentium, Vmbriæ Antiſtites alióſque eadem de cauſa ipſo in limine reprehendit. Præcipuum enim munus Epiſcopi eſt diuini cultûs eſſe ſollicitum, *cùm aſſumatur*, vt ait Apoſtolus Heb. 5. *ex hominibus, & pro iis conſtituatur, in iis quæ ad Deum ſunt.* Quamobrem rituum & cæremoniarum quibus ſacro-ſancta celebratur religio, non modò peritus eſſe debet, at admodum obſeruantiæ eorumdem retinens & ſtudioſus: eiúſque exemplo Preſbyteri, & quicumque Clerici, intensô zelô huius Eccleſiaſtici decoris ſeſe præbere feruentes, quemadmodum ad hoc pietatis ſtudium eos vehementer incitat, & hortatur S. Baſilius epiſt. præcitatâ 63. ad Clericos Eccleſiæ Neocæſarienſis: S. Cyprianus in ſerm. de orat. Dominica, inſigni ſuper hoc documentô nos admonet: *Cogitemus*, inquit, *nos ſub conſpectu Dei ſtare; placendum eſt diuinis oculis, & habitu corporis & modô vocis.*

Zeli & alia eſt ſpecies, qui vix tamen in quoquam viro Eccleſiaſtico iam poteſt deſiderari: viget enim paſſim & viguit dudum, at non vt oportet; de quo S. Bernardus idcirco nonnihil dolet ac queritur: *Totus*, inquit, *zelus Eccleſiaſticus feruet pro dignitate tuenda; at de beneplacito Dei vltima mentio eſt.* Non ægrè fert porrò quòd dignitatem ſuam Clerici tueantur, quùm laïci plerique eam contemnant aut imminuant, eóque non habeant loco honoris ac obſeruantiæ, quô haberi oporteret. Memores vtinam laïci eſſent huius oraculi Domini ad ſuos diſcipulos Luc. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me.* At vtinam etiam Clerici ad memoriam monitum iſtud ipſius Domini reuocarent, quo in Apoſtolis ſuis, omnes Eccleſiæ ſuæ præſides, & noui ac æterni Teſtamenti legatos & miniſtros ad veram & ſynceram humilitatem ſuo exemplo dignatus eſt adhortari, *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth. 11. 29. Licet gradum tueri, imò decet & oportet, dicente Apoſtolo; *quandiu quidem ego gentium ſum Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo*, Rom. 11. 13. & S. Ignatio in epiſtola ad B. Polycarpum; quem monet, *vt gratia quâ indutus erat, curſum ſuum produceret, locum in quo poſitus erat, tueretur:* ſed verò hîc nonnihil confert S. Auguſtini non primum nec vltimum acumen: *Si amore tuo facis, nihil facis; ſi Dei, vel proximi amore facis, optimè facis.* ſerm. 10. de verbis Domini. Certè enim, ſi typho ſuperbiæ ius decúſque dignitatis viri Eccleſiaſtici propugnent, proprij honoris æſtu, non modò nihil faciunt, nihil proficiunt: quin potiùs, vt ſcribit Apoſtolus, *in ſuperbiam & in laqueum incidunt Diaboli.* At ſi Dei intuitu, cuius miniſtri ſunt, cuius cauſam agunt, cuius obeunt vicem; itidémque ob Eccleſiæ commune bonum, & proximi ſpecialem vtilitatem, ſui ordinis, ſuæ dignitatis, & poteſtatis ius ſeruent & decorum, tum maximâ laude digni ſunt apud homines: porrò apud Deum eximia præmia promerentur.

ARTICVLVS XIII.

De zeli moderatione, & recto vſu.

CÆTERVM in his omnibus zeli acceptionibus, Clerici monendi ſunt vt iuſtam moderationem adhibeant, ſi ipſo zelo rectè ac vtiliter vti velint: *Aduertimus* (inquit Sanctus Ambroſius in Pſal. 118.) *quòd menſura quædam & diſciplina ſit zeli, ſicut diſciplina virtutis, & ideò beatus qui zeli nouerit diſciplinam.* Reprehendit Apoſtolus Hebræos, quòd pro Deo quidem zelum haberent, ſed non ſecundùm Deum: æmulationémque pro lege feruentem quidem, ſed cæcam & indiſcretam. *Teſtimonium* (inquit) *perhibeo illis quòd æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam.*

Zelus quaſi gladius igneus eſt atque verſatilis, dirimens, diſſecans, pungens, penetrans quæque ſunt ſibi obuia. Bonus eſt at verò, nam ſine eo langueret diuinus amor, minueretur cultus, frigeret deuotio, iuſtitiæ & pietatis vigor eneruaretur: verumtamen opus eſt (ſicut ſapienter monet Gerſonius) vt tres comites habeat, à quibus tegatur, moueatur, ac inter certos contineatur limites: indiget ſiquidem beneuolentiâ, diſcretione, atque conſtantiâ; his enim ſi careat comitibus, aut eas contemnat, ſimilis fiet gladio bicipiti acertimo in manu furioſi, igni rurſus & fulmini ſine obice cæco impetu peruaganti.

I. Certè enim ſi deſit ei beneuolentia, aderit odium & inuidia, fiétque zelus amatus, exitialis liuor, quô qui agitabitur, nihil Deo gratum faciet, nec proximum iuuabit, at lædet, ſibimétque vehementer nocebit; nulli bonus, ſibi verò peſſimus. Monet igitur piè ac ſolerter Thomas à Kempis lib. 2. de imitat. Chriſti c. 5. ſummopetè cauendum eſſe à falſi zeli, qui ſub ſpecie veri paſſim irrepit, commotione; *Paſſione* (enim inquit) *interdum mouemur, & zelum putamus; parua in aliis reprehendimus, & noſtra maiora pertranſimus.* Librum ſcripſit de zelo & liuore S. Cyprianus excellentiſſimum eo fine (ſicut in eius vita Pontius notat) vt liuorem de venenata inuidiæ malignitate venientem, dulcedine remedij ſalutaris inhiberet. Originem igitur habere à Diabolo docet, eſſéque vitiorum omnium radicem, prout exemplis è veteri Teſtamento depromptis per ſingula vitiorum genera deducit; atque adeò oſtendit rectè, & à Chriſto & ab Apoſtolis non vno in loco eſſe zelum hunc liuidum interdictum: tum ab hoc malo affectu pœnis deterret propoſitis: ad zelum verò charitatis excitat præmiorum demonſtratis coronis.

II. Diſcretione verò, etiam neceſſe eſt, vt zelus adiuuetur: quin ab ea dirigatur; alioquin nec rectus, nec vtilis eſſe poterit. Cur quæſo myſtica illa animalia, quæ ſpectator gloriæ Domini Ioannes ante eius thronum ſedis conſpexit, ſingula alis ſenis circumuolantia, totáque actiua intimo quo ardebant feruore, (Apocal. 4.) fuiſſe *oculis plena antè & retro* perhibentur, niſi ad innuendum prudentiâ & circumſpectione quicquid agunt, operari; ex præteritis præſentia dirigere, futura verò ad perpendiculum diſcretionis vigili ſemper animo dimetiri? Sine hac diſcre-

tione, quid eſt zelus, niſi feruor inconſideratus ad omnia præceps? Inſigni documento S. Bernardus ſerm. 49. ſuper Cantica, quàm ſit ei neceſſaria diſcretio, inſinuat: *Importabilis, inquit, abſque ſcientia eſt zelus: vbi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè diſcretio eſt neceſſaria, quæ eſt ordinatio charitatis. Semper quidem zelus abſque ſcientia, minùs efficax minùſque vtilis inuenitur, plerumque autem & pernicioſus valde ſentitur. Quò igitur zelus feruidior ac vehementior ſpiritus, profuſiórque charitas, eo vigilantiori opus ſcientiâ eſt, quæ zelum ſupprimat, ſpiritum temperet, ordinet charitatem.* Et ſerm. 4. de verbis Iſaiæ Prophetæ: *Zelus abſque ſcientia, quò vehementiùs irruit, eò grauiùs corruit, impingens nimirum atque reſiliens; vbi verò intelligentiam charitas, agnitionem deuotio comitatur, volet ſecurè qui eiuſmodi eſt, volet ſine fine, quia volat ad æternitatem.*

Indiſcreti zeli luctuoſo exemplo eſſe poteſt Lucifer Caralitanus Epiſcopus. Iſ furentibus Arianis, incredibili zelo Catholicæ fidei feruens ſe oppoſuit; cúmque doctrinâ eſſet præſtanti ac ſanctimoniâ, cum Euſebio Vercellenſi, fulgentiſſimo quoque Occidentalis orbis lumine, & Pancratio ac Hilario Romanæ Eccleſiæ Clericis, ad Conſtantium Imperatorem à Liberio Papa legatus pro fide miſſus eſt: cúmque nollet damnationi Sancti Athanaſij (in quo Ariani confeſſionem Nicæni Concilij oppugnabant) ſubſcribere, in exilium pulſus fuit. Non ſic animo fractus, at magis erectus aduersùs Conſtantium, qui ſeſe perperam cauſæ fidei ingerebat, acerrimè pro Verbi incarnati maieſtate, Eccleſiæ fide, & Athanaſij innocentia ſcripſit: quærebat enim martyrium, quem ei Eccleſiæ hoſtes inuiderunt, ſatiùs ducentes ærumnis illum paulatim conficere: vnde frequenter ei locus exilij mutatus. Superuixit nihilominus Conſtanrio, cuius Ariani fauore freti tantas tragœdias excitabant. Eo autem mortuo Lucifer triumphans, & ab exilio redux à Liberio Papa delectus eſt vicarius Sedis Apoſtolicæ ad reſtituendas Eccleſias Orientis, aſſignatô ei veteri collegâ Euſebiô Vercellenſi. A quo ob receptos in Alexandrino Concilio lapſos cum dignitate, acriùs diſſidere cœpit: eo enim quo ferebatur extra omnes diſcretionis terminos ardore, excludendos qui impegerant, aſſeruit, ab omni Eccleſiæ gradu, quin & fidelium omni commercio: nec iis contentus ab eorum communione ſeſe ſeiunxit (vt Sulpitius notat libro 2. ſacræ hiſtoriæ) qui eos ſub ſatisfactione & pœnitentia recepiſſent. Vtque in ſententiæ ſuæ amplexum & patrocinium quotquot poſſet induceret, zelo quo æſtuabat, igneos libros in orbis Chriſtiani oculis edidit, primum *De non parcendo delinquentibus in Deum;* ſecundum, *Quòd moriendum ſit pro filio Dei*, & cæteros quoſdam. Sic vir auſterioris ſpiritûs in ſchiſma corrùit, in quo ſine vlla hæreſi defunctus eſt in Sardinia, Valentiniano Imperatore regnante. Tantæ fuit celebritatis & reuerentiæ ob zelum fidei Catholicæ ardentiſſimum, vt etiam poſt ſchiſma factum, & ſectam Luciferianam de ſuo nomine relictam, nonniſi timidè & dubitanter à Sanctis Patribus arguatur. Sanctus Ambroſius in orat. de obitu Satyri fratris, *Lucifer*, inquit, *ſe à noſtra tunc temporis communione ſeiunxerat, quanquam pro fide exulauit,*

& fidei ſuæ reliquit hæredes. S. Hieronymus in dialogo contra Luciferianos prope finem, vbi de eorum parenre ſermo ex rei contextu inciderat: *Ventum eſt*, inquit, *ad aſperrimum locum, in quo aduersùm voluntatem & propoſitum cogor de Beato Lucifero, ſecus ac quàm & illius meritum, & mea humanitas poſſit, æſtimare.* Nihilominùs Baronius, haud parum ſuccenſet Ioanni cuidam cognomento Arca, narione Sardo, qui in libro de Sanctis Sardiniæ, Luciferum ipſum inrer Sanctos collocauit, *temerè nimis*, (ait) *atque mendaciter.* Poſteà irerùm tamen Ferrarius in Topographia noua in Martyrologium Romanum, qui citar vadem ſibi Faram, *de rebus Sardis*, &c. ſub vocabulo *Calaris*, eundem Luciferum quaſi honorandum conſignauit culru ſanctitatis, die Maij 28. quo tamen die, nec alio quopiã, in Marryrologio Romano haud cenſetur. Mirum certè, ac forrè durum eriam quibuſdam videbitur, tanti viri nomen abeſſe à ſacris diptychis, ab Eccleſiæ faſtis, à Sanctorum catalogo, qui fide & opere, ſua nomina conſignari ad perpetuam venerationem poſteritati meruerunr. Tantas ei laudes S. Arhanaſius profectò rependit, vt vix maioribus titulis videri poſſir dignus qui referretur in ſacros indices: ſic enim magnus ipſe Arhanaſius eius gratulando meritis, eum ſalutar atque affatur: *Accepimus epiſtolas tuas, & libros religioſiſſimæ ac ſapientiſſimæ animæ tuæ, in quibus perſpeximus imaginem Apoſtolicam, fiduciam propheticam, magiſterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cæleſtem; martyrij gloriam, triumphos aduersùs hæreſim Arianam, traditionem integram, patrum noſtrorum regulam, rectam lineam Eccleſiaſtici ordinis. O verè Lucifer, qui iuxta nomen, lumen veritatis ferens, poſuiſti ſuper candelabrum, vt luceat omnibus. Quis enim exceptis Arianis, non peruidet ex tua doctrina veram quidem fidem, labem autem Arianorum valde & admirabiliter? vt eſt lumen à tenebris, ita ſeparaſti veritatem à calliditate, & ab hypocriſi hæreticorum defendiſti Catholicam Eccleſiam*, &c. *Quàm bona, & iucunda hortamenta tua ad martyrium! quàm deſideratiſſimam oſtendiſti mortem eſſe pro Chriſto filio Dei? quàm futuri ſæculi, & vitæ cæleſtis amorem manifeſtaſti? Videris eſſe verum templum Saluatoris, qui in te habitans, hæc ipſe per te loquitur*, &c. *Eliam te noſtris temporibus nominant*, (ſcilicet propter zelum excellentem) *& non mirum; ſi enim qui Deo placere videntur, filij Dei nominantur; tantò magis participes Prophetarum, Confeſſores, & maximè te appellare dignum eſt. Crede mihi Lucifer, non tu ſolus hæc locutus es, ſed Spiritus Sanctus tecum. Vnde hæc tanta memoria ſcripturarum? Vnde ſenſus & intellectus earumdem integer? Vnde talis ordo ſermonis compoſitus? Vnde tanta hortamenta ad vitam cæleſtem? Vnde fiducia contra Diabolum, & probationes aduersùs hæreticos, niſi Spiritus Sanctus collocatus eſſet in te? Gaude igitur in eo te eſſe iam peruidens, in quo etiam prædeceſſores tui nunc ſunt martyres, hoc eſt in choro Angelorum. Gaudemus etiam nos habentes exemplum virtutis, & patientiæ, & libertatis.* Vtinam & diſcretionis, & moderationis tam feruentis & admirabilis zeli; quô plus æquô exardens, chariratem læſit, dúmque defendit tam infractô animô veritarem, Eccleſiæ vnitatem diuiſit; extra quam defunctus, inconſideratione ſua, ipſe Lucifer vir tantus, tam inclyrus, tam admirabilis extra Sanctorum ſortem poni demeruit. Certè dici non poteſt, quantum tanti viri, tot pro fide Catholi-

ca legationibus, confeſſionibus, certaminibus, martyriis, ſcriptis, inſigniter notabilitati, caſus, fidelibus intulerit luctum & timorem. Perpendant hoc exemplum perilluſtre, ſed funeſtum, quæſo, viri Eccleſiaſtici etiam ſacris chariſmatibus inſignes, nec modò puritate mentis & corporis nitentes: at zelo quantumuis magno ſuccenſi; hincque diſcant ſpiritum timoris, ſcientiæ, ſapientiæ, conſilij, & intellectus à Deo humiliter poſtulare, ne feruentiori, quàm oculato & rationabili æſtu piæ etiam æmularionis abrepti, & ipſi corruant, ſuóque lapſu miſerabili tantum Eccleſiæ inde inferant luctum, quantum prætulerant gaudium eximiò coruſcantis doctrinæ ſuæ, pietatis & deuotionis ſplendore.

III. Cæterùm eſt etiam quod ſibi infundi ſuperno munere depoſcant *ſpiritum fortitudinis*, ſine qua nec iuncta zelo ſuo dilectio, nec ipſa diſcretio multùm prodeſſet. Sunt ſanè, qui promptè exardeſcunt ad bonum, ſed citò deferueſcunt; de eorum ſubitaneo hôc feruore non ineptè vſurpari poteſt quod ait Propheta Pſal. 117. 12. *exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*; facilè enim ignis in ſpinis accenditur, ſed citò extinguitur, materiâ adeò combuſtibili, vt promptè incensâ, ſic & conſumptâ; at in ferro non ſic ignis ſe habet, ex quo enim ferrum inuaſit, ita ei hæret, vt pro ſoliditate materiæ vim producat vrendi. Iuſſit pridem Deus Ezechieli Prophetæ vt ſumeret ſibi ſartaginem ferream, & poneret eam in murum ferreum inter ſe & Ieruſalem, cap. 4. Ad quem locum ſolerter & appoſitè S. Gregorius; *Sumamus ergo*, inquit, *ſartaginem ferream, & ponamus eam murum ferreum inter nos & ciuitatem: id eſt, aſſumamus zelum fortem, vt inter nos & auditoris noſtri animam inueniamus hanc poſtmodùm fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inuenturi ſumus, ſi nunc eum fortiter teneamus, videlicet docendo, ſuadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando leuiter, aliquando verò ſeueriùs agendo:* Addi verò poteſt, non aliquoties, ſed ſemper, inſtantiùs & perſeuerantiùs: nec enim iuuat zelo bono quicquam aggredi boni, ſiue propter Dei honorem, ſiue propter proximi ſalutem, niſi fortiter, patienter, perſeueranter operi ſemel incepto, qui agit, incumbat, donec quod cœpit perficiat: ſiquidem in Euangelio homo ille deridetur, qui poſtquam poſuerat turris fundamentum, deſiit ædificare, quapropter pertranſeuntes *illuſerunt ei, dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare*, Luc. 14. 28. In Actis S. Furſæi Abbatis Angelus ei denunciat, Eccleſiæ detrimenta à Deo paſtoribus & miniſtris imputari, *qui viri dimidij operis ſunt.* Non ſic fecit Paulus Apoſtolus, qui labores & perſecutiones pro nihilo ducebat, *dummodò conſummaret curſum ſuum & miniſterium Verbi, quod acceperat à Domino Ieſu teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* Act. 20. vt omnes Chriſto lucrifaceret: quamobrem ſuum Timotheum admonebat, ne deſponderet animum in ſollicitanda pertinacium etiam peccarorum conuerſione, ſed nullis parceret vigiliis, laboribus, conatibus, vt impelleret ad pœnitentiam: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple*, 2. ep. c. 4. & c. 2. *Seruum Dei oportet manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos, qui reſiſtunt veritati: ne quando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoſcendam veritatem,*

ritatem, & reſipiſcant à Diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem.

Cæterùm hactenus fuſiùs quàm putaueram, de diſpoſitionibus internis promouendi ad Clericatum diſſerui. In quo tractatu non ſolùm eas ſtudui exprimere, quæ ad Clericum ſimplicis tonſuræ (vt aiunt) apparatu quo decet, inſtruendum conferunt; verùm etiam eas non inaccuratè deſcripſi, quibus quiſquis ad Eccleſiaſticos gradus, ſacróſque ipſos Ordines aſpirat, præditus eſſe debet. Vix vnquam bonus erit Sacerdos, qui malus fuerit Clericus; aut ſacris miniſteriis bene ac vtiliter aliquando perfungetur, qui non in iis, quæ ad hæc rite ſuſcipienda, ac rectè obeunda muneta neceſſaria ſunt, maturè & congruenter fuerit eruditus. Porrò nec dubium, quin internæ, quas delineauimus, diſpoſitiones ſint in hoc apparatu præcipuæ, quamobrem iis explicãdis diutiùs neceſſe fuit nobis immorari. At nihilominus ſuperſunt externæ quædam, à parte ipſius ſuſcipientis neceſſariæ, quas etſi non ita accuratim, tamen hîc expreſſum ire vel obiter, ne quid deſit huic Panopliæ Clericali, cenſemus non inane fore operæpretium.

CAPVT II.

De externis & actiuis ſuſcipientis diſpoſitionibus.

ARTICVLVS I.

De ſtudio litterarum humanarum.

LINGVARVM cognitio magnum eſt ſubſidium, ait Sanctus Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana: tres autem linguæ in orbe ſunt vniuerſales, quas Crucis inſcriptas titulo, Chriſtus perpetuo Eccleſiæ ſuæ vſui conſecrauit. Vtilis certè eſt harum trium cognitio, ſed nequaquam omnibus neceſſaria, etiam, qui Eccleſiaſtica caſtra ſequuntur. At ridiculum eſſet, ſi Orientalis Eccleſiæ Clericus nec Græcæ, nec Hebraïcæ haberet notitiam; aut Clericus Occidentalis Latini eſſet eloquij penitus expers; ſed vnicuique ſufficit, vt Eccleſiæ cuius alumnus eſt, Orientalis vel Occidentalis, idiomatis ſit peritus, adeò vt ſi docere non poſſit, ſaltem quæ legit intelligat. Olim apud Romanos erant alij grauis, alij leuis armaturæ milites; alij erant velites tantùm, alij verò haſtati; alij tyrones, alij veterani, alij emeriti, inſuper alij pedites, alij equites, alij duces, alij ſigniferi, &c. Eſt Eccleſia caſtrorum acies ordinata, in qua non omnes eodem funguntur officio, nec itidem eundem locum & gradum ſortiuntur. Vt ciuilis, ſic Eccleſiaſticæ ſunt militiæ diuerſi gradus ac honores, potiórque in maioribus, quàm in minoribus ordinibus & dignitatibus virtus, ſcientia, peritia exigitur.

Sapientiſſimum Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. decret. de reformat.* idcirco ſingulis Ordinibus tam minoribus quàm maioribus, diuerſos gra-

dus capacitatis præſcribit, adeóque promouendo ad primam tonſuram, quid ſcitu opus ſit ſpeciatim determinat, ſine qua neceſſaria (pro modulo) idoneitate, aditum omnem ad Clericatum præcludit: congruenter canonicis inſtitutis, quibus vt ſuprà euictum fuit, illitterati & idiotæ penitus à venerandis Clericalis dignitatis veſtibulis proſcribuntur.

Sed hîc poſſet quis mouere litem ex Sanctorum factis & dictis, qui litteraturam omnem paruipendiſſe videntur. Exiſtimârunt non ſolùm faciliori compendio ad ſanctitatem ſe poſſe contendere ac etiam peruenire, quin & ſcientiam litteratum & diſciplinarum humanarum pietati eſſe obſtaculo ac ſaluti. Scitum eſt illud Dauidis: *Quoniam non noui litteraturam, introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius.* Pſal. 70. Petrus & Ioannes fuerunt *idiotæ & illitterati*, Act. 4. Et tamen hic præcipuus Euangeliſta, ſummus ille fuit Apoſtolus, *primus*, vt ait Euſebius*, *Chriſtianorum Pontifex*, & vt ait S. Ambroſius, vniuerſalis erga oues Chriſti *amoris vicarius.* Paulus vas electionis de ſermonis imperitiâ gloriatur. Scientiam inflate ait, quam prædicit deſtruendam: Corinthiis verò gratulatur, quòd eſſent litterarum & diſciplinarum huius ſæculi rudes ac imperiti: *Videte vocationem veſtram, quia non multi ſapientes, ſecundùm carnem.* Celebre eſt S. Auguſtini de ſalutari ignorantia, & inani, vel exitioſâ ſcientiâ dictũ, aut potiùs documentum; cùm enim ſibi enarrata fuiſſet vita S. Antonij, repentè (vt ipſe refert Confeſſ. lib. 8. c. 8.) exclamauit: *Quid patimur? quid eſt hoc? quid audiſti? ſurgunt indocti & cælum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine.* Piè igitur & prudenter fecit S. Benedictus, qui vt de eo memorat S. Gregorius in præfat. lib 2. Dialog deſpectis litterarum ſtudiis, relictâ domo, diſceſſit, rebúſque patris, cùm Deo placere deſideraret, & ſanctæ conuerſationis quæreret habitum: *Receſſit igitur*, inquit, *ſcienter neſciens, & ſapienter indoctus*; idque in virenti ætate, cùm litterarum ſtudiis maximè aptus eſſet. Denique oraculum eſt diuinum: *Littera occidit, ſpiritus autem ædificat.* Ergo gratia ſufficit, nec humanâ opus eſt ſcientiâ.

* *In Chronico.*

Verùm hæc omnia, etſi perſuadere hanc conſequentiam videantur; nihil minùs tamen quàm litterarum neglectum in viro Eccleſiaſtico confirmare poſſunt, ſi, vt par eſt, iuſto rationis libramine expendantur. Certè, vt ordine & ſigillatim hæc excutiamus: nihil illud Dauidis, *quoniam non noui litteraturam*, ad rem præſentem facit, præter id enim quod vbi legimus in vulgata, *litteraturam*, ex Hebræo* *Sephoroth*, quidam interpretantur, *numeros ſeu arithmeticam*, Septuaginta vertunt, *πραγματείας, negotiationes*, vti etiam pridem legerunt S. Auguſtinus hoc ipſo loco, S. Ambroſius 3. off. c. 6. & Gelaſius Papa in epiſt. decretali, & ita habet etiamnum Septuaginta verſio reſtituta: nemo equidem ignorat Dauidem à iuuentute non dediſſe operam litteris, ſed paſcendis ouibus fuiſſe addictum; non didicerat igitur litteraturam, quia huic ineundo officio nequaquam opus erat: ſed quid hoc ad Clericum, qui ſacerdotio deſtinatur? cui ſi defuerit ſcientia, cultui Dei dignè celebrando, & plebi ad ſalutem erudiendæ prorſus neceſſaria, diuina illa interminatio imminet

* שפרות

Digitized by Google

Oſe. 4. 8. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi?* Non fuit Dauid Sacerdos nec Leuita: ſed ex quo euaſit Propheta diuinâ vocatione & afflatu, non humanâ quidem ſed diuinâ prorſus ſcientiâ & ſapientiâ repletus eſt: vnde ait Pſal. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, & Pſal. 50. *incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi.* Porro quod ſpectat ad Petrum & Ioannem, quandiu piſcium captores tantùm erant, nonnemo fuiſſe fatebitur idiotas & illitteraros, ſed ex quo facti ſunt (vt promiſerat Dominus) *piſcatores hominum*, cum collegis, in linguis igneis à Spiritu Sancto irradiati, *loquebantur variis linguis magnalia Dei*, ipſóſque Pontifices & Sacerdotes non ſolùm in ſui admirationem, ſed & in ſtuporem rapuerunt, Act. 4. 13. Paulus porro, non de litterarum inſcitia gloriatur, at de minori, quamuis ſpontaneo, eloquentiæ cultu. *Etſi*, inquit 2. Cor. 11. 6. *imperitus ſermone, non tamen ſcientiâ.* Scitè & appoſitè ſuper hoc celebri Apoſtoli dicto, Sanctus Auguſtinus libro quarto de doctrina Chriſtiana capite ſeptimo: *Sicut*, inquit, *Apoſtolum præcepta eloquentiæ ſecutum fuiſſe non dicimus, ita quòd eius ſapientiam ſecuta ſit eloquentia non negamus:* hoc igitur in id recidit, quòd Apoſtolus in prædicando Euangelio vti noluerit mundanâ & pomposâ, politâ ſcilicet & verbosâ eloquentiâ, Græcorum maximè, qualis erat Iſocratis, Demoſthenis, &c. ſed ſeriâ, efficaci, maſculâ, diuinâ. Niſi enim hac fuiſſet præditus, quomodo ſcribas, Philoſophos, Reges ipſos, & iudices ſua prædicatione adeo potenter commouiſſet, Dei perculiſſet metu, ádque fidem, pietatem, humilitatem, miſericordiam & Chriſtianæ doctrinæ cultum & obſequium perpuliſſet? Sanctus Hieronymus ingenioſo artificio inſinuat, qualiter Apoſtolus doctus ad miraculum vſque fuerit, ac nihilominus ſermone imperitus: quoniam ſcilicet etſi ſermone æquè ac opere potens; tamen quam prædicabat ſapientiam Chriſti, abſconditam in myſterio, verbis exprimere pro dignitate non valebat. Profundos enim & reconditos ſenſus (incarnati Verbi) lingua humana non explicat, & ideò etſi Paulus ſentiret quod loquebatur, in alienas aures tamen vt optabat, transferre non poterat. Exemplum porro Sancti Antonij non eſt ad rem: ſiquidem Sanctus iſte Clero nuſquam adſcriptus fuit, neque adſcribi voluit, vtpote ſyluicola, ſolitudinis amans, totúſque à mundi commercio remotus, & cælo defixus, quod ipſi pro omni libro, & ſchola, ac ſcientia erat; vnde feſtiuè Philoſophos deluſit, imperitiam eius deſpicientes: ſiquidem cùm admiſiſſent priores litteris eſſe ſenſus, & ex his illas; tum ſagaciter intulit, cui eſſent hi incolumes, litteras non requirere, quemadmodum in eius geſtis S. Athanaſius commemorat. ſic in Concilio Nicæno Sanctus alius litterarum expers, Philoſophos ex mundi philoſophia, eloquenter quidem, at ſtultè de Deo garrientes, ſcientiæ Sanctorum quo impletus erat ſpiritu, mirabiliter confutauit, ádque ſilétium compulit, vt memoriæ prodidère Eccleſiaſtici hiſtorici, Socrates lib. 1. cap. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 5. & 15. Rufinus lib. 1. cap. 3. aliíque. Veruntamen rara nunc ſanctitas, rarior eiuſmodi virtutis demonſtratio; Spiritus vbi vult, &

quando vult ſpirat, nec noſtrum eſt hos exigere, pro libitu, extraordinarios afflatus: cùm Clericis, quos erudit in Timotheo ſuo Apoſtolus, *attendere lectioni & doctrinæ, ac inſtare in illis* diſertè præcipiat. De Sancto Benedicto, qui deſpectis litterarum ſtudiis duodenis circiter ſeſe ad monaſticen contulit; non eſt quòd ſic accipias, vt nullam ante exitum è domo paterna, & ſeceſſum in ſolitudinem his impenderit operam: manifeſto eſt argumento eius eruditionis ac ſapientiæ regula, quam ſuis præſcripſit alumnis; breui hanc, ſed vero deſcripſit elogio Sanctus Gregorius, dicens eam eſſe *ſermone luculentam, diſcretione præcipuam.* Porro ad ſententiam quod ſpectat Apoſtoli, *littera occidit, ſpiritus autem viuificat,* peruia eſt reſponſio; litteram legis quam arripiebant Iudæi, ſolam ſine ſpiritu, hoc eſt neglecto vero ſcripturæ ſenſu occidere, ſed verò viuificare, ſincero eius à Spiritu Sancto infuſo (qui datur duntaxat humilibus) intellectu. Facetè & acutè Thomas Morus olim de hoc dicto luſit cum Eccleſiaſtico quodam, ſed ignaro homine, ſuam pudendam inertiam, craſſámque & ſupinam ignorantiam hoc prætexto velamine tegere ſolito,

Magne pater clamas, occidit littera; in ore
Hoc vnum ſemper, littera occidit, habes.
Cauiſti bene tu, ne te vlla occidere poſſet
Littera: nam nulla eſt littera nota tibi.

Ab vtroque extremo arbitror eſſe cauendum. Prudenter ſcitéque alicubi monet S. Hieronymus: nec ruſticum, nec ſimplicem, ideò ſe ſanctum putare debere, ſi nihil nouerit; nec peritum, nec eloquentem, linguæ æſtimare ſanctitatem. Adiumento ſanè eſt doctrina pietati, ſi modeſtè quis eâ & ſalutariter vtatur, nec ita totum ſe ſcientiæ applicet, vt nihil pietati (quæ vt præcipua ſpectati debet) ſtudij ac operæ relinquat. Præclarè ſanè B. Bernardus ſerm. 35. & 36. in Cantica, de ſcientiæ cum pietate coniunctæ commodis diſſerens, cùm quædam præmiſiſſet pro felici ignorantia ſubiunxit: *Videar forſan nimius in ſugillatione ſcientiæ, & quaſi reprehendere doctos, & prohibere ſtudia litterarum? abſit. Non ignoro quantùm Eccleſiæ profuerint litterati ſui, ſiue ad refellendos eos qui ex aduerſo ſunt, ſiue ad ſimplices inſtruendos. Denique legi; quia tu repuliſti ſcientiam, repellam & ego te, vt non fungaris mihi ſacerdotio. Legi, qui docti fuerint, fulgebunt quaſi fulgur firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Nuncius hoc diuinus Danieli Prophetæ, ſuperno iuſſu promiſit; nec id dictum putare licet de ſolis doctis, qui Theologi dicuntur; nulla eſt ſcientia, nec ars in bonis litteris, quæ Eccleſiæ eſſe non poſſit vtilis, quæ ei à Chriſto nato ſolatia, præſidia & ornamenta plurima non contulerit; *multiplex erit ſcientia*, ait ad Danielem eodem loco Angelus. Et verò iam ab Apoſtolorum æuo varia & multiplex fuit; *Vnicuique* (ait vas electionis 1. Cor. 12.) *datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem; alij quidem per ſpiritum* (non per ſtudij litterarij, vt poſteà, laborem) *datur ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſcientiæ, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.*

Poſt verò Apoſtolica tempora, & trophæa Martyrum, cùm pro Eccleſiæ patribus nati ſunt ei filij, ſurrexerunt ſcilicet Doctores & Confeſſores, qui partim infusâ gratiâ, partim quæſitâ ſtudio & labore, ſcientiâ, Chriſtianam doctrinam propugnârunt, auxerunt, illuſtrâtunt: vix dici poteſt quantùm copia & varietas litteraturæ, etiam ſæcularis, Eccleſiæ profuerit. Quid non enim elucidandæ ſcripturæ, aſſerendæ fidei, excindendis hæreſibus, myſteriis religionis explicandis, ac etiam excitandis ad vitij odium, virtutis amorem, pietatis cultum populis *nationis omnis quæ ſub cælo eſt*, non ſolùm Patres & Theologi, *Act. 2.*
myſtici, polemici, ſcholaſtici: ſed Chriſtiani etiam philoſophi, oratores, poëtæ, hiſtorici, linguarum profeſſores; doctrinæ, ſapientiæ, eloquentiæ, eruditionis, acuminis, ſolertiæ, celebritatis, ornamenti, famæ, gloriæ, ad vſque admirationem & ſtuporem omnium mundi huius ſapientum attulerunt? De vno Origene ſignatim ſcribit Vincentius Lirinenſis in Commonitorio 1. c. 23. *de cuius incredibili quidem ſcientia ſiquis referentibus nobis, Chriſtianum non recipit teſtimonium, ſaltem teſtificantibus Philoſophis gentilem recipiat confeſſionem: ait enim impius ille Porphyrius excitum ſe famâ ipſius, Alexandriam puerum ferè perrexiſſe, ibíque eum vidiſſe iam ſenem, ſed planè talem tantúmque qui arcem totius ſcientiæ condidiſſet.* De Tertulliano autem idem cap. 24. *Quid hoc vno doctius, quid in diuinis atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philoſophiam, & cunctas philoſophorum ſectas, auctores, adſertoréſque ſectarum, omnéſque eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtudiorum varietatem, mirâ quadam mentis capacitate complexus eſt; ingenio verò tam graui & excellenti excelluit, vt nihil ſibi pene ad expugnandum propoſuerit, quod non aut acumine eruperit, aut pondere eliſerit. Iam porrò orationis ſuæ laudes, quis exequi valeat? quæ tantâ neſcio qua rationum neceſſitate conſerta eſt, vt ad conſenſum ſui, quos ſuadere non potuerit impellat; cuius quot pene verba, tot ſententiæ ſunt; quot ſenſus, tot victoriæ, &c. ſciunt hoc, &c. Iudæi, gentiles, gnoſtici, cæterique quorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus euertit.* Proximè eum ad hanc gloriam ſecutus eſt S. Cyprianus, qui antequam ad Chriſti fidem acceſſiſſet (vt ſcribit de eo S. Hieronymus) Rhetoricam glorioſè docuerat; bone Deus! quantum robur, quantum decus cauſæ Chriſtianæ hic facundiſſimus orator, ſolertiſſimus tractator, diſertiſſimus ſcriptor, pugil Chriſti fortiſſimus ſuis concionibus, exhortationibus, epiſtolis, libris, carminibus, Eccleſiæ conciliauit? *Huius ingenij ſuperfluum eſt indicem texere* (ait maximus & ipſe Hieronymus) *cùm ſole clariora ſint eius opera.* De foro ad ſacerdotium, de palæſtra humanarum diſciplinarum ad diuinarum rerum tractationem S. Ambroſius in Occidente, S. Ioannes Chryſoſtomus in Oriente ferè eodem tempore tranſierunt, ſecúmque in Sanctuarium Chriſti inuexerunt quicquid ſuo in ſinu Philoſophia, Rhetorica, cæteræque humanæ diſciplinæ decoris & gloriæ complectuntur. Quid dicam de Dionyſio Areopagita, Iuſtino martyre, Athenagora, Minutio Felice, Arnobio, Lactantio, cæteríſque eiuſmodi omnis litteraturæ, eruditionis ac eloquentiæ, portentis, qui de ſæculi lycæis & conſiſtoriis, ad Eccle-

ſiaſtica limina ſacróſque ſuggeſtus prodeuntes, armatas mundi ſapientiâ inimicorum crucis Chriſti acies, arcéſque Diaboli, inuictâ manu multiplicíſque victoriâ debellârunt, Ægyptiorúmque diuitias in Chriſti gazas tranſtulerunt, perpeti religionis Chriſtianæ decoro ac incremento: quid iſthic memorem Baſilium magnum, vtrumque Gregorium Niſſenum & Nazianzenum, huiúſque diſcipulum, & orbis commune miraculum & oraculum Hieronymum, Aurelium quoque Auguſtinum clariſſimum Eccleſiæ lumen, doctorémque præcipuum, cæteróſque innumeros ferè qui exhauſtâ omni ſapientiâ ſæculi, decora quæque eius, & robora ad Chriſtianæ fidei, & Catholicæ Eccleſiæ defenſionem ac illuſtrationem reuocârunt, partíſque de quacumque perfidia ac impietate triumphis, innumerabilibus ferè ac prorſus indelebilibus pietatis, fidei, zeli, magnanimitatis, eloquentiæ, doctrinæ, omníſque eruditionis tam ſacræ quàm profanæ monimentis, eò Chriſtiani nominis culmen euexerunt, quò ſublimiùs non potuiſſe efferri: ſtupefacta & attonita penitus ipſa mundi ſapientia, imò ſuperbia ac inuidia quantumuis inuicta confitetur. Suſpexit ſanè mirabundus orbis horum diuinorum ingeniorum diffuſa vbique lumina; ſenſit infernus vires, proſtratáque ſub eorum pedibus idololatria, infidelitas, hæreſis, error, ignorantia, ſpurcitia quæuis ſuccubuit. Quàm pulchrè eorum híſque ſimilium proprias cuiuſque dotes, viréſque Sidonius hoc breui elogio depinxit: *Inſtruit Hieronymus, deſtruit Lactantius, aſtruit Auguſtinus, Hilarius attollitur, ſummittitur Ioannes, Baſilius corripit, Gregorius conſolatur, Oroſius affluit, Ruffinus ſtringitur, Euſebius narrat, Eucherius ſollicitat, Paulinus prouocat, Ambroſius perſeuerat.*

Porro non ſolùm in Rhetorica facultate habuit Eccleſia ſuos Tullios, ſuos Demoſthenes; in Dialectica ſuos Zenones, Empedocles, Ariſtoteles; ſed etiam in poëtica arte ſuos Marones, Ouidios, Flaccos, Pindaróſque habuit. Quis obſecro priſcorum apud Græcos Latinóſque poëtarum vnum Aurelium Prudentium ſuperauit, quem admiratur Eraſmus tot elogiis quot ſcholiis proſecutus eſt? Lepores quique ſuos, ſæculi poëtis non inferiores habent profectò noſtri Auſonij, Damaſi, Syneſij, Sedulij, Paulini, Sidonij, Boëtij, Proſperi, Alcimi, Venantij, Aratores, & quotquot alij olim Chriſti nomen, fidem & gloriam ſuis carminibus celebrârunt. Hos qui delicatioris texturæ, venæque purioris amantes ſunt, non tantùm ſuſpiciunt, ſed mirantur: vnde factum, in numerum illuſtrium poëtarum etiam ipſorum iudicio noſtri meruerint recenſeri, codicíſque inſcripto, *Corpus Poëtarum*, inſeri, prout antiquis haud inæquales. At in hoc longè ſuperiores dixero, quòd ethnici ſolâ metri venuſtate niteant, noſtri autem præter dictorum decus ſpirent vbique quid diuinum. id maximè aduertere licet in hymnis Eccleſiaſticis, quod S. Auguſtinus ſe expertum ſuis in Confeſſionibus ipſe fatetur lib. 9. Confeſſionum cap. 6. *Quantum fleui* (inquit) *in hymnis & canticis tuis, ſuaueſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant*

lachrymæ, & mihi bene erat cum illis. Quæſo at te verò, quiſquis es Clerice, vel Clericatûs candidate, ſi pietatis prætextu explauſeris omnem litteraturæ ſcientiam, quis hæc Eccleſiæ decora, commodáque conciliabit? Dices fortè, mea non refert, qui primâ ſum duntaxat tonſurâ præditus: ſed ad eos ſpectat, qui religionis myſteriis, & miniſteriis Eccleſiæ initiati ſunt, ſacriſque ſunt Ordinibus inſigniti, maximéque præcellunt dignitatis faſtigiô & meritô ſanctitatis, vt Ambroſius, Hilarius, Gregoriúſque ſuo tempore præfulſerunt. Dicebat Propheta, *Non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare non poſſit. Dona Dei* (ait Apoſtolus) *ſine pœnitentia ſunt.* Deus non dolet cùm quid donat. Quod ad ſanctitatem pertinet, pete & accipies; Quod ſpectat Ordines, his dignum te para; ſi quid defuerit, à Deo hoc ipſum poſtula: quicquid ſit pro virili contende, vt non creſcas loco, ſed meritô augearis. Hoc, vt felici ſucceſſu conſequaris, te prætermiſſum quicquam ire non decet, nec oportet; minimis opus eſt, vt ad magna fiat progreſſus; maioribus ad maxima, aditus præparatur: illuſtriores Sancti à minimis inceperunt; quæque nobis reliquerunt ſublimis mentis monimenta, minimis ab initiis ſunt exorſi. Opera S. Auguſtini, Eccleſiæ primarij Doctoris, decem ſunt in tomos digeſta, at à quo putas titulo (poſt Confeſſiones quæ ipſo in limine ſunt, ob pœnitentiæ claritatem) primus tractatus incipit? Sanè de grammatica inſcriptus eſt: ſecundus de dialectica, eiúſque principiis; tertius de categoriis decem prænotatur: quartus Rhetorices principia continet: quinto, de muſica * titulus eſt, ſex hic in opuſcula eſt digeſtus. Hoc ordine Auguſtinus didicit, hoc ordine docuit. Seriò igitur elabora, vt eum imiteris, non in reatu culpæ, ſed in ſtudio ſcientiæ: verè enim ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 15. *Non priùs quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale.*

Iſaia 59. 1.
Rom. 11. 29.

* Muſica ad cantum ſpectat Eccleſiarum, qui pars eſt diuini cultus.

ARTICVLVS II.

De ſcientia Eccleſiaſtica, præſertim verò ſtudio ſacrarum litterarum, & piorum librorum lectione.

DECVS ſummum, præcipuámque hominis felicitatem in hac vita plerique eſſe putant, in omni genere honeſtarum diſciplinarum peritum ac doctum eſſe, quæ ingenuo homini conueniunt; adeò vt nemo in virum magnum euadere poſſit, & vt noſtri vocitant cenſeri inter eos qui dicuntur, *les habiles gens*, qui non de quibuſque artibus & diſciplinis, queat in promptu aptè & eleganter, quovis in eruditorum cœtu publico vel priuato, diſſerere. Qui hoc igitur perſuaſum habent, grammaticæ, & ſubinde Rhetoricæ hauſtis plenè documentis; Ariſtotelicâ omni cognitâ Philoſophiâ; Medices etiam delibatis principiis, & Iuris vtriuſque ſyntagmatibus, hiſtoriæque nonnullis monimentis, ad linguarum ſe conferunt exactam notitiam: aliquem è Græcia ſemper magiſtrum habent, à quo perfectè in hac nobili lingua edoceantur; tum ad Græci ſermonis peritiam, Chaldaicæ, Hebraïcæ, Syriacæ, & cuius non

linguæ adiungere ſtudent haud minimam cognitionem. Hinc digreſſi ad alias artes, ſiue ſcientias, accuratim primitùs in omnibus Mathematicis diſciplinis volunt inſtitui, in quibus cùm ſe perfectos putant, pati non poſſunt (vt dictitant) ſe aliarum præclariſſimarum artium funditus expertes ac rudes eſſe. Etenim ſuum ingenium omnis capax notitiæ plurium atque inter ſe diſſimilium doctrinarum theorematis imbutum, earúmque fœtibus vber atque fœcundum, arbori cuipiam ſimile videri, in qua inſiti aliarum arborum calami, pro illarum varietate, varios etiam fructus educunt. Non ſibi contemnendas putant (ne harum careant oblectamento ac vtilitate) alias inferiores artes, v. g. Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, Picturam, Architecturam, ſed in eis ſedulò ſe exercent, diſciplinæ etiam militaris notitiam non leuem imbibere ſtudent, ne in aliqua re ignari aut imperiti cenſeantur; ſimiles ſcilicet Eleo olim Hippiæ, qui cùm exiſtimaret *Philoſopho nihil eſſe ignorandum*, quod in aliqua arte eſſet, annulum quem haberet, pallium quo amictus, ſoccos quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe gloriabatur.

Pium hominem, qualem imprimis Clericum eſſe decet, ita deſipere, ſtultéque eniti eſſe per omnia ſapientem, omníque ſcientia turgidum, non fert Apoſtolus, at penitùs prohibet, vbi ait: *Nolite conformari huic ſæculo; ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, non plus ſapere quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem;* Rom. 12. Sanctus Bernardus ſerm. 36. ſuper Cantica, cuius titulus eſt, *Quòd ſcientia litterarum ſit bona ad inſtruendum, ſed ſcientia propriæ infirmitatis ſit vtilior ad ſalutem:* prudenter quærit, *Sitne ignorantia omnis damnabilis?* rectè verò in hunc modum reſpondet; *Et mihi quidem videtur non eſſe (neque enim omnis ignorantia damnat) ſed multa & innumera eſſe, quæ neſcire liceat abſque diminutione ſalutis, v. g. ſi ignoras fabrilem artem,* &c. *& quæcumque iſtiuſmodi ſunt artes, quæ ad vſus vitæ huius præſentis ab hominibus exercentur, nunquid impedit ad ſalutem? etiam abſque omnibus illis artibus quæ liberales dicuntur, quamvis honeſtioribus, vtilioribúſque ſtudiis, & diſcantur & exerceantur, quamplurimi homines ſalui facti ſunt,* &c. *quantos enumerat Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos factos dilectos, non in* ſcientia litterarum, *ſed in conſcientia pura, & fide non ficta.* Hæc eſt *ſcientia ſalutis,* quam Dominus per viſcera miſericordiæ ſuæ, vt viſitauit nos oriens ex alto, diſcipulos ſuos docuit, nóſque diſcere voluit eorum voce ac miniſteriô. *Luc. 2.* Quibus igitur etſi competat eſſe doctos in regno cælorum, vt alios docere poſſint ad ſalutem, & potentes eſſe non ſolùm opere, ſed & ſermone, vt valeant exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere, poſcentíque omni de ea, quæ in nobis eſt, ſpe Chriſtiana reddere rationem: præcipuè curæ eſſe debet curioſa non ſectari, at ſalutaria diſcere & docere: quicquid habent ſcientiæ inſtar medij arbitrari, non finis; his vti non abuti, hæc referre non in ſui nominis laudem, ſed ad Dei gloriam, & ſuam proximíque veram, & perennem vtilitatem.

Diuino prorſus afflatu Thomas à Kempis lib. 3. de imitatione Chriſti c. 43. ipſum Dominum, ita ſeruum ſuum de vanæ ſcientiæ ſæcularis inanitate,

nitate, veræque ſcientiæ ſpiritualis affectu fructúque admonentem inducit. *Fili, non te moueant pulchra, & ſubtilia hominum dicta; non enim eſt regnum Dei in ſermone, ſed in virtute. Attende verba mea, quæ corda accendunt, & mentes illuminant, inducunt compunctionem, & variam ingerunt conſolationem, nunquam ad hoc legas verbum, vt doctior aut ſapientior poſſis videri. Stude mortificationi vitiorum quia hoc ampliùs tibi proderit, quàm notitia multarum difficilium quæſtionum. Quum multa legeris & cognoueris, ad vnum ſemper oportet redire principium; ego ſum qui doceo hominem ſcientiam, & clariorem intelligentiam paruulis tribuo, quàm ab homine poſſis doceri. Cui ego loquor, citò ſapiens erit; & multùm in ſpiritu proficiet. Væ eis qui multa curioſa ab hominibus inquirunt, & de via mihi ſeruiendi parum curant. Veniet tempus quando apparebit magiſter magiſtrorum Chriſtus, cunctorum auditurus lectiones, hoc eſt ſingulorum examinaturus conſcientias, & tunc ſcrutabitur Ieruſalem in lucernis, & manifeſta erunt abſcondita tenebrarum, argumentáque linguarum tacebunt. Ego ſum qui humilem in puncto eleuo mentem, vt plures æternæ veritatis capiat rationes, quàm ſi quis decem annis ſtudiuſſet in ſcholis. Ego doceo ſine ſtrepitu verborum, ſine confuſione opinionum, ſine faſtu honoris, ſine pugnatione argumentorum. Ego ſum qui doceo terrena deſpicere, præſentia faſtidire, æterna quærere, æterna ſapere, honores fugere, ſcandala ſufferre, omnem ſpem in me ponere, extra me nihil cupere, & ſuper omnia me ardenter amare.*

Sed quæſo, in quónam libro hæc diuinæ ſcientiæ præcepra rraduntur? Appoſitè ad hæc idem Auctor imitat. Chriſti lib. 4. cap. 12. *Duo*, inquit, *mihi neceſſaria permaximè ſentio in hac vita, ſine quibus mihi importabilis foret iſta miſerabilis vita. In carcere corporis huius detentus, duobus me egere fateor, cibô ſcilicet & lumine. Dediſti itaque mihi infirmo, Domine, ſacrum corpus tuum ad refectionem mentis & corporis, & poſuiſti lucernam pedibus meis verbum tuum. Sine his duobus bene viuere non poſſem; nam verbum Dei lux animæ meæ, & ſacramentum tuum panis vitæ. Hæc poſſunt dici etiam menſæ duæ, hinc & inde in gazophylacio Eccleſiæ ſanctæ poſitæ. Vna menſa eſt ſacri altaris habens panem ſanctum, id eſt corpus Chriſti pretioſum. Altera eſt diuinæ legis continens doctrinam ſanctam, erudiens fidem rectam, & firmiter vſque ad interiora velaminis perducens. Gratias tibi, Domine Ieſu, lux lucis æternæ, pro doctrinæ ſacræ menſa, quam nobis per ſeruos tuos, Prophetas & Apoſtolos, alióſque Doctores miniſtraſti.*

Nec temerè verò ab eo comparari quis exiſtimet ſacram Scripturam cum Chriſti corpore: in veteri Eccleſia mos erat illam cum eo coniungi, eranr enim duæ arcæ circa abſides, vna ad dexrrum larus, in qua ſacra myſteria ſeruabantur: altera ad ſiniſtrum, vbi erant diuinæ Scripturæ reconditi codices: qua de re S. Paulinus epiſt. 12. ad Seuerum in hunc modum cecinit;

à dextra abſidis. { *Hic locus eſt, veneranda penus vbi conditur, & qua*
Promitur alma ſacri pompa miniſterij.

à ſiniſtra eiuſdem. { *Si quem ſancta tenet meditanda in lege voluntas;*
Hic poterit reſidens ſacris intendere libris.

Extat eiuſdem Paulini epiſtola ordine 38. ad Iouium virum nomine &

ſcientiâ clariſſimum: quâ ipſum collaudatum ob inſignem doctrinam ac eloquentiam affatim hortatur vt Philoſophorum libris poſthabitis, ad ſacrarum ſcripturarum lectionem, vnde vera ſcientia petenda eſt, animum transferat; ſic autem poſtquam oratoriâ compellauit admonitione, vt ad hoc diuinum permoueat ſtudium, poëtica modulatione eum demulcet, atque affatur;

Tu, cui mens generoſa ſuperni ſeminis igne
Ardet, in ætherios animô conſcende receſſus,
Et gremio Domini caput inſere: mox inhianti
Profluа lacte ſacro, largus dabit vbera Chriſtus,
In ſeſe ipſe manens ſemper nouat omnia rerum.

Et infrà,

Quid ſoboles virtúſque Dei, & ſapientia Chriſtus;
Nónne ſatis vanis curas erroribus aufert?
Nóſque ſimul monitis & factis edocet, vnum
Cuncta Deum regere, & nihil vt ſine mente putemus
Principis eſſe Dei, dicens non arbore frondem,
Aëre non volucrem, ſine iuſſu decidere; & cùm
Omnipotens verbô ſternit mare, vel pede calcat,
Et verbô morbos abigit, vel dæmones vrget,
Aut reduces animas in corpora functa remittit,
Iámque diu exanimos tumulis iubet ire recluſis;
Integrátque putres vitâ redeunte ſepultos:
Nónne poteſtatem propriam ſatis indicat auctor,
Qui ſolus naturam omnem, vitámque gubernat.
His precor, his potiùs, ſtudiúmque operámque legendis,
Scribendíſque vouens, cane grandia cœpta tonantis,
Scribe creatarum verbô primordia rerum,
Et chaos ante diem primæque crepuſcula lucis,
Quæque dehinc variis elementa per omnia ſæclis.
Dicta vel acta Deo, per ſancta volumina diſces:
Quæ docuit tabulis legalibus indita Moſes:
Aut Euangelici quæ lex noua Teſtamenti
Signat operta priùs, retegens myſteria Chriſto.

Hæc piè & eleganter Paulinus, qui rurſus lectionem, & meditationem aſſiduam diuinæ ſcripturæ mirâ vi perſuaſionis commendat ep. 50. *Præcipua tibi* (inquit) *cura ſit legem noſſe diuinam, per quam poſſis præſentia quaſi exempla ſanctorum, & quid faciendum ſit, quídve fugiendum, illius conſilio diſcere. Maximum enim ad iuſtitiam auxilium eſt, implere diuinis eloquiis animum, & quod opere exequi cupias, ſemper corde meditari. Rudi adhuc populo, & hominibus ad obedientiam inſuetis, per Moyſem imperatur à Domino* (Num. 5.) *vt in ſignum memoriæ, quâ præcepta Domini recordentur, per ſingulas veſtimentorum fimbrias habeant cum cocco hyacinthini coloris inſignia, vt etiam caſu huc illúcque reſpicientibus oculis mandatorum cæleſtium memoria naſcatur: de quibus fimbriis Phariſæi redarguuntur à Domino, quòd eas peruerſo vſu, non ad commonitionem præceptorum Dei, ſed ad oſten-*

tationem ſui habere cœperint; vt ſcilicet quaſi de maioris obſeruationis diligentiâ, ſancti à populo iudicarentur. Tibi verò ſeruanti non iam litteræ præcepta, ſed ſpiritûs, diuinorum mandatorum memoria ſpiritualiter excolenda eſt: cui non tam frequenter recordanda ſunt præcepta Domini, quàm ſemper cogitanda; ſint ergo diuinæ Scripturæ ſemper in manibus tuis, & iugiter in mente voluantur. Nec ſufficere tibi putes, mandata Dei memoriâ tenere, & operibus obliuiſci: ſed ideò illa cognoſce, vt facias quicquid faciendum didiceris. &c. *Latus quidem & immenſus diuinæ legis campus extenditur, qui diuerſis teſtimoniis veritatis, velut cæleſtibus quibuſdam floribus vernans, mirâ oblectatione legentis animum paſcit & refouet. Quæ omnia ſemper cognoſcere, ſecúmque reuoluere, ingens ad conſeruandum iuſtitiam, beneficium eſt.* In hunc modum Paulinus noſter (Gallus etenim erat) ad Celantiam nobilem matronam, de aſſidua Scripturæ ſacræ meditatione reſcribit; quam ſi tot tantíſque rationibus coniugatæ ſuadet fœminæ, quantò maioribus aculeis incutiendam cenſuiſſet iis, qui non modò eam legere & meditari, ſed intelligere, & aliis interpretari ex officio tenentur? ſic enim Deus in Leuitico (cap. 10.) Sacerdotes & Leuitas ad hoc munus obſtringit, *Vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatíſque filios Iſraël omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.* Idcirco in Deuteronomio, omne populi ambiguum & difficile circa legem, iudicium ad Sacerdotes Deus referri voluit; & per Malachiam eis depoſitum hoc à ſe creditum declarat; *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & requirent legem ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.*

Quod officium in lege gratiæ fuiſſe à Domino potiſſimùm demandatum noui æternique Teſtamenti miniſtris, nemo qui legerit Euangelica oracula ambigere poteſt. Vnde & Sanctus Dionyſius præcipuam ſacrorum hominum curam in hoc munere ſitam eſſe agnoſcens, in ipſo exordio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cap. 1. ſanctam Scripturam rectè ac congruè nominauit *ſubſtantiam Sacerdotij noſtri:* ſine qua nimirum, nec conſtat, nec conſtare poteſt in Eccleſia nomen & officium Sacerdotis, ſiquidem ipſum deficeret Sacerdotium, ſi Euangelium tolleretur. Quamobrem ſcitè & eleganter S. Ambroſius l. 3. de fide c. 7. ſacram Scripturam nominauit *librum ſacerdotalem;* vt enim Regum libros dicimus, in quibus non ſolùm res geſtæ Regum veterum deſcribuntur, ſed & exempla proponuntur Regibus, ac documenta quibus & ſe, & populos in Dei cultu & metu debent regere. Et vt commentarios Cæſaris, militares codicillos, non abs re quiſpiam appellaret, quia tractant de arte & diſciplina militari, ducéſque modum idoneum, quô regant exercitus, bellúmque ſtrenuè ac prudenter adminiſtrent, docent; & Iuſtiniani codicem, iuris librum paſſim vocitamus, cuius ſcilicet lectione iuriſprudentiæ ſtudioſi, ad iudicandum quâ par eſt prudentiâ & æquitate, inſtruuntur: ita ſacræ Scripturæ volumen, congruenti titulo *liber Sacerdotalis* à S. Ambroſio inſcribitur, quòd ſcilicet penus ſit & promptuarium ſcientiæ Sacerdotalis, quandoquidem ferme id omne docet, quod Sacerdos & ſcire debet & facere, ſuo vt munere ad Dei beneplacitum & honorem, Eccleſiæ commune bonum atque decus, & ſalutem animarum, quæ Euangelij ſumma eſt, perfungi poſſit.

Sed dicet fortaſſis hîc nonnemo, *Tractas de Clericis, & diuagaris ad Sacerdotes?* quaſi verò Sacerdos non eſſet Clericus, & Clericum hîc inſtituendum ſuſceperim, qui nunquam ad Sacerdotium promouendus eſſet. Imò hîc Clericum informamus qui adſcriptus ſemel Eccleſiaſticæ militiæ, eiúſque præceptis diligenter eruditus, tyrunculus ſemper futurus non ſit, at ſciens & fortis fiat miles, pérque actus ſtrenuos ſenſim conſcendat initæ ſemel militiæ gradus, adeóque vſque ad ſigniferi, ducíſque munus merito ſuo progrediatur.

Nec eſt, quod quis iterum excipiat; ſed hortaris ad ſacræ Scripturæ ſtudium ipſos militiæ Clericalis tyrones: Scriptura autem ſacra eſt admodum intellectu difficilis, captúmque iuuentutis prorſus ſuperat, ſed etiam tranſcendit omne humanum ingenium: quapropter ſiquis ſollicitaret non dico adoleſcentes, at cuiuſuis ætatis ac capacitatis viros ad comprehendendum omnia myſteria quæ in diuinis litteris continentur, profectò temerè id præſumeret. Verùm hîc non id aggredior, at ſuadeo dumtaxat diuini miniſterij candidatis ſacras Scripturas legere, meditari, ſcrutari; non autem ad ſuum dimetiri captum, quaſi ſui ingenij vires pares eſſent ſuperandæ ipſius Scripturæ arcanorum difficultati, aut adæquandæ ſublimitati.

Nil conſulo igitur adoleſcentibus, quod ab initio Eccleſiæ factitatum Apoſtolus ipſe non probârit, dum ſuum Timotheum hunc in modum officij commonefaciebat, 2. Timoth. 3. *Tu verò permane in iis quæ didiciſti & credita ſunt tibi*, &c. *& quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.*

Collineat huc eximium dictum Platonis lib. 6. de legibus: *Aſſero*, inquit, *eos qui præſtantes viri in aliquo euaſuri ſunt, ab ineunte ſtatim pueritia oportere ad ipſum tam ludendo, quàm ſtudendo in ſingulis ei negotio conuenientibus meditari.* Hôc imbutus conſilio Origenes, at magis præmemoratô Timothei exemplô, operam à prima ætate Scripturæ ſacræ lectitandæ adhibuit, etiam patris Leonidis (qui martyr pro Chriſto ſuadente filio occubuit) monitu. De eo ſiquidem commemorat Euſebius, eum iam inde à pueritia Scripturæ ſacræ ſtudium inchoâſſe, ſolitúmque patri in dies ſingulos ſententias aliquot ſacras è memoria velut diurnum penſum reddere & recitare: neque his contentus, altiſſimas etiam earum notiones & ſenſa perueſtigare, & interrogare cœpiſſe. At cùm adultior factus, cathedrâque Alexandrinæ Eccleſiæ magiſtrali donatus perdius & pernox cœpta proſecutus, hac vna de cauſa Hebraïcam linguam perdidicit, & toto orbe conquiſitas variorum interpretum verſiones collegit, & primus nouo ac memorabili exemplo Hexapla & Octapla elucubrauit, ſcholiíſque illuſtrauit. Inter Latinos flagrantiſſimo eodem ſtudio floruit S. Hieronymus, ſui æui phœnix; qui adeò totus hîc excubuit, vt in hiſce litteris ad extremam canitiem conſenuerit, atque ex Hebræo Latinam Bibliorum verſionem conſignârit Eccleſiæ, quæ proinde eum doctorem maximum in exponendis ſacris Scripturis, à Deo ſibi datum agnoſcit ac prædicat. Huius tanti viri delendum nunquam vlla obliuione apophthegma

eſt, *Diſcamus in terris, quorum ſcientia nobiſcum perſeueret in cælis*: itémque hoc altâ itidem retinendum memoriâ; *Sic ſtude, tanquam ſemper victurus: ſic viue, tanquam ſemper moriturus.* Haud tamen eſt quod quiſquam ſibi perſuadeat fas ſibi eſſe ſacræ Scripturæ perſcrutationi ſe ingerere ſine præuiis diſpoſitionibus. certè Sanctus ipſe Hieronymus liberalibus diſciplinis eruditus fuerat, & doctiſſimorum virorum cultu & cõuerſatione, philoſophiâ & eloquentiâ egregiè inſtructus, antequam ad B. Gregorium Nazianzenum ſe contuliſſet, quo doctore litteras ſacras vt ipſe refert, didicit. Verùm hoc de Theologicis accurationibus præceptis & ſublimioribus ſacræ Scripturæ theorematibus intelligi debet: nam antehac ſicut in geſtis eius legitur, cùm diſcendi ſtudio Galliam peragraret, pios aliquot & diuinis litteris eruditos viros adierat atque audierat, multóſque ſacros libros, quò ſe eorumdem ſtudio aſſuefaceret ſua manu deſcripſerat. Nihil impedimenti eſt igitur adoleſcenti Clerico, antequam totum ſe Theologicis tradat diſciplinis, delibatis humanioribus, lectioni ſacræ Scripturæ operam eam admouere, quâ primam eius notitiam hauriat: ſubiectum ſeu materiam, numerum, ordinem, inſcriptionéſque diſcat librorum, quibus ſacra Biblia conſtant. Hos deinde ſimplici lectione percurrat, litteralem ſenſum aſſequi * ſtudens, potiúſque inhærens hiſtoricis libris, quàm propheticis & myſticis: & ſi quid in ipſa hiſtoria ambigui obſcuríque ſenſerit, modeſto & ſimplici animo tranſcurrat, vel referat ad Sapientes, quorum ſenſa ſuo prorſus iudicio anteponat; nec vmquam in eiuſmodi difficultatibus ſuo fidat ingenio. Quam regulam diligenter obſeruare memor erit in huius ſtudij progreſſu; etiam cùm ad veneranda Theologiæ adyta peruenerit, decurſis inferiorum diſciplinarum palæſtris.

* Sic de S. Bernardo refert Guiliel. Abbas lib. 1. vitæ eius cap 4. in fine. *Canonicas Scripturas ſimpliciter & ſeriatim libètiùs ac ſæpiùs legebat, nec vllis magis quàm ipſarum verbis eas intelligere ſe dicebat, &c. Sanctes tamen & Orthodoxes earum expoſitores humiliter legẽs, nequaquam eorum ſenſibus ſues æquabat, ſed ſubiiciebat firmandes, &c.*

Imparatum enim accedere quempiam ad ſacræ Scripturæ lectionem neque fas eſt, neque fructuoſum eſſe poteſt: præparatione igitur opus eſt, non ſolùm externâ quæ (præmiſſâ Chriſtianæ catecheſis notitiâ,) in humanarum litterarum ac diſciplinarum cultu ac peritia reſidet; verùm etiam, multóque magis internâ; cùm certum ſit ſine hac, illam fore inutilem, imò fortè noxiam; abſque illa verò hanc poſſe efficacem eſſe. Patet in S. Franciſco, quem omnis humanæ eruditionis expertem, eò extulit puritas cordis & mentis humilitas, vt intimos penitiotéſque Scripturæ ſenſus incredibili acumine peruaſerit, penetrârit, atque etiam ſummè exercitatis in quacumque doctrina viris, ipſíſque ſacræ paginæ Magiſtris reſerârit. De eo ſiquidem memoriæ prodidit S. Bonauentura ab ipſis primariis S.R.E. Cardinalibus, aliíſque viris eruditiſſimis plerumque rogatum de altiſſimis ſacræ Scripturæ difficultatibus, ita aptè & ſublimiter reſpondiſſe, vt Doctores Theologos longè ſuperaret.

Cæterùm ſex ſunt diſpoſitiones, quæ ad internam, hoc eſt potiſſimam præparationem pertinent.

Prima eſt ipſa crebra diuinorum codicum lectitatio, vel frequens auditus. Dicebat Plato ſapientiam eſſe filiam memoriæ: id porrò S. Auguſtinus lib. 2. doctrinæ Chriſtianæ cap. 9. in comparando ſacræ Scripturæ vſu ac intelligentia maximè locum habere, præclaro hoc monitu inſinuat; ſiquidem enumeratis ſuperiori capite ſingulis Bibliorum libris,

continuò ſubiungit; *In his omnibus libris timentes Deum, & pietate manſueti quærunt voluntatem Dei: cuius operis & laboris prima obſeruatio eſt, vt diximus, nôſſe libros iſtos, & ſi nondum ad intellectum, legendo tamen vel mandare memoriæ, vel omnino incognitos non habere. Deinde illa quæ in eis apertè poſita ſunt vel præcepta viuendi, vel regulæ credendi, ſolertiùs diligentiúſque inueſtiganda ſunt, quæ tantò quiſque plura inuenit, quantò eſt intelligentiâ capacior. In iis enim quæ apertè in Scriptura poſita ſunt, inueniuntur illa omnia quæ continent fidem moréſque viuendi, ſpem ſcilicet atque charitatem*, &c. *Tum verò factâ quadam familiaritate cum illa lingua diuinarum Scripturarum, in ea quæ obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſt; vt ad obſcuriores locutiones illuſtrandas, de manifeſtioribus ſumantur exempla, & quædam certarum ſententiarum teſtimonia, dubitationem de incertis auferant, in qua re memoria valet plurimùm; quæ ſi defuerit, non poteſt his præceptis dari.* Nihil autem magis valet ad parandam memoriæ efficaciam & fœcunditatem, quàm frequens ac ſedula exercitatio; hæc verò ex crebra lectione & meditatione, aut auditione aſſidua elicitur. Eapropter Eccleſia vt noſtram hoc in ſtudio memoriam iuuet, nobis in quotidiano tum ſacrificij Miſſæ, tum Horarum Canonicarum officio, ita librorum ſacrorum diuini codicis penſum diſtribuit, vt quotannis aptis digeſtum decíſionibus totum perſoluamus. Subſidio eſt itidem hac in re non modico ille celebris Eccleſiaſticorum & religioſorum vſus, vt in cœna & prandio ad menſam caput vnum è ſacris paginis prælegatur, & priſcô Patrum more cibi ſacris litteris condiantur; quia ſcilicet (vt ait Dominus) *non ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei*: ideóque Tridentina Synodus ſapientiſſimè præcipit in limine ſeſſ. 2. vt in Epiſcoporum menſis diuinarum ſcripturarum lectio admiſceatur, nec omittant Theologi harum conſtanti ſtudio incumbere, quô eiuſmodi lectione quotidiana Scripturam ſibi familiarem reddant, vſúque facilem. Clauſula ſit huic ſyntagmati hæc illuſtris, ex S. Iſidori ſcitis dictíſque deprompta ſententia: *Omnis profectus ex lectione & meditatione procedit, quæ enim neſcimus, lectione diſcimus: quæ didicimus, meditatione conſeruamus*, lib. 3. de ſummo bono.

Matth. 11. 25. Luc. 10. 21. Secunda diſpoſitio, eſt humilitas; iuxta illud Domini ad æternum Patrem oraculum: *Confiteor tibi Pater, Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Aditus ad ſapientiam humilitas eſt; ignorantiæ fons eſt ſuperbia: nec aliunde enim homo tumet, niſi quòd ſeipſum non agnoſcit; ſi ſe nôſſet, non inflaretur, non extolleretur, at demiſſè de ſe ſentiret; quóque magis demiſſiùs, eò ad ſublimiora fieret aptior; nam vt ait Dominus, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur: Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* *Luc. 18. 14. Iacob. 4. 6. Præf. in Moral. lib. 4.* Quàm eleganter Sanctus Gregorius Scripturam ſacram ſimilem eſſe dicit fluuio plano & alto, in quo ambulat agnus, & elephas mergitur. Quicumque ad ſacræ Scripturæ lectionem accedit elephantinâ mole, elephantinô tumore, elephantinô inceſſu, mediis dum natare tentat in vndis profundi huius oceani ſcientiæ Dei, facilè obruitur, períque abſorptus repentinô hiatu inter medios tanti pelagi vortices: at enatat agnus molli ſubuectus vellere, nullóque pondere tumoris exitioſi depreſſus. Diuinô prorſus documentô quid poſſit,

quid proſit humilitas in ſacræ ſcripturæ ſtudio S. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 41. inſinuat: *Cogitet*, inquit, *ſcripturæ ſacræ ſtudioſus illud Apoſtolicum, ſcientia inflat, charitas autem ædificat; illúdque Chriſti, diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, vt in humilitate radicati & fundati poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, altitudo & profundum, id eſt crucem Domini; quo ſigno crucis omnis actio Chriſtiana deſcribitur; bene operari in Chriſto, & ei perſeueranter inhærere ac ſperare cæleſtia. Per hanc actionem purgati valebimus cognoſcere etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti, qui æqualis eſt Patri, per quem facta ſunt omnia, vt impleamur in omnem plenitudinem Chriſti.* Quàm ſit conſentanea humilitas ſacrarum ſcripturarum lectioni, ad earum comparandam veram intelligentiam, S. Carolus Borromæus memorabili docuit geſtorum monimentô; tanta enim deuotione, & reuerentiâ earum ſtudio ſe dedebat, vt quaſi ipſiſſimas Dei ad homines litteras nonniſi nudo capite, & flexis genibus lectitaret.

Tertia diſpoſitio, eſt tranquillitas mentis; Deus enim in commotione non loquitur, nec in turbine conterente petras, & ſubuertente montes, at in ſibilo auræ tenuis, procul ab omni ſtrepitu & fragore 4. Reg. 19. Ideò Chriſtus Patris æterna ſapientia in oratione Dei pernoctabar, procul à turbis, auulſus à diſcipulis, ſecretus ab omni creaturæ colloquio atque commercio. Vt quid hoc? *Vtique non propter ſuffragium* (ait S. Ambroſius lib. 5. Comm. in Lucam) *ſed propter exemplum:* præbet ſiquidem formam quam debeamus æmulari, ſolus priuſquam opus quodquam aggrediatur orans, ſolus vbique obſecrans, vt ſcilicet nos doceat quærere mentis quietem, loci ſolitudinem, ſenſuum collectionem, cùm aliquod officium pietatis volumus adoriri: maximè cùm diuina cupimus meditari, ſacríſque oraculis cordis aures, & animi oculos admouere. Enimuerò ſicut aquæ, ſi nullo venti, aëríſque flabro agitentur, ſed immotæ conſiſtant, limpidiſſimæ ſunt, & quamuis obiectam ſibi imaginem clariſſimè concipiunt, & intuenti quaſi ſpeculum perfectiſſimum exhibent; ita mens turbinum paſſionum expers, tranquillô hôc pacis ſilentiô limpida, acutè cernit, omnémque veritatem planiſſimè concipit, acríque iudicio imperturbata peruidet. Expertus id audiatur S. Auguſtinus diſſerens in illud Euangelicum; *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Sapientia*, inquit, *congruit pacificis, in quibus iam ordinata ſunt omnia, nullúſque motus aduerſùs rationem rebellis eſt, ſed cuncta obtemperant ſpiritui hominis, cùm & ipſe obtemperet Deo.*

Quarta diſpoſitio, eſt puritas mentis & corporis. Tabulas legis Deus Moyſi collocare iuſſit in arcâ fœderis confectâ de lignis ſethim imputribilibus, contextâque aurô purô intus & foris. Ad animam Chriſtianam S. Hieronymus arcæ huius myſticæ typum refert & pulchrè adaptat: *Sponſa Chriſti* (inquit ad Euſtochium, de virgin.) *eſt arca teſtamenti intrinſecùs & extrinſecùs deaurata, cuſtos legis Domini, ſicut in illa nihil aliud fuit niſi tabulæ Teſtamenti, ita in te nullus ſit extrinſecus cogitatus.* Nulla alia igitur ſit in anima, quàm ſeruandæ Dei legis cupiditas: nec vllus quicquam aliud ſciendi quàm quod illa docet, affectus. Externa adſit puritas,

nempe integritas carnis; at non interna deſit mundities, mentis ſcilicet incorruptæ nitor; *Non enim in maleuolam animam introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis; Spiritus enim Sanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.* At ſi quis Deo mentem offerat puram, & cor mundum præbeat, gratum ei profectò domicilium præparabit; delectatur enim ſpiritus ſapientiæ in habitaculo mundo, & vt in propitiatorio ſuauiter requieſcit: mutuis complexibus ſapientia & puritas copulantur, eadémque ſede conſident. Id verò mirificè confirmat quod memoriæ mandauit Rufinus de S. Gregorio Naz. cognomine Theologo; *Hic cùm Athenis ſtudiis vacaret florenti ætate, vidit per ſoporem ſedenti ſibi & legenti duas decoras dextra læuáque fæminas aſſediſſe, quas ille caſtitatis inſtinctu, oculo toruiore reſpiciens, quænam eſſent, quídnam vellent, percontabatur; at illæ eum familiariùs, & ambitioſiùs complectentes, aiunt; ne moleſtè accipias iuuenis, notæ tibi ſatis & familiares ſumus, altera enim ex nobis ſapientia, altera caſtitas dicitur, & miſſæ ſumus à Domino tecum habitare, quia iucundum nobis in tuo corde habitaculum præparaſti.*

Quinta diſpoſitio ad ſacræ Scripturæ piam & ſalutarem lectitationem, eſt Oratio. Quicumque æquor tam vaſtum & dubium, ſui nixi ingenij temis & velis, nullo Cynoſuræ, cæleſtíſve cuiuſpiam ſyderis contuitu peruagantur, nunquam ad portum euadunt, mediis at ſemper iactantur fluctibus, & quæ ad nauſeam legunt, non intelligunt, *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*, vt de iis ait Apoſtolus 1. Timoth. 3 Ne in eiuſmodi crimen incidamus S. Petrus auſpicatò nos admonet, *Non voluntate humanâ*, inquit, *allata eſt prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt Sancti Dei homines;* ſubindicans ſacræ Scripturæ doctrinam, quia diuinitus tradita eſt, ſine inſpiratione diuina intelligi non poſſe. Afflatu diuino, Prophetæ, Apoſtoli, & Euangeliſtæ irradiati diuinos hos exatârunt cæleſtium oraculorum codices; niſi Spiritu Sancto interpretante, à quo dictata ſunt, quiſpiam eorum ſenſum & intelligentiam poteſt conſequi; idcirco Dauid primarius ipſe Propheta cùm legis Dei lectionem aggrederetur, ad orationem confugiebat, *Mirabilia*, inquit, *teſtimonia tua: ideò ſcrutata eſt ea anima mea. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Os meum aperui* (ſcilicet in oratione) *& attraxi ſpiritum* (nempe intelligentiæ) *quia mandata tua deſiderabam*, ſcite ſcilicet & intelligere, vt prædicarem, vt obſeruarem; nec enim iuuat ſcire, & non facere. Verſum hunc celebrem 131. Pſal. 118. S. Hieronymus ſuum in vſum vendicauit; cùm enim interpretationem prophetiæ Ezechielis aggrederetur, petiit enixè ab Euſtochio virgine ſanctiſſima (præfat. in lib. 6. comment. in Ezechielem) vt impetraret ſibi à Deo, eiuſdem ſpiritus gratiâ, quo Prophetæ reuelata ſunt, quæ ſcripta leguntur, ſibi quoque diſſerenti reuelari, vt dicere poſſet cum diuino Pſalmiſta, *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum.*

Sapiens (ait ſcriptura Eccleſ. 39.) *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum qui fecit illum, & in conſpectu altiſſimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis* (quæ ſcilicet gratiæ ponunt obi-

cem)

cem) *deprecabitur; ſi enim Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit illum, & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium illius.*

Piè igitur, & prudenter Iuſtini martyris Catechiſta, lectionem Prophetarum illi ſuadens, hanc ei methodum ſuggerebat. *At tu votis, & precibus ante omnia tibi lucis portas aperiri opta: neque enim ab aliquibus perſpiciuntur & intelliguntur, præterquam ſi cui Deus & Chriſtus eorum conceſſerit intelligentiam;* Quod Iuſtinus fecit, eámque ſapientiam inde hauſit quam poſtmodum ſuis in ſcriptis effudit, quæ ſuo etiam ſanguine obſignauit.

Gregorius Neocæſarienſis Epiſcopus, cui Thaumaturgi cognomen, ob innumera quæ patrauit miracula, obtigit: cùm recentes quoſdam hæreticos refrænare niteretur, arma validiora nulla eſſe ratus oratione, ad ſupernum confugit auxilium: cùm precibus igitur inſiſteret, opémque ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, cui impensè deuotus erat, aſſiduè imploraſſet, tandem eius monitu, iuſſúque, principij Euangelij Sancti Ioannis ab ipſo accepit explicationem, ſymbolóque diuinitus edito, ora peruersè loquentium obſtruxit, quemadmodum in eius vita commemorat Sanctus Gregorius Nyſſenus, qui Symbolum ipſum ſeriatim recitat. Ita oranti Sancto Chryſoſtomo, ſubindéque Sancti Pauli epiſtolas legenti, meditanti, interpretanti, haud ſemel idem ſanctus Apoſtolus aſtare viſus eſt, ſuggerens in aure, quæ litteris conſignaret; ſic Ambroſio adfuit Angelus; Gregorio ille Spiritus, quem in ſpecie columbæ de cælo delapſum magnus Baptiſta dum Chriſtum tingeret in Iordane, conſpexit. Teſtatus eſt ſiquidem Petrus Diaconus ſe vidiſſe Spiritum Sanctum qui ipſimet Beato Gregorio, legenti, ſcribentíque in columbæ ſpecie inſidebat.

Clauis ſcientiæ oratio eſt, ſine qua diuinæ ſcripturæ ſenſus nemini reſerantur: quapropter exprobrat Phariſæis Dominus, qui neglectâ Dei deprecatione, ſolo ducti ſuperbiæ ſpiritu, diuinæ legis arcana præſumebant populo exponere, incaſſum id eos niti: deeſſe enim illis orationis ſubſidium, ſine quo nulli aditus ad intelligentiam ſanam verbi Dei pateret: *Væ vobis legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis,* Luc. 11. 52.
& eos qui introibant (id eſt introire volebant) *prohibuiſtis:* ſcilicet & malô exemplô, & falsâ interpretatione veſtrâ. Permittit enim iuſtô iudiciô Deus, vt qui proprio ſiſi ingenio, ſupernâ neglectâ ope, audent ſe ingerere Scripturæ ſacræ interpretationi in funeſtos corruant lapſus, vtque ſerpentes ex floribus venena conficiunt, de verbis veritatis errores conflent, verbis legis (ait ſcitè Ambroſius) impugnent legem; ſícque *ipſam perdentes fidem, & bonam conſcientiam, exitiale naufra-* 1. Timoth. 1.
gium faciant.

Longè ab hoc anfractu Sanctus Bernardus fuit, qui ex hoc Theodidacti retulit ſingulare cognomen, quòd non humana arte propriáque induſtriâ lumen intelligentiæ ſacræ ſcripturæ ſibi comparârit, at accerſierit diuini auxilij, aſſiduâ, humili, & feruenti obſecratione ac meditatione. Certè ſi quis percontetur vnde adeptus ſit ſapientiam iſtam diuinam,

mirabilem illam Scripturæ quam pro materia paſſim inducit, notitiam & interpretationem, melleam illam facundiam, quâ omnes lectores ſuos etiamnum demulcet, ad ſeque volentes nolentes rapit? Reſpondebit ipſe, quod crebrò ipſemet dictitabat; ſe in ſacræ Scripturæ ſtudio non alios quàm fagos & quercus habuiſſe magiſtros, inter quas nimirum orando, & meditando viſus eſt omnem ſub ſe poſitam, & expoſitam ſibi videre Scripturam, quemadmodum de eo prodidêre vitæ eius non ſolùm ſcriptores, ſed & ſpectatores Guillelmus Abbas libro 1. cap. 4. & Gofridus Monachus Clare-vallenſis libro 3. cap. 3. paucis verbis ipſius Sancti Bernardi continuas occupationes complexus præfatus Guillelmus Abbas lib. 2. cap. 7. *Nulla*, inquit, *vacatio ſupereſt, ſeruus Dei aut orat, aut meditatur; aut legit, aut concionatur*; pulchro ordine ſuas nimirum exercitationes, piáque ſtudia diſponens; nam orationem præmittebat meditationi, meditationem lectioni, lectionem prædicationi. Siquis volet in ſtudio ſacrarum litterarum proficere, eum ordinem teneat, quo feliciter adeò vſus eſt Sanctus ipſe Bernardus, vt, quemadmodum prædictus Gofridus de eo ſcribit, vteretur ſacris Scripturis tam liberè, commodéque, vt non tam ſequi illas, quàm præcedere crederetur, & ducere ipſe quò vellet, auctorem earum ducem Spiritum ſequens: cuius opem ſcilicet & auxilium antequàm ſeſe lectioni ſacræ Scripturæ applicaret, profuſis pietatis affectibus, in oratione ſemper implorare conſueuerat. Idem reliquit omnibus Chriſtianæ ſapientiæ ſtudioſis exemplum, Theologiæ ſcholaſticæ præcipuum lumen Sanctus Thomas, qui in Scripturis apprimè verſatus ſacros codices edifferens, tantùm ſpei in propitiando numine ponere conſueuerat, vt ad difficiliorem quemcumque Scripturæ locum intelligendum, præter orationem, etiam ieiunium adhiberet, quemadmodum ſuo fratri Reginaldo dicere ſolitus erat, quicquid ſciret, non tam ſtudio aut labore ſuo peperiſſe quàm diuinitus traditum accepiſſe; vnde promeruit cæleſte illud elogium: ſiquidem cùm Neapoli ante imaginem Crucifixi vehementiùs aliquando oraret, Chriſtus ipſe eum ſic affatus eſt, *Bene ſcripſiſti de me Thoma, quam ergo mercedem accipies?* Cui ille, *non aliam Domine, niſi teipſum.*

Sexta diſpoſitio, eſt ad ſpeciale patrocinium alicuius Sanctorum, maximè verò ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ, refugium. Suprà, quàm fuerit impenſè addictus eiuſdem beatiſſimæ Virginis venerationi, Sanctus Gregorius Neocæſarienſis cognomento Thaumaturgus, ex Sancti Gregorij Nyſſeni teſtimonio meminimus: à quo idcirco edoceri meruit, quomodo Origeniſtas ex primo capite Euangelij S. Ioannis confutaret: ipſo etiam Beato Ioanne interprete, à quo ſymbolum illud didicit, quod indidit litteris ad memoriam perpetuam; ſeriatímque idem S. Gregorius Nyſſenus eius in vita deſcribit. De Alberto Magno illo altero Theologorum principe, & ſummi omnium B. Thomæ magiſtro, ex citatis actorum eius ſcriptoribus Raderus hoc memorabile refert, Bauariæ Sanctæ tom. 1. *Optimo*, inquit, *genere natus, indole proba & honeſta, ſed minùs ad cultum ingenij idonea*, &c. *ægréque & multo labore tandem aſſequeretur, quod infimæ ſortis adoleſcentes nullo negotio complectebantur; itaque deſertus à*

naturæ, quam nouercam experiebatur præſidiis, ad aſylum & aras Virginis, quæ ſupra naturam & virgo, & mater Dei colitur, confugit, aſſiduiſque fatigatam precibus, prope coëgit hebetem animi tarditatem emendare & exacuere.

Sed viſione ſuperna, relatu iucundiſſima, ex Italico auctore cuius verba Latinè expreſſa promit, hanc à matre miſericordiæ opem fuiſſe ei collatam opportuno maximè tempore idem Raderus obſeruat in hunc modum. *Etenim de deſerendo vitæ religioſæ inſtituto cogitanti, & ſepta monaſterij audaci conatu tranſcendere cogitanti, ipſe ſuæ ſcholæ murus reſiſtere ac ſeſe opponere ſalienti viſus eſt. ſed admotâ ſcalâ cùm nihilominus cœpto non abſiſteret, ac verſus monaſterij portam, per eam egreſſus tenderet: tum verò trinæ virgines eximiâ venuſtatis formâ venerabiles, ſe venienti Alberto obiecerunt, abitúmque omnem viſæ ſunt corporum ſuorum obſtruere oppoſitu. Harum vna iuuenem comiter affata, abitûs cauſam popoſcit; cui ille ingenij duritiem, ac in ſtudiis tarditatem retulit; illa verò blandè triſtem ſolata, eam ſollicitudinem ponere iubet: Deipara enim, inquit, cui nos famulamur, quámque ipſe præſentem ſpectabis, te tuo voto compotem faciet, & quod poſtulas cumulatè præſtabit, dummodo huic Dominæ ſupplices tendere palmas volueris, tuúmque deſiderium tu ipſe expoſueris. Albertus igitur tam blando ſermone recreatus geſtire, & efferri gaudio mirabiliter cœpit, & earumdem comitatu ſtipatus, Virgini Deiparæ ſiſtitur. Rogatus verò cuius rei copiam ſibi fieri poſceret, ſupplex penitiſſimam Philoſophiæ naturalis cognitionem petiit; in qua quidem enucleanda eo tempore non ſatis feliciter laborabat: cui cœlorum Domina: Agedum voto tuo potiêre, támque proſperos deinceps experiêre ſucceſſus, vt omninò parem in Philoſophia non ſis habiturus. Nunquam certè meo deſtituêre præſidio, neque committam vt Chryſippæis Philoſophorum argutiis circumueniare, ſic vt nunquam rectum fidei tramitem deſeras, & per abrupta in præceps deuoluâre. Atque vt ex mea iſtud munificentia, non tui ingenij felicitate promanâſſe cognoſcas, paucis diebus antequam fato concedas omnium penitus rerum ſcientiâ priuaberis. Hoc ille tam blando recreatus inſomnio priſtinas omnes religioſæ deſerendæ vitæ cogitationes execratus, ab eo tempore vniuerſas ingenij vires ad ediſcendam philoſophiam intendit. Ceterùm è ſedibus æthereis tantam ſapientiæ vim fluxiſſe neminem rectè ſentientem latêre poterat; Etenim vix modico temporis ſpatio exacto, iam paſſim velut ſapientiſſimus rerum naturalium ſcrutator, cognitórque audiebat volitabátque per ora hominum, adeò vt ad remotiſſimas quoque terrarum oras, nominis eius fama peruaderet. Ceterùm quamuis non minimum laboris & operæ, in phyſicæ contemplationibus poneret, maius tamen in animo virtutibus excolendo ſanctóque regularum inſtituto religioſiùs obſeruando collocabat: incredibile enim memoratu eſt, quantô in orationis ſtudium flagrâret ardore, nunquam enim eius ſatietate expleri poſſe videbatur, neque quicquam ei fuit potius quàm ſtudium orationis arripere, ad quod tanquam ad aſylum ſe recipiebat, priuſquam reliqua ſcientiarum ſtudia tractaret, adeò vt orationis præſidio fultus ea facilè rimaretur, & rimando penetraret, quæ nunquam ingenio, vel ſolerti rationum indagine potuiſſet aſſequi; idque in frequenti diſcipulorum cœtu libenter memorare ſolebat. Eius etiam libri initiô, quem Summam* (Theologiæ) *inſcripſit, aſſerit, plus ope precum, quàm contentione ſtu-*

diorum in ſacrarum ſcientiarum cognitione perfici : quam veritatem authoritate ſapientiſſimi Salomonis egregiè ſtabilit atque corroborat, Optaui & datus eſt mihi ſenſus; inuocaui & venit in me ſpiritus Sapientiæ. Subdit demum ex ſuo vade Raderus, *Ita æuo florente religioſiſſimè peracto* (editis doctiſſimis in duodecim Prophetas minores, in quatuor Euangelia, in libros Sententiarum commentariis; item compendio Theologiæ, Paradiſo animæ, Enchiridio de veris perfectíſque virtutibus, & inſigni illo rractatu de adhærendo Deo, alióque de arte prædicandi: inſuper alio de admirabili ſcientia Dei: ne ſuæ illuminatrici foret ingratus, eximio libro de laude Virginis ſuper *miſſus eſt*, & tractatu de muliere forti, &c.) *Vltima iam ſenectute fatigabatur cùm ecce* (quò veritas oraculi à Deipara quondam editi probaretur,) *Albertus nobili frequentíque audientium cœtu ſeptus, dum implicatas obſcuriſſimarum quæſtionum difficultates enuclearet, repente memoriâ & omnigenâ rerum cognitione destitutus obmutuit; recordatus tamen Mariani vaticinij, ad Auditores conuerſus, & ne ſuum tam repentinum ſilentium vel admirarentur, vel ob id offenderentur obteſtatus, eius rationem reddidit. Ita digreſſus inde lachrymas omnium elicuit,* &c. *Ipſe ſolus conſtans nullam lachrymam molliter exprimebat, quinimò lubens tam piæ Dei, Deiparæque voluntati cedens velut alter Simeon moriturus in cygneas voces cum laude prorumpebat, gratias agens affore propediem ſuum in cœlos abitum,* &c. *Tandem ſatietate viuendi expletus, fratrum ſuorum coronâ cinctus, eoſdem ad omnem virtutem pio ſermone cohortatus, & ſanctiſſima Euchariſtiæ viatico inſtructus, cùm vniuerſa ſua Philoſophica & Theologica placita doctrinámque omnem Eccleſiæ iudicio ſubmiſiſſet, vniuerſis copioſè lachrymis ora rigantibus, ipſe placido mortis ſopore potitus debitam lucis vſuram reddidit,* &c. *Prodigia verò quàm plurima adhuc viuentem patràſſe certiſſimum eſt. Habet Sacrarium Agripinenſe (Coloniæ ſiquidem poſt abdicatum Epiſcopatum Ratiſponenſem, defunctus eſt, vbi & conditus quieſcit in ſui ordinis, Dominicani ſcilicet, monaſterio) eiuſdem hodiéque ſine labe tabéque illæſum per trecentos & plus quàm quinquaginta annos edurare, ſpectarique, certum ſanctè cuſtoditi pudoris ſub Virginis immaculatæ auſpiciis & protectione argumentum.* Habet certè Chriſtiana iuuentus documenrum ex Alberto plurimarum virtutum, quæ proximè hanc ætatem & maximè addictam Eccleſiaſticæ vocationi adoleſcentiam attingunt, innocentiæ videlicet, laboris, ſtudiorum, caſtimoniæ, pietatis, religionis, quibus velut certis gradibus ſcientiæ non modò laurea, ſed beatitatis gloria additur, illuſtre documentũ; at deuotionis inſuper erga beatiſſimam Virginem; eiuſdémque in clientes ſuos ſapientiæ Chriſtianæ ſtudioſos, opitulationis, exemplum præclariſſimum: quod ideo viſum fuit hìc præfixum ire ad excitandam in iuuenum Clericorum animis, cùm tanti Theologi imitationem, tum indubitatam in Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Deiparæ Virginis patrocinio, auxilióque ad ſtudiorum felix exordium, fauſtúmque progreſſum & ſucceſſum, fiduciam. Meminerint Scholaſtici ab Eccleſia in Litaniis, Virginem inrer pleraque alia elogia, *Fœderis arcam* nuncupari, hócque ſub glorioſo titulo inuocari: quo eam iure honorandam S. Ambroſius iampri-

dem cenſuerat: ait enim ſerm. 80. ſub finem; *Arcam quid niſi Sanctam Mariam dixerimus? Siquidem arca intus foriſque auri nitore radiabat; Sancta Maria intus foriſque virginitatis ſplendore fulgebat. Arca intrinſecùs portabat Teſtamenti tabulas; Maria autem ipſius teſtamenti geſtabat hæredem; illa intra ſe tenebat legem, hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat:* (ſcilicet in propitiatorio ſeu oraculo,) *hæc verbum in corde ſuo, etiam poſtquam ſuo ex corpore genuiſſet retinebat. Quia* (inquit Beda venerabilis lib. 5. cap. 49. in Luc. ad c. 11.) *eadem Dei genitrix & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis: ſed inde multo beatior, quia eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna.* Nec enim quæ legebat vel audiebat de Domino, è memoria ſinebat excidere. At vt obſeruat S. Lucas c. 2. 19. *Maria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Obſecranda eſt igitur quoties ad lectionem Euangelij accedimus, nobis vt gratiam hanc impetret atque conciliet, quâ verba Dei non ſolùm audire, ſed & legere & intelligere, meditari, conſeruare & in præcordiis verſare & conferre valeamus. *Sedes eſt Sapientiæ*, quia æterna Patris ſapientia in ea quaſi Salomon in throno ſuo, in aſcenſu purpureo, in reclinatorio aureo requieuit. Facilè igitur Sapientiæ huius in corda noſtra euibrabit radios, ſi mente pura & deuota iis ab ea petierimus illuſtrari. *Mater eſt pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei.* Qui ſub eius auſpiciis illuminari poſtulabit ab eius filio, qui fons lucis & veritatis, imò lux ipſa & veritas & vita, verbum & ſapientia, in quo ſunt omnes ſcientiæ & ſapientiæ theſauri reconditi, non fraudabitur à deſiderio ſuo: ait ipſa enim per os Sapientis ex intellectu Eccleſiæ in feſto ſuæ Præſentationis lect. 3. *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei; Qui me inuenerit, inueniet vitam & hauriet ſalutem à Domino,* Prou. 8. proinde & mentis lumen & acumen.

Poterit etiam Clericus ad Sanctorum confugere ſpecialia patrocinia, ab iis vt in ſacrarum litterarũ lectione ac intelligentia adiuuetur. S. Chryſoſtomus ſpeciali affectu coluit S. Paulum, à quo ſibi aſſiſtente, epiſtolarum eius interpretationem illam excellentem, quam commentariis expreſſit aureis edoctus eſt. Sic Petrus (vt Patres Concilij Chalcedonenſis diuino afflatu cognouerunt, miróque concentu prædicârunt,) *in Leone locutus eſt:* qui ſcilicet opem eius, vt de myſterio Incarnationis doctrinam ſacram ediſceret, ac litteris datis ad Flauianum cõtra Eutychetem & Neſtorium hæreſiarchas irreprehenſibili tenore exprimeret, flagitauerat: ſic enim res geſta narratur in Prato ſpirituali c. 147. & 148. *Dum ſcripſiſſet epiſtolam ad S. Flauianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum, aduerſus impios Eutychen & Neſtorium, poſuit eam ſuper tumulum principis Apoſtolorum Petri, & orationibus ac vigiliis & ieiuniis vacans, orauit ipſum ſummũ Apoſtolum dicẽs, ſi quid vt homo, vel minùs cautè poſui, vel etiam omiſi, Tu cui à Domino Deo, ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, & ſedes hæc, & Eccleſia commiſſa eſt, emenda. Poſt quadraginta verò dies* (ſanctæ huius exercitationis) *apparuit ei Apoſtolus orãti, & dixit ei: Legi & emendaui; ſuménſque epiſtolam de ſepulchro S. Petri aperuit eam, & inuenit Apoſtolicâ manu emendatam.* Eóque tenore quem Apoſtolus præſcripſerat ad Flauianum miſit; Quæ poſteà ob Apoſto-

licæ doctrinæ expreſſum ſtylum & ſpiritum, *Titulus fidei, fides Patrum, fides Apoſtolorum, Petríque in Leone loquentis oraculum*, meritò à Patribus Synodi Chalcedonenſis, appellata eſt. Suprà meminimus quemadmodum S. Ioannes Euangeliſta B. Gregorium Thaumaturgum docuit, capitiſque primi ſui Euangelij, omnium difficillimi intimos ſenſus expoſuit. Innumera exempla notari poſſent, nonnulláque in Martyrologio noſtro Gallicano, eiúſque commentariis inſignia obſeruata ſunt, piorum illorum hominum qui in ſanctæ ſcripturæ ſtudio, cæleſte lumen, Sanctorum quos ſpeciali pietatis affectu honorabant, ope ſunt & adiutorio conſecuti. Prolixum nimis foret hîc ea ſigillatim retexere, cùm ſatis ea eſſe poſſint, pauca quidem, at plurimùm illuſtria quæ ſuperiùs conſignauimus.

Cæterùm Sanctorum non modò ſuffragiis, Clericus ſciat ſe in ſacræ ſcripturæ lectitatione ac intelligentia poſſe iuuari: at etiam doctrina, quæ in horum libris, ſcripturæ ipſius interpretibus extat conſpicua: verùm cùm commentariorum Sanctorum Patrum, qui vel diuinos codices explicârunt, aut hæreſes confutârunt, aut de fidei myſteriis Theologicè diſſertârunt, lectio ſit opus maturioris ætatis, ſolidioriſque eruditionis atque iudicij, quàm adoleſcentibus poſſit conuenire: interim dum ætate & ſcientiâ ampliùs proficiant, ad piorum libellorum crebram lectionem ac meditationem, pura mēte & deuoto affectu, vigilíque ſtudio ſeſe conferant ſatis erit. Horum indicem, quem texuit magnus Cardinalis Bellarminus, ſapientiſſimo iudicio, & ſolerti delectu, hîc in iuuenum Clericorum gratiam, operæpretium viſum eſt deſcribere, ſerie quæ ſequitur.

INDEX PIORVM LIBELLORVM.

1. *Martyrium S. Andreæ.*
2. *Martyrium S. Cypriani.*
3. *Vita S. Antonij, per B. Athanaſium.*
4. *Vitæ SS. Pauli, Hilarionis, Malchi, & Paulæ per S. Hieronymum.*
5. *Vita S. Gregorij Thaumaturgi, per S. Gregorium Nyſſenum.*
6. *Ephrem Syri tractatus.*
7. *Lauſiaca hiſtoria Palladij.*
8. *Vita S. Martini per Sulpitium.*
9. *Confeſſiones S. Auguſtini.*
10. *Hiſtoria religioſa Theodoreti.*
11. *Collationes Ioannis Caſſiani.*
12. *Scala Ioannis Climaci.*
13. *De gloria Martyrum & Confeſſorum Gregorij Turonici.*
14. *Dialogi S. Gregorij Papæ.*
15. *Pratum Spirituale Ioan. Moſchi.*
16. *Vita B. Columbani per Ionam.*
17. *Vita S. Ioannis Eleemoſynarij per Leontium.*
18. *Vitæ Sanctorum per Bedam.*
19. *Vita Barlaam & Ioſaphat, per Ioannem Damaſcenum.*
20. *Vita S. Suiberti per Ludgerum & Marcellinum.*
21. *Vita S. Gregorij Papæ, per Ioannem Diaconum.*
22. *Contemplationes Idiotæ.*
23. *Vita S. Romualdi per Petrum Damiani.*
24. *Vita S. Anſelmi, per Edinerum.*
25. *Omnia opera S. Bernardi.*
26. *Vita S. Bernardi per Guillelmum & alios.*
27. *De Contemptu mundi Innoc. III.*
28. *Opuſcula Humberti Ord. Prædicatorum.*

29. *De proprietatibus apum Thomæ Cantapratenſis.*
30. *Opuſcula S. Bonauenturæ.*
31. *Opuſcula Henrici Suſonis.*
32. *Opuſcula Laurentij Iuſtiniani.*
33. *Opuſcula Dionyſij Carthuſiani.*
34. *De imitatione Chriſti, Thomæ de Kempis, ſeu potiùs Ioannis de Gerſen.*
35. *Tractatus de vita ſpirituali Sancti Vincentij Ferrerij.*

Hactenus Cardinalis Bellarminus, & ipſe piorum libellorum, eorúmque valde vtilium auctor; quos nempe præ inſitâ animo humilitate atque modeſtiâ hoc in catalogo non repoſuit; præcipui ſunt, *De aſcenſione mentis in Deum. De gemitu Columbæ. De ſeptem verbis Domini. De arte bene moriendi. De gloria & felicitate Sanctorum*, &c. quibus non immeritò addi poſſunt omnes *Beati Franciſci de Sales Epiſcopi Gebennenſis Epiſtolæ ac opuſcula*; vtpote eximiam redolentia pietatem & deuotionem, eámque quam ex alto hauſit veram ſcientiam Sanctorum, mirâ ſpiritus ſuauitate ſpirantia.

Hæc eſt ſcientia, quam imbibere à puero intimíſque inditum ire præcordiis neceſſe eſt, quotquot tyrocinio militiæ Clericalis adſcribi cupiunt, ſi quod geſtiunt nominari, reuera eſſe velint. Plures fiunt quotidie Sacerdotes, & vt ait S. Hieronymus, *Sacerdotum multitudo, eoſdem facit contemptibiles.* Innumeri verò iam à teneris vnguiculis Clerici deſignantur, quorum Eccleſia grauatur numerô, operâ & ſtudio non iuuatur. Id porrò vnde fit quod educantur non Clero, ſed mundo; vt fruantur opibus, honoribúſque Eccleſiæ, non vt diſcant (ſicut ait Apoſtolus) *bonis operibus præeſſe, & hæc ſcire & facere, quæ ſunt bona & vtilia hominibus;* Tit. 3. Docentur quidem, ſed non ea quæ decet & oportet: in mundi enim ſapientia ſedulò erudiuntur: in vera autem ſapientia quæ Dei, non mundi eſt, in ſcientia Sanctorum, quæ Clericorum vnicum ſtudium eſſe debet, nequaquam inſtituuntur. Quid enim hæc ad noſtros filios ſcire ſpectat (aiunt carnales parentes) quæ Monachorum propria ſunt ſtudia: nolumus eos eſſe bardos & hebetes, nec in mundi conuerſatione irrideri, quaſi vrbanitatis & honeſtatis expertes; efficere at volumus expolitos, excultóſque ad eorum morem & genium, qui mundi leges non ignorant: at paſſim lecti viri, cordatíque (& vt vulgò aiunt) *les honneſtes gens, les habiles hommes*, audiunt & cenſentur. Cæterùm S. Gregorius lib. 10. Moral. c. 16. quænam ſit illa mundi ſapientia, quibúſque nixa ſit principiis breuiter quidem, ſed ſatis genuinè deſcribit. *Mundi huius ſapientia eſt* (inquit) *cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare. Hæc nimirum prudentia vſu à iuuenibus ſcitur, hæc à pueris pretio diſcitur: hanc qui ſciunt cæteros deſpiciendo ſuperbiunt: hanc qui neſciunt ſubiecti, & timidi in aliis mirantur, quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dum mentis peruerſitas vrbanitas vocatur: hæc ſibi obſequentibus præcipit, honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multipliciùs reddere; cùm vires ſuppetunt, nullis reſiſtentibus cedere; cùm virtutis poſſibilitas deeſt, quicquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate ſimulare.*

At contrà ſapientia iuſtorum eſt, nihil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis

Digitized by Google

aperire, vera vt ſunt diligere, falſa deuitare, bona gratus exhibere, mala libètius tolerare quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Et c. 17. inter initium & medium; *Electus quiſque qui ad æternam felicitatem ducitur, licèt ante oculos huius mundi ſapientum contemnatur; ante occulti iudicis oculos, virtutibus emicat, vitæ meritis coruſcat, honorari metuit, deſpici non refugit, corpus continentia afficit, ſolâ in animo dilectione pingueſcit: mentem ſemper ad patientiam præparat, & erectus pro iuſtitia de perceptis contumeliis exultat; afflictis ex corde compatitur, de bonorum proſperitatibus quaſi de propriis lætatur; ſacri verbi pabula in mente ſollicitus ruminat,* &c. *ad Redemptoris vias oculos attollit, ſenſimque à membris* (quorum ſcilicet exempla ſuſpicit) *ad caput peruenit,* nimirum vt documentum eius audiat, præcepta impleat, exempla imitetur.

Hæc ſumma certè eſt ſcientiæ Clericalis, *ſequi agnum quocumque ierit.* Chriſtus certè velut ignis æterni fons, Sacerdotum ordinem, Clericorum chorum, gratuitâ vocatione, qua eos honorate dignatus eſt, proximè ad ſe trahit, vt velut igneos reddat, puros ab omni contagio terrenæ fæcis. Horum eſt igitur, qui tantâ dulcedinis benedictione ab eo præueniuntur, radios quos ab ipſo iuſtitiæ ſole & gratiæ fonte hauriunt, in proximos transfundere, actione & exemplo, doctrinâ, pietate, admonitione, correptione, religioſæ incitationis impulſu, & omni charitatis affectu, orationibus, precibus, concionibus, exhortationibus, & quocumque miſericordiæ opere, ſolatio, ſubſidio. Hæc eſt ſcientia ſalutis: hâc viâ ad cælum itur: hâc ſi Clerici pergunt, alios poſt ſe trahunt; dúmque fratres lucrantur, Chriſto iunguntur, Chriſto aſſimilantur, qui venit non miniſtrari, ſed miniſtrare; non gloriam propriam quærere, ſed noſtram ſalutem operari; non regnare, ſed ſeruire; non animas perdere, ſed quærere, & ſaluum facere, quod perierat. Memores ſint igitur Clerici non infimæ modò claſſis, nec mediæ tantùm ſortis, ſed ſummates, Apoſtolici illius moniti, 1. Petr. 4. *Eſtote prudentes & vigilate in orationibus. Ante omnia autem mutuam in vobiſmet ipſis charitatem continuam habentes,* &c. *vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus, vt in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,* &c. *Communicate eius paſſionibus, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes,* &c. *Beati eritis* (ſi ſic feceritis) *quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spiritus, ſuper vos requieſcet.*

FINIS LIB. VII.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

LIBER

LIBER VIII.

COMPLECTENS

EXERCITIA PIETATIS.

PRÆMONITIVNCVLA.

E*XERCE te ipſum ad pietatem*, (ſcribit ad dilectum ſuum Apoſtolus, 1. Timoth. 4.) *nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Tantus erat Timotheus, ſanè, vt Angeli nomine (Apoc. 2.) ſub Angeli Epheſiorum perſona honoretur, atque à peccati odio, puritatis amore, zelo fidei & diuini honoris ſtudio: nec non labore, patientiâ, & quod ſummum eſt, charitate, diuino ipſo oraculo commendetur. quid ſibi vult Apoſtolus igitur, qui eum intimè nouerat, variíſque etiam eum attollit ſuis in epiſtolis, laudibus eximiis, cùm non modò hortatur, ſed impellit ad exercitium pietatis? *Exerce*, inquit, *teipſum ad pietatem:* quaſi verò Epiſcopus ille ſanctiſſimus, vírque diuinus & planè Apoſtolicus, qui martyrium ardenti pectore ſitiebat quod demùm æquè fortiter ac feliciter perpeſſus eſt, adhuc tyrunculus eſſet Chriſtianæ militiæ, calcaríque & ſtimulo indigeret, vt præfixum iniret ac excurreret agonem. At ſi S. Hieronymi ſententiæ inhæremus, peruium fuerit hanc obiectionem ſoluere: ait ſanctus iſte Doctor ab Apoſtolo, in Timotheo, Epiſcopum, Preſbyterum, & omnem chorum Eccleſiaſticum in iis quæ ſacri muneris ſunt, neceſſariíſque cuique gradui ſtudiis ac virtutibus, informari: proinde monita quæque ad eum ſcribit, non ſic accipienda eſſe, quaſi in ipſo Apoſtolus ea quæ exigit, deſideraret; verùm ſub eius perſona præſentes futuróſque omnes Eccleſiaſticos homines inſtituere, atque ad ea cohortari, quæ nôſſet idem Apoſtolus, ad Eccleſiaſticæ profeſſionis ſtatum perfectum conducibilia. Verùm quamuis ita eſſe haud inficiandum putem: nihil tamen reor abſoni à ratione & decentiâ huic loci ipſius acceptioni ſubeſſe; ſiquis cenſeat Timotheum ipſum, à vaſe electionis Paulo, magiſtro ſuo, imò in Chriſto parente, prædictis verbis ad exercitium pietatis exſtimulari. Angeli enim *Iſa. 6.*
in diuinis laudibus toti intenti, ſeipſos tamen alarum percuſſione, ſocióſque vocum ardenti concentu, ad Dei glorificationem prouocant.

Audiuit conſpexítque illos dilectus Chriſti Ioannes, prope thronum Dei, *& requiem non habebant die ac nocte dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Edictum etiam ſibi diuinum à cæleſti nuncio promulgatum refert, vt qui in Eccleſia militanti ſancti ſunt non torpeant, non hæreant, non ſiſtant gradum: ſed pergant ſemper vlteriùs, ádque gradum ſublimiorem ſanctitatis properare conrendant, *Et dicit mihi* (Ioanni ſcilicet Ieſu dilecto) *qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Hôc modô ſe geſſit B. Paulus, quemadmodum ipſe ad Philippenſes ſtylo & ſpiritu prorſus Apoſtolico ſcribit cap.3. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta,* &c. *propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci,* &c. *vt Chriſtum lucrifaciam,* &c. *& inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu: quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius: configuratus morti eius, ſi quô modô occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis. Nō quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim; ſequor autem ſi quomodò comprehendam in quo & comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego non me arbitror comprehendiſſe: vnum autem, quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu.*

Apoc.4.8.

Cæterùm ad hæc ſpectans ignea verba S. Bernardus ep. 254. ad Garinum, cum in hunc modum piè & grauiter monet: *Sanctæ vitæ ratio proceſſu gaudet & creſcit, ceſſatione torpeſcit & deficit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis mens inſtauranda eſt, & viuendi nobis hoc iter, non de tranſacto, ſed de reliquo metiendum: ſi vas electionis B. Paulus, qui ita Chriſtum indutus erat, vt diceret: viuo autem iam non ego, viuit in me Chriſtus: adhuc tamen ſe extendit, adhuc creſcit & proficit; quid nos facere debemus, quibus optandum eſt, vt in fine noſtro Pauli principio comparemur? Ergo tu obliuiſcere omne præteritum, & quotidie inchoare te puta, ne pro præſenti die, quo debes ſeruire Deo præteritum imputes: optimè quæſita cuſtodies, ſi ſemper inquiras; damnum parata ſentient, ſi ceſſaueris.*

At tyrunculus militiæ Clericalis nihil adhuc præteriit, ſed obuia quæque habet, init, incipit; nouo athletæ ſimilis eſt, qui palæſtram ingreditur nondum cucurrit: ad ſtadium, ad agonem, ſiquidem accedit, non ad quietem, vel ad choream. venit; nondum vidit, nedum vicit. reſpicit palmam, non attigit; videt coronam, non meruit; qui certat in agone *non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit,* 2. Tim.2.5. Hanc ad ſe vocem directam eſſe reputet, quam idem Apoſtolus eidem ſuo dilecto inſonat, *labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti.* ibidem. Currendum igitur ad propoſitum certamen, vt pugnando victoriam, vincendo coronam demerearis. Illuſtre illud laudat dictum Scæuolæ non immeritò Tertullianus, Apolog. cap. 50. *Fortia agere Romanum eſt;* at acutè & ſolerter, piéque iuxtà ac cordatè ſubiungit: *ſed non ſolùm fortia agere, at fortia inſuper pati, Chriſtianum.* Eluctari igitur omnibus viribus debet Clericus, qui in ſortem tranſiit Domini, ad quicquid agendum & tolerandum, vt ſuo ſatisfaciat, & nomini & muneri. Eniti debet quantum poteſt, *bonam vt*

militet militiam (1. Timoth. 1. 18.) cui ſe adſcripſit ; hoc demum verò præſtabit, ſi quæ Timotheum admonet Apoſtolus, cordi indiderit: *Exerce teipſum ad pietatem.* Quatuor tantùm iſtis verbis omnes huius militiæ leges præco ille cæleſtis comprehendit. Retulit omnia ad pietatem; cuius vnicum exercitium pugili ſuo curæ eſſe iubet. Vt quid verò? Nempe *quia pietas* (inquit Sanctus Auguſtinus epiſt. 52.) *vera, eſt veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi officia deducuntur*, vt à centro lineæ prodeunt, & radij à ſole, & à fonte riuuli. Hoc innuit Scriptura Prouerb. 9. verſ. 10. vbi enim vulgata habet, *Principium ſapientiæ timor Domini;* Septuaginta vertunt, initium ſapientiæ eſt θεοσέβεια, id eſt *pietas in Deum ;* quæ ſcilicet ipſe eſt verus Dei cultus, & ſyncerus ad eum affectus, ac ſtudium internæ deuotionis, excitans ad ſpem, timorem, & amorem Dei. Cùm ait igitur Timotheo, & cuiuis Eccleſiaſtico Apoſtolus, *Exerce teipſum ad pietatem;* perinde eſt ac ſi diceret, *Exerce teipſum*, ſi aliis præeſſe non tantùm velis, at prodeſſe, in rebus diuinis legendis, cogitandis, meditandis, exequendis: vt earum ſtudium & amorem, affectum, & deuotionem in te primùm excites, deinde in alios effundere poſſis: nec ſolùm theoriæ & ſpeculationi, orationi, meditationi, contemplationi, te dederis, ſed praxi quoque, operationi, & exercitationi te applica intentè, ſtrenuè, ſeriò, ſedulò, ardenter, profúſque magnanimiter. At quemadmodum verbis nemo rectè nec laudabiliter vti poteſt ſine aduerbiis: ſic nec ſufficit monere tyrunculos militiæ noſtræ, vt ſe gerant fortiter & animosè, niſi quid faciant, & in quo ſeſe exercere ſtudeant, apprimè edoceantur: hoc eſt itaque quod loco iſto aggrediamur, prætermiſſis quæ iam præmiſſa ſunt de oratione & lectione, theorematibus. Enimuerò vt ſuperuacaneum eſt acta agere, ſic dicere dicta (hoc eſt repetere) prorſus ſuperfluum, quinetiàm faſtidioſum. Ad ea igitur nobis accedendum eſt Clericalis militiæ tyrunculo innuenda ac incurienda, quæ potiora videntur exercitamenta pietatis, eáque vera & genuina media ſunt; quibus non modò apperere Clericalis profeſſionis perfectionem, ſed aſſequi coronidem meritò poſſit, vt enim optimè ait S. Gregorius in Moral. *Ille bene agit, quæ pia ſunt, qui prius ſeruare didicit.*

CAPVT PRIMVM.
SEV PRIMVS EXERCITATIONIS in ſtudio Pietatis Gradus,
Vilis ſui æſtimatio.

NOTITIAM ſui magnum eſſe compendium ad virtutem, qui hûc vſque ſapientiæ laude claruerunt, vnanimi ſententiâ cenſuerunt. De ethnicis hîc Philoſophis non loquor, qui gnomen illam celebrem, Γνῶθι σεαυτόν, pro cæleſti oraculo venditârunt: quamuis non immeritò illos Sanctus Ambroſius idcircò ſugillet, quòd Apollini Pythio ignoranter aſſignâtint, quod à vero Deo Moyſi primùm traditum

fuerat, & ab eo litteris conſignatum: videlicet Deut. 15. verſ. 9. iuxta editionem ſeptuaginta interpretum, *Attende tibi.* Sed Sancti Patres, qui hinc delibatum tanquam ex primigenio fonte, hoc memorabile theorema agnoſcunt & prædicant, duplici ſenſu illud interpretantur; alij enim ex notitia propriæ dignitatis hominem ad heroïcatum & diuinarum actionum ſtudia excitant: ex quibus S. Ambroſius hunc in modum eloquitur ſerm. 2. in Pſal. 118. *Quid eſt ſe noſcere, niſi vt ſciat vnuſquiſque hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum, rationis capacem,* &c. *qui inferiorem ſui portionem animi imperiô debeat gubernare.* Eodem tramite incedit Origenes hom. 2. in Cantica, ita & plerique alij priſci ſacræ Scripturæ interpretes, ad illa verba Dauidis, *homo cùm in honore eſſet non intellexit,* &c. Pſal. 48. exiſtimant ſiquidem hominem ſuæ ignarum dignitatis & naturalis excellentiæ, nihil diſtate à bruto animante, niſi ſolo vultu. Leo Magnus à gratiæ donis, maximéque diuinæ incarnationis beneficio, hominis efferens dignitatem, cauſam aſſumit illum ab impuris actibus, ac affectibus auocandi atque excitandi ad rerum ſupernarum amorem, vitij odium, diuinæque ſanctitatis imitationem: *Deponamus ergo veterem hominem* (inquit ſerm. 1. de Nat. Domini) *cum actibus ſuis, & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renunciemus operibus. Agnoſce ô Chriſtiane dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuerſatione redire: memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere, quòd erutus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen, & regnum.*

Verùm alij Patres noſtram notitiam, aliò longè referunt; nimirum non ad conſiderationem propriæ excellentiæ, ſed infirmitatis, ex qua rectè cognita, ad humilitatem, abiectionem, propriúmque noſtri contemptum facilè deprimamur. Ita ſignatim ratiocinatur Sanctus Auguſtinus lib. 4. de Trinitate cap. 1. *Scientiam terreſtrium,* inquit, *cæleſtiúmque rerum magni æſtimare ſolet genus humanum: in quo profectò meliores ſunt qui huic ſententiæ præponunt nôſſe ſemetipſos: laudabiliórque eſt animus cui nota eſt vel infirmitas ſua, quàm qui eâ non reſpectâ, vias ſyderum ſcrutatur.* Et lib. de ſpiritu & anima, c. 51. vrgentiùs hoc premit argumentum: *Quiſquis cor ſuum,* inquit, *in huiuſmodi ſtudio exercet,* &c. *Scito teipſum: ſcito vnde veniſti, aut quò vadis, quomodo viuis, quantùm proficis, vel deficis, quàm longè es à Deo, vel prope, non interuallis locorum, ſed ſimilitudine vel diſſimilitudine morum, ſcito quomodo homo es, cuius conceptio culpa, naſci miſeria, viuere pœna, neceſſe mori. Certum eſt quia morieris, ſed incertum quomodo, vel quando, vel vbi, quoniam mors te vbique expectat, & tu ſi ſapiens extiteris, vbique eam expectabis.* Diuinè prorſus ait Propheta, *homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Miſeri nos, puluis ſumus & vmbra; quoquò vertamus oculos, eſt certè cur lachrymas plurimas profundamus: cælum intuemur, patriam quidem eminùs videmus, ſed in exilio, ſi ſapimus, nos eſſe ſentimus: terram deſpicimus, foueam illa nobis minatur, & quanquam eam pedibus calcemus, caput tamen noſtrum ſibi ea pollicetur, paulò pôſt pro libitu tractandum. Nos ipſos aſpicimus florida ætate, ſpecioſa facie; ô pulchrum & rubicundum po-

Pſal. 143. 4.

mum! ſed vermiculus latet, putredo, ſanies, mors, penitis viſceribus delitеſcunt: coripſum inſpicimus, ô profundam & fœdam ſpecum, & putidam omnium ſordium colluuiem! quantum hîc anguium & colubrorum agmen! Heu vitiis ſcatemus, nobis tamen necdum vileſcimus; miſetiis, ſtultitiâ, peccatis obruti iacemus, & tamen beati, ſapientes, docti, diuites, potentes, nobiles videri volumus, ac digito præ ſingularitate monſtrari. Quid ſunt, quæſo, opes, pulchritudo, robur, iuuentus, ſcientia, facundia, dignitas, poteſtas, nobilitas, thronus, purpura? vmbra & inſomnium, & fumus. Quid igitur ſuperbis, puluis & cinis?

O ſi, vt par eſt, quiſque hæc apud ſe verſaret! quantum obſecro faſtui, & tumori humano detraheretur? Fieret ſanè homo eò magis ſibi contemptibilis, quò ſe meliùs nôſſet; at quò vilior ſibi fieret, Deo foret longè profectò charior; minimum enim de ſe ſenſiſſe tam magnum eſt, quàm res maximas feciſſe, ait verè ac grauiter S. Chryſoſtomus hom. 3. in Matth. Nec minùs acutè, quàm verè Caſſiodorus in Pſal. 6. dixit, *Cælum deſcendendo aſcenditur;* ex quo ſcilicet decidit Lucifer aſcendendo, vnde Dominus in Euangelio, *Videbam Satanam ſicut fulgur de cælo cadentem*, Luc. 10. 18. At ſicut omnis qui ſe exaltat humiliabitur; ita qui ſeipſum humiliat exaltabitur. Quemadmodum ſuperbia omnium virtutum ruina eſt, & Angelorum & hominum præcipitium; ita ex aduerſo humilitas, ſuíque ipſius contemptus, abiectio, abnegatio, eſt omnis fundamentum virtutis, & proprium electorum ſignaculum.

Cæterùm ad ſalutarem ſui contemptum concipiendum plurimùm iuuat, non ſolùm agnita naturæ infirmitas, vilitas & corruptio corporis, animíque multiplex ægritudo; ſed frequens attentáque meditatio, ac ingenua accuſatio quotidianorum defectuum. Pridem rogatus vir religioſiſſimus, quam potiſſimùm ad cælum viam inueniſſet? optimè reſpondit, *ſi ſe homo ſemper accuſet:* hoc penè tota Chriſtianorum diſciplina eſt, ait S. Auguſtinus lib. de virginitate c. 31. *Signum electorum eſt* (inquit S. Ambroſius c. 9. Apolog. Dauid.) *malè de ſe ſentire, & vulnus ſuum cognoſcere.* Concinit S. Gregorius in Iob c. 5. Reproborum eſt proprium, ſemper praua agere, & nunquam quæ egerint retractare: omne enim quod faciũt cæcâ mente pertranſeunt, factúmq; ſuum niſi puniti non agnoſcunt; electi actus ſuos ab ipſo cogitationis fonte diſcutiunt, nec inde ſecuri ſunt quia videri à Deo in ſe agnoſcunt, quod ipſi non vident. Vnde Iob ait ad Dominum, c. 9. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quia non parceres delinquenti.*

Confert itidem ad ſuiipſius contemptum ſalutarem, horum Chriſti verborum ad ſuos diſcipulos recordatio: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde:* Hîc enim edocemur, non ſatis eſſe verbis dumtaxat ſeipſum aſpernari, vilémque ore profiteri de ſe æſtimationem, ſed neceſſum eſſe, vt intima mentis conteſtatio conſonet voci. Deliteſcit plerumq; typhus ſuperbiæ, ſub fictæ humilitatis tegumento: hinc illud S. Auguſt. lib. 2. de ſerm. Domini in monte, c. 12. Non in ſolo rerum corporearum nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus eſſe poſſe iactantiam. laruatam eiuſmodi humilitatem Chriſtus abominatur; eam porrò ſolam commendat, & in pretio habet, quæ intimis præcordiis inſita, nec fucata, ſed ſyn-

cera eſt: *humilitas enim cordis*, ait Theodidactus Bernardus, *receptaculum eſt gratiæ*, ſerm. 1. de Annun. *principium beatitudinis*, Chryſ. ſup. Ioan. hom. 33. *nutrix dilectionis*. Idem in Matth. hom. 9. *ſoror manſuetudinis*. idem S. Bernard. ſerm. de Virg. Mar. *Eccleſiaſticæ concordiæ cuſtos*. Faceſſat igitur à Clerico eorũ delitium, qui appetũt in ſchola humilitatis honorari. (Idem ſerm. 1. ſuper *Miſſus eſt*.) Præſenſit dudum hoc virus peſtiferæ humilitatis, Leo Magnus in Dioſcoto Alexand. Archiep. ſubinde hæretico, ad quem ſanandum, Apoſtolicum hoc monitum, Pontificiúmque oraculũ ſacris apicibus dirigit; *Tota ſapientiæ Chriſtianæ diſciplina, non abundantiâ verbi, nec in aſtutia diſputãdi, ſed in vera, & ſyncera humilitate conſiſtit, quã Dominus Ieſus ab vtero matris, ad ſupplicium vſq; crucis, omni fortitudine tenuit & docuit.*

Vt hanc ſibi Clericus veram & ſyncetam humilitatem cõciliet, non ſufficit, vt de ſe nihil in corde niſi exile ſentiat; ſed neceſſe eſt quoq; vt delatos ob Eccleſiaſticam dignitatem honores (qui cum ordinum creſcunt progreſſibus) paruipendat ac aſpernetur: *Non magnum eſt eſſe humilem* (ait inſigniter B. Bernard. hom. 4. ſuper *Miſſus eſt*) *in abiectione, magna prorſus & rara virtus eſt humilitas honorata*: SS. hic fuit mos perpetuus, vt quò magis meritô & honore creſcerent, eò de ſe humiliùs ſentirent, ſeſeque infra ſe, ſubtérque omnia irent depreſſum. Abraham Deo commendatiſſimus cùm titulo amici Dei metuiſſet honorari, ſe puluerem & cinerem diuino in conſpectu confeſſus eſt. Dauid qui vir erat ſecundùm cor Dei, cui repoſitum erat de Chriſto Domini promiſſum, qui ipſius Dauid filius & dictus, & factus eſt, ſeſe eò vſque abiecit, vt vermem, & non hominem reputaret. Salutata iuſſu Dei ab Angelo ſanctiſſima Virgo, Deigenitrix mox futura, ancillam eius ſe nominat, & cùm gratia plena diceretur, nihil in ſe meriti agnoſcit, niſi ipſum nihil; *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ*: in autographo legimus ταπείνωσιν, paruitatem. Appoſitè Cornelius Ianſenius in ſua Cõcordia, ideò ſic exponit, reſpexit exiguitatem ancillæ ſuæ; exiſtimabat enim ſe nullius meriti, nullius virtutis: nec id quidem fictè aut falsò (ita Cardinalis Tolerus etiam interpretatur) quoniam conſiderabat ſeipſam ex parte ſui, non ex parte donorum Dei in ſeipſa: huiuſmodi enim conſideratio humilitatis animi mater eſt. Hâc quoque præditus Petrus Eccleſiæ petra, cælíque clauiger, & orbis vniuerſi paſtor deſignatus, cùm duceret in altum nauem iuſſus eſſet à Domino, ſe cõſcius propriæ infirmitatis, indignum Domini ipſo acceſſu ac colloquio profeſſus eſt, procidit ad genua Ieſu dicens, *Exi à me, Domine, quia peccator ſum*. Paulus vas electionis, & per excellentiam Apoſtolus, nonne ſe abortiuum cenſuit, & indignum qui Apoſtolus vocaretur? ſe Apoſtolorum minimum, & peccatorum omnium primum, hoc eſt maximum, appellauit. In ſchola Chriſti quotquot floruêre Sancti hanc de ſe vilem æſtimationem cõbiberunt; quam qui non habet, Chriſti diſcipulus eſſe nequit.

Luc. 1. 48.

Luc. 5. 8.

Meminerit igitur tyrunculus militiæ Clericalis, hoc altâ mente imbibere documentum; *Quantò magnus es* (ait Sapiens Eccli. 3.) *humilia te in omnibus, & corã Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*. Verè maxima in omnibus perfectio, ſuæ imperfectionis cognitio; & longè laudabilior eſt animus, cui nota eſt infirmitas

propria, quàm qui eâ non reſpectâ, mundi ambitum, vias ſiderum, herbarum vires, pretium gemmarum, fundamenta terrarum, & cælorum faſtigia, motúſque & influxus rimatur: *Magnus eſſe vis? à minimo incipe*, (inquit S. Auguſtinus) *cogitas magnam conſtruere fabricam celſitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis*, ſerm. 10. de verbis Domini. Omnes delectar celſitudo, ſed humilitas ad eam gradus eſt: excelſa eſt patria, ſed humilis eſt via, qui ſeriò inquirit patriam, non recuſet viam. Idem ſup. Ioann. *humilitas via eſt, quâ ad cælum itur, nam* eius effectus *æterna ſalus eſt*, ait S. Gregorius 16. Moralium.

CAPVT II.

SEV SECVNDVS GRADVS.

Meditatio mortis.

NON poteſt malè mori, qui bene vixerir, nec bene mori, qui vixerit malè (ait S. Auguſtinus *de doctrina Chriſtianæ*, & lib. 1. *de ciuitate Dei.*) porro ad bene viuendum mortis ſeria cogitatio non minimum affert momentum; quamobrem ſcitè & ſapienrer Plaro, cùm inrerrogaretur, quid eſſet Philoſophia? reſpondit, *meditatio mortis*: (S. Hieronymus refert in ep. ad Heliod.) Et verò Philoſophiæ Chriſtianæ hæc ferè ſumma eſt: libenter enim omnia ſpernit qui ſe cogitat moriturum, nec ſuperbire facilè poteſt, qui ſe meminerit nihil eſſe quàm cinerem & puluerem, ſerióque arrenderit ſibi intra breue rempus moriendum, & ſe in puluerem, purridúmque cadauer conuertendum, corrodendum à vermibus, & horrendum fore omnis fœtoris & abominationis ſpectaculum. Siſtit facilè hæc arrenta cogiratio itidem lubriſcentis carnis impuros motus, & omnis illecebræ & voluptatis retundit ſtimulos. Rectè etenim air S. Gregorius: *Non poterit meliùs domari caro viua, quàm cogitando qualis mortua erit*; quod & Seneca in libro de moribus admonuit, dicens, facilè conrinebit incenriuum libidinis, qui exirum cogitauerit. Ab omni peccaro denique iſta cogitatio remouet hominem, vnde Sapiens, *Memorare nouiſſima tua*, (air) *& in æternum non peccabis*: Eccleſ. 10. quin ad pœnitentiam validè mouet & impellit mortis futuræ & cerrò impendentis cogitatio: cuius rei exemplo perſpicuo Ezechias eſſe poreſt, qui auditâ Iſaiæ oraculi diuinâ ſententiâ; *Morièris tu, & non viues*: vehementer 4. *Reg.* 20. 1.
ingemuit, flexítque ſuo gemitu, & orarione iratum aduerſùs ſe Deum ad miſericordiam.

Quærunt Morales Theologi, cur Deus Adamo peccanti, mortem potiùs quàm infernum ſit minitarus? *Quacumque horâ comederis* (inquir) *morte morieris*. Plerique ad hoc multa dicunr. Breuiter ſufficit reſpondere Deum voluiſſe comminari homini id quod erat ſenſibilius atque cognoſcibilius: ar verò mors per ſenſum & experientiam quotidianam omnibus innoteſcit; infernus autem per fidem ſolùm cognoſcitur;

inſuper experientiâ conſtat metum corporeæ mortis homines à peccando magis deterrere, quàm inferni terrorem. Quot enim ſunt Chriſtiani, qui infernum eſſe certò credunt, ad eiúſque pauent enunciatos cruciatus, & tamen plus poteſt apud ipſos mors ipſa, quàm infernus, qui hîc abeſt, illa verò præſens ſemper & vbique imminet, cum grauiſſimis quæ ſecum trahit incommodis, & doloribus quos affert & infligit? Nihil certè eſt morte terribilius, quia nec ſenſibilius: & id quidem non tantùm propter diſſolutionem partium arctiſſimè inter ſe coniunctarum, animæ nimirum & corporis, quæ quidem non poteſt non vehementer ſenſum ipſum ferire; ſed etiam propter conditiones antecedentes, quales ſunt morbi acutiſſimi, dolores vehementiſſimi, & maximi terrores, quæ omnia ſenſum admodum afficiunt, & eum longè magis exaſperant, quàm res ſuaues, & delectabiles illum demulceant: nec non propter ea quæ mortem ipſam ſubſequuntur, vt putrefactionem, fætorem, redactionem in vermes & pulueres: & quod plus longè terribilius eſt, terrorem iræ Dei, patentíſque iam inferni, æternæque in gehenna mortis formidabilem metum & horrorem. At quod non tam mirandum eſt nihilominus quàm deflendum, nihil velocius è memoria hominum, præſertim ſi altâ ſanitate, & proſperitate fruantur, effluit, quàm iſta apprehenſio; qua de ſtupiditate grauiter in hunc modum S. Bruno inſtitutor Carthuſienſium conquerebatur,

Heu! viuunt homines, quaſi mors nulla ſequatur;
Et velut infernus, fabula vana foret.

Attamen mors nobis pro remedio data eſt, vt ſcitè ſanctéque ait S. Ambroſius lib. de fid. reſurrect. Nec tam iratum Deum homini inflixiſſe mortem, eiúſque metum, quàm benignum & miſericordem; verè ante eum dixit S. Irenæus. Ratio eſt euidentiſſima, quia ſi Deus hominem, non obſtante eius peccato immortalitatis priuilegio gaudere voluiſſet; hæc ipſa immortalitas plus illi obfuiſſet, quàm profuiſſet: nihil enim, poſt lapſum primi hominis, (cùm nihil ſit hæc vita, quàm miſeria & peccatum) efficacius nec quicquam eſſe potuit ipſa morte, homini ab vtroq; liberando: vltimus certè medicus morborum, mors eſt; finis laborum, miſeriarum terminus, quietis verò initium: quapropter S. Gregorius lib. 12. Moral. ſapienter ait, multò grauiorem eſſe expectatam, quàm illatam mortem: accelerari itaque ſibi Sancti plerique petierunt; cupiebat diſſolui Apoſtolus. Dauid præ tædio huius vitæ, ſuo in gemitu plerumque dicebat, *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eſt.* Quàm verò ſit validum frænum homini mortis metus, ad eum ab exitiali in peccatum anfractu & præcipitio cohibendum, experientia docet; ſanè ſi homo à morte eſſet immunis, de bonis operibus quæ communiter ardua ſunt & laborioſa, non ſolùm non curâſſet, ſed ſeipſum ſine vllo moderamine omnibus vitiis, & impuris voluptatibus immerſiſſet, fuiſſétque ipſi Diabolo quàm ſimillimus; nihil enim fuiſſet homine arrogantius, crudelius, laſciuius, irreligioſius: ſi enim in ſtatu ſuo mortali tam crudelis eſt, tam ſuperbus, tam libidinoſus, atque (quod de nonnullis ſine iniuria dici poteſt) tam impius; quid, amabo dicas, futurus eſſet? ſi immortali-

tate

tare frueretur, ſeſéque certò nôſſet nunquam eſſe moriturum: æquum eſt hominem ſubditum eſſe Deo; habenas huius ſubiectionis & reuerentiæ continuò excuſſit primus hominum parens, ex quo ſe non moriturum, at Deo fore ſimilem (perfidè ſuggerente Diabolô) tam ſtultè, quàm infeliciter ſibi perſuaſit.

In hoc notare licet diſparem Dei & Diaboli genium. Diabolus audaciæ frænum laxat homini, vt eum in præcipitium perditionis impellat vana ſpe immortalitatis: Deus cohibet mortis metu hominem, quò in obſequio contineat, prohibeátque irruere cæcô impetu proprium in exitium. Spoliat hominem Dæmon innocentiâ, iuſtitiâ, vitâ, omníque bonô deſtituit: Deus ſuccurrit homini licèt ſibi rebelli, eum nudum veſtit & regit: poſtquam etenim incidit in reatum, induit eum, ne vehementiori æſtu vreretur, ne frigore periret, ne miſer & inops, nuditate & pudore confunderetur: *Fecit enim Adæ & vxori eius tunicas pelliceas.* Pulchrè Origenes hom. 6. in Leuit. *Talibus oportebat indui peccatorem quæ eſſent mortalitatis, quam primò peccatô acceperat, & fragilitatis eius, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium*, ſimul & ſpectabile perennéque monimentum ſui finis. Feſtiuè Propertius, elegantérque irridet Senatorum Romanorum luxum:

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta Senatu,
Pellitos habuit ruſtica corda patres.

Vtinam veſtium memores eſſemus, quibus parentes generis noſtri à Deo poſt lapſum in culpam, primitùs fuerunt induti; *tunicarum illarum nimirum pellicearum*, quas ideò gerendas dedit, vt culpæ & mortis inde ortæ, memoria ipſorum oculis perpetuò obuerſaretur. In veſte ſerica plerique hominum gloriantur, at perperam, non enim nobis veſtes ornatui datæ ſunt, ſed vt eſſent nota & ſtigma peccati, ac certæ monimenta mortis, haud ſecus ac compedes & catenæ ferreæ, reis ac malefactoribus flagitij ab iis admiſſi ſymbola, proximíque ſupplicij indicia ſunt. Quæſtio vertitur inter pleroſque Eccleſiaſticæ diſciplinæ tractatores; cur nigro colore Clerici amiciantur. Et magnus Cardinalis Baronius in ea videtur eſſe ſententia, vt pullatas veſtes minimè conuenire Clericis arbitretur. Halerius à Monachis in Eccleſiam inuectum ait fuiſſe atrum colorem; cùm nullatenus ab initio fuerit Clericis in vſu. Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum, *de Clericorum vita*, mediâ viâ incedit: ſiquidem iis cauendum docet ab vtroque extremo, albo ſcilicet æquè ac nigro colore; *veſtes pullas*, inquit, *æquè deuita ac candidas*; ſi tamen delectui locus eſt, cenſent nonnulli albo, atrum eſſe colorem præferendum ſaltem in Monachis. Totus eſt in hac opinione Petrus venerabilis ſcribens ad Sanctum Bernardum libro 1. epiſt. 28. vbi altercationes hac de re aliíſque refert Ciſtercienſium cum Cluniacenſibus, quorum ipſe Petrus cauſam pleriſque tuetur argumentis. De colore igitur in hunc modum agit; *Et vos ô Sancti* (alloquitur Ciſtercienſes tum nouiter exortos) *vos ſingulares, vos in ſolo orbe verè Monachi*, &c. *ſolos vos inter omnes conſtituitis; vnde & habitum inſoliti coloris prætenditis, & ad diſtinctionem cunctorum totius ferè mundi Monachorum*

inter nigros, vos candidos oſtenditis: & certè hæc veſtium nigredo, antiquitùs humilitatis cauſâ à Patribus inuenta, cùm à vobis reiicitur, meliores vos ipſis candorem inuſitatum præferendo iudicatis. De magno tamen illo, & admirabili veróque monacho Martino, non legitur quòd albô & curtô, ſed quòd nigrô & pendulô palliô proceſſerit. Et infrà; *colorem humilitati & abiectioni magis competentem abiicitis, & illum quo etiam in Scripturis gaudium, & ſolennitas figuratur; album ſcilicet, contra iam dicta regulæ mandata aſſumitis; cúmque in valle lachrymarum poſitos, quibus præcipitur vt ſemper luctui, nunquam lætitiæ intendant, deceant veſtimenta luctum & pœnitentiam deſignantia: vos econtrà in miſeriis felicitatem, in mœrore gaudium, in luctu lætitiam, veſtium candore monſtratis.* Hæc Petrus Cluniacenſis paulò amariuſculè, quàm ſoleret ad S. Bernardum ſcribere: quô in æſtu propriæ defenſionis, excidiſſe parumper etiam videtur à recta linea: tum quòd non magis erat quo contenderet contra Ciſtercienſes, quàm Carthuſianos, & Præmonſtratenſes, eodem fermè tempore exortos pro nigri coloris vindiciis: tum quòd ipſe ex regula S. Benedicti, quam erat profeſſus, non eſſe ibidem fatetur inter Monachos de colore veſtium diſputandum: quô nomine perſtringit ipſos Ciſtercienſes, qui candidum colorem, repudiatô nigrô perferebant. *Inde quoque & regulam cuius defenſores magis, quàm obſeruatores videri vultis, valde tranſgredimini, quâ iubente didiciſtis, vt de veſtium colore aut groſſitudine, non cauſentur Monachi.* Quamobrem re penſiculatè magis libratâ, manus deinde Petrus ipſe cum Ciſtercienſibus iunxit, adiaphorum confeſſus etiam apud Monachos geſtare candidas veſtes vel pullatas; quamuis abeſſe hanc diuerſitatem in iis quibus cor vnum, & anima vna eſſe debent, ſe optare ſubinde non diſſimulet, lib. 6. ep. 4. datâ ad S. Bernardum: *Color varius, habitacula diuerſa, vſus diſſimiles obuiant,* inquit, *dilectioni, contraria ſunt virtuti. Intuetur niger album, & miratur velut, informe prodigium, exaſperant mentem aliis aſſuetam vſibus noua inſtituta, nec facilè & ei poteſt placere, quod non conſueuit videre.* Tum dicta hæc adhuc aſperiora emolliens, imò quaſi non ſua refellens, mox prudenter ſubnectit: *Hoc tamen apud eos, qui vident in facie, & non attendunt quod verſetur in mente: non illa ſic intuentur oculi ſpirituales, vident, intelligunt, agnoſcunt,* &c. *nihil in ſeruis Dei differre colorem varium, nihil vſum diuerſum, nihil diuiſa habitacula,* &c. Et infrà; *vtatur vnuſquiſque colore quem elegit, teneat vſus, quibus ſe saluâ fide & charitate deuouit; vniantur ſaltem habitacula, ſit indifferens diuerſorum colorum, & vſuum cohabitatio; nutriatur & prouehatur in ſeruis Dei tali arte charitas,* &c. *expellatur contraria charitati iniquitas,* &c. *conſulatur, quorum ſe medicum Chriſtus dixit.* Et ſub finem epiſtolæ, *inſtruatur vtraque ſpecies fratrum,* &c. *nihil diſcernendum vario colore, diuerſis vſibus hos inter & illos Monachos, quos eadem fides & charitas verè fecit eſſe germanos.* Hæc Petrus Cluniacenſis S. Bernardo (vt non ſemel ait Cardinalis Baronius) etſi aliis titulis inferior, tamen charitate non impar. Plura hîc notare poſſemus de hac inter regulares contentione & veteri conflictu; ſed priſcum nolumus renouare dolorem. Ad rem ex qua parumper videor digreſſus lubens redeo. Quicquid ſit de colore Religioſis congruentiore, axioma illud Petri vene-

rabilis verum & certum eſt, nigrum colorem eſſe luctûs & mœroris indicium. Innuit hoc illuſtre factum Acatij Conſtantinopolitani Patriarchæ à Theodoro lectore memoriæ proditum, Collectaneorum lib. 1. *Publico edicto*(inquit) *Baſiliſcus Synodum illam (*Chalcedonenſem ſcilicet*) reprobari iuſſit, vrſit autem & Acatium, vt idem & ipſe faceret, quod tamen obtinere non potuit; quòd cuncta ciuitas vnà cum viris & mulieribus contra Baſiliſcum in Eccleſia congregaretur, & Acatius ſeipſum, & ſedem, & altare nigris amiciret.* Extat tom. 7. Biblioth. SS. Patrum col. 628. edit. Pariſ.

Nec modò in Græcia pridem obtinuit, at nunc vſque in Eccleſia Latina paſſim mos iſte myſticus viget, vt color niger, in ſacris quæ in luctu & mœrore fiunt, adhibeatur: hinc in die Paraſceues quâ Domini patientis luctuoſa celebratur memoria; liturgicus liber in limine officij titum hunc præſcribit; *Finitâ nonâ, Sacerdos & miniſtri induti paramentis nigri coloris, ſine luminaribus & incenſo, procedunt ad altare.* Porrò in rubricis generalibus ritus celebrandi Miſſam c. 18. cuius titulus eſt, *de coloribus paramentorum* in fine, generalis hæc regula ſtatuta eſt; *Nigro colore vtitur, in Paraſceue, & in omnibus officiis & Miſſis defunctorum.* Mortis igitur & Chriſti Redemptoris, & noſtræ communis color niger, ex iudicio praxíque Eccleſiæ, indicium eſt atque monimentum. Imò in ſacra Scriptura ponitur ater color pro mortalitatis inſigni, Apoc. 6. 5. & verſ. 12. in ſignum extremæ triſtitiæ & calamitatis orbis, concuſſa terra vehementi motu, *ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus*; vniuerſæ ſcilicet machinæ mundi funus protendens. At aliàs iterum de coloris huius ſignificatione: ſatis hîc videtur notâſſe, eſſe triſtitiæ, luctûs, mortíſque proprium indicium; ideóque attributum Clericis iam recepto ferè vbique vſu, quo proprij finis iugiter præ oculis habendi admonerentur, memoréſque ſemper eſſent Dominicæ mortis, in cuius meditatione tota Chriſtiana Philoſophia conquieſcit: vnde Apoſtolus 1. Cor. 2. 2. *Non iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Jeſum, & hunc crucifixum.*

CAPVT III.

SEV TERTIVS GRADVS.

Mortificatio carnis.

QVI *Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt*, ait Apoſtolus Gal. 5. Duæ ſunt inuicem aduerſæ ac concertantes in hoc ſæculo acies, nempe altera Chriſti, altera mundi, vt duæ ciuitates ſunt, altera Dei, altera Diaboli. Vtque ſingulæ ducibus ſuis militant, & vincere vtrimque nituntur; ſic notis quibuſdam dignoſcuntur & ſignis. Qui mundi ſunt, Dæmoni ſeruiunt, & carni & ſanguini, nihil niſi delicias, & voluptates corporis appetunt, in quibus reponunt ſuam ſummam felicitatem, nimirum

Epicuri de grege porci. *Horatius.*

Exitiali hac illecebra carnalium voluptatum impurus Mahumetes allectam magnam orbis partem ſuam in naſſam pertraxit; non tamen primus fuit, qui hoc ſuaui veneno illexit homines in extremam perniciem: fuêre ſiquidem inter eos qui Chriſtiano nomine gloriabantur, iam ferè ab ipſo Euangelici luminis ortu, peſtiferæ huius ſectæ ſigniferi, de quibus non ſine gemitu queritur Apoſtolus Philipp. 3. *Multi, inquit, ambulant, quos ſæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico:) inimicos crucis Chriſti,* &c. *quorum Deus venter eſt.* Hi nimirum vti crucis Chriſti hoſtes, ſic omnis continentiæ, auſteritatis, pœnitentiæ aduerſatores erant, docebant ſiquidem vitam in otio & deliciis, mollem, laſciuam, carnalem, & totam Epicuream conſectandam eſſe. Notatur Baſilides diſcipulus Simonis magi à Sancto Irenæo lib. 1. cap. 23. aduersùs hæreſes, impuræ huius ſectæ, ſi non auctor, ſaltem aſſertor præcipuus: qui pro ſummo doctrinæ capite, perſuadebat indifferentem vſum humanarum operationum, vt diſcrimen omne ſublatum iret virtutis ac vitij, libidinúmque quarumvis laxaret habenas. Non irrepſerat adhuc hæc lues in Occidentem ante Iouinianum, qui quòd breui tempore multos hamô tam peſtilenti ineſcaſſet, ſe contra caſtitatem & auſteritatem, ſine aſpero conflictu triumphum agere impudenter iactabat; at eius cornua ſolito impetu fregit fortis athleta pietatis & pudicitiæ, inſignisquoque defenſor auſteritatis ac pœnitentiæ S. Hieronymus, cuius aduersùs monſtrum tam fœtidum, hæc non tam verba ſunt, quàm fulmina, ſub finem lib. 2. contra Iouinianum; *Quòd multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, indicium voluptatis eſt, & pro magna ſapientia deputas, ſi plures porci poſt te currant, quos gehennæ ſuccendio nutrias. Baſilides magiſter luxuriæ & turpiſſimorum complexuum, poſt tot annos in Iouinianum, quaſi in Euphorbum transmutatus eſt: vt Latina quoque lingua haberet hæreſim ſuam. Vexillum crucis, & prædicationis auſteritas idolorum templa deſtruxerat: è regione, luxuria penis, ventris, & gutturis, ſubuertere nititur fortitudinem crucis, ſemper pſeudo-prophetæ dulcia pollicentur, & modicum placent: Amara eſt veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine.*

Claſſicum hîc igitur illud mihi occinendum eſt, quo Moſes olim idololatras Iſraëlitas, à veris Dei cultoribus diſtinxit. *Stans in porta caſtrorum, ait; ſiquis eſt Domini, iungatur mihi.* Exod. 32. 26. *Porrò qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt.* Gal. 5. id eſt, non molliter enutriunt, eámque nec laſciuiari ſinunt; at eius refringunt impuros motus, retundunt ſtimulos, coërcent vires, ieiuniis, ciliciis, caſtigationibus, iiſque auſteritatis exercitiis, quibus vas ipſe electionis Paulus, carnem ſpiritui, vt ſpiritus legi Chriſti obſequeretur, ſubegerat; *Caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* 1. Cor. 9. Ex quo loco patet pugnam, & luctam Chriſtianam tum in aliis conflictibus, tum maximè in corpore coërcendo, & carne ſubigenda, & caſtiganda ſitam eſſe. Hic enim eſt internus, & grauiſſimus hoſtis noſter; quocumque pergimus, hunc nobiſcum inimicum portamus; ſpiritus deficit, vbi caro requieſcit: vbi hæc præualet, ille perit. Cauendum igitur, ne caro vſquam ſuperet. Hæc inſi-

diis plus plerumque, quàm viribus valet; ſed non ita arduum, tam eius artes, quàm arietes reprimere. Ingluuie potiſſimùm, & luxuriâ ac mollitie caro ſpiritum impugnat. Sed gulam abſtinentia vincit; continentia luxuriam domat; mollitiem & quaſcumque carnis illecebras, amica virtutis auſteritas retundit ac elidit. Primi Chriſtiani inter perſecutionum turbines, ſeipſos incredibili ſeueritate ad extremos agones exercebant. *Circuibant in melotis* (ait Apoſtolus Heb. 11.) *in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes in montibus & ſpeluncis & cauernis terræ; quibus dignus non erat mundus.* Nec modò Apoſtolicâ ætate, ſed ſequenti ſæculo, *Chriſtianorum vita aliud quàm proſternendi, & humilificandi hominis* (vt verbis Tertull. teſtis oculati, de pœnit. c. 9. vti liceat) *diſciplina fuit, conuerſationem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu atque victu* (hæc exercitatio) *mandat ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare, animum mœroribus deiicere; illa quæ peccauit, triſti tractatione mutare: cæterùm paſtum & potum purâ nôſſe, non ventris ſcilicet, ſed animæ* (hoc eſt vitæ tantùm ſuſtentandæ) *causâ. Plerumq; verò ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari & mugire dies noctéſque ad Dominum, Preſbyteris aduolui, caris* (fortaſſe rectiùs, aris) *Dei adgeniculari,* &c.

Verùm alius (inquis) iam olim inoleuit mos; auſterior hæc diſciplina pœnitentium erat: quam hodie qui ſuſcipiat, obeátque quantumvis reatu graui irretitus, aut Chriſtianæ perfectionis amans, nemo vix reperiri poſſit: ne dicam Laïcorum at ne Clericorum quidem, quin nec Monachorum, qui ſeueriorem vitæ rationem amplexi ſunt: & quamuis ſuperioribus ſæculis quotquot claruerunt eminenti pietate & virtute, aſperâ duxerint admodum vitam, in hácque exercitatione non minimam perfectionis religioſæ partem collocârint, hócq; ad ſtudium monitis alumnos ſuos prouocârint ac exemplis; ſubinde tamen experimentô compertum fuit, iam corpora debiliora eſſe, quàm vt ferendis tam aſperis carnis macerationibus paria eſſe queant; frangi vires corporis nimio ieiuniorum, ciliciorum, ac diſciplinarum rigore: labente verò corpore animum deficere: quamobrem qui nouiſſimis his temporibus, zelo animarum flagrârunt: temperādûm ab his exceſſibus cuiuſq; profeſſionis, aut ſtatus Chriſtianis prudenter conſuluerunt; alleuiandum iugum cenſuerunt, vt qualitercumque ferri poſſet, non penitus excuteretur. Patres ipſos etiam pios ac ſanctiſſimos dudum non ſemel ſubmonuiſſe, vt modus corporis adhiberetur caſtigationi: refrænandam ſiquidem eſſe carnem, pungendámque, non perimendam. Audiendus S. Chryſoſtomus feruens quamuis pœnitentiæ & auſteritatis commendator ſuper præcitata Apoſtoli verba: *Caſtigo corpus meum,* &c. *quaſi diceret,* inquit*, *multū ſuſtineo laborem, vt ſobriè viuam, ſiquidem intractabilis eſt cupiditas, ventris voracitas, verūtamen eā cohibeo, & non trado meipſum affectibus, ſed affectus cōprimo, & ipſam naturam multis ſudoribus ſubiicio. Hęc autem dicit vt nemo à certādo deſperet pro virtute, nam laborioſum eſt. Quare,* inquit, *caſtigo, & redigo,* &c. *non dixit, perdo, & punio? non enim inimica caro eſt, ſed caſtigo, & redigo in ſeruitutem, quod Domini eſt non hoſtis; magiſtri, non inimici; exercitatoris, non aduerſarij.* Nec minori facundiâ, quàm pietate & prudentiâ S. Hieron. (in quadam epi-

* Πολὺν ὑπομένω πόνον, ὥστε σωφρόνως ζῆν. εἰ γὰρ καὶ δυσκάθεκτος ἡ ἐπιθυμία καὶ ἡ τῆς γαστρὸς τυραννὶς, ἀλλ' ὅμως ἀντιχαλινῶ, καὶ οὐκ ἐκδίδωμι ἐμαυτὸν τῷ πάθει, ἀλλὰ πάντα ὑπομένω πόνον, ὥστε μὴ παρασυρῆναι. ταῦτα δὲ λέγει, ἵνα μηδεὶς ἀπογνώσῃ τῶν ὑπὲρ ἀρετῆς ἀγώνων, ἐπειδὴ τὸ πρᾶγμα ἐπίπονον. διὸ φησὶν, ὑπωπιάζω καὶ δουλαγωγῶ, οὐκ εἶπεν, ἀναιρῶ (οὐδὲ γὰρ ἐχθρὰ ἡ σάρξ) ἀλλ' ὑπωπιάζω καὶ δουλαγωγῶ, ὃ δεσπότου ἐστὶν, οὐ πολεμίου· διδασκάλου, οὐκ ἐχθροῦ· παιδοτρίβου, οὐκ ἐναντίου.

ſtola,) *Corporis* (inquit) *debilitas nimia etiam vires animi frangit, mentis quoque ingenium marceſſere facit; quicquid cum modò & temperamento fit, ſalutare eſt: optimus in omnibus modus, laudabilis vbique menſura.* Eodem ſpiritu ſapientiæ plenus S. Gregorius ait homil. 5. *Caro aliquando nobis eſt ſeductrix in malo opere, aliquando autem adiutrix in bono: ſi ei igitur plus quàm debemus tribuimus, hoſtem nutrimus, & ſi neceſſitati eius quæ debemus non reddimus, ciuem necamus: ſuſtentanda itaque eſt caro, ſed ad hoc vt in bono opere nobis ſeruiat,* &c. ſuccinit S. Bernardus ſuper Euangelium Septuageſimæ; *hoſtem*, inquit, *crudeliſſimum* (ſi plus ſcilicet quàm neceſſum ſit, paſcimus) *circumferre cogimur, quem ſuſtentare licet, non perimere.* Præcinit Apoſtolus huic ſanctiſſimorum illuſtrium Patrum choro, vbi ait: *Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem,* &c. *rationabile obſequium veſtrum;* hoſtiam enim dicit viuentem ad differentiam veterum victimarum, quæ vt offerri poſſent, etiam cruento ritu mactabantur: ſed viuam offerri iubet, quamuis immolatam ſcilicet non mortuam ſed mortificatam: obſequium quoque exigit non violentum & inconſideratum, ſed liberum, ſpontaneum, & rationabile. Hinc Chriſtus ad Diſcipulos, Marci 9. in fine, *Omnis victima ſale ſalietur; habete ſal in vobis,* ſcilicet diſcretionis, prudentiæ & moderationis, ſine qua nulla Deo hoſtia quantumuis electa, & pretioſa placet. Cæterùm hæc omnia eſſe veriſſima nequaquam inficior; verumtamen

Dico primò, fixam eſſe Apoſtoli Regulam, quòd ſalutis ſignum ſit propriæ mortificatio carnis; *Qui enim* (inquit) *Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt,* &c. etſi autem idem Apoſtolus Epheſ. 5. dicat, *Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet illam;* hoc tamen ſic intelligi debet, vt de naturali ſermo ſit affectu, communíque vſu, non de praxi & diſciplina electorum qui Spiritu Dei aguntur, eiúſque impulſu facta carnis mortificant, non vt carnem perdant, ſed ſaluari cupiunt iuxta illud eiuſdem Apoſtoli pium deſiderium, 1. Theſſ. 5. 23. *Ipſe Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus,* &c. *in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.* In hunc eluctantur ſcopum quotquot contendunt ad beatitudinem. Sic ipſe Apoſtolus caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat, ne cùm aliis prædicâſſet fidem, fieret ipſe reprobus, at particeps foret ſortis SS. in lumine. Sic & Sancti quotquot Chriſtum ſecuti ſunt crucem ſuam poſt eum tulerunt; *Crucis ſiquidem mortificationem iugiter in ſuo corpore* pro Dei gloria,* & ſalute ſua vbique *portauerunt. Tota enim vita Chriſtiani hominis* (vt rectè monet S. Hieron.) *ſi ſecundùm Euangelium viuat, crux eſt atque martyrium;* crux eſt in corpore; martyrium in anima; crux eſt in carnis mortificatione; martyrium eſt in ſanctificatione animæ. Legantur SS. geſta, planúmque inde fiet, duabus his exercitationibus ſemper fuiſſe intentos, vt carnis impuros motus auſteritate continuâ comprimerent; animi verò paſſiones erumpentes in vitioſos actus, & affectus continerent intra diuinæ legis & rectæ rationis diſciplinam; ſed in caſtigatione corporis cùm ſexu, ætate, viribus, complexione, ſtatu impares eſſent, plus minúſve ſeueritatis adhibuiſſe. Obſeruatum at verò à viris prudentibus in

* His verbis vtitur Eccleſia in orat. feſti Sancti Lucæ.

Sanctorum viris, nullos penè miraculis, & geſtorum rerúmque admirandarum gloriâ claruiſſe, niſi illos qui ieiuniis, vigiliis, ciliciis, victûs parcitate, aſperitate veſtium, & vitæ auſteritate excelluerunt, quíſque ſponte ſua corpus afflixerunt, aut à Deo morbis, vel ab hoſtibus & tyrannis, tormentis, & ærumnis afflicti fuerunt. Cæteros Sanctos qui communem vitam egerunt, multùm quidem ſibi, & Eccleſiæ profuiſſe animarum zelô, virtutum ſtudiô, internis externíſque pietatis exercitiis, ſed miracula aut nulla, aut rara patrâſſe.

Dico ſecundò, diſcrimen eſſe apponendum, vt inter Monachum & Clericum, ſic inter Clericum & laïcum. Nec dubium enim quin ex profeſſione ſua Monachus, & quilibet Regularis, qui tria vota emiſit, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, longè ſeueriori vitæ diſciplinæ ſit obſtrictus, quàm Clericus, qui Canonicæ diſciplinæ tantùm ſeruandæ ſuo ex ſtatu obligatur. *Monachorum vita* (inquit S. Baſilius in ſerm. exercitat.) *tota crucigera eſt;* Abbas Pinufius apud Caſſianum lib. 4. de inſtitutis renunciantium cap. 34. & 35. Nouitium quem ſuum in cœtum cooptabat inſtruens, hanc monaſticæ vitæ ideam, Chriſto confixo cruci conformatam graphicè in hunc modum depingit: *Abrenunciatio nihil eſt aliud* (inquit) *quàm crucis & mortificationis indicium; ideóque noueris hodierno die te huic mundo, & actibus eius, ac deſideriis eſſe defunctum, téque ſecundùm Apoſtolum mundo huic eſſe crucifixum, tibique hunc mundum. Conſidera ergo conditiones crucis, ſub cuius te deinceps ſacramento oportet in hac luce verſari; quia iam tu non viuis, ſed ille viuit in te, qui crucifixus eſt pro te. Eo ergo habitu ac figurâ, quâ pro nobis in patibulo fuit ille ſuſpenſus, nos quoque neceſſe eſt in hac vita degere, vt ſcilicet ſecundùm Dauid configentes de timore Domini carnes noſtras, vniuerſas voluntates ac deſideria non noſtræ concupiſcentiæ ſeruientia, ſed mortificationi eius habeamus affixa; ſic enim præceptum Domini implebimus dicentis: qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus,* &c. *Sed fortè dicas? quomodo poteſt homo crucem ſuam iugiter portare, vel quemadmodum viuens poſſit eſſe crucifixus? Audi rationem breuiter: crux noſtra timor Domini eſt: ſicut ergo crucifixus quis iam non pro animi ſui motu, membra ſua quoquam mouendi ſeu conuertendi habet poteſtatem: ita & nos voluntates noſtras ac deſideria, non ſecundùm id quod ſuaue eſt ac delectat ad præſens, ſed ſecundùm legem Domini, quo nos illa conſtrinxerit applicare debemus: & ſicut is qui patibulo crucis affigitur non iam præſentia contemplatur, nec de ſuis affectionibus cogitat, non pro die craſtino ſollicitudine curáque diſtenditur, nullâ poſſidendi concupiſcentiâ permouetur, nullâ ſuperbiâ, nulla contentione, nullâ æmulatione ſuccenditur, non de præſentibus dolet iniuriis, non præteritarum iam recordatur, ſéque cùm adhuc ſpirat in corpore, cunctis elementis credit eſſe defunctum; illuc præmittens ſui cordis intuitum, quò ſe non dubitat illico tranſiturum; ita nos quoque timore Domini, crucifixos oportet his omnibus, id eſt non ſolùm carnalibus vitiis, verumetiam ipſis elementis mortuos eſſe, illuc habentes oculos animæ noſtræ defixos, quò nos ſperare debemus momentis ſingulis migraturos.* Haud minùs eleganti penicillo, veri monachi, Chriſto viui, mundo mortui, & crucifixi effigiem Cæſarius Heiſterbacenſis in Valle S. Petri Monachus ordinis Ciſtercienſis expreſſit lib. 8. cap. 10. de

ſui temporis mirabilibus (floruit in Diœceſi Colonienſi circa annum 1200.) *Duplex eſt*, inquit, *Religioſorum crucifixio, hominis interioris per alienam compaſsionem, & hominis exterioris per propriam carnis mortificationem. Crux enim dicitur à cruciatu. Crux Monachorum rigor ordinis eſt; tum propter vigilias & orationes; tum propter ieiunia & caſtigationes; tum propter ſilentium & opera manuum; tum propter carnis continentiam, & veſtimentorum ſtratiúque duritiem. Qui autem ſunt Chriſti? qui cum Apoſtolo dicere poſſunt, Chriſto confixi ſumus cruci, qui carnem ſuam crucifixerunt, id eſt cruci affixerunt, cum vitiis operum & concupiſcentiis deſideriorum pugnantes: nec ponuntur illi duo genitiui plurales inſtrumentaliter, ſed paſsiuè: eo quòd per virtutes in carnis maceratione mortificentur. Tres claui quibus corpus Monachi cruci debet eſſe affixum, tres ſunt virtutes, per quas, teſte Hieronymo, martyres efficiuntur, obedientia, patientia, humilitas: manum Monachi dexteram configat obedientia ſine murmuratione; ſiniſtram patientia ſine ſimulatione; clauum obedientiæ impellat amor ſupernæ libertatis; clauum patientiæ, timor pœnæ gehennalis: pedes vera humilitas configat, vt non ſolum Prælatis ſed & fratribus propter Chriſtum ſubiiciat; vt dicere poſsit cum Pſalmiſta humiliatus ſum vſquequaque Domine, Pſal. 118. Et in alio Pſal. (65. ſcilicet) impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, &c. Ita ad viuum, Cæſarius Monachum ad inſtar hominis crucifixi depingit. Cui ideæ ſi quis fuerit aſſimilatus, imagini filij Dei (vt verbis vtar Apoſtoli Rom. 8.) conformis erit, proindéque non in ſtatu perfectionis acquirendæ, ſed iam acquiſitæ, ſi modò in ea forma perſtiterit. Cæterùm Clericus etſi cùm in ſortem tranſierit Domini, ſit à populo ſegregatus, eóque ipſo teneatur Chriſtum etiam crucifixum imitari perfectiore modo quàm laïcus; haud tamen tam aſpero crucifixionis genere quàm Monachus: nec enim facultates ſuas relinquere, paupertatem profiteri, vouere plenam & perpetuam obedientiam, tantáque auſteritate viuere, quantâ Monachus, ſua ex vocatione obligatur. *Crux monachi rigor eſt ordinis*, (vt rectè monet præfatus Cæſarius) Crux Clerici haud ita grauis, tenor eſt enim dumtaxat canonicæ diſciplinæ; cuius ſuprà, iam variis lineamentis & coloribus expreſſimus ſpecimen. In Nepotiano perfectum Clericum eluxiſſe, B. Hieronymus eius non tam monitor quàm admirator, in ipſius Epitaphio demonſtrat, venerabilíque eius memoriæ hoc inter cætera non poſtremum elogium adſcribit, *quòd contempſerit omnia bona carnis:* dura verò & aſpera quæque pro ſtatu quo viuebat quæſierit. Id optandum igitur, vt ſtudeat ſummoperè Clericus. Meminerit, quæſo, inſignis illius ſententiæ Beati ipſius Hieronymi ſuper epiſt. ad Titum : *Vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laïcos, quàm Clericos:* pleraque laïcis licent quæ Clericis prohibentur: decent laïcos nonnulla, quæ Clericis non congruunt; & multa ſunt quæ etiam cum laude fieri poſſunt à laïcis, quæ etſi non illicita, fieri à Clericis non expedit: arctiore enim viâ incedunt, vitámque ſeueriorem (quam pro externo Clericatus charactere ponit Sanctus Ambroſius ep. 6.) exhibere tenentur. Præclarè S. Chryſoſtomus in Matth. c. 25. Bene agente populo vnuſquiſque pro ſuo merito remunetatur, Sacerdos verò (& Clericus) pro bonis omnium: habe-

habebit enim pro propriis lauream, pro acquiſitione aliorum aureolam. ſed verè magna confuſio Sacerdotum & omnium Clericorum, quando Laïci inueniuntur eis fideliores, & iuſtiores (addere licet abſtinentiores, magíſque ipſo corpore mortificati) quomodo enim non ſit dedecus eſſe inferiores Laïcis, quos æquales eſſe haud leuis eſt turpitudo? Quamobrem S. Bernardus ſui ſæculi alter Helias, alter Hieremias, alter Paulus, acriter delicatulos Clericos, carníſque deditos illecebris, & mundi nugis, atque ab auſteritate vitæ, legis Dei ſtudio, & labore omni abhorrentes perſtringit. *Miror cuius ordinis* (inquit ad Eugenium lib. 3.) *ſint Clerici noſtri, nam in congregatione temporalium ſe habent, vt laïci; in apparatu nobili, vt milites; in acquiſitione redituum, vt Clerici: ſed non laborant vt laïci, neque pugnant vt milites; neque euangelizant vt Clerici, & cùm vtriuſque ordinis eſſe cupiunt, vtrumque deſerunt, vtrumque confundunt.* Et ſup. Pſal. 73. *quod delectat in quolibet elegerunt, & totum quod moleſtat reſpuerunt.* Et ſerm. 73. ſuper Cantic. *Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis aduenit. Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Amara priùs in nece martyrum, amarior pòſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Pax (nunc) à paganis, pax ab hæreticis, ſed non profectò à filiis. Vox plangentis Eccleſiæ in tempore iſto: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me; ſpreuerunt & maculauerunt me, à turpi vita, à turpi quæſtu, à turpi commercio.* Et ſerm. 78. *Vnde Clericis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriêm vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis Eccleſiæ? Inde eſt quòd illa pauper & inops, & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida. Propter quod non eſt hodie Eccleſiam ornare ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire, ſed perdere,* &c. Et alibi, *Quàm fœdum eſt ſub ſpinato capite, membra videre delicata!* Ab initio certè non fuit ſic. In ipſo ſcilicet Eccleſiæ flore, miniſtri Chriſti mortificationem eius vbique circumferebant, 2. Cor. 10. ideóque dicebant cum Apoſtolo, *Chriſti bonus odor ſumus.* Aromata nonniſi contrita & contuſa, ſuum ſpargunt odorem; ſic nos qui eſurimus & ſitimus, & in omnibus tribulationem patimur; theſaurum portamus in vaſis fictilibus atque fragilibus, ſed inde ſuauiſſima odoramenta exhalamus, quemadmodum fractâ pixide cùm vngeret ſoror Lazari pedes Ieſu, domus impleta eſt ex odore vnguenti, Ioan. 12. ſic cùm tot atterimur preſſuris, nóſque ipſos tot laboribus, vigiliis, inediis, ſpontaneíſque caſtigationibus conficimus, tótque foris pugnas, quot intus timores perpetimur, Chriſti bonus odor ſumus, qui odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, 2. Cor. 2. Habent enim mores colores ſuos, habent & odores (ait S. Bernardus ſerm. 71. in Cant.) *Odorem in fama, colorem in conſcientia: colorem operi noſtro dat eius bonitas & cordis intentio: odorem modeſtiæ, & virtutis exemplum inſtar lilium eſt in ſe candidum, ſed proximo odoratum.* Dudum Eccleſiaſticorum habitus, motus & inceſſus, verba atque vniuerſa opera, cæleſtem quâ referti erant gratiam redolebant. In iis velut in ſpeculo refulgebat ſpecies caſtitatis & forma virtutis; ipſa corporis facies ſimulachrum erat puræ mentis, figura probitatis: ſed nihil tam eos ſpectabiles, verendos & amabiles, quàm humilitas, quàm mundi contem-

Ddd

ptus, quàm carnis mortificatio, & viræ auſteritas reddebat. id teſtatur Ammianus Marcellinus, ethnicus licèt ſcriptor, lib. 27. rerum geſtarum, vbi de Eccleſiaſticorum luxu vel modeſtia, ſpectabili occaſione meminit pag. 361. editionis Hamburgenſis anni 1609. *Qui eſſe poterant beati, &c. ſi ad imitationem Antiſtitum quorumdam Prouincialium viuerent, quos tenuitas edendi, potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo numini, veriſque eius cultoribus, vt puros commendant & verecundos.* Non in Epiſcopis modò, ſed Preſbyteris, & inferioribus Clericis Gallicanæ præſertim Eccleſiæ, diu pòſt, hæc effigies Chriſtianæ modeſtiæ, diſciplinæque Clericalis intemeratus vigor nitórque clariſſimè reſplendebat: viuam ideam huius obſeruantiæ Sidonius lib. 4. ep. 24. à ſe conſpectam in Maximo olim Palatino, at tunc Clerico ac Sacerdote, cùm aliquando versùs Toloſam pergeret tam gratâ quàm genuinâ expreſſione deſcribit: *Proficiſcenti mihi Toloſam iam deſperatus* (Turpio ſcilicet vir Tribunitius, Turni ad quem ſcribit pater) *litteris imperauit vt me rogante creditor veſter modicas ſaltem largiretur inducias: Precibus orantis citiùs annui quia cum Maximo mihi non notitiæ ſolùm, verùm & hoſpitij vetera iura. Igitur ad amicum libens ex itinere perrexi, quanquam villa non paucis aggere à publico millibus abeſſet. Vt veni, occurrit mihi ipſe quem noueram anteriùs corpore erectum, greſſu expeditum, voce liberum, facie liberalem; multum ab antiquo diſſimilis inceſſu, habitus verò, gradus, pudor, color, ſermo religioſus. Tum coma breuis, barba prolixa, tripodes ſellæ, cilicum vela foribus appenſa, lectus nihil habens plumæ, menſa nihil purpuræ, humanitas ipſa ſic benigna, quod frugi, nec ita carnibus abundans vt leguminibus. Certè ſi quid in cibis vnctius, non ſibi ſed hoſpitibus indulgens. Cùm ſurgeremus clam percontor aſtantes, quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus, Monachum ageret, an Clericum, pœnitentémne? dixerunt nuper impactô Sacerdotiô fungi, quo recuſantem factioſè ligâſſet ciuicus amor.* Vtinam! & ô vtinam aliquando Eccleſiam intueri liceret talibus irradiatam ſyderibus, tam firmis quàm ſpecioſis columnis ſuffultam, provt dudum fuit: quando nimirum cum dogmatum puritate, nitore ſacrorum rituum, peritia ſanctarum artium & diſciplinarum (quæ etiamnum florent) diſciplinæ vigebat obſeruantia, motum cenſura, cuſtodia canonum: feruor ſpiritus, carnis mortificatio, odium peccati, ſæculi contemptus, amor Dei, in eius miniſtris longè latéque triumphabat. Cùm dubium eſſet etiam admodum oculatis, an quiſquam præ morum innocentia & vitæ ſeueritate *Monachus, aut pœnitens eſſet, vel Clericus, vt ex Sidonij ſuprà citatis verbis apertè conſtat. Tam Clericorum diſciplina diſtrictæ obſeruationis erat, vt vix à rigore monachatûs, & pœnitentiæ aſperitate diſcerni poſſet. Deinceps id magis optandum quàm ſperandum videtur; ſed tamen & incumbendum ſedulò Clericis hoc ſtudium, ab hiſque ſtrenuè, & animosè ſtadium hoc ipſum percurrendum, quo carnis ſpretis illecebris viribúſque ſuperatis tam efferatæ belluæ, quæ contra ſpiritum perenni peccati prurītu, æſtúque contendit, plenâ victoriâ ſpiritus de carne, & concupiſcentiis eius triumphans potiatur; *vt non regnet peccatum in corpore noſtro mortali*, (ſicut monet Apoſtolus Rom. 6.) *ad obe-*

*Nota.

diendum concupiſcentiis eius; neque exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibeamus nos Deo tanquam ex mortuis viuentes, & membra noſtra arma iuſtitiæ Deo, vt peccatum non dominetur nobis, non enim ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Ita vas electionis Paulus: cui ſuccinens Chryſoſtomus meritò exclamat, *Quid ergo ô homo, carni ſuauia, ſpiritui exitialia quæris? breue eſt, & caducum quicquid hîc vides.* Parum eſt breue & caducum dicere: mortiferum eſt inſuper. Peremprorium & irreuocabile eſt decretum quod iuſſu Dei idem Apoſtolus promulgauit: *Fratres debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*, Rom. 8. verſ. 12.

CAPVT IV.

SEV QVARTVS GRADVS,

Paſſionum animi moderatio.

SVMMVS ille Profeſſor ſcientiæ cæleſtis, dúxque militiæ Chriſtianæ Paulus, præco verbi, vox Chriſti, & vt ait Sanctus Hieronymus, rugirus leonis noſtri, qui myſteria Dei potiùs miratur, quàm loquirur: Chriſtianæ virtutis, & perfectionis peritiſſimus magiſter, quam magis vitâ & geſtis, quàm linguâ & verbis docuit & expreſſir: ramerſi myſterium prædeſtinarionis inſcrutabile paſſim fareatur, ſigna ramen quædam inrerponir, quibus diſcerni queanr electi à reprobis; hæc inter iſtud non eſt minimum, quòd electi viuant ſecundùm ſpiritum, reprobi ſecundùm carnem: hi toti operibus carnis corporíſque voluptatibus, & animi corrupris affectibus explendis indulgeant: illi verò prorſus ab iis auerſi & abhorrenres, carnis mortificarioni, ſenſuum expurgationi, refrænationi paſſionum, omnem curam & operam impendanr, nihílque in votis magis habeanr, quàm ſpiriru viuere, carne mori: *Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.* Gal. 5. Concupiſcentia eſt quaſi anima mali, vitia potentiæ eius, peccata ſunt actus eius. Qui igitur Chriſti ſunt, hæc omnia ſimul crucifixérunt cum carne, quæ organum & officina eſt omnis peccati: electi verò hæc crucifigunr, comprimunr, & mortificant, 1. per merum gehennæ. 2. per rationem, & voluntatis rarioni obſequenris conſtantiam, forritudinem, firmúmque Deo placendi propoſirum. 3. per cuſtodiam oculorum & ſenſuum. 4. per orariones. 5. per ieiunia & vigilias aliáſque auſteritates, quibus caro vincitur, & à ſpiriru ſubiugatur.

De paſſionum vſu luculentū & elegantem tractatum edidit Pariſiis anno 1642. Gallico idiomate, P. Ioannes Franciſcus Senaldus Oratorij Preſbyter: quô de iis ram in genere, quàm ſpecie accurarim diſſeruir. Piaculū duximus in eius labores introire, falcémque iniicere in eius meſſem. Quamobré de paſſionibus hîc ſigillatim non loquimur, neque de iis in genere, ad modum Philoſophiæ moralis diſſerramus: ſed ex Patrum & Theologorum doctrina.

Lucta inter hunc & illam nobis perpetua eſt: *Caro enim concupiſcit aduersùs ſpiritum, & ſpiritus aduersùs carnem,* hæc enim ſibi inuicem aduerſantur; vt docet Apoſtolus ibidem: piè, ingenioſè, ac eleganter hanc deſcripſit Aurelius Prudentius, Eccleſiæ Maro & Homerus,

colluctationem aureo in opuſculo cui *Pſychomachia* nomen indidit: oppoſitis enim primo in conflictu fide & idololatriâ; in 2. pudicitiâ & libidine; in 3. patientiâ & irâ; in 4. ſuperbiâ & humilitate; in 5. luxuriâ & ſobrietate; in 6. auaritiâ & largitate; in 7. concordiâ & diſcordiâ, præclarè oſtendit in apoſtrophe ad Chriſtum, libelli eiuſdem ſect. 1.

Quo milite pellere culpas
Mens armata queat, noſtri de pectoris antro;
Exoritur quoties turbatis ſenſibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat.
Quod tunc præſidium, pro libertate tuenda,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis
Obſiſtat meliore manu.

Breui tabellâ, expertus huius belli Caſſianus, artíſque vincendi ſciens hanc pugnam expreſſit collat. 4. cap. 11. *Caro*, inquit, *luxuriis & libidine delectatur: ſpiritus ne ipſis quidem naturalibus deſideriis acquieſcit: illa concupiſcit ſatiari ſomno, repleri cibo: hic vigiliis & ieiuniis ita ſaginatur, vt ne ad ipſum quidem vitæ vſum ſomnum cibúmque velit admittere: illa cupit exuberare copiis vniuerſis: hic ne ipſius quidem exigui panis quotidianam ſubſtantiam habere contentus eſt: lauacris illa niteſcere, & quotidianis adulantium cuneis appetit conſtipari; hic ſqualore ſordium & inacceſſibilis eremi vaſtitate congaudet: honoribus illa & laudibus conſouetur; hic irrogatis ſibi perſecutionibus & iniuriis lætatur.*

Eò perueniri poſſe per Philoſophiam, hac in vita, felicitatis, vt homo luctam hanc in ſe minimè experiretur, Stoici cenſuerunt, qui acquiri poſſe à virtutis ſtudioſis ἀπάθειαν, & impeccantiam ſibi ſuíſque perſuaſerunt. Acriter verò reprehendit Sanctus Hieronymus Rufinum hac de cauſa, quòd hanc doctrinam vt in Eccleſiam importaret, libellum nomine Sixti Papæ & Martyris euulgârit, ſub annuli programmate, in quo hæc ab omni paſſionum ſenſu immunitas aſtruebatur: quamuis ipſum Rufinum non lateret, haud eſſe opus iſtud Sancti Sixti Pontificis, at Sixti Pythagorei Philoſophi, hominis gentiliſſimi, qui erroris huius diſſeminator fuerat. At quàm hæc ſtulta perſuaſio falſa itidem ſit, ipſa experientia docet, & conuincit: nullus enim hactenus extitit hominum (de puro homine intellige) qui expers fuerit à paſſionum motu, illámque ἀπάθειαν ſit, quantovis Philoſophiæ ſtudiô, aut virtutum moralium (in quarum habitu Stoici beatitudinem collocabant) obſeruantiâ & cultu conſecutus; *Vnuſquiſque enim* (vt diuina docent oracula) *tentatur à ſua concupiſcentia*, Iacob. cap. 1. 4. ipſéque vas electionis Paulus; *Condelector legi*, inquit, *ſecundùm interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* &c. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* Rom. 7. *Liberari à corpore mortis*, ait Sanctus Auguſtinus lib. 1. cont. duas epiſt. Pelag. cap. 11. *eſt omni ſanato languore concupiſcentiæ, corpus recipere peccandi affectibus minimè ac haud ampliùs obnoxium.* In gloria tantùm hoc erit; quamdiu enim in hac valle lachrymarum ſumus, exerceri

Lib. com. in Hierem. c. 22. ſub fin. tom. 4.

etiam Sanctos oportet perenni colluctatione cum concupiſcentia & paſſionibus, quæ in vitia tendunt, animámque perpetuò agitant, & pelliciunt vel impellunt in peccatum, niſi fortiter repugnet. Triſti quidem ſpectaculo, at genuino penicillo auctor libri de ſpiritu, & anima (quem Trithemius exiſtimat opus eſſe Hugonis à Sancto Victore, quamuis inter opera Sancti Auguſtini inſertum ſit tom. 3.) animam his ſequiorum affectuum circumſeptam exitioſis agminibus cap. 62. exhibet, dum ſic eam affatur; *Audi anima qualis ſis, onerata es peccatis, irretita vitiis, capta illecebris, affixa membris, confixa curis, diſtenta negotiis, contracta timoribus, afflicta doloribus, erroribus vaga, ſuſpicationibus inquieta, ſollicitudinibus anxia;* addi etiam poteſt, *prona in vitioſos affectus, & in deſideria nociua, quæ* (ſi iis præbeatur aſſenſus) *ipſam animam mergunt in interitum & perditionem.*

Concupiſcentia eſt vis appetendi immoderata, fons tentationum, via ad peccatum, quin & peccati fomes; ideóque longè in homine peior quàm in beſtiis. Rectè ſiquidem Gerſonius part. 3. tract. de paſſionibus animæ. *Paſſiones in animalibus brutis, minimè vitioſæ ſunt, v. g. ira in tygride & apro; audacia & animoſitas in leone & gallo, voluptas in porco, hirco & paſſere, timiditas in oue & lepore, fraudulentia in vulpe, adulatio in cane, ſuperbia in equo, triſtitia melancholica in catto, auaritia in cornice. Iſtæ ſiquidem paſſiones neque malæ ſunt, neque deformes in genere moris, cùm ipſis animalibus deſit libertas arbitrij, in qua fundatur ratio laudis & vituperij: ſecus eſt in homine, homo namque cùm ſit naturâ rationalis, factúſque vt diſcerneret inter bonum & malum, & vt maius bonum magis diligeret. Conſtat verò Deum eſſe ſummum bonum. Ordinatus eſt igitur homo ad cognoſcendum & diligendum Deum, in quo ſtat ſua iuſtitia, ſua bonitas & gloria. Sed omnium iſtorum, & ſimilium videmus in hominibus contrarium propter paſſiones corporis quæ trahunt animam ad delectationes ſordidas & malas, trahunt in terrores & ſuperſtitioſas inſanias, trahunt magis ad operationes carnis vitioſas, quàm virtuoſas animi. Trahunt ad ignorantiam, inquietudinem, afflictiones, rebellionem,* (partis inferioris contra ſuperiorem) *ad pœnam & mortem, pluſquam in brutis,* &c. *Et hoc factum eſt ex culpa per ingratitudinem contra Deum perpetratâ. Sunt paſſiones igitur illæ vituperabiles, quæ tollunt obedientiam, turbant modum, & ſpeciem & ordinem, præueniunt iudicium rationis quod ſequi deberent, ipſúmque eius dominium tollunt, & hominem in ſeruitutem redigunt; etenim corpus quod corrumpitur aggrauat animam, Sap. 9. Hoc graue iugum ſuper filios Adam. Eccleſ.* 40. Hactenus Gerſon. Porrò paſſiones eiuſmodi eſſe non modò pœnales, at etiam ſummoperè culpabiles S. Bonauentura in 2. diſt. 36. q. 2. aſſeuerat. Quod intelligendum non in ſe & abſolutè, ſed in hoc caſu. Enimuerò licèt cùm hi affectus in hos tranſeunt exceſſus, peccata ſint: minimè tamen peccata ſunt, vt paſſiones præciſè conſiderantur, ſic enim inſitæ ſunt à natura, vt rectè S. Auguſtinus paſſim docet. Cæterùm regula eſt recepta, tam à Theologis, quàm Philoſophis, *propter ea quæ à natura nobis inſita ſunt, nec laudem nos nec vituperium meremur.* Id vt pateat euidentiùs, eſt ſubnotandum,

Ante lapſum primi parentis concupiſcentiam fuiſſe, & dici reuerâ po-

tuiſſe meram & adiaphoram animi potentiam: poſt lapſum, in ipſo eiúſque coniuge & ſobole remanſiſſe quidem potentiam, ſed vitiatam: eſt enim deinceps pronitas ad peccatum, imò fons & fomes peccati; habet autem tres motus, primus eſt inuoluntarius, ſine vllo hominis conſenſu, proinde ſine peccato: alter eſt imperfectè voluntarius, & proinde peccatum, ſed veniale: tertius eſt perfectè voluntarius, & tum peccatum eſt mortiferum, ſiquidem vt ait S. Iacobus c. 1. *vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit parit peccatum; peccatum verò cùm conſummatum fuerit, generat mortem.* Quæ verba expendens S. Auguſt. lib. 6. aduersùs Iulianum c. 3. præclarè dicit: *Profectò in his verbis partus à parente diſcernitur: parens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum, ſed concupiſcentia non parit, niſi conceperit; non concipit, niſi intellexerit, hoc eſt ad malum perpetrandum obtinuerit volũtatis aſſenſum.* Idipſum docet S. Cyrillus lib. 4. in Ioan. c. 7. * *Voluptas quædam* (ait) *ante omne peccatum præcurrit, & feruens cupiditas ad delicta ſolet allicere, quæ ante peccati actum inſidet, & mentis conſenſum arripit, perſuadens facilè hâc viâ veniendum eſſe quò gliſcimus. Quod verum Chriſti diſcipulus oſtendit dicens: Nemo qui tentatur, dicat à Deo ſe tentari, neminem enim Deus tentat, ſed vnuſquiſque à ſua cupiditate abſtractus atque ſeductus tentatur. Cupiditas deinde poſtquam conceperit, parit peccatum, porro conſummatio mortem generat.* Idcirco rectè venerabilis Beda in comment. in hunc locum S. Iacobi, diſtinguit ſuggeſtionem à delectatione, & delectationem à conſenſu. Additque ſolam ſuggeſtionem, niſi trahat ad delectationem, non ſolùm non parere peccatum, ſed econtrariò parere coronam vitæ (eodem loco) iuxta verbum eiuſdem Apoſtoli, *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Non igitur corporis concupiſcentia, ſed cordis, parit reatum: quamobrem poſt regenerationem etiam in tenatis voluit Deus concupiſcentiam quæ etiam eſſe poſſit calcar ad virtutem** remanere. Diſertè id aduertit atque monet S. Auguſtinus lib. 2. in Iulianum, vbi ait; *Iámne diſcernis; iámne perſpicis, iámne reſpicis, & in baptiſmate fieri omnium remiſſionem peccatorum, & cum baptizatis quaſi ciuile bellum interiorum remanere vitiorum? non enim talia ſunt vitia, quæ iam peccata dicenda ſint, ſi ad illicita opera ſpiritum conſcientia non trahat, & concipiat, pariátque peccatum: paſſiones ſunt, vitia ſunt, frænanda, cohibenda, ſananda ſunt, ſed dum curantur infeſta ſunt.*

Putant plerique cùm infeſtantur ab eiuſmodi motibus, ſe à ſolo Diabolo tentari; hi ſanè non ſatis attentè Sancti Iacobi verba perpendunt, dicentis *nos à propria concupiſcentia tentari*: non à Deo, quin nec ſemper à Diabolo; tametſi verum ſit, & Deum in noſtrum bonum vti aliquando noſtris paſſionibus: Dæmonem verò ſemper nobis infeſtum, iiſdem non raro abuti. Prætermitto hîc Theologorum Scholaſticorum celebres de paſſionibus diſtinctiones, quæ ſanè plurimæ ſunt: præcipuæ autem, quas nominant corporales, ſenſuales, naturales, ſeu animales & ſpirituales. his tantùm poſtremis impræſentiarùm hæreo, quas vndecim numerô conſtituunt; iſtæ ſunt verò, amor, concupiſcentia, delectatio, odium, fuga, triſtitia, ſpes, deſperatio, audacia, metus, ita

* Ἁμαρτίας ἁπάσης προβαδίζουσαν ἡδονὴν εὑρήσομεν· καὶ καλεῖ τις ἡμᾶς εἰς τὸ πλημμελεῖν ὑποθυμία θερμὴ τῆς ἐνεργείας ἀεὶ προεισίχουσα, καὶ τὴν τῆς διανοίας συναίνεσιν προαρπάζουσα, πείθουσά τε οὕτω λοιπὸν ἐπὶ τὴν τῶν αἱρεθέντων διεξαγωγὴν διὰ λοιπῆς ἔρχεσθαι τῆς ὁδοῦ. ἀληθὲς δέ πως ἔστι τὸν ἐπὶ τούτοις ἡμῶν λόγον ἀποφαίνει λέγων ὁ Χριστοῦ μαθητὴς οὕτω βοῶν· μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω, καὶ τὰ ἑξῆς.

** *Affectiones noſtræ motus animorum ſunt: lætitia, animi diffuſio; triſtitia, animi contractio; cupiditas animi progreſſio: diffunderis enim animo cùm lætaris; contraheris animo, cùm moleſtaris; progrederis animô, cùm appetis, fugis animo cùm metuis*: ait Sanctus Auguſtinus ſup. Ioan. ſerm. 5.

vel zelus. Quas inter & animales diſcrimen occurrit notabile, quòd animales nimirum verſentur circa rationem commodi vel incommodi: ſpirituales verò ad rationem reſpiciant ſolius iuſti & iniuſti. Spirituales perturbati plerumque contingit ab Angelis malis: at non ab his tantùm, verumetiam ab Angelis bonis commoueri. Agitant eas dæmones in malum: Angeli verò lucis in bonum: efficiunt enim vt anima Deum contemplans, eum amet, vt totum amabilem; concupiſcat eum, vt totum deſiderabilem; quieſcat in eo, & in eo delectetur, vt in toto bono vtcumque iam cognito & poſſeſſo: odio autem habeat quicquid ab hoc toto amabili, toto deſiderabili, toto delectabili ſeparare poteſt. Hinc ipſi inſeritur animæ peccati odium, horror & abominatio, fuga & deteſtatio, ſi huic bono quę ſe opponunt inſtare videátur. Dolor autem acerbiſſimus, & inquietudo non abſque angore & moleſtia animi, ſi fortè affuerint: hinc præthereà oritur ſpes ingens, dum conſiderat anima magnificentiſſimam & munificentiſſimam Dei liberalitatem, promittere æterna. Audacia rurſus magnanimis in aggrediendo grandia & atdua propter Deum: zelus quoque diuini cultus & honoris: deſperatio in viribus proptiis: quemadmodum ex conſideratione tantorum diſctiminum, & diuinorum iudiciorum inſcrutabilium, metus ingens.

Hinc igitur vnuſquiſque cum Apoſtolo, quin magis quàm ipſe, iure merito dicere poteſt: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*, tot obnoxio periculoſis affectibus, tantáque mole paſſionum implicito ac degrauato ſpiritu? Reſponſio autem quam ſubiungit Rom. 7. multùm conſolatur: *Gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Gratia enim quæ per Chriſtum datur* (ait S. Auguſtinus de lib. arb. & habetur de conſ. diſt. 4. c. Gratia) *non ſolùm vt peccatorum remiſſionem faciat, ſed etiam vt lex impleatur, vt natura liberetur, nec peccatum dominetur, vt ſine nobis operetur, incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens*: idem de gratia & lib. arb. Id confirmat planè inſigne illud dictum Apoſtoli 1. Cor. 15. *Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quæ verſans Apoſtolica dicta Theodidactus Bernardus ait; *Paulus inquit, non ego, ſed gratia Dei mecum, præſumens ſe non ſolùm eſſe operis miniſtrum per effectum, ſed & operantis quodammodò ſocium per conſenſum, vt ipſe Paulus enim pronunciat, Dei adiutores ſumus.*

Vt igitur, ipſo Chriſto iubente ventis & mari, mox fit tranquillitas magna, quoniã venti & mare obediunt ei; ſic noſtrum fuerit eius implorare opẽ, ſine qua profectò perimus: etiam cùm vt nobis videtur, ſuperamus. Pugnabat Dauid, ſtringebat enſem, vincebat; non ſibi tamen adſcribebat victoriam, at gratulabundus occinebat: *Benedictus Dominus Deus Iſ-* Pſal. 143. 1.
raël qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Nec dubium quin itidem ad pſalterium; hoc enim afflatu egregius ipſe factus Pſaltes Iſraël, *ſtare facit cantores contra altare, & in ſono pſalmorum dulces fecit modos ad laudandum nomen Sanctum Domini, & dandum in celebrationibus decus.* Ec. 47. 11. Mirabilis ſanè modulator fuit, qui tetrum ſpiritum Saülis infeſtatorem, pſalmodiæ ſuæ harmoniâ procul abigebat, efferatum animum

iniqui principis ita demulcebat, vt ſuæ ſymphoniæ modulis reuocaret protinus ad vultûs & cordis optatam ſerenitatem: *quandocumque enim ſpiritus Dæmonis malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saül, & leniùs habebat: recedebat enim ab eo ſpiritus malus*, 1. Reg. 16. 18.

Vtinam verus Dauid Chriſtus, cùm concupiſcentiæ Dæmon noſtros affectus commouet & agitat*, citharæ ſuæ modulis hos funeſtos motus cohibeat, & paſſionum effrænes impetus ad legis ſuæ concentum, ſuaui ac iuſto moderamine reuocet, iuxta illud Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis, quia vox tua dulcis eſt*: ſuâ enim melodiâ lenit triſtitiam, delectationem parit, & animæ componit ſuos ad numeros, gratæque modulationis ſonos, affectus: quemadmodum pia illa anima reſtatur, quæ eius ſuauitate vocis, tota in eius amorem liquefacta, columbino luctu gemit, & gemendo canit,

*Concupiſcentia, ſeu mala voluntas, *eſt dæmon nos impugnans*, ait Abbas Pimenius in vitis Patrum lib. 7. c. 25.

Ieſu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed ſuper mel, & omnia,
Eius dulcis præſentia.
Nil canitur ſuauius,
Nil auditur iucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quàm Ieſus Dei Filius.
Ieſu Rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus deſiderabilis.
Quando cor noſtrum viſitas,
Tunc ei lucet veritas,
Mundi vileſcit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Ieſus auctor clementiæ,
Totius ſpes lætitiæ,
Dulcoris fons & gratiæ,
Veræ cordis deliciæ.
Ieſu decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
Jn ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.
Deſidero te millies,
Mi Ieſu, quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando ſaties.
Cuius guſtus ſic afficit,
Cuius odor ſic reficit,
Jn quo mens mea deficit,
Solus amanti ſufficit.
Tu fons miſericordiæ,
Tu veræ lumen patriæ,
Pelle nubem triſtitiæ,
Dans nobis lucrum gloriæ.
Te cæli chorus prædicat,
Et tuas laudes replicat;
Ieſus orbem lætificat,
Et nos Deo pacificat.
Jeſus in pace imperat,
Quæ omnem ſenſum ſuperat:
Hunc mea mens deſiderat,
Et eo frui properat.

Hic ille S. Bernardi Rythmus eſt*, incipiens, *Jeſu dulcis memoria*, &c. quem cæteris longè præſtare Cardinalis Bellarminus cenſet, in lib. de ſcript. Eccleſ. vbi de S. Bernardo.

* Integra ſerie hîc cùm nô retulimus, ſtudiô breuitatis: at præcipuos dûtaxat modulos expreſſimus, cæteris interſectis, abſque tamen ſenſus aliqua diuiſione, vel parenti contextus hiatu.

Appoſitè ad hæc S. Auguſtinus lib. 1. *De ſerm. Domini in monte* cap. 2. *Beati pacifici* (inquit) *in ſemetipſis, qui omnes animi motus componunt, & rationi, id eſt menti & ſpiritui ſubiiciunt: beati qui carnis concupiſcentiis edomitis, regnum fiunt Dei, in quo ita ſunt ordinata omnia, vt id quod eſt in homine præcipuum & excellens, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiiſque communia. Atque id ipſum quod excellit in homine id eſt mens, & ratio ſubiiciatur potiori, quod eſt ipſa veritas, vnigenitus Filius Dei. Ne-*

que

que enim imperare inferioribus poteſt, niſi ſuperiori ſeipſe ſubiiciat. Et hæc eſt pax quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis: hæc vita conſummati perfectique ſapientis. De huiuſmodi regno pacatiſſimo & ordinatiſſimo miſſus eſt foras princeps huius ſæculi, qui peruerſis inordinatiſque dominatur. Hac pace intrinſecùs conſtitutâ atque firmatâ, quaſcumque perſecutiones ille qui foras miſſus eſt, forinſecùs concitauerit, auget gloriam, quæ ſecundùm Deum eſt, non aliquid in illo ædificio labefactans, ſed deficientibus machinis ſuis innoteſcere faciens, quanta firmitas intus extructa ſit à Deo.

Neque enim homo in ſeipſo talem poreſt habitationem pacis conſtruere; ſed in eo poteſt, de quo dicebar Apoſtolus, *omnia poſſum in eo qui me confortat. Quanta fiduciæ vox?* (ait Sanctus Bernardus ſermone octogeſimo quinro in Cantica.) *Omnia poſſum in eo qui me confortat; nihil omnipotentiam verbi clariorem reddit, quàm quod omnipotentes facit omnes qui in ſe ſperant. Denique omnia poſſibilia ſunt credenti, an non omnipotens cui omnia poſſibilia ſunt? ita animus ſi non præſumat de ſe, ſed ſi confortetur à Deo Verbo, poterit vtique dominari ſui, vt non dominetur ei omnis iniquitas. Ita inquam Verbo innixum, & indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla iam illecebra poterit vel ſtantem deiicere, vel ſubiicere dominantem.*

* Scitè ideò iuxtáque piè ac verè S. Auguſtinus dixit, Epicureos nullã aliam ſibi felicitatem proponere, quàm voluptatem; Stoicos in virtute ſola ſummũ bonum conſtituere: at verò Chriſtianos nullam niſi in Dei gratia credere ſitã eſſe beatitudinem. In tract. de ſectis Philoſophorum c. 7.

Sed vt aſſequatur tantum bonum, quid quæſo cum Dei gratia, induſtriæ & operæ conferre non debet, quiſquis eſt veræ felicitatis amator? *Dei adiutores ſumus*, ait Apoſtolus 1. Cor. 3. 9. quamobrem enitendum eſt pro virili, eius cooperari gratiæ, cui deeſſe, perire eſt; parere, regnare eſt. Chriſtus factus nobis eſt à Deo non ſolùm redemptio, ſed & ſapientia & iuſtitia, & ſanctificatio 1. Cor. 1. Redemptio in merito, ſanctificatio in gratia, ſapientia in conſilio, iuſtitia in exemplo; factus eſt enim nobis ſapientia in prædicatione, redemptio in paſſione, ſanctificatio in iuſtificatione, denique ipſa iuſtiria in conuerſatione. Vbinam enim eſt vera prudentia, niſi in Chriſti doctrina? vbi vera fortitudo, niſi in eius paſſione? vnde vera iuſtitia, niſi in eius gratia? vbi vera temperantia, niſi in eius vita? tota enim vita Chriſti in terris per hominem quem geſſit, diſciplina morum fuit; *Omnia ſiquidem bona mundi Chriſtus* (ait S. Auguſt. lib. de ver. relig.) *contempſit, quæ contemnenda docuit; & omnia mala ſuſtinuit quæ ſuſtinenda præcepit, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis infelicitas timeretur.* ideóque meritò ait * quidam, poſtremi huius æui non poſtremus ſapiens,

* Auguſtinus Thuan. libello ſac carm. *Homo tota vita triſtis.*

Quid mihi vobiſcum eſt inſanæ gaudia vitæ?
Iam potiùs, menti mœror amice veni.
Rex inſit ſapiens, luctu lachrimíſque ſonantem,
Quàm dapibus feſtam, præſtat adire domum.
Admonet & Chriſtus, cui luctus triſtis amaro
Semper ad extremum vita peracta diem.
Nam vitam morti, quod proximus ille datura,
Hoc tota vita, turba caduca ſumus.
Quotidie morimur, primóque à carcere vitæ

Mors tacitô properans incipit ire pede.
Hinc animi veſani æſtus, hinc agmine facto
Morborum ignaris irruit omne genus.
Gaudia falſa breuis nunc ergo faceſſite vitæ,
Et vacuæ requies mentis, amórque ſui.
Triſtitias, odiúmque ſui, morſúſque doloris
Æternæ pandunt limina lætitiæ.
In cruce ſuffixus nobis ad ſydera Chriſtus
Sternit iter; ſapiens, hoc duce, carpe viam.

Quando itaque veniam, & apparebo ante faciem Domini? ad audiendum eum in bonitate electorum ſuorum, ad lætandum in lætitia gentis ſuæ, vt laudetur cum hæreditate ſua? quando videbo ciuitatem illam, de qua dictum eſt; plateæ tuæ Ieruſalem ſternentur auro mundo, & in te cantabitur canticum lætitiæ, & per omnes vicos tuos ab vniuerſis dicetur, Alleluia. O ciuitas ſancta! ciuitas ſpecioſa, de longinquo te ſaluto, ad te clamo, te requiro; deſidero enim videre te, & requieſcere in te, ſed non ſinor carne retentus. O ciuitas deſiderabilis! muri tui, lapis vnus, cuſtos tuus ipſe Deus, ciues tui ſemper læti, ſemper enim gratulantur in viſione Dei. Hæc Hugo à S. Victore tractatu ſuprà citato de ſpiritu & anima c. 60. qui paſſim Sancto Auguſtino tribuitur, & inter eius opera cenſetur; tametſi Trithemio iudice non ſit eius, ſed iſtius Hugonis, qui ſui æui alter Auguſtinus promeruit appellati.

CAPVT V.

SEV QVINTVS GRADVS.

Frequens Confeſſionis & Communionis vſus.

AD ſedandas animi paſſiones, carníſque illicitos motus, nihil eſt tam efficax, quàm corporis & ſanguinis Domini pia deuotáque perceptio. * *Sedat enim* (rectè vt docet Sanctus Cyrillus Alexandrinus capite decimo-ſeptimo libri quarti in Ioannem) *cùm in nobis habitat Chriſtus, ſæuientem membrorum noſtrorum legem; pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit; ægrotos curat, colliſos redintegrat, & ſicut paſtor bonus, qui animam ſuam pro ouibus poſuit,* ab omni nos erigit caſu. Idipſum S. Chryſoſtomus notat in Pſalmum vigeſimum ſecundum ad hæc verba, *Paraſti in conſpectu meo menſam aduersùs eos qui tribulant me. Qui ſunt iſti* (inquit) *qui nos tribulant? ſuggeſtiones inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates, ſæculi honores, iſti tribulant, quia qui ita viuunt, tribulationes carnis habent; ſed veniunt ad menſam potentis, conſiderantes ea quæ apponuntur eis accipere cum timore & tremore, & tribulationes efficiuntur conſolationes: auferuntur ea quæ ſunt carnis; infunduntur ea quæ ſunt ſpiritus, & ex menſa præparata proficiunt contra eos qui tribulant eos.* Vnde

* Κατευνάζει γὰρ ἐν ἡμῖν γενόμενος ὁ Χριστὸς τὸν ἐν τοῖς μέλεσι τῆς σαρκὸς ἀγριαίνοντα νόμον, καὶ ἀναζωπυρεῖ μὲν τὴν εἰς Θεὸν εὐλάβειαν, ἀπονεκροῖ καὶ τὰ πάθη, θεραπεύων ὡς νενοσηκότας, καταδεσμῶν τὸ συντετριμμένον, ὡς ποιμὴν ἀγαθὸς, καὶ τὴν ἑαυτοῦ τιθεὶς ὑπὲρ τῶν προβάτων.

quæſo tantus ardor ſpiritûs, tantus zelus, tanta ad patiendum pro Chriſto quæque extrema promptitudo, animíque alacritas in primitiua illa Eccleſia exarſit, niſi ex crebra & pia Sacramenti huius diuini ſuſceptione? *Erant omnes perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis & orationibus.* Act. 2. 42. Quâ ex Apoſtolorum ſcholâ prodiens ignitus ille Martyr Ignatius, ſic Epheſios hortabatur: *date operam, vt crebriùs congregemini ad Euchariſtiam & gloriam Dei: quando enim ſæpiùs in idem loci conuenitis, labefactantur vires Satanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita reſiliunt.* Quotidie fideles communicabant in Africa adhuc S. Cypriani tempore, vt ipſe teſtis oculatus enarrat ſerm. 6. ſuper orationem Dominicam. Quanta verò hinc vtilitas à fidelibus perciperetur, ipſemet S. Martyr & Pontifex expertus docet tractans de Natiuitate Domini: *Sacramentorum communicatio* (inquit) *per quam Chriſti corporis ſynceritati vnimur, nos in tantum corroborat, vt de mundo, de Diabolo, & de nobis ipſis victoriâ potiamur.* Totum pectoris & animi robur, quo Martyres, tam fortiter, quàm feliciter pro Chriſti fide & gloriâ decertarunt, ex hoc deriuatum fonte ipſe S. Cyprianus agnoſcit, & demonſtrat ep. 54. Obſeruatum eſt autem luculenter, quò magis hic Eccleſiæ primæuæ mos intepuit, eo magis ardorem ſpiritûs, charitatis ignem, ſanctitatémque omnem refrixiſſe.

Audiendus hîc quidam ſæculi noſtri Hieremias in ſuo Zodiaco Chriſtiano. *Hic omnes* (inquit) *cacodæmonis aſtus & conatus mirificè deſudant. Hoc agit, hoc laborat impigrè veterator, vt à frequenti Euchariſtiæ vſu quamplurimos retrahat: & quos ille non ponit obices? quæ non fingit impedimenta? quot obſtacula molitur? nunc fidei dubia ingerit: vbi non auditur, fucatam reuerentiam perſuadet, aut maiorem in ea guſtum, ſi rariùs fiat; nunc plurimorum conſuetudinem in exemplum trahit, qui etiam boni Chriſtiani ſint, licèt hic infrequentes. Modò ſermones hominum & dentes opponit, modò molem negotiorum. Iam inuſitatas euagationes animi, angores conſcientiæ, iam inimicitias & alterna inflammat odia: hinc aridam reddit mentem, & ab omni cœleſti ſenſu exſuccam. Iſti præparationem efficit moleſtam, difficilem, tædio plenam: in alium totos variarum cogitationum exercitus immittit, vt vel ſic viam intercludat, ad diuinum hoc epulum: ſunt quos neſcio quô religionis prætextu decipit, vt ſaltem differant, quod non cenſent omittendum; ita mille fucos facit, & tricas tricis nectit malignus impoſtor: ita de die in diem confeſſionis & communionis Sacramentum differtur, ita mora moræ nectitur, propoſitum propoſito adiungitur, & dies alius poſt alium conſtituitur; ita hebdomades eunt, & menſes, & anni, cùm ad Chriſtum nonniſi rariſſimè, & ferè inuiti, & coacti venimus. O Chriſtiani! Quæ glacialis rupes, quod lethale frigus pectora veſtra conſtringit, vt ſic refugiatis amæniſſimum hunc ſolem? Non aduertitis hoc meras eſſe technas cacodæmonum, qui omnem diuini amoris ignem in nobis cupiunt extinctum, vt hôc animi peſſimô frigore obrigeſcentes, viuamus velut mortui, pereamus in ſordibus, nec in illam viuorum regionem perueniamus.* At qui perſeuerantes Chriſtum amant, nihil magis quàm ſæpe cum Chriſto eſſe deſiderant, vt veriſſimè dixerit Caſſiodorus: *Inaudita eſt dilectio, quæ amicum amat, & præſentiam eius non amat.* At ſi non mouet eò nos Chriſti

amor, ſaltem impellat propria vtilitas, immortalitatis alimoniam proponens Chriſtus, *Si quis manducauerit* (inquit) *ex hoc pane, viuet in æternum:* & hoc ipſe voluit qui dedit iſtud ſanctiſſimum Sacramentum non tantùm adorandum, ſed & manducandum, vt cibum: cibô identidem repetitô vitam tuemur corporis, alioquin ab inſito nobis calore conſumendi. Cibô etiam frequentiùs ſumptô animæ ſeruanda eſt vita, aliter ab impuro concupiſcentiarum æſtu peſſimè depaſcendi: ideò Innocentius III. Papa ſapienter monet, cauendum eſſe, ne ſi nimiùm huius Sacramenti ſumptio differatur, mortis periculum incurratur. Quod monitum mutuatus videtur ex dictis S. Hilarij à Gratiano relatis de Conſec. diſt. 2. *Tremendum eſt, ne diu abſtractus à corpore Chriſti, alienus remaneat à ſalute; qui peccare quieuerit, communicare non deſinat.*

Ioan. 6.

Hàc ex regula facilè diſſidium conciliari poteſt, quod nuper de frequenti Communione efferbuit: qui enim contendunt, non facilè admittendos ad tremendorum myſteriorum participationem peccatores ſuis in reatibus inueteratos: non negant ſi ſeriò conuertantur, & fructum proferant pœnitentiæ, cæleſti hac alimonia refocillandos eſſe, túmque confirmatâ ſenſim animæ valetudine ad Communionem frequentem admitti poſſe; imò fatentur debere inuitari ad diuinæ menſæ conuiuium. Qui verò frequentem Communionem ſuadēt (quam in vſu fuiſſe Apoſtolis, Martyribus, & quotquot hactenus SS ab ortu fidei extiterunt, nemo prudens, ſciénſque rerum in Eccleſia geſtarum inficias ierit) eam non ſic vſurpari volunt, vt promiſcuè omnes pro libito, ſine vlla debita præparatione, accedant ad *doni* huius *cæleſtis* (ſic vocat Euchariſtiam Apoſtolus) communicationem: at vt idem vas electionis monet, priùs ſe probent expurgéntque, túmque ſeriò factâ exomologeſi, diuinâ hâc eſcâ reficiantur: nunquam enim eſſe communicandum in peccati præſertim lethalis ſtatu, aut affectu. Cùm Dominus, ad innuendum, quàm purâ mente Euchariſtia ſumi debeat, Diſcipulorum etiam ſuorum, quos mundos ſciebat, lauerit exterſeritque pedes, ne vel minimæ ſordes eorum hærerent veſtigiis, quibus ad myſterium quô nihil eſt purius & ſanctius, progrediendum erat. Verùm cæteris paribus, vbi nullus obex officit, congruáque adeſt diſpoſitio, melius eſt crebrò communicare, quàm rarò; ex frequenti ſiquidem eiuſmodi Communione colligi peculiares fructus, quibus non fruuntur, qui abſtinent à frequenti Euchariſtiæ vſu, quanquam ex motiuo humilitatis & reuerentiæ id faciant.

Heb. 6. 4.

Cæterùm hîc diſtinctionem afferendam cenſeo inter Communicantes. Sunt ſiquidem vel Laïci, vel Clerici, aut Religioſi. De Laïcis, maximè coniugatis S. Hieronymus in ea eſt ſententia, vt quotidie non communicent, vltróque abſtineant à panis cæleſtis eſu, his potiſſimùm diebus quibus vſi ſunt coniugali commercio. *Probet ſe vnuſquiſque* (ait in apologia ad Pammachium pro libris in Iouinianum ſcriptis) *& ſic ad corpus Chriſti accedat, non quòd dilata communionis vnus dies aut biduum ſanctiorem efficiat Chriſtianum, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear; ſed quòd dum doleo me non communicaſſe corpori Chriſti, abſtineam me pauliſper ab vxoris amplexu, vt amori coniugis amorem Chriſti præferam.* Ita San-

ctus Hieronymus. De cæteris Laïcis qui negotiis ſæcularibus impliciti ſunt, ſic etiam ſentiendum, imò quidem maiori iure, quandoquidem Apoſtolus, vxorati viri, vel coniugatæ mulieris vicem minùs felicem vbi ſe deſignat arbitrari, iis hoc nomine condoleat præſertim, quòd diuiſi ſint, & neceſſe habeant ſibi vtrimque complacere. *Volo autem vos*, (inquit 1. Cor. 7.) *ſine ſollicitudine eſſe.* Non dimouet igitur coniuges ab menſæ cæleſtis acceſſu, ob ipſum coniugalem amorem, qui Chriſti in Eccleſiam dilectionis ſacramentum eſt: ſed ob ſollicitudinem temporalium, quam matrimonium ſecum importat. Enimuerò ſubiungit: *Mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu; quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis iniiciam, ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Impedimentum itaque affert Communioni matrimonium, non ex parte Sacramenti, ſed curarum & ſollicitudinum, quæ ipſo ex coniugio emergunt, ſeu potiùs ex ſollicitudinibus, & anxietatibus rei domeſticæ, vel ſæcularium negotiorum, quæ ſtatum ipſum comitantur.

Tametſi, ſi penitiùs mentem Apoſtoli rimari licet; ipſa coniugalis copula nonnihil afferat impedimenti: cùm ſpiritualibus officiis, maximè verò orationi (quo nomine potiſſimùm ipſa communio Euchariſtiæ comprehenditur) rite & decenter quiſpiam coniugatus incumbere non poſſit, niſi de ſuæ partis aſſenſu. Ait enim, *Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu, ad tempus, vt vacetis orationi.* Vbi cùm dicit, *ad tempus*, perſpicuè innuit, ſe non exigere, imò neque velle vt coniugati quotidie communicent, at certis tantùm diebus, putà Dominicis & ſolennioribus, quibus decet coniuges à mutuis abſtinere complexibus; & rebus diuinis corde vno & anima vna inſiſtere.

Hâc de cauſa atque conſimili S. Thomas Theologorum apex, cùm iuxta communem Patrum ſententiam, optabilius eſſe decerneret, vt omnes quotidie ſacræ fierent menſæ participes: demum hoc moderamine ſententiam temperauit: ſed quia multoties in pluribus hominum (quorum non eſt eadem ætas, idem ſexus, idem ſtatus, eadem diſpoſitio) multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem vel animæ, non eſt vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere, ſed quotieſcumque quis ſe ad hoc inuenerit præparatum 3. p. q. 68. a. 10. ſed curam adhibere ſedulam vnuſquiſq; pro ſua conditione debet, vt conuenienti tempore, & loco præparetur. Auctor libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, qui extat inter opera Sancti Auguſtini tom. 3. ac laudatus à Sancto Thoma loco citato, conſulit vnicuique fidelium, proinde etiam coniugatis, vt ſingulis Dominicis diebus accedant ad ſacram ſynaxim, cap. 53. *Omnibus Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor; ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Quod fuit itidem conſilium Caſſiani collat. 23. cap. 21. vbi cùm conſuetudinis meminiſſet Aſcetarum quorumdam, qui ex Sacramenti reuerentia ſemel tantùm in anno communicabant, (Sanctus Chryſoſtomus eius magiſter,

fuiſſe in eremo quoſdam commemorat, quos nec probat hom. 27. in epiſtolam ad Hebræos, poſt biennium duntaxat communicantes) continuò ſubiungit, Multò iuſtius eſt, vt cum hac cordis humilitate quâ credimus, & fatemur illa ſacto-ſancta myſteria nunquam pro meritô nos poſſe contingere, ſingulis ea Dominicis diebus ob remedium noſtrarum ægritudinum præſumamus, quàm vt vanâ perſuaſione cordis elati, vel poſt annum dignos eorum parricipio nos eſſe credamus. Sanctus Auguſtinus motoſas has dilationes nuſquam probat, etſi quaſdam toleret ex humiliraris affectu & puriratis ſtudio. Nam perſtringit tract. 27. in Ioannem Orientales quoſdam, qui ſæpe non communicabant. Et hom. 42. ac 50. hortatur quoſque fideles, vt Euchariſtiam, quam animarum eſſe panem quotidianum inſinuat, frequenriùs ſumant; vt verò fructuosè ſumere poſſint, curenr in fide & bonirate vitæ perſeuerare: eóque tandem ſapientiſſimorum Theologorum recidit ſententia, vt ſuadeant cuique fideli cum diſpoſitione præuia communicare ſingulis diebus Dominicis, & maioribus anni feſtiuitatibus. Hoc modo enim ſatis congruè proſpectum iri cenſent, & fructui animarum, & debitæ tanto Sacramento reuerentiæ.

At de Clericis alia ineunda eſt ratio; ſi enim de Sacerdotibus ſermo ſit, valde conſentaneum eſt eorum ordinis officio, atque Eccleſiæ antiquis moribus, vt diebus ſingulis, ſacris operentur: Apoſtolorum mos hic erat, quemadmodum ex eorum Actis patet, & ſignatim ex paſſione Sancti Andreæ; cuius ad Æneam vox illa memorabilis, alto præconio ab Eccleſia celebratur: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus eſt, immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum ſanguinem, ſed immaculatum agnum in altari; cuius carnem poſtquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui ſacrificatus eſt integer perſeuerat & viuus.* Quem morem quotidiani ſacrificij etiam in Græcia tempore Sancti Chryſoſtomi adhuc viguiſſe, euidenti argumenro eſt, hæc eius ad Laïcos ex Sacerdotum perſona expoſtulatio, homil. 3. in epiſtolam ad Epheſios: *In aliis quidem temporibus ſæpenumerò, neque cùm mundi eſtis acceditis, in paſchate verò, etiamſi quid temerarium ſit à vobis commiſſum, nihilominus acceditis. O conſuetudinem! ô præſumptionem! Fruſtrà habetur quotidiana oblatio, fruſtrà ſtamus ad altare: nemo eſt qui ſimul participet.*

Sed inferiores Clericos quod ſpectat, certum eſt, etſi non quotidie, (vt celebrat Sacerdos) eos debere ad communicandum impelli; debere tamen, & decere vt longè frequentiùs quàm ſolent Laïci, diuini altaris parricipes efficianrur; nam iis impedimentis carenr, quibus Laïci implicantur: & doribus iis prædiri eſſe debent, quibus Deo vt magis affines ſunr, poſſint eſſe accepriores: vnde Apoſtolus ſic Timotheum admonet, in quo Clericum quemcumque docet ac inſtituit: * *Tu ergo fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Ieſu: & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere. Labora ſicut bonus miles Ieſu Chriſti. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus* **, *vt ei placeat cui ſe probauit.* Ab infimo Clerico vſque ad Sacerdotem, Eccleſiaſtici omnes gradus ad miniſterium altaris, & Eucha-

* 2. Timoth. 2.

** Conc. I. Matiſcon. ſub Pelagio II. an. 581. celebratum c. 11. *Epiſcopi, Presbyteri, vel vniuerſi honoratiores Clerici cùm ſublimi dignitatis apice ſublimentur, actibus omnino renuncient ſæculi, & ſacro electi miniſterio repudient carnale conſortium,* &c.

riſtiæ ſacrificium ordinantur, in cuius confectione (vt Patres & Theologi ſummo conſenſu docent) ſuprema ordinis reſidet poteſtas; ideóque munera ſingulorum circa huius ſummi myſterij verſantur actionem; vel enim ad eius præparationem ſpectant, vel ad conſecrationem, ſiue diſpenſationem. *Oſtiarius* aperit Eccleſiam fidelibus, & claudit infidelibus, campanarum pulſu populum ad ſacrificium vocat, vt ei in ipſius initiatione ab Epiſcopo præcipitur. Sic *Lector* cùm diuinas legit Scripturas, ad tanti myſterij notitiam & cultum auditores diſponit. *Exorciſta* expellit dæmones, vt purificatæ animæ fiant altaris participes: qui non communicant, monet ex officio, vt diſcedant, & aquam in miniſterio fundit. *Acolythus* fert ad myſterij reuerentiam accenſa à ſe luminaria: vinum & aquam ad ſacrificij celebrationem miniſtrat, quemadmodum ipſi Epiſcopus eius in ordinatione iniungit. *Subdiaconus* porro, qui ſacros inter ordines cenſetur, ideò aſtringitur voto continentiæ, vt ſacrificio interſit ac inſeruiat maiori corporis & animi puritate: totus verò in eius miniſterio occupatur: *Oportet enim Subdiaconum* (vt in eius ordinationis forma præſcriptum eſt) *aquam ad altaris miniſterium præparare, Diacono miniſtrare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem & patenam in vſum ſacrificij eidem offerre, de oblationibus* (id eſt de panibus propoſitionis, qui ad conſecrandum diſponuntur) *quæ veniunt in altare, tantùm in altari ponere, quantùm populo ſufficere poſſit:* hæcque omnia munera quæ ad tremendum myſterium pertinent, quàm nitidè & diligenter complere. *Diaconi*, qui præcipuus eſt in ordine miniſtrante, totum ad hoc ſpectat officium, vt immediatè miniſtret Epiſcopo, vel Presbytero celebranti: vnde ab Epiſcopo cùm ordinantur Diaconi vocantur *miniſtri & cooperatores corporis & ſanguinis Domini; ad cuius participationem vt diſponant animas, baptizant, prædicant, legunt Euangelium in ipſo ſacrificio*, cui præcipuo loco poſt Sacerdotem interſunt (vnde pridem altare *Diaconium* dicebatur *:) nec ſolùm iuuare in diuina actione celebrantem, at etiam Euchariſtiam ex commiſſione diſpenſare eiuſdem ius ac munus eſt. Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Clericis c. 13. ex antiqua Eccleſiæ politia hoc inter cætera recenſet. *Primò*, inquit, *Diaconorum fuit ſacrificanti Sacerdoti aſſiſtere, ac miniſtrare, & diſtribuere populo Euchariſtiam.* Secundò, *tempore ſacrificij Euangelium legere*; tertiò, *baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Euchariſtiam deferre, & præbere Laïcis infirmis*, modò Presbyter non adſit, vt exceptum ſignatim reperi in Concil. I. Nicæno can. 14. ſicut notâſſe memini in myſtico noſtro Paulo, Ritu 2. cuius eſt inſcriptio, *Portare myſterium fidei in conſcientia pura, ſpeciale Diaconorum ex diſpenſatione Apoſtolica munus eſt.*

* Vide quam ſuperiori anno edidimus Panopliã Epiſcopalem, lib. 5. p. 346. & 347.

* Vide lib. noſtrum de myſt. Gall. Scriptorib. in Paulo Apoſt. Ritu 21. p. 116.

Cæterùm de Sacerdotibus maioribus (qui ſunt Epiſcopi) vel ordinis ſecundi, Presbyteris videlicet, non eſt hîc accuratiùs diſſerendum: quorum, vt præcipuũ munus, ſic poteſtas ſumma & dignitas, honórque ſupremus eſt diuinam Euchariſtiam conſecrare: quamuis enim Epiſcopi ipſos Presbyteros ordinent, ipſíſque poteſtatem remittendi peccata, vt conficiendi ſacrificium, Deo dante impertiantur, vtraque tamen hæc pote-

ſtas ad ſummum illud omnium munus refertur, ſicut ad finem vltimum: remiſſio enim peccatorum ideò fit, vt animæ purgatæ ab omni reatûs inquinamento, aptæ efficiantur ad incruenti ſacrificij participationem. Conſecratio hoſtiæ fit ad oblationem & diſpenſationem, in quibus diuinis actibus tota Eccleſiaſtica poteſtas perficitur & conſummatur. Non datur *plus vltrà*. Quicquid enim aliud agit Preſbyter, vel etiam Epiſcopus, longè eſt infra hoc opus, quod *omnium diuinorum diuiniſſimum* S. Dionyſius ideò rectè appellat. Igitur à minimo Clerico (vt liquidò hâc ex inductione patet) vſque ad Sacerdotem & Pontificem, omnes ad myſterij Euchariſtiæ celebrationem, miniſterium, diſpenſationem & cultum ordinantur. Tonſurati etiam, licèt ſimplices Clerici, ad id rationem habent & relationem, quandoquidem ad hoc ſegregantur à populo, & in ſortem Domini adſciſcuntur, vt ex iis miniſtri altaris deligantur & fiant; ſuóque pro gradûs officio, ſacrificij huius adorandi muneribus applicentur.

Quamobrem cùm propterea Deus hôc miniſtros ſuos inſignierit honore, vt tale tantúmque myſterium perenni miniſterio tractent, celebrent ac venerentur; *In hoc enim* (ait Sanctus Chryſoſtomus hom. 60. ad popul. Antioch.) *omnis eorum dignitas repoſita eſt, omnis ſecuritas omníſque corona;* Profectò nihil magis in votis habere debent, quàm hoc ipſum venerabile Sacramentum purè, ſanctè, ac frequenter ſumere, vt quò fonti omnis gratiæ propiores ſunt, eius ex plenitudine vberiùs hauriant ſpiritualia dona & auxilia, quibus Chriſti participatiône digniores ſemper euadant, beatæque immortalitatis (cuius Sacramentum iſtud pretioſum pignus eſt) præmium, maiori gratiæ & virtutis ac meriti copiâ conſequantur.

Orationibus inſtantiores eſſe Clericos cæteris fidelibus, Eccleſia rectè decreuit, ideóque curarum, & ſollicitudinum huius ſæculi, ponderis eſſe expertes: ieiuniis etiam pluribus eoſdem exercitari pridem præcepit; ſic enim ſtatutum legimus in Concil. I. Matiſcon. ſub Pelagio II. Papa, & Chilperico Rege ann. 581. can. 9. *Vt à feria S. Martini vſque ad natale Domini ſecunda, quarta, & ſexta Sabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari; in quibus diebus canones legendos eſſe ſpeciali definitione ſancimus, vt nullus ſe fateatur per ignorantiam deliquiſſe.* Quod de Clericis conſtitui ex antecedenti canone & ſequenti, planè eſt inſpicienti perſpectum. Sicut porrò orationi & ieiunio (ſine quo nec ordines regulariter celebrantur) Clericos ſanxit Eccleſia attentiùs, & ampliùs quàm Laïcos inſiſtere: ita & cæteris pietatis intentos magis eſſe exercitamentis voluit, præſertim verò diuini ſacrificij participationi.

Canon 10. prælaudati Concilij I. Matiſconenſis, huius eſt intentionis ſanctæ matris Eccleſiæ, patenti argumento; ſic enim habet: *Vt Preſbyteri, Diaconi, vel quolibet ordine Clerici, Epiſcopo ſuo obedienti deuotione ſubiaceant, & non alibi dies feriatos, niſi in obſequio illius liceat tenere aut celebrare; ſed ſi quis per quamcumque contumaciam aut per cuiuſcumque patrocinium, hoc facere fortaſſe diſtulerit, ab officio regradetur**. Sed vnde tantus diſciplinæ rigor? Maximè in primæ claſſis Clericis, qui ſcilicet ex matricula

* *degradetur.*

tricula ſunt principantis Eccleſiæ, dictæ iam vulgò Cathedralis? Nempe quòd Epiſcopo ſacris operanti conſpicuis Eccleſiæ feſtiuitatibus, ob decorum religionis, non ſolùm aſſiſtere Clericos exigeret ipſa pietatis ratio, ſed etiam ſuo ipſos exemplo mouere fideles ad cæleſtis menſæ acceſſum, quos etſi non permouerent, nihilominus cùm eſſent myſtici corporis membra præcipua, iure meritò oportebat ſuo capiti tum maximè coadunari, ſacríque altaris non ſolùm intereſſe officiis, ac communicare myſteriis: cùm dona ſua Spiritus Sanctus affluentiùs ſuper Eccleſiam diffundit, ac illo ex benedictionis fonte, quem Deus in Euchariſtia conſtituit, copioſi gratiæ latices in omnes vbertim erumpunt ac dimanant, qui aquam vitæ ſitiunt, quíque ad fluenta æternitatis oues dominici gregis haurienda perducere, credito ex officio obſtringuntur.

Solenne eſt decretum Anacleti, relatum *de conſecrat.* diſt. 2. *Peractâ conſecratione omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus.* At vix vnquam in omni Eccleſia hoc decretum ſeruatum fuit. Cenſet Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Miſſ. cap. 10. §. *Reſpondeo,* intelligi tantùm de Clericis: *Decretum,* inquit, *Anacleti, ſi epiſtola eius conſulatur, & non ſolùm fragmentum quod eſt apud Gratianum, ſolos obligat Clericos Epiſcopo in diebus ſolennibus ſacrificanti ſolenniter miniſtrantes.* Addere liceat ſacris quibus operatur aſſiſtentes, vt fert etiamnum mos ferè generalis Eccleſiæ Gallicanæ.

Quin quoties Miſſa etiam priuatim celebrabatur, vniuerſalem fuiſſe conſuetudinem in Occidente, vt Clerici qui Preſbytero miniſtrabant, diuinis participarent muneribus, Humbertus Cardinalis qui ſub Leone IX. ritus Latinæ Eccleſiæ contra calumnias Nicetæ Græci, cognomento Pectorati, ſtrenuè ac doctè propugnauit, non obſcurè ſubindicat dum ſcribit incompletam cenſeri Miſſam in qua non ſimul fieret conſecratio, fractio, ſeu diſtributio, & communicatio, cùm enim de Laïcis id accipi nequeat, intelligi de Clericis, qui Sacerdoti reſpondebant, oportet; ſine quorum ope & præſentia, Preſbyterum celebrare vetat canon Soteris Papæ, *Hoc quoque;* de conſec. diſt. 1. Et ſanctio Concilij Nannetenſis, quam refert Iuo part. 3. decret. cap. 70. Ad quem ſenſum vſúmque quidam reuocant peruiam phraſim illam ſacræ liturgiæ, *quotquot ex hâc altaris participatione ſumpſerimus; & Sacramenta quæ ſumpſimus.*

Quicquid ſit, non dubium hoc in more Eccleſiæ poſitum iam olim fuiſſe vt differret communio Clericalis à laïca: hæc enim poſtrema infligebatur pridem Clericis in pœnam alicuius grauis delicti, ablatâ eis communione Clericali: cuius ritus & politiæ monimento ſunt præter epiſtolam 1. Syricij Papæ, & primam itidem Felicis III. vetuſtiſſimi Concilij Eliberitani c. 76. quô Diaconus poſt ordinationem conuictus de admiſſo ante promotionem ſcelere, actâ quinquennij pœnitentiâ, permittitur accipere communionem laïcam: & Concilij Sardicenſis can. 2. quô Epiſcopus qui per fraudem & ambitum mutauerit ſedem, dignitate non ſolùm abdicatur, at exſors communionis, vſque ad

mortem: tum demum impertiendus communione laïcâ; quin & Concilij Agathenſis can. 50. qui ſic habet; *Si Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus capitale crimen admiſerit, aut chartam falſauerit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus in monaſterium detrudatur, & ibi quamdiu vixerit, laïcam tantummodò communionem accipiat:* qui canon ſeriatim refertur diſt. 50. c. *ſi Epiſcopus.* Sunt verò qui non parum in diſquirendo laborant, quatenus communio laïca differret à Clericali, hæcque ab illa diſtingueretur? ſunt qui velint communionem illam quâ plecti Clerici ſolebant de graui aliquo ſcelere conuicti, dictam fuiſſe laïcam, quòd rei ſic peracti Clerici eam ſumerent inter laïcos; in loco nimirum templi inferiore, & poſt Clericos cenſuræ omnis expertes, ita vt laïca tantùm diſtingueretur à Clericali, tempore & loco, quòd videlicet Clerici priùs & intra ſacrarium, Laïci poſteriùs, & extra inſigniorem locum communicarent. Alij in ritibus ſacris peritiores arbitrātur pœnam illam indictam Clericis ſontibus eam fuiſſe, quòd communicantibus aliis Clericis ſub vtraque ſpecie cum Sacerdote, ipſi vt meri laïci prohiberentur à calice Domini, & cogerentur cum populo vnam duntaxat ſpeciem ſumere. (vide Bellarmin. l. 4. de Euch. c. 24.) Verùm cùm vtriuſq; ſpeciei vſus permiſſus fuerit populo, etiam diu poſtquàm in Eccleſia aduersùs grauiter delinquentes Clericos pœna communionis laïcæ prætactis ſanctionibus decreta fuit, hinc opus eſſe videtur alia diſtinctione. Duplex mihi occurrit; prior, népe quòd rariùs laïci, quàm Clerici, communicarent; neque eodem habitu, gradu & loco, modóque quo Clerici ſacrificanti Epiſcopo vel Preſbytero aſſiſtentes, diuina ad munera ſolerent admitti: altera ex his verbis S: Hilarij in libello quem cùm eſſet Conſtantinopoli, ipſe Conſtantio Imperatori tradidit, ante medium, elici poſſe videtur: *Vt ſi indignum aliquid non modò Epiſcopi ſanctitate, ſed etiam Laïci integritate geſſiſſe docear, non iam Sacerdotium per veniam expectem, ſed intra pœnitentiam Laïci conſeneſcam.* Igitur communio laïca quâ Clerici ob graue crimen plectebantur, nihil aliud erat quàm deiici de Clericatu, & reiici inter plebem, non quidem puriorem, ſed inter laïcos pœnitentes vſque ad ſenectutem. Cæterùm parum refert ſi quis hanc etiam interpretationem ratam minùs habeat; quicquid ſit enim, ſi ad præſentis temporis mores antiqua verba canonum fas eſt accommodare, de Clerico non ſine ingenti dedecore ac infamia dici poteſt illum parum eſſe deuotum, *communione enim tantùm laïca ipſum vti*; id eſt vitâ laïcâ viuere, nec magis de ſalute ſua, & Clericalis nominis honore, odoréque famæ eſſe ſollicitum, quàm ſunt ſæculares toti immerſi mundi nugis atque negotiis. rarò ſiquidem communicare, ſed tantùm abhorrere à ſacris myſteriis, quantùm deliciis carnalibus, mundíque pompis, & operibus Sathanæ, quibus abrenunciauit in baptiſmo, ſuáque in promotione ad Eccleſiaſticam militiam, medullitùs oblectari.

Hîc non ineptè referri poteſt quod Marcus Antonius Genuenſis Epiſcopus Montis Marini, in laudem S. Caroli Borromæi, & frequentis celebrationis Miſſæ ab Epiſcopo obeundæ commemorat in Manuali Paſtorum quod Paulo V. nuncupauit, c. 12. cuius eſt titulus, *de obligatione Epiſcopi celebrandi Miſſam*, vbi prolatis exemplis S. Ambroſij, & Sancti

Caſſij Epiſcopi Narnienſis, à S. Gregorio hoc nomine in Dialogis laudati, S. quoque Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi & Martyris, nec non S. Ludouici Epiſcopi Toloſani, continuò ſubnectit; *Sed ex modernus S. Carolus Borromæus Miſſæ ſacrum quotidie facere nunquam omiſit, niſi morbi neceſſitate, eáque non quavis, ſed graui coactus eſſet; alióſque ad hanc conſuetudinem * eius exemplò induxerat*(ita) *vt cùm fœmina quædam alium Epiſcopum, alterius Sacerdotis Miſſæ frequenter intereſſe vidiſſet, percunctata fuerit, num ille Epiſcopus à celebratione Miſſæ eſſet interdictus.* Si ſeriis aliquando ludicra admiſcere licet, alludere rei ita geſtæ non nefas fuerit; nunquid enim cùm paſſim Clerici, præſertim nobiles & diuites in Laïcorum turba diebus Dominicis aut feſtis diuinæ ſynaxi interſunt (nam ferialibus diebus vix templum ingrediuntur) nec accedunt ad ſacra myſteria; iure poſſet Laïcus quiſque percunctari, an Clerici iſti, qui de Chriſti patrimonio viuunt, ab eius ſint ſacra menſa ſecluſi, præciſi à pretioſo corpore, obque graue aliquod ſcelus vinculo quodam excommunicationis innodati? Quid enim aliud poſſet eis eſſe obſtaculo non videmus, cùm feriati ſint à ſæcularibus negotiis, manualíque operâ & labore, quibus nos Laïci obicibus, ne ita frequenter vt optamus, & ſalutare nobis foret, ad menſam Domini, vbi vitæ panis apponitur, accedamus, paſſim conſtat præpediri; exemplô ſaltem hos nobis præire par eſſet, quô ad frequentiorem diuinæ communionis vſum extimularemur: at remoram potiùs iniiciunt ſua tarditate & incuria: hoc enim iſtorum faſtidio & receſſu à ſacra menſa non ſolùm ſcandalô afficimur non modicô, at hôc ipſo peſſimo exemplo ab ipſo ſacrificio frequentando nonnihil dimouemur. * Suo.

Extat in Concilio Agathenſi iam memorato memorabilis canon contra Clericos contumaces & tardos ad officium, ſerie 2. qui ſic habet, *Contumaces verò Clerici* (prout dignitatis ordo permiſerit) *ab Epiſcopis corrigantur: & ſi qui priorus gradus elati ſuperbiâ communionem fortaſſe contempſerint, aut Eccleſiam frequentare, vel officium implere neglexerint, peregrina his communio tribuatur; ita vt cùm eos pœnitentia correxerit, reſcripti in matricula gradum ſuum dignitatémque ſuſcipiant.* Relatus eſt autem hic canon in ius commune Eccleſiæ *can. Contumaces* diſt. 50. At verò ſi gradu deiicerentur, & inter vagos Clericos, & interdictos cenſerentur: quotquot hodie Clerici, officium implere negligunt, Eccleſiam frequentare non curant, & ſacram communionem contemnunt: bone Deus! quantus horum numerus foret? Affluit Eccleſia Gallicana innumeris Clericis, ſed potiore longè turbâ delicatulis, ad mundi genium accuratim expolitis, cenſu Eccleſiæ locupletibus, crine calamiſtrato, cute nitida, hilari facie, habitu ſplendido, geſtu aulico, planéque inceſſu ac apparatu ſæculari; à quibus ſi fortè quæras quotulis vicibus per annum, officium Clericatûs obeant, eluant conſcientiæ labes, cæleſtem animæ ſumant alimoniam? Certè vel elingues prorſus repereris præ pudore, vel irâ ſuccenſos in te nonnihil, ob importunæ huius ſciſcitationis curioſitatem, protinus experietis. Quos tamen hîc monitos velim, ſibimet ipſis potiùs ſuccenſeant, ob propudioſam illam & exitioſam ſalutis ſuæ incuriam; ac

magis eſſe ſtudeant ſuæ profeſſionis memores, nec pigeat moniti huius recordati, quod Clerico incuſſit dudum Sanctus Hieronymus, & obliuioni nunquam pio à Clerico tradi debet: *Clericus qui Chriſti ſeruit Eccleſiæ* (id eſt vt miniſtret in Clericali officio, ordinatus eſt) *interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur. Si enim κλῆρος Græcè, Latinè ſors appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt; qui autem vel pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, vt & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino;* hoc autem nullo meliori pacto fieri poteſt, quàm crebrâ & deuotâ Euchariſtiæ ſuſceptione; dicit enim ipſe Dominus Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in eo. Sicut miſit me, viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, ipſe viuet propter me.* Qui igitur ſalutifero hoc ex eſu viuit, quò magis eo fruitur, potiori gaudet vitâ: ad hoc enim ſe nobis quotieſcumque ad diuinam hanc menſam accedimus, Dominus communicat, vt nobis vitæ ſpiritus infundatur, quin & vita gratiæ in nobis augeatur; dicit enim ipſe Chriſtus Ioan. 10. 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant;* vt vitam habeant per fidem, & abundantiùs habeant per charitatem: vitam habeant gratiæ in hôc ſæculo, & gloriæ in futuro; quin iam in iſto, in gradibus vitæ, per ſuam mecum coniunctionem proficiant; auget enim Euchariſtia piè ſumpta in anima gratiam, iuxta oraculum Dauidis Pſal. 137. *Multiplicabis in anima mea virtutem:* ideò priſci fideles cùm pergerent ad Dominicam ſynaxim, dicere ſolebant, *imus ad vitam.* Sic igitur ambuletis vt abundetis magis, quemadmodum Apoſtolus ait ſcribens ad Theſſal. 1. epiſt. c. 4.

Cæterùm ad vſum tectum & ſalutarem crebræ Communionis obſeruandum, plurimùm Clericis conferre poteſt hæc Sancti Baſilij parænesis, & praxis memoriâ digna: *Communicare* (inquit ad Cæſaream Patritiam) *per ſingulos dies, & participare de ſacro corpore & ſanguine Domini, pulchrum eſt & valde vtile, ipſo manifeſtè dicente, qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam. Quis enim ambigit quin frequens vitæ participatio, nihil aliud ſit quàm pluribus modis viuere? Nos idcirco quater ſingulis hebdomadis communicamus, in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in paraſceue, & in Sabbato, ac in aliis diebus, ſi qua memoria fuerit alicuius Sancti.* At in hoc dierum delectu & numero, viri pij & prudentis iudicium ſequendum eſt, nec iuuenis Clericus proprio iudicio in re tanti momenti fidere debet. Directorem igitur habeat, qui ei præſcribat modum, & ordinem quem ſequatur. Gratum enim longè magis erit Deo quicquid faciet ex magiſtri ſpiritualis præcepto aut monitu, quàm quod proprio ex genio, & propenſione aggredietur.

CAPVT VI.

SEV SEXTVS GRADVS,

Auditio, & Meditatio verbi Dei; interiùs, exteriúſque loquentis.

LOQVERE Domine quia audit ſeruus tuus. 1. Reg. 3. 10. Tribus modis contingit Deum nobiſcum loqui, vel bonis cogitationibus nobis in animum immiſſis, vel piis Concionatorum ſermonibus, vel tacitâ ſacrorum voluminum voce, de qua ſuprà, vbi de lectione ſacra dictum fuit. De voce interna Dei & externa, eiúſque ſedula attentione ac meditatione, hîc igitur ſupereſt differendum.

Duas habet Deus ſcholas, in quibus animas alloquitur atque docet; altera eſt publica, altera ſecreta; in hac potiſſimùm diſcipulos exigit, non argumentantes, ſed auſcultantes inueniri; ſilentes enim, non loquentes ſpiritus Dei deſiderat auditores; vnde illud Prophetæ Thren. 3. 27. 28. *Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia: ſedebit ſolitarius & tacebit:* huc ſpectans S. Ambroſius ſerm. 2. in Pſal. 118. *Feriatus ab omni interpellatione mundanæ ſollicitudinis & voluptatis, diuinis vacabit oraculis, quæ ſolent ſingulariter ſedentibus reuelari.* Et infrà; *Reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebunt, quia à iuuentute ſua iugum verbi ſuſcipiendum putauit.* Vbi *iugum verbi* appellare videtur non ſolùm onus diuini verbi exequendi, ſed etiam ſtudium auſcultandi: de quo mirè diſſerit auctor Theodidactus libri de imitatione Chriſti lib. 3. c. 1. inſcripto, *De interna Chriſti locutione ad animam fidelem.* Et cap. 2. *Quòd veritas intus loquitur ſine ſtrepitu verborum.* Et cap. 3. *Quòd verba Dei cum humilitate ſunt audienda, & quòd multi ea non ponderant.* Hos acriter reprehendit S. Bernardus ſerm. de ſeptem ſpiritibus. *Quanta,* inquit, *temeritatis, imò quantæ inſaniæ eſt, ſi fortè dum alloquitur nos Dominus Maieſtatis, nos inſenſati auertimus aurem, & ad neſcio quas ineptias conuertimur? Quanta eſt hæc iniuria, & quàm grauiter vindicanda, cùm viliſſimus vermis clamantem ad ſe audire dedignatur creatorem vniuerſitatis? Quanta verò, & quàm ineffabilis diuinæ dignatio bonitatis, quæ quotidie nos conſpicit infelices, auertentes aures, obturantes corda, & nihilominus clamat ad nos, &c. in latitudine charitatis, &c. Felix & beata anima quæ venas ſuſurri diuini percipit in ſilentio, frequenter iterans illud Samüelis; loquere Domine quia audit ſeruus tuus.* Idem porrò huius diſciplinæ ſcientiſſimus magiſter, quendam Thomam iuuenem à Deo internis vocibus ſollicitatum de ſua conuerſione, & mundi contemptu ac fuga ſic hortatur, & impellit epiſt. 107. *Tu, ô chariſſime, huic voci Dei tui, dulciori ſuper mel & fauum, ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito, & vacante interno ſenſu dicas & tu cum Samüele: loquere Domine, quia audit ſeruus tuus; vox hæc non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico, ſecretum conſilium, ſecretum quærit auditum; animalis homo ad hoc ſecretum ne-*

quaquam admittitur, ſiquidem ea non percipit quæ ſunt Spiritus Dei. Beati qui audiunt. Amicus qui ſponſi eſt, ſtat & gaudio gaudet propter vocem ſponſi: vnde & loquitur Cant. 5. anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.

Loquitur enim ad cor, iuxta illud Oſe. 2. 14. *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius:* cur potiùs ad cor, quàm ad aures? vel ad alium externorum ſenſuum (nutibus enim & ſignis mentem aperimus) aut internarum animæ facultatum? apud Hebræos, in Halc. *Magaſce, Hakarelonoth*, c. 5. n. 2. dicunt Magiſtri, eum qui vouit vnum tantùm membrum animalis in ſacrificium, debere illud ſolum membrum: at ſi vouerit cor, animal totum deberi Deo, quia vita in corde eſt; ideò Deus ſolum cor in homine quærit, & ab eo petit; *Fili mi præbe mihi cor tuum.* Prou. 23. 26. quia cor eſt inſtar totius hominis, cùm igitur Deus ad cor loquitur, loquitur ad animam, intimáſque eius in potentias ſe diffundit, totúmque tam interiorem, quàm exteriorem inſtruit hominem; quam vim diuinæ elocutionis totum afficientem hominem ſublimi verborum apparatu inſinuat Apoſt. Heb. 4. 12. *Viuus eſt ſermo Dei* (inquit) *& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis.*

Num diſcretor dumtaxat & cognitor? inſuper, quoad bonas cogitationes, & veram ſapientiam, inſpirator & auctor. *Inſpiratio enim omnipotentis* (Iob 32.) *dat intelligentiam: & ſapientia* (increata ſcilicet, Verbum patris) *filiis ſuis vitam inſpirat*, reſpiratio propria eſt corporis, inſpiratio autem animæ: viuunt Angeli ſiquidem, & rationales animæ inſpiratione Verbi, quâ viuificantur & illuminantur, iuxta illud; *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum:* hi enim ſine luce Verbi non viuunt, non ſapiunt; hâc verò illuſtrati, & vitâ Dei animantur, & ſcientiâ Verbi potiuntur. Sed rectè ait Sanctus Auguſtinus tract. 26. in Ioan. poſt init. *Da amantem, & ſentit quod dico, da deſiderantem, da in iſta ſolitudine peregrinantem, atque ſitientem, & fontem æternæ patriæ ſuſpirantem, talem da, & ſcit quod dico.* Verùm quid ſcit, & quomodo ſcit? S. Bernardus qui ſciens loquitur, adæquatè reſpondet ſerm. 78. ſup. Cant. *Deum in opere noſtræ ſalutis tria conferre potiſſimùm, prædeſtinationem, creationem, & inſpirationem; prædeſtinationem eſſe actum ſapientiæ, creationem potentiæ, inſpirationem charitatis & amoris, quâ de ſponſi ſpiritu, humanis ſpiritibus quippiam infunditur.*

Ioan. 1. 4.

Ad hoc ſpectat oraculum Domini de ſpiritus ſui in ſuos Diſcipulos immiſſione, & illapſu Ioann. 16. 13. *Cùm venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis;* quaſi diceret, quod de meo accipiet dabit vobis, vóſque docebit ipſe, per ſeipſum quæcumque vera ſunt, & neceſſaria vobis, & vtilia ad ſalutem; quæque ad Patris, & mei ipſius conferunt gloriam, cultum, honorem & amorem; in rebus enim gerendis erudiet, in afflictis conſolabitur, in dubiis confirmabit, in certaminibus armabit vos cæleſti virtute; omnia denique ſuppeditabit vobis munimenta & documenta, quibus opus erit. Neque enim ſolùm adiuuabit infirmitatem ve-

ſtram, ſed omnem ignorantiæ expellet caliginem, intellectúmque ipſum peccati tenebris obſcuratum illuſtrabit, luce ſuæ viſitationis, & inſpirationis pace & bonitate voluntatem, ſapientia & veritate mentem implebit.

Scriptum eſt in Prophetis (ait Dominus Ioan. 6.) *& erunt omnes docibiles Dei:* Locus eſt apud Iſaiam c. 54. verſ. 13. in originali *limude adoni:* Græcè διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, id eſt *docti à Deo;* Ioas Rex doctus fuit à Ioiada, fecítque rectum (ait ſacer textus 4. Reg. 11.) coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Ioiada Sacerdos. Ab Elia Eliſeus fuit inſtructus; Baruch à Ieremia, Ioſue à Moyſe, cuius & ſucceſſor in prophetia eſſe promeruit Eccleſ. 46. *Primus diſcendi ardor* (rectè ait S. Ambroſius lib. 2. de virgin. ſub init.) *nobilitas eſt magiſtri.* Ceſſit Timotheo magnæ felicitati quòd Pauli fuerit diſcipulus: Polycarpum beat Irenæus lib. 3. cap. 3. qui à Ioanne edoctus, Smyrníſque doctor viræ renunciatus fuit: decus eſſe Clementis non poſtremum agnoſcit Tertullianus, quòd è Petri ſchola prodierit ad primæ ſedis regimen: Cyprianus ipſum Tertullianum ſe magiſtrum habere gloriabatur: Hieronymus ſibimet nonnihil gratulatur hoc nomine quòd felici ſorte obtigerit Gregorium Nazianz. ſacris in litteris habere præceptorem. Sed parum hoc eis omnibus profuiſſet, niſi Spiritus Sanctus iis præfuiſſet ipſis eorum magiſtris, quódque alios docerent eoſdem docuiſſet; imò diſcipulos intus illuſtrâſſet ſuo lumine & afflatu. *Niſi enim hic intus doceat, inanis eſt omnis ſtrepitus humanæ vocis,* ait diuino prorſus acumine S. Auguſtinus *, factus ab ipſo ſpiritu, non modò S. Ambroſij auditor, ſed diuinæ veritatis diſcipulus & amator, præcipuúſque Eccleſiæ Catholicæ doctor ac magiſter.

* *Ad illa verba S. Ioannis.* Vnctio eius docet vos de omnibus, 1. *ep.* 2. 24.

Verùm fortè obiiciet hîc nonnemo, quòd talem erudierit diſcipulum Spiritus Sanctus, non adeò mirum; ſed mirum eſt valde quòd tam paucos promoueat ad ſapientiæ Chriſtianæ lauream, diuinus hic pædagogus. Promiſſio enim Dei erat Iſa. 54. quam confirmauit Chriſtus Ioan. 6. *Erunt omnes docibiles Dei.* Nunc verò videmus, proh dolor! Chriſtianos quibus facta eſt hęc promiſſio, longè maximâ parte viarum ſalutis eſſe prorſus ignaros, adeóque rudes in Dei cognitione & cultu, vt meritò pudeat illos Chriſtianos nominare, cùm nihil minus quàm Chriſtiana quid ſit religio calleant; principiorum fidei ſummam neſciant, legis diuinæ, & Eccleſiaſticæ præcepta ignorent, Sacramentorum ferè omnis expertes ſint notitiæ. Patres Baptiſmum paſſim illuminationem vocant, vt pote in quo diuinâ gratiâ renatis, infunditur fidei lumen: vnde igitur tanta cæcitas baptizatis? non Laïcis modò, ſed & Clericis quibuſdam, quos ſi de catecheſi interrogaueris, planè repereris mutos & elingues; porrò rerum ſæculi nequaquam imperitos, ſed apprimè nugarum eius ſcientes & gnaros, vt non immeritò iis improperare poſſis quod horum ſimilibus dudum Apoſtolus exprobrabat; *Cùm deberetis eſſe magiſtri propter tempus, rurſus indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei, & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo;* Hebræorum 5. 12.

Peruidit hanc quæſtionem, eámque breuiter ac ſolidè diſſoluit Car-

dinalis Toletus in commentariis ſuis eruditiſſimis ſup. Ioan. c. 6. verſ. 45. *Quæret aliquis* (ait) *quare dictum ſit omnes docendos & illuminandos eſſe, cùm non omnes illuminatos videamus? reſpondendum eſt, ſicut reſpondimus in illa 1. capitis ſententia, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: omnibus enim doctrinam & lumen paratus eſt Dominus communicare, niſi vitia eorum impedimento ſint.* Quia vt rectè & appoſitè ait Sanctus Chryſoſtomus hom. 7. in Ioan.* *Omnibus lux iſta diuina lucet, quantum ex ſe eſt, quòd ſi aliqui non illuminantur, non ex lucis defectu, ſed ex ipſis procedit.*

* φωτίζει πάντα ἄνθρωπον, τό γε εἰς αὐτὸν ἧκον. εἰ δέ τινες ἑκόντες τοὺς τῆς διανοίας ὀφθαλμοὺς μύσαντες, οὐκ ἠθέλησαν παραδέξασθαι τοῦ φωτὸς τούτου τὰς ἀκτῖνας, οὐ παρὰ τὴν τοῦ φωτὸς φύσιν ὁ σκότος ἐκείνοις, ἀλλὰ παρὰ τὴν κακουργίαν τῶν ἑκόντι ἀποστερούντων ἑαυτοὺς τῆς δωρεᾶς.

Non igitur de ſolis Apoſtolis, ſed de omnibus Chriſtianis quotquot futuri erant, illa Chriſti intelligenda eſt promiſſio, *Erunt omnes docibiles Dei;* quia illis omnibus diuino munere data eſt fides, lumen ſcilicet animarum, quod abſque differentia ſexus, generis, conditionis, omnes illuſtrat, docet ac dirigit, qui donô Dei filij lucis effecti ſunt. Verùm *fides inexercitata* (ait S. Ambroſius in Pſal. 118.) *langueſcit.* Perit verò in iis qui impietate ſua ipſum hoc lumen ſibi gratis à Deo infuſum extinguunt, de quibus ait Apoſtolus 1. Timoth. 1. *fidem & bonam conſcientiam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Ad hos non eſt miſſus Spiritus Sanctus, cui obnitendo contumeliam fecerunt; ſiquidem Apoſtolis promittens Dominus ſpiritum veritatis, *quem mundus*, inquit, *non poteſt accipere*, Ioan. 14. 17. Proinde nec ab eo diſcere veritatem: vt quid? nempe ſubiungit ipſe Chriſtus, *quia non videt eum, neque ſcit eum*, non videt lumine naturali, non cognoſcit lumine ſpirituali: non amat, quia non nouit, nec noſcere poteſt, quia mundus ipſe (quo nomine mundani homines, increduli, & vitiis dediti intelliguntur) immundus eſt; ſoli verò mundo corde Deum vident fidei lumine, & videbunt lumine gloriæ. Apoſtoli ita comparati erant, quibus ait Dominus, *Et vos mundi eſtis*, Ioan. 13. 10. quamobrem *cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*, Ioan. 14. 17. etenim interiùs vobiſcum conuerſabitur perſeueranter, conſolando, docendo, inſtruendo; lumen ſupernaturale intellectui infundendo, & voluntati veſtræ pios aſpirando impulſus, ſpirituales & ſalutares excitando motus; *Loquetur enim vobis ad cor.*

Vide S. Chryſoſt. hom. 74.

I.
Quis docet?

Animarum æſtimandam inde excellentiam S. Hieronymus cenſet, quòd earum tutelæ & defenſioni, proprius cuique Angelus diuino nutu deputetur. *Magna* (inquit lib. 3. comm. in Matth. ad cap. 18.) *dignitas animarum, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis, in cuſtodiam ſui, Angelum delegatum;* ſed quantò maiori honoris faſtigio animarum dignitas attollitur, quòd ipſe eas docere, & regere dignatur Spiritus Sanctus? *Erunt omnes docibiles Dei;* non Moſis, non Angeli à quo Moſes legem accepit, ſed Dei ipſius; perſonæ in diuinis huius, quæ aliarum duarum eſt amor & dilectio, cuius proinde notionalis operatio, eſt infundere charitatem, háncque ſupereminentem docere ſcientiam, ſine qua ipſa non proficit fides, ſpes verò deficit, & nihil efficit omnis alia cognitio ad ſalutem.

Redeo ad S. Ambroſij inſigne pronunciatum: *Primus diſcendi ardor, nobilitas eſt magiſtri.* Abiens in cælum Chriſtus, qui nos ſua morte pepererat,

retat, rediuiuus viuificauerat, relinquere orphanos nos noluit; prouidere nobis voluit de præceptore ac magiſtro, ac tali & tanto, quo maiorem ipſemet neque pater dare potuit, *Spiritus* (inquit Ioan. 14.) *quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit*. Quiſnam, quæſo, ille eſt ſpiritus? ſpiritus veritatis, ſpiritus ſalutis, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, ſpiritus fidei & pulchræ dilectionis & ſanctæ ſpei, ſpiritus bonitatis & manſuetudinis, humilitatis & compunctionis, puritatis & caſtitatis, vnitatis & conſolationis, charitatis & pacis, ardoris & amoris: ſpiritus qui eſt donum & promiſſio patris; ſpiritus adoptionis filiorum Dei; ſpiritus fons ille regenerationis, ſpiritus Dei digitus, qui eiicit dæmonia: ſpiritus principalis animas viuificans, & confortans corda; ſpiritus mundum arguens de peccato & de iuſtitia & de iudicio; ſpiritus ad pœnitentiam excitans; ſpiritus ſalutares nobis lachrymas poſtulans gemitibus inenarrabilibus; ſpiritus omnem habens virtutem; ſpiritus infundens gratiam & miſericordiam, omnia documenta ſalutis ſuggerens, omnia dona diſtribuens vnicuique prout vult; ſpiritus ſuauis, ſuper mel dulcis; ſpiritus fortis & potens, imò omnipotens, qui adiuuat infirmitatem noſtram, in quo omnia poſſunt quos ipſe confortat; ſpiritus bonus deducens nos in viam rectam, in terram bonam; ſpiritus ſignaculum electionis, & pignus hæreditatis noſtræ, fons renouationis & ſanctificationis, ſpiritus vitæ, ſpiritus ſalutis & gloriæ. En qui docet. At quos docet, quæris?

In veritate comperi (ait Chriſti amoris Vicarius, Simon Bariona, filius columbæ, id eſt Spiritus Sancti filius, ſic enim de Petro exponit Hieronymus lib. 3. comm. in Matth. ad cap. 16.) *quia non eſt perſonarum acceptor Deus*. Non ambit Spiritus Sanctus diſcipulos, vt ſæculi huius ſapientes, qui pauperes erudite deſpiciunt, ſolos admittunt magnates & nobiles. At Doctor ille cæleſtis neminem propter generis obſcuritatem, aut rerum inopiam ſua à diſciplina repellit, imò paſſim admittit ac prouehit ſummum ad ſapientiæ & ſanctitatis faſtigium, puſillos, ignatos & minùs in mundo ſpectabiles. *Conſidero Patres noui & veteris teſtamenti* (ait Sanctus Gregorius ſup. Ezech.) *Dauid, Danielem, Amos, Petrum & Paulum, & Matthæum; & apertis oculis fidei intueor. Implet namque Spiritus Sanctus puerum citharœdum & pſalmiſtam facit; implet abſtinentem puerum & iudicem ſenum facit. Implet paſtorem armentarium, & prophetam facit. Implet piſcatorem, & principem Apoſtolorum facit. Implet perſecutorem, & doctorem gentium facit; implet publicanum, & Euangeliſtam facit. Quàm ergo inſani ſumus, qui hunc ſpiritum non quærimus; imò non ſuſcipimus ſe nobis offerentem*, atque ad nos qualeſcumque ſimus ſumma beneuolentia venientem? reprobatos iri ait Apoſtolus (Heb. 10.) quotquot *ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt*. Principi ad ſe mira dignatione venienti, grauem irrogat iniuriam, quiſquis accedenti non occurrit; magis verò qui pulſantem ad oſtium repellit, aut iam excludit ingreſſum. Sic profectò contem- II. Quoſnam docet?

nunt Spiritum Sanctum, qui eius inſpirationes paruipendunt, eius internos ſupprimunt ad bonum impulſus, aſſiduiſque ipſius ad pœnitentiam, & ſalutem ſollicitationibus indurato corde, & obſirmato ad repulſam animo refragantur. Tales ij erant, quibus, ipſo Spiritu Sancto plenus Stephanus primus Chriſti purpuratus teſtis, clamans ſed amans improperabat, *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis, ſicut patres veſtri, ita & vos*, Act. 7. 51. Tangente ſiquidem Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, inſpirationem illam homo abiicere poteſt (ait Oecumenicum Concilium Tridentinum, ſeſſ. 6. cap 1.) ſed qui abiiciunt eos Spiritus Sanctus deſerit ac reiicit, damnat ac reprobat, iuxta illud Iſaiæ cap. 63. *In dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi, ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt Spiritum Sancti eius*, (filij ſcilicet, à quo etiam Spiritus Sanctus dimanat) *& conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos.* Sed non ponentibus obicem gratiæ Dei, eius ar ſitientibus aduentum, & præſentiæ petentibus lumen, vltrò ac libenter ſeſe communicat Spiritus Sanctus, qui ideò per ipſum Prophetam ait cap. 66. ſe non quærere cedrinas domos, gemmea vaſa, auréaque triclinia ad quieſcendum, ſed appetere cor purum & mentem humilem: *Cælum mihi ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum; quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus quietis meæ? omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* En characterem animarum quas diligit Spiritus Sanctus, ad quas reſpicit & accedit, in quibus habitat, & diffundit ſuorum chariſmatum influxus, ſuæque ſapientiæ lumina expandit. Nihil me magis rapit in admirationem quàm tenellæ virgines, fortéſque illæ puellæ, quæ in fidei conflictu de ſapientum huius ſæculi ſuperbia, haud minùs quàm de tyrannorum ſæuitia, & cruciatuum acerbitate triumphârunt; quibus enim armis debellârunt orbis in ſe coniurati vires, tormentis ac torquentibus fortiores euaſerunt? quâ ſcientiâ, & doctrinâ Sophiſtarum argumenta refregerunt? Venenatis ſuadelis, & acutis ſophiſmatibus puellæ dudum in extremo conflictu pro Chriſti fide, & gloria prælians, conſtantiam labefactare contendebant quidam argutores; qui cùm fruſtrà id conari ſe cernerent, diræ necis paratæ metu terrere illam demum cœperunt. At illa quâvis marmoreâ aut æneâ columnâ immotior, *Agite*, inquit, *quicquid vultis, quia ſecura ſum de Chriſto meo: vrite, ſecate, mergite, membratim diſcerpite ſi vultis; à Chriſti lege, cultu & amore, nec viua nec mortua potero diuelli.* Quis, quæſo, tantum inermis puellæ pectori robur indiderat? quis doctrinæ huius, quæ mundi ſapientiam tanto faſtu deſpiceret, tantóque patiendi æſtu mortem ipſam floccipenderet, eius præcordiis theoremata adeò ſolida, certa, & conſpicua impreſſerat? niſi igneus ille ſpiritus, qui omnes quos replet ardentes ſimul, & loquentes facit? ſic inſedit Luciæ Syracuſanæ Virgini, quam cùm Paſchaſius Præfectus

nec precibus, nec minis ad cultum idolorum poſſet perducere, imò tantò magis accenſam videret ad celebrandas Chriſtianæ fidei laudes, quantò magis ipſe à ſententia diuertere conabatur: *Ceſſabunt*, inquit, *verba cùm ventum fuerit ad verbera.* Tum virgo: *Dei ſeruis deeſſe verba non poſſunt, quibus à Chriſto Domino dictum eſt; cùm ſteteritis ante Reges & præſides nolite cogitare qualiter aut quid reſpondeatis, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis.* Quam cùm Paſchaſius interrogaſſet, *Eſtne in te Spiritus Sanctus?* Reſpondit, *caſtè & piè viuentes templum ſunt Spiritus Sancti*; igitur nihil refert ſexus, neque ætas, neque quævis tam debilis, vilis, & abiecta in mundi oculis conditio. In Chriſto non eſt maſculus, neque fœmina; non eſt ſeruus, neque liber; neque diues, neque pauper; non eſt gentilis aut Iudæus & Scytha: ſed omnes vnum ſunt in Chriſto, & in omnibus Chriſtus; in omnibus Spiritus Sanctus. *Dummodò enim mortificent membra ſua quæ ſunt ſuper terram* (ait vas electionis Col. 3. 5.) *deponántque fornicationem, immunditiem, libidinem, concupiſcentiam malam, & auaritiam, iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam, & turpem ſermonem; expoliantes veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum illum qui renouatur in agnitionem, ſecundùm imaginem eius qui creauit illum. Induant denique ſe ſicut electi Dei, Sancti, & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, charitatem*, &c. *Verbum Chriſti habitabit in eis in omni ſapientia abundanter. Erunt omnes docibiles Dei*, diſcipuli Spiritus Sancti. *Ioan. 6. 45.*

III. Quid docet?

Sed quiſpiam fortè poſtulabit, quid eos docebit, ſummus ille didaſcalus ac diuinus magiſter? ait Pſalmiſta, iſte eſt *qui docet hominem ſcientiam* Pſal. 93. 10. quia (ait mater Samüelis) *Deus ſcientiarum Dominus eſt.* *1. Reg. 2. 3.* At vna eſt quædam aliis ſublimiot, quam ab eo inſpiratam fote homini Pſaltes diuinus prædixit; hanc Chriſtus vnico nomine indicauit, *Docebit*, inquit, *vos omnem veritatem:* *Ioan. 16. 13.* ſiquidem ab eo vobis manifeſta fiet veritas vitæ, veritas doctrinæ, veritas diſciplinæ; inſuper veritas figuratum, veritas prophetiarum, veritas myſteriorum: prætereà veritas Chriſti dictorum, exemplorum & miraculorum: denique veritas mandatorum, promiſſorum, & præmiorum; ſic vos docebit omnia, nec docebit modò, ſed etiam donabit. Dat enim Spiritus Paracletus cùm ſe homini communicat, robur vitæ, ſcientiæ lumen, pignus ſalutis, vt ipſe reddat teſtimonium ſpiritui tuo, quòd filius Dei ſis. *Luc. 17. 10.* Robur vitæ, vt quod *S. Bern. ſerm. 2. Pentec.* per naturam tibi eſt impoſſibile, per gratiam eius non ſolùm poſſibile, ſed etiam facile fiat; lumen ſcientiæ, vt cùm omnia bene feceris te ſeruum inutilem putes, & quicquid boni in te inueneris, illi tribuas, à quo eſt omne bonum. Ecce quid docet Spiritus Sanctus. Verùm etiam ſcire iuuat, ad quid docet?

IV. Ad quid?

Suis in votis id oſtendit eximiè S. Auguſtinus dum ipſum diuinum magiſtrum in hunc modum precatur; *Sanctum ſemper opus in me ſpira vt cogitem, compelle vt faciam, ſuade vt te diligam; confirma me, vt te teneam; cuſtodi me ne te perdam.* Auctiùs explicat (meliùs enim vix quiſquam hominum, quin & Angelorum poteſt) Sanctus Bernardus: *Spiritus Sanctus*

multiplex dicitur, quia multipliciter filiis inſpiratur; conceditur enim ad vſum, ad miraculum, ad ſalutem, ad auxilium, ad ſolatium, ad feruorem: ad vſum vitæ bonis & malis communia abundantiſſimè tribuens; ad miraculum in ſignis & prodigiis: ad ſalutem, cùm toto corde (homo) reuertitur ad Dominum Deum; ad auxilium quum in omni colluctatione adiuuat infirmitatem noſtram: ad ſolatium, quum teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus: ad feruorem, quum in cordibus perfectorum, vehementius ſpirans, validum ignem charitatis accendit, vt non ſolùm in ſpe filiorum Dei, ſed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliæ gloriam reportantes: finem hunc, omnium ſummum perſpexit, notauítque S. Ambroſ. lib. 5. comment. in Lucam c. 6. *Vſque in hunc* (inquit) *te ducit, vſque ad martyrium* (ſaltem in voto) *proſequitur; ibi conſtituit beatitudinum palmam.*

V. Quomodò docet.

Qualiter verò doceat Spiritus Sanctus, egregiè declarat S. Leo ſerm. 1. de Pentec. *O quàm velox* (inquit) *eſt ſermo ſapientiæ! vbi Deus magiſter eſt, citò diſcitur quod docetur. Non eſt adhibita interpretatio ad audiendum, non conſuetudo ad vſum, non tempus ad ſtudium, ſed ſpirante vbi voluit ſpiritu veritatis, propriæ ſingularum gentium voces factæ ſunt in Eccleſiæ ore communes: ab hoc igitur die* (quo deſcendit ſcilicet Spiritus Sanctus) *tuba Euangelicæ prædicationis intonuit; ab hoc die imbres chariſmatum, flumina benedictionum omne deſertum & vniuerſam aridam rigauerunt.* Et infrà; *ad veteres tenebras abigendas nouæ lucis fulgura coruſcabant, cum micantium ſplendore linguarum, vt verbum Domini lucidum, & eloquium conciperetur ignitum; cui ad creandum intellectum, conſumendúmque peccatum, & efficacia illuminandi, & vis ineſſet vrendi.* Et verſus finem ſerm. *Per Spiritum Sanctum* (etenim) *omnis Catholica Eccleſia ſanctificatur, & anima rationalis imbuitur: qui inſpirator fidei, Doctor ſcientiæ, fons dilectionis, ſignaculum caſtitatis, & totius eſt cauſa virtutis.* Succinit Leoni Magno Gregorius Magnus in Moralib. *Porrò* (inquit) *ad faciendum bonum quod in nobis bonus Spiritus operatur, profectò monet, mouet, & docet: monet memoriam, mouet voluntatem, & docet rationem; nec minimam paleam intra cordis quod poſſidet habitaculum patitur reſidere, ſed ſtatim igne ſubtiliſſimæ circumſpectionis, & compunctionis exurit ſpiritus dulcis & ſuauis.* Hæc profectò agit in anima quam inhabitat, quam animat, quam illuminat & inflammat, quando eam docet, & loquitur ei ad cor, dummodò ſe ipſa ei præbeat audientem.

Beati qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luc. 11. talem requirit auditum qui mandat; *Audi Iſraël.* Deut. 6. talem offert, qui ait, *loquere Domine quia audit ſeruus tuus,* 1. Reg. 3. talem ſpondet, qui dicit, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Pſal. 84. Phraſis eſt ſacri codicis obſeruanda. multum intereſt, loqui ad aliquem, & loqui in aliquo; loqui cuipiam, & loqui per eum. Quando Deus aliquid promittit vel donat, dicitur ei locutus cui promiſit, vel dedit: ſic à Beata Virgine beneficium incarnationis celebratur Patribus à Deo promiſſum, & tandem impletum, *Sicut locutus eſt,* &c. *Abraham, & ſemini eius in ſæcula.* Porrò dicitur locutus per Prophetas, tanquam per ſuos nuncios & Legatos, & in hunc modum ait Zacharias in cantico ſuo, *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui*

Luc. 1. 55.

à ſeculo ſunt Prophetarum eius, Luc. 1. & in ſymbolo Eccleſia ſe credere in Spiritum Sanctum,*qui locutus eſt per Prophetas*,profitetur.Cùm verò dirigit Deus verbum ſuum, per eiuſmodi internuncios extrinſecè loquens, tunc ad eos locutus dicitur ad quos mandata ſua perferri iubet, & in hunc modum ait paſſim Moyſi, *Loquere ad filios Iſraël:* & dicit Ieremiæ, *tu ergo accinge lumbos tuos, & ſurge, & loquere ad eos omnia quæcumque præcipio tibi*. c. 1. At tunc in aliquo locutus dicitur Deus, quando interiori afflatu eum inſpirat, quando irradiat mentem, mouet voluntatem, docet memoriam, & beneplaciti ſui lumen cordi infundit: ita ſibi Angelico interuentu Zacharias Prophera inſinuat interiori voce Deum eſſe locutum: *Et dixit ad me Angelus Domini, qui loquebatur in me*, 1. 13. Et Michæas, 2. Reg. 22. 28. *Si reuerſus fueris in pace non eſt locutus Dominus in me.* Et Dauid, *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*. Quem expendens locum Sanctus Auguſtinus lib. 9. de Geneſi ad litteram, c. 2. *ait, in mente Dauid diuinam factam eſſe locutionem, interno ſcilicet alloquio.* Idem factum in ſe Abacuc innuit c. 2. verſ. 1. vbi enim vulgata editio legit *vt videatur quid dicatur mihi*, in Hebræo & Græco legitur, *in me:* quâ Præpoſitione, *in*, ſolertet Theophylactus notat deſignari differentiam diuini ſermonis ab humano; quòd hic ab extrà primum aures circumſtrepat, deinde ad mentem perueniat: diuinus intus fiat, mentíſque aures feriat & attingat. Pſal. 84. 8.

Natura in corde geminas aures collocauit, quemadmodum Anatomici docent, & Galenus lib. 6. de vſu partium, cap. 15. quas ita ait nominatas, quia vtrinque cordi, ſicut animalis capiti aures adiacent. De his cordis, imò potiùs animæ auribus intelligendum eſt hoc Domini præconium Matth. 15. *Qui habet aures audiendi audiat;* multi habent aures qui non audiunt, quia ſunt ſurdi; idem contingit in anima quod in corpore; omnes habent aures internas, aptas ad ſuſcipiendum verbum Dei; ſed plerique ſunt qui eiuſmodi aures obſtructas habent, ideóque non percipiunt diuinæ vocis affatus: his ait Dominus, Marc. 8. *Nondum cognoſcitis & intelligitis, adhuc cæcatum habetis cor veſtrum, oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis?* Nonnulli etſi hoc Chriſti oraculum ſic interpretentur, vt aures habeant quidem in corpore, careant verò auribus in mente & in corde, externa ſiquidem ſæcularíaque negotia eoſdem audire & intelligere, ſpiritualia verò nequaquam: penitiùs tamen Scripturas cuique ſcrutanti facilè patet, etiam iis qui ſurdi ſunt ad internam Dei vocem, non deeſſe aures cordis & mentis, ſed earum facultate & vſu præpediri mali affectûs obice, quô internæ auditionis aditus obturatur. Habuerat Dauid *cum infixus eſſet in limo profundi*, eiuſmodi obſtaculum in auribus cordis; ſed poſtquam ea ex fæce euaſit, internæ auditionis recuperauit vſum: quo de beneficio miſericordiæ Dei gratias agit Pſal. 39. ſiquidem vbi legimus in editione vulgata, *ſacrificium & oblationem noluiſti, aures autem adaptaſti mihi*, in Hebræo eſt, *carita, fodiſti, perforaſti*, quo verbo alluſio fit ad ſeruum, cui perforabantur aures in ſignum perpetuæ ſeruitutis & obedientiæ, Deut. 16. Exod. 21. verùm *ſeruire Deo regnare eſt*, & ipſi obedire non eſt mancipij ſed filij, non ancil-

læ, ſed ſponſæ chariſſimæ; quamobrem Spiritus Sanctus in Canticis, in amoris pignus & ſpontanei obſequij indicium, pretioſas inaures dilectæ ſibi animæ pollicetur, *Murenulas aureas faciemus tibi*, inquit, *vermiculatas argento*, Cant. 1.10. ſunt aurium ornamenta, *atque hoc propterea* (ait mellifluus Bernardus ſerm. 41. ſup. Cant.) *quia fides ex auditu; & ex illa viſus purgatio eſt, inde illud Prophetæ; audi filia & vide; videre deſideras, ſed audi prius. Gradus eſt auditus ad viſum; proinde audi, & inclina aurem tuam, ornamentis quæ tibi facimus, vt per auditus obedientiam ad gaudium peruenias viſionis; tu interim accipe murenulas aureas vermiculatas argento; aurum diuinitatis eſt fulgor; & ſapientia quæ deſurſum eſt.* Sed Bernarde! dic quæſo nobis, quomodo iſta ſapientia, quam copioſo hauſtu delibâſti, infundatur auribus interioris hominis; ſeu potiùs quatenus hæ inaures, hæ murenulæ aureæ, vermiculatæ, deargentatæ, ſponſæ auribus appendantur? *Hoc auro*, inquis, *fulgentia quædam quaſi veritatis ſignacula ſpondent ſe figuraturos, ij quibus id miniſterij eſt ſuperni aurifices, atque internis animæ auribus inſerturos. Quod ego non puto eſſe aliud quàm texere ſpirituales quaſdam ſimilitudines, & in ipſis puriſſima diuinæ ſapientiæ ſenſa animæ contemplantis conſpectibus importare, vt videat ſaltem per ſpeculum & in ænigmate quod nondum facie ad faciem valet vllatenus intueri. Diuina ſunt, & niſi expertis, prorſus incognita quæ effamur: Quomodo videlicet in hoc mortali corpore, fide adhuc habente ſtatum, & necdum propalatâ perſpicui ſubſtantiâ luminis, iam tamen interim puræ interdum contemplatio veritatis partes ſuas agere intra nos vel ex parte præſumit, ita vt liceat vſurpare etiam alicui noſtrûm cui hoc datum fuerit deſuper, illud Apoſtoli, nunc cognoſco ex parte; item, ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem diuinius aliquid raptim, & veluti in velocitate coruſci luminis, interluxerit menti ſpiritu excedenti, ſiue ad temperamentum nimij ſplendoris, ſiue ad doctrinæ vſum; continuò, neſcio vnde, adſunt imaginatoriæ quædam rerum inferiorum ſimilitudines infuſis diuinitus ſenſibus conuenienter accommodatæ, quibus quodammodo adumbratus puriſſimus ille ac ſplendidiſſimus veritatis radius, & ipſi animæ tolerabilior fiat, & quibus communicare illum voluerit, capabilior. Exiſtimo autem ipſos formari in nobis ſanctorum ſuggeſtionibus Angelorum; ſicut econtrariò contrarias, & malas ingeri immiſſiones per Angelos malignos non dubium eſt. Et fortaſſis hinc illud eſt ſpeculum atque ænigma, vt dixi, per quod videbat Apoſtolus, ex iſtiuſmodi puris pulchríſque imaginationibus Angelorum, quaſi manibus fabricatum, quatenus & Dei eſſe (quod purum & abſque phantaſia corporearum imaginum cernitur) ſentiamus, & elegantem quamlibet ſimilitudinem, qua id dignè veſtitum apparuerit, miniſterio deputemus Angelico.* Hactenùs Bernardus Theodidactus, de myſticis inauribus, & efformatione interioris auditus in anima, cui ſponſus loquitur ad cor.

Matth. 19. 11. *Sed non omnes capiunt verbum iſtud:* internum ſcilicet per illapſum ſuperni luminis, & diuinæ vocis oraculum auribus cordis infuſum; ſed ij duntaxat, quibus à Deo datur ſancta illa vnctio, quæ animas cæleſtis ſponſi amantes docet de omnibus, efficítque eius affatibus audientes & intentas. Talis Samüel qui dicebat, *Loquere Domine, quia audit ſer-*

tuus tuus; audit, id eſt credit; audit, id eſt intendit; audit, id eſt diſcit, vel diſcere gliſcit; audit, id eſt obedit; audit, id eſt audita cuſtodit; itáque concipit, vt in ſinu memoriæ retineat, in affectu cordis foueat, & tandem ore prædicet, atque opere compleat. Verùm hoc ipſum non humanum opus, ſed Dei donum & beneficium eſt, à quo id omni inſtantia pietatis depoſcendum. Sic impetrauit Propheta, qui poſtulata conſecutus, ideóque gratulabundus ac exultans ait, *Dominus Deus aperuit mihi aurem; erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum:* (Iſaiæ 50. 4.) ſpiritum ſcilicet illum veritatis intus loquentem & docentem, vt promiſit Chriſtus ſuis diſcipulis, omnem veritatem.

Cæterùm extrà Deus inſuper loquitur ad homines ſuorum præconio miniſtrorum; ex quibus dicebat is qui ab ipſo Chriſto in paradiſo fuit edoctus, atque è cælo vocatus, & miſſus ad vocandas gentes; *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos; itaque obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* hic eſt finis Euangelij pacis, quem verbi Dei Prædicatores vnicè ſpectare debent. De iis at verò, quæ in iis requiruntur, & quæ ex parte ſua verbum vitæ annunciando neceſſe eſt eos conferre, doctè & luculenter tractat Sanctus Auguſtinus toto lib. 4. de doctrina Chriſtiana tom. 3. quæ verò auditores præſtare oporteat, ibidem cap. 15. ad tria reducit, ad quæ eoſdem præparari à Concionatore, Euangelium etiam exoptat; *Agit ergo* (inquit) *cùm iuſta & ſancta & bona dicit (neque enim alia dicere debet) quantum poteſt, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur.*

PRIMO; ſicut qui prædicat verbum Dei intelligenter id debet exponere, id eſt perſpicuè, *vt ambiguitas, obſcuritáſque vitetur* (idem ibidem cap. 10.) ita & qui audit, debet audire intelligenter, hoc eſt attentè, non ſegniter nec oſcitanter: ſunt qui in Concionibus nitorem duntaxat quærunt eloquij, verborum elegantiam, oratoriam pompam, artificium inuentionis, ſuauitatem dictionis, & ne plura dicam, delectationem non ædificationem; qui ſic prædicant, oleum perdunt & operam, non enim Dei gloriam, nec ſalutem animarum, ſed auras, & rumuſculos captant famæ popularis. De eiuſmodi mundanis Oratoribus queritur Apoſtolus ad Corinthios ſcribens, 2. epiſt. 2. *Non enim* (ait) *ſumus ſicut plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſynceritate, ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur.* Quem expendens locum Sanctus Gregorius 22. Moral. cap. 17. *Adulterari* (inquit) *verbum Dei, eſt aut aliter de Deo ſentire, quàm eſt, aut ex eo non ſpirituales fructus, ſed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ; ex ſynceritate verò loqui, eſt nihil in eloquio, quàm oportet, ſcilicet & auctoris, & creatoris gloriam quærere.* Sed verò adulterantur verbum Dei, non ij ſolùm qui ſic ad quæſtum vel vanitatem prædicant placentia duntaxat populo loquentes, ſed etiam qui oblectationis cauſa audiunt, non ſalutis: ſiquidem diuino Dei verbo impiè abutuntur. De eiuſmodi perditis auditoribus, ait Dominus ad Ezechielem Prophetam, *Fili hominis, es eis ſicut carmen muſicum, quod dulci, ſuauique ſono canitur, audiunt verba tua, & non fa-*

ciunt ea. Ezechiel. 33. Nec enim confluunt vt ſalutaria monita audiant, quibus ad meliorem frugem excitentur; ſed, quia leni vultu, & ſuaui voce loqueris, ad te certatim concurrunt: haud ſecus ac ad ridiculum hiſtrionem, cuius etſi perſonam deſpiciant ſpectatores, retúmque quas agit vel dicit non curent rationem, eius tamen geſtus, & motus vocíſque lenocinio delectantur. Ita planè iſti infelices Iudæi ſe erga te habent te ludicrè audientes; quamobrem haud mirum ſi quo plus eos mones, minùs proficiunt, at in deterius perditis ſuis moribus collabuntur. Deplorat Sanctus Auguſtinus lib. 5. Confeſſ. cap. 13. & 14. hanc ſuam dudum miſeram vicem: *Ambroſium ſeruum tuum* (inquit) *non vt doctorem veri, ſed vt hominem benignum in me dilexi, & ſtudioſè audiebam diſputantem in populo, non intentione qua debui, ſed quaſi explorans eius facundiam, vtrùm conueniret famæ ſuæ, & verbis eius ſuſpendebar intentus; rerum autem incurioſus, & contemptor adſtabam, & delectabar ſuauitate ſermonis.* Non ſic ſoror Lazari Maria audiebat verbum Dei; *quæ ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius.* Luc. 10. Nec enim, vt idem Sanctus Auguſtinus obſeruat ſerm. 27. de verbis Domini, *ſuauiter tantùm audiebat verbum Chriſti dulciſſimum, at etiam intenſiſſimo corde*; vnde audite promeruit, *Maria meliorem partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Qui enim attentè, & diligenter auſcultat Chriſti verbum, ab eo paſcitur incorruptibili alimento, cùm ipſum Dei verbum ſit ſemen gratiæ, pignus gloriæ & cibus animas nutriens ad vitam æternam: *Qui enim ſermonem meum ſeruauerit, mortem non guſtabit in æternum,* ait Dominus Ioan. 8.

SECVNDÒ; libenter prætereà eſt ipſum verbum Dei audiendum; facilè enim agitur quod libenter auditur, ait in Soliloquiis Sanctus Iſidorus. In Herode quantumuis dito crudelíque Tyranno, id vſu comprobatum Sanctus Marcus, inſigni documento demonſtrat cap. 6. *Herodes,* ait, *metuebat Ioannem, ſciens eum virum iuſtum & ſanctum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat;* vocula, *&*, hîc eſt cauſalis, vt ſi diceres quia libenter eum audiebat. Quamuis Ioannes in os & faciem diceret, *Non licet tibi habere vxorem fratris tui;* quamuis in eius tyrannidem, in cædes, in auaritiam, & rapacitatem inueheretur liberè; ipſe tamen Herodes libenter eum audiebat, & eo audito multa faciebat. Econtrà Achab, ſuſtinere non poterat Michæam, illi exprobrantem ſcelera, diuinæque iræ flagella ni rediret ad cor, comminantem: *Ego odi eum* (inquit) *quia non prophetat mihi bonum, ſed malum;* tam enim vecors erat & cæcus, vt malum diceret bonum, & bonum malum; non hoc tamen ſingulare in eo fuit, nam vt ſapienter ait Sanctus Auguſtinus lib. 10. Confeſſ. cap. 23. *amant homines veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem:* hinc tamen petiti ſcientiæ ſalutis, indicium reprobationis eliciunt: ſicut prædeſtinationis ſignum eſſe notant ſtudium, & affectum audiendi verbum Dei. Abeunt hinc duo in agmina homines Chriſtiani: ſunt enim qui audito ſigno Concionis ocyùs de templo aufugiunt quàm ſi pars eius rueret; his ſimiles de quibus ſcribit Sanctus Ioannes cap. 6. *Abierunt retro dicentes, durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* alij Sancto Petro & Apoſtolis coniuncti, nihil magis

giſcupiunt quàm audire Chriſtum; cui dicenti, *Numquid & vos vultis abire?* vltrò cum Petro reſpondent, *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* *Ioan. 6. 68.*

Mens electæ animæ diuina & ſacra cupidè anhelat, ſeponi iubet negotia, ludos abrumpi, epulas etiam quandoque deſerit, ad templum, ad concionem vrget, nec excuſationes admittit; pluuium cælum non metuit, ſerenum etiam negligit, aprico & campis virentibus, & floridis, templorum fornices præponit. *Auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam,* Eccli. 31. quæ vtique certior & vberior haberi nequit, quàm à verbo Dei. *Quærit anima verbum,* (ait Sanctus Bernardus in ipſo exordio ſerm. 85. ſup. Cant.) *cui conſentiat ad correctionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, cui maritetur ad fœcunditatem, quo fruatur ad iucunditatem.* Propter has omnes cauſas quærit anima verbum; hoc cibo paſta quoties cum Ieremia * inclamat; *Inuenti ſunt ſermones tui, & comedi eos, & factum eſt mihi verbum tuum in gaudium, & lætitiam cordis mei.* Siquidem Sancto Chryſoſtomo teſte, *vti eſurire ſignum eſt valetudinis in corpore, ſic amare diuina eloquia in anima indicium maximum eſt ſanitatis. At econtrà initium recedendi à Deo, eſt faſtidium audiendi diuina eloquia: nec Deum diligit, qui eius vocem audire non appetit, eiúſque monita non eſurit.* * *Cap. 15. v. 16.*

Verùm Eccleſiaſtici plerumque hîc ſurdi ſunt. Quot quantóſque videas in hoc Ordine viros, qui vix aliquando interſint concioni? Si ab his quæſieris cur Eccleſiam concionis præſertim tempore non adeant: docti ſumus, (inquiunt) nil noui audiemus; quæ dicturus eſt Eccleſiaſtes, pluráque inſuper ſcimus. Quid tum verò? etenim quis eò peruenit doctrinæ, vt non plura neſciret, quàm didiciſſet? ſed fac omnium, mi Clerice, te eſſe doctiſſimum, & ſolertiſſimum, nec te doctiorem à concione rediturum, ita quidem omnibus antecelles intelligentia, acumine, ſolertia? ſed quid voluntas & memoria; an non mouenda illa & inflammanda: monenda iſta erit & iuuanda? memoriæ facillimum eſt falli, proniſſimum voluntati errare, niſi quotidianis ſubſidiis dirigantur, illa vt firmetur, hæc vt ab erroribus liberetur: ergo non vtile tantùm, ſed & neceſſarium eſt omnibus, conciones audire, malis vt corrigantur, bonis ne corrumpantur, ignaris vt doceantur, doctis vt commoneantur, & vt noua diſcant aut certè vetera reuocent in memoriam. *Audiens enim ſapiens, ſapientior erit:* (Prou. 1. 5.) *& intelligens, gubernacula* (vitæ & ſcientiæ) *poſſidebit.*

At excipiunt iterum docti illi homines; concionator nimis eſt prolixus: bone Deus! quàm differentem vnâ horâ de Deo, déque ſalute veſtra, Eccleſiaſtem ægrè ſuſtinetis: & interim maiorem diei partem deambulationibus, noctes confabulationibus, nugíſque inſumitis? Admonet in ſuo Timotheo omnes Eccleſiaſticos Beatus Paulus, vt inanes, & ſine diſciplina quæſtiones deuitent, quæ generant lites, inhibétque contendere verbis, quæ ad nihil valent niſi ad ſubuerſionem audientium, 1. epiſt. 2. At tota ferè nonnullorum Eruditorum huius

temporis occupatio in his logomachiis verſatur: nihil eos tædet, tempus ferè totum in curioſis quæſtionibus, in prolixis rixis, & altercationibus terere. At audite verbum Dei, vel per horæ quadrantem, longè grauius eis videtur, quàm ſi pondus ingens ſuis eſſet humeris longo itineris tractu ferendum: *Verbum Domini*, vocant *onus Domini*; cuius *iugum* tamen *ſuaue eſt, & onus ipſum leue.*

Adiiciunt tamen, nimis populariter concionator eloquitur: quamobtem eruditæ aures eum audire faſtidiunt; ſublime dicendi genus doctis placet, humile & incultum diſplicet. Sanctus Auguſtinus laudat in 4. lib. de doctrina Chriſtiana cap. 24. *ſapientis dictionis* (vt ait) *granditatem.* cui ſi ſtuderent concionatores noſtri, non modò vulgi homines, ſed doctos quoſque & eloquentes, ſua in auditoria facilè pertraherent. Sed Sanctus Auguſtinus eodem libro ſic laudat ſublime genus dicendi in quibuſdam occaſionibus, vt humile, aut ſaltem temperatum, vſu frequentius eſſe velit, vt poteò Eccleſiæ vtilius, quò ad omnium captum accommodatius. Prædicator enim ſapientibus non ſolùm, at etiam inſipientibus debitor eſt; efficíque ſtudere debet omnia omnibus, vt omnes lucrifaciat: conſulit tamen potiùs in gratiam ſimplicium ſubmiſſa elocutione vti, quàm eruditorum intuitu ſublimi dicendi genere: quo tamen ſi propter doctos qui interſunt, vel ratione materiæ, vel loci, aut temporis vtendum eſſet, prudenter proſpiciendum vt ad conuenientem modum temperetur. *Nam & in grandi genere* (inquit eodem lib. cap. 23.) *ſemper, aut penè ſemper temperata debent eſſe principia; & in poteſtate eſt eloquentis vt dicantur nonnulla ſubmiſſè, etiam quæ poſſent granditer dici*, &c. Et antea, ſcilicet c. 8. *Sed in omnibus*, inquit, *ſermonibus ſuis, primitus ac maximè vt intelligantur, expoſitores verbi Dei elaborent, ea quantùm poſſunt perſpicuitate dicendi, vt multum tardus ſit, qui non intelligat.* &c. Cæterùm quoquo modo ſeſe habeat concionator; auditores, humilitatis Chriſtianæ, quicumque ſint, memores eſſe debent; at docti maximè huius Apoſtolici axiomatis recordari, quòd *ſcientia inflat, charitas verò ædificat*, quæ certè *non quærit quæ ſua ſunt, non æmulatur, non inflatur, non eſt ambitioſa*, proinde nec ſuperba, ſed *patiens & benigna.* Eſto in ſchola Ariſtotelis, acumen & ſolertia, in Demoſthenis & Tullij peritia Rhetorices, ipſaque eloquentia præcipuo loco conſideat: in ſchola Chriſti humilitas ſummum faſtigium tenet: *Diſcite à me*, (ait Chriſtus) *quia mitis ſum & humilis corde: niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum: qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor.* Itaque in ſchola Chriſti ille doctior eſt, qui humilior: quiſquis verò adeò ſibi ſapit, vt neminem docentem niſi ſe dignetur audire, plus elationis oſtendit, quàm eruditionis: nec Chriſtianus verò cenſendus erit, qui Chriſto humilitatis doctori ac amatori propter acquiſitionem animarum, obſecundare ac aſſimilari noluerit.

1. Cor. 8. 1. & 13. 5.

Matth. 11. 29. 18. 3. Luc. 22. 26.

Sed non ſolùm docti, at indocti quique alio obducunt vmbratili prætextu ſuum à concionibus audiendis faſtidium: aiunt ſiquidem: homines ſunt Eccleſiaſtæ ſicut nos, non Angeli, imò aliqui eorum nobis deteriores: cùm igitur ipſi meliores non euadant ex frequenti Euangelij

præconio: eorum nobis inſtructio, quantumvis aſſidua, ſalutaris eſſe nequit. At contrà, nam vt non verbi auctoritas, ſic nec auditorum profectus pendet à ſanctitate prædicantis: *Dicunt & non faciunt*, (ait Dominus) attamen *quæcumque vobis dixerint, facite & ſeruate, ſecundùm opera eorum nolite verò facere.* Columba attulit Noë ramum oliuæ: panem Eliæ protulit coruus: non minùs virens fuiſſet ramus oliuæ, ſi à coruo fuiſſet delatus; nec magis candidus & ſuauis fuiſſet panis, ſi fuiſſet perlatus ore columbæ. res in ſe bona, talis per ſe manet: numiſma principis ſi ex puro puto cuſum auro fuerit, non excidit à pretio & interna bonitate, ex cuiuſvis ſcelerati contactu: *Eloquia Domini eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum, purgatum ſeptuplùm.* Pſal. 11. 7. pretioſa *ſuper aurum & topaſion*, Pſal. 118. Nihil refert itaque à quo exponantur, retinent enim ſemper valorem ſuum ex interna bonitate. Hinc Apoſtolus, etſi fateatur à nonnullis Chriſtum prædicari per occaſionem, à pleriſque verò per charitatem; *Quid enim?* (ſubiungit) *dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per* charitatem *Chriſtus annuncietur, in hoc gaudeo, ſed & gaudebo; ſcio enim quia hoc mihi proueniet ad ſalutem.* Philipp. 1. 18. Sed Clericorum eſt ſedulò ire proſpectum, vt eam morum tincturam maturè imbibant, quæ, cùm proceſſerint ætate & gradu, virtutum etiam progreſſu eos omnium in oculis præbeat ſpectabiles ac commendabiles: aſſueſcant in prima ætate concionibus frequenter audiendis (ſic teſtatur Sanctus Irenæus ſe feciſſe in pueritia, cùm eſſet Sancti Polycarpi diſcipulus & auditor: *Quæ eius documenta attentiùs*, inquit, *& ſtudioſiùs audiens deſcribebam, non in chartis, ſed in corde meo, quaque per gratiam Dei fideliter cuſtodio, & mecum ipſe ſine intermiſſione quodammodo rumino.* Studeántque referre in praxim quæ didicerint, repetitíſque virtutum actibus earum contrahere habitum; quo præditi, poſteaquàm acceſſerint per legitimos gradus ad Sacerdotium, ſi Euangelico muneri obeundo à ſuperioribus applicentur, morum ſuorum innocentiâ & integritate concilient prædicationi ſuæ maiorem auctoritatem; vt enim grauiter & verè dixit Sanctus Ambroſius: *potior Sacerdotis prædicatio, exemplum pietatis eſt.* Cæterùm, vt ait Sanctus Auguſtinus, quia Clerici ſpecialiùs ad laudem Dei electi ſunt, ipſorum eſt in omnibus populo prælucere, ſicut ad Timotheum ſuum ſcribit Apoſtolus: *exemplum eſto fidelium, in verbo & conuerſatione:* in conuerſatione quæ ſit doctrinæ conſentanea: in verbo autem, ſiue prædicando, ſiue meditando, ſiue etiam audiendo; nam non ſolùm *oportet Epiſcopum eſſe Doctorem*, at etiam, vt Martyr legit Cyprianus, & ex eo obſeruat S. Auguſtinus, *docibilem.* Quapropter non immeritò S. Hieronymus Epiſcopos reprehendit, qui audire Sacerdotes prædicantes non ferebant, ſed quaſi ſuæ dignitatis intereſſet, cogebant eos tacere: *Peſſimæ conſuetudinis eſt* (ait in epiſtola ad Nepotianum *) *in quibuſdam Eccleſiis tacere Preſbyteros, & præſentibus Epiſcopis non loqui, quaſi aut inuideant aut non dignentur audire.* Quòd ſi culpabiles Epiſcopi ſunt, qui conciones non audiunt libenter inferiorum

Matth. 23.

In actis S. Polycarpi à Ioan. Fabro Stapul. editis menſ. Ian.

1. *Timoth.* 4. 12.

1. *Timoth.* 3. 2.

* *De vita Clericorum.*

Sacerdotum: quanto maiori iure ſunt Clerici reprehenſibiles, qui nec Epiſcoporum, nec Preſbyterorum conciones frequentant, at doceri ab iis, à quibus purgari, illuminari, & perfici debent, neſcio quo faſtu quo tument, inanis vt plurimùm ſcientiæ, dedignantur. Filiis Heli ſummi Sacerdotis exprobrat in ſacris litteris Spiritus Sanctus, quòd irreligioſitate ſua redderent populum auerſum à diuino cultu. *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia retrahebant homines à ſacrificiis Domini*, 1. Reg. 2. 17. Se inſontes igitur Clerici ne reputent, qui audiendi verbi Dei neglectu, retrahunt laïcos à prædicatorum frequentia; quomodo enim laïci libenter verba diuinæ veritatis audient, à quibus auſcultandis conſpiciunt Clericos abhorrere, vel ſaltem eſſe in audiendo tardos & deſides?

TERTIÒ. cæterùm non ſufficit verbum Dei crebrò, & non illibenter audire, ſiquidem vt præfatus eſt Sanctus Auguſtinus, potiſſimùm neceſſe eſt audire obedienter, vnde in Euangelio ſimpliciter
Luc. 11. 28. cùm dicitur, *Beati, qui audiunt verbum Dei:* continuò adiicitur, *& cuſtodiunt illud;* cuſtodire, ſeruare eſt, imò ex eo facere fructum & ſalutarem prouentum. Quid deſidi illi ſeruo profuit recepiſſe talentum à domino ſuo? recepit, cuſtodiuit, ſed quia nullum ex eo fecit lucrum, (fodit in terram videlicet & abſcondit) ideò à domino talentum hoc ei ablatum fuit, atque vt ſeruus piger, & inutilis è familia eiectus eſt, Matth. 25. Animalia quæ non ruminant, ſecundùm legem immunda ſunt, nec in ſacrificium poſſunt offerri, nec aſſumi in cibum: *Leuit.* 11. *Deuteron.* 14. at quæ ruminant, & comedi licitè poſſunt, & in ſacrificium admitti: animæ quæ auido quidem auditu deglutiunt Dei verbum, citóque traiiciunt in viſcera, ac protinus eiiciunt, morbidæ ſunt & impuræ apud Deum: quæ verò monita ſalutis nōn modò aute percipiunt, ſed & in ventrem recondunt memoriæ, ſæpiùs hoc diuinum alimentum ad os cordis reuocantes, frequentíque retractatione comminuunt, hæ ſunt, quæ puræ & Deo gratæ ſunt, pabulóque ſpiritus, & vitæ ad æternam ſalutem, & felicitatem ſaginantur. Vide Sanctum Gregorium in cap. 7. Cant. & Sanctum Cyrillum lib. 7. contra Iulianum. *Beati* itaque *qui audiunt verbum Dei*, non modò intelligenter, non ſolùm libenter, ſed & obedienter; ſequitur enim, *& cuſtodiunt illud;* non dicitur, & cuſtodierunt, neque itidem & audierunt; ſed audiunt & cuſtodiunt, quia nec ſufficit audire intelligenter, libenter, ac etiam obedienter, niſi prætereà perſeuaranter. Semel concepit Virgo Beatiſſima Dei Verbum, ſemel peperit, ſed ſeruauit ſemper, conferens in corde ſuo. Rectè Beda venerabilis ad illa
Luc. 11. 27. verba piæ mulieris, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti*, referens Chriſti reſponſum; *quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud:* hoc ſubiungit corollarium: *Pulchrè ſaluator atteſtationi mulieris annuit, non eam tantummodò, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed & omnes, qui idem Verbum ſpiritualiter auditu fidei concipere, & boni operis cuſtodia, vel in ſuo, vel in proximorum

corde parere, & quaſi alere ſtuduerint aſſeuerans eſſe beatos; quia & eadem Deigenitrix, & inde quidem beata, quia Verbi incarnandi miniſtra facta eſt temporalis, ſed inde multò beatior, quæ eiuſdem ſemper amandi cuſtos manebat æterna. lib. 5. c. 49. in Luc. ad c. 11.

Præluxit forſitan Bedæ hæc ſcribenti, Sancti Hieronymi admodum memorabilis ſententia, in celebri enim illa epiſtola, quam ad Nepotianum direxit *de vita Clericorum*, vbi Sapientiam caſtiſſimæ Abiſag comparâſſet, *Amplexetur me* (inquit) *modò ſapientia, & Abiſag noſtra, quæ nunquam ſeneſcit, in meo requieſcat ſinu;* mox ſubiungit: *impolluta eſt, virginitatiſque perpetuæ, & quæ in ſimilitudinem Mariæ, cùm quotidie generet, ſemperque parturiat, incorrupta eſt.* Nunquid non hoc paradoxum videtur? ſiquidem Chriſtus vt ſemel mortuus eſt, & iam non moritur, ita & ſemel natus eſt de Maria Virgine, nec iterum naſcitur: quid igitur ſibi vult maximus ille Eccleſiæ Doctor, dum ait, imò ſcribit, *Maria cùm quotidie generet, & ſemper parturiat, incorrupta eſt;* ſane ſubtili acumine, nec minùs verè, quàm piè & prudenter hoc dixit. verum eſt certè, quòd ſemel Verbum, æternum Dei filium Beata Maria concepit, virgo peperit, & poſt partum virgo permanſit, ipſúmque quem genuit adorauit. Quomodo igitur adhuc generat & parit? quia quem actu ſemel genuit, affectu perenni generat & parit, dum ſemper amat & adorat, inque cordibus humanis atque intimis animarum viſceribus, illum quotidie deſiderat concipi, foueri, efformari. Conſimili deſiderio feruebat ille qui vas electionis factus fuerat, vt portaret nomen Dei coram gentibus & Regibus & filiis Iſraël; prodiens enim ex intimi pectoris ſinu, hæc vox eſt, paterno amore plena, Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis;* neque enim ſatis erat, quòd diffuſo Euangelij ſemine, in eorum animis Chriſtum generâſſet, at inſuper opus erat, vt in iis Chriſtus ipſe efformaretur; efformari autem non poterat, niſi frequenti ſtudio & amore ab iiſdem foueretur; quamobrem frequenti monitu inſtabat, ardentíque eos excitabat affectu, vt Chriſtum non ſemper paruulum, & quaſi informem gererent in cordibus ſuis, at fouerent, alerent, augerent, donec perfectam in ipſis formam recepiſſet. Sed quid hoc eſt? Apoſtolus enixè cupit Chriſtum in nobis viuere; Chriſtus verò appetit mori. *Amen amen dico vobis* (Ioan. 12. ait) *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Mors Chriſti eſt clarificatio eius: vnde Origenes homil. 8. in Ieremiam acutè, & notanter ait *Iudæos exiſtimaſſe morte Chriſti ſe effecturos vt nomen eius obſcuraretur: at contrarium euenit, ipſa enim morte in multis clarificatus eſt.* Verum itaque eſt, in nobis Chriſtus vt viuat, vt clarificetur, vt amplificetur; neceſſe eſt vt moriatur, ſicut granum frumenti in terra ſeminatum: quæ ſcilicet ſic illud excipit, ſuóque fouet ſinu, vt cùm mortuum videatur, tunc germinet, & floreat & fructum afferat. Ita enim Verbum Dei à nobis intra mentem excipi debet, vt intimè huic hæreat, includatur quaſi cuidam ſepulchro: ſed ibi dormiat, donec reſurgat in triumpho, extinctíſque vitiis, ac excitatis

virtutibus, quas ſemine vitali gratiæ generat & parit, fructum proferat iuſtitiæ, vt conferat eius cultoribus gloriæ immortalis præmium.

CAPVT VII.

SEV SEPTIMVS GRADVS,

Catecheſis Chriſtiana.

TV ergo, *fili mi* (ait ad dilectum ſuum Apoſtolus, 2. Timoth. 2. 1. 2.) *confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me*, &c. *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Mira eſt Dei gratia! mira prouidentia! in Moſaïca lege ſacrorum miniſtri carnali propagine in officio tabernaculi ſuccedebant, facti (vt ait Apoſtolus Hebr. 7. 16.) *ſecundùm legem mandati carnalis.* At in nouo & æterno Teſtamento, miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, non humanâ traduce, ſed diuinâ ordinatione propagantur; homo imponit manus, Deus autem dat gratiam; eligit Chriſtus, ordinat Epiſcopus; Deus vocat, Antiſtes conſecrat; quos gratiæ donô obſignat Spiritus Sanctus, Pontifex eius afflatu deſignat; cæterùm dum offert Deo initiandos ſacris Ordinibus, infirmitate propriâ obſtringi ſe fatetur, hæc ſuccedanea adminicula eius à miſericordia poſtulare; *Deus honorum auctor, & diſtributor omnium dignitatum* (inquir) *per quem proficiunt vniuerſa, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius rationalis naturæ incrementis, per ordinem congrua ratione diſpoſitum. Vnde & Sacerdotales gradus atque officia Leuitarum Sacramentis myſticis creuerunt* (habet Pontificale Romanum in ordine Preſbyteratûs) *vt cùm Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſes, ad eorum ſocietatis, & operis adiumentum ſequentis ordinis viros, & ſecundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentes, Moyſi ſpiritum propagáſti, quibus ille adiutoribus vſus in populo innumerabiles multitudines facilè gubernauit*, &c. *Hâc prouidentiâ, Domine, Apoſtolis filij tui, Doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicationibus impleuerunt: quapropter infirmitati noſtræ Domine quæſumus hæc adiumenta largire, qui quantò fragiliores ſumus, tantò his pluribus indigemus.* Non ſolùm (quanquam potiſſimùm) Preſbyteris; ſed & Diaconis & Subdiaconis, quin & Acolythis, Lectoribus, Exorciſtis, Oſtiariis, & infimæ claſſis Clericis: nam vel minimus ſummo ſuffragatur, & ſub cuiuſque modulo Eccleſiæ decoro ac incremento deſeruit; *Creſcentes in illo per omnia, qui caput eſt Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundùm operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui, in charitate*, ait Apoſtolus, Philipp. 4. 16.

Intereſt igitur plurimùm Eccleſiæ, vt antiſtites ſedulò prouideant, ne miniſtris vnquam careat idoneis, quorum defectu, vt periret religio, ſic auſpicato delectu ac munere conſeruatur ac propagatur. Seminarium Eccleſiæ à catechiſmo pendet, quo docetur fides, & ad baptiſmum reſeratur aditus: hinc & Catechumenorum percelebre primitiua in Eccleſia nomen his impoſitum, qui ante Sacramentum baptiſmi in fide Chriſtiana inſtituebantur. Tertullianus lib. de pœnit. & Cyprianus lib. 3. epiſt. 17. vocant eos audientes, quia illis inſtructor vel doctor olim præficiebatur. Etſi verò Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi hoc obirent ab initio munus, ſenſim tamen eius executio ad inferiores ordines præ competentium ſalutare lauacrum multitudine, etiam deducta fuit. Iam tempore S. Cypriani id vſu receptum ex eo patet, quod ad Clerum Carthaginenſem ſcribit epiſt. 24. *Optatum inter lectores Doctorem audientium conſtituimus.* Quæ nuncupatio cum nomine Catechumeni rectè conſonat; quod origine Græcum, etſi apud profanos Scriptores quemlibet ſignificet inſtitutionis indigentem, tamen in Sanctis Patribus eum ſolummodò deſignat, cui myſteria fidei viuæ vocis oraculo tradebantur ἀπὸ τοῦ κατηχεῖν, quod eſt viuâ voce inſtruere. Qui igitur ſic inſtituebantur, in fidei Chriſtianæ principiis, etſi variis nominibus cenſerentur, initiandi etenim dicebantur, diſcipuli, tyrones, electi, competentes, alumni, &c. communiori tamen vocabulo auditores nouæ vitæ, audientes, & Catechumeni dicebantur; qui verò iis inſtruendis præfecti erant, Catechiſtæ & Doctores audientium ſolebant appellari. Huc collineant verba S. Clementis ep. ad Iacobum (ſeu potiùs Simonem Iacobi) *Qui catechiſant, id eſt, qui verbo inſtruunt incipientes.* Suſceptoribus in baptiſmo initiandorum cura hæc etiam aliquando demandata fuit, vt ſuſcipiendos rudimenta fidei docerent, quorum inſtitutionis vades erant & ſponſores: hinc Arelatenſe Concilium c. 19. parentes filios ſuos, & patrini eos quos de fonte lauacri ſuſcipiunt erudire ſummoperè ſtudeant; illi quia illos genuerunt, & eis à Domino dati ſunt; iſti quia pro eis fideiuſſores exiſtunt. Succinit Moguntinæ Synodi can. 47. *Præcipimus, vt vnuſquiſque compater, vel * proximi ſpirituales filios ſuos Catholicè inſtruant.* Ad fœminas vſque hoc ipſum munus ſpectâſſe ex monimentis antiquitatis venerandæ liquidum eſt; cùm enim vterque ſexus in baptiſmo ad ſuſcipiendum initiandos adſciſceretur; non ſolùm viri, ſed & fœminæ alumnis ſuis inſtruendis erant addictæ; nec modò priuatim catechizabant fœminæ, at aliquando etiam ſolenniter. Diaconiſſis enim hoc officium iniunctum erat, vt fœminis quæ ad gratiam baptiſmi poſtulabant admitti, documenta traderent religionis Chriſtianæ: patet id ex verbis Iacobi Diaconi in vita Sanctæ Pelagiæ: *Spiritualis ei mater* (inquit) *attributa eſt, Sancta Domina Romana prima Diaconiſſarum, quæ eam ad ſe accipiens, aſcendit cum ea in locum vbi Catechumeni inſtituebantur:* ſi fœminis creditum hoc officium, minimè mirum videri debet, ſi inferioribus Clericis, iiſque etiam iuuenibus, modò in ſalutis ſcientia doctis, eadem hæc ipſa prouincia demandaretur, tam Sacerdotum ſolatio, quàm commodo competentium, quorum numerus in dies excreſcebat. Au-

* *Patrini*

diuimus ſuprà Sanctum Cyprianum ad Preſbyteros & Diaconos Eccleſiæ ſuæ referentem, *Se Optatum lectorem conſtituiſſe doctorem audientium.* Origenes (teſte Euſebio Cæſarienſi, lib. 6. hiſtor. Eccleſ. cap. 3.) decimum adhuc octauum ætatis ſuæ annum agens, apud Alexandriam ſcholæ Chriſtianæ inſtitutionis præfectus fuit. Quæ obſeruata hîc voluimus ad inſinuandum, ex primitiuæ etiam Eccleſiæ more & vſu, fuiſſe adoleſcentes Clericos, adhibitos inſtituendis fidei diſcipulis; non ſolenni adeò quidem illa catecheſi, quæ in ipſis baptiſteriis paulò ante ſacram luſtrationem competentium, ab Epiſcopis & Sacerdotibus, vel etiam Diaconis fieri ſolebat; nam catechiſmus ille cæremoniarum baptiſmi pars erat non minima, & à ſolis Sacramenti miniſtris fieri conſueuerat in ipſo (vt diximus) baptiſterij gremio: at quæ extra baptiſterium fieri ſolebat catecheſis, à Clericis inferioribus, in ianuis & foribus Eccleſiæ tradebatur: id conſtat ex Sancti Gregorij Thaumaturgi teſtimonio; hic enim epiſtolæ canonicæ can. 11. *Auditio* (inquit) *eſt intra portam in loco quem* νάρθηκα *vocant, in ferula, vbi oportet eum qui peccauit ſtare poſt Catechumenos.* In Concilio Ancyrano ſub Syluestro I. can. 4. & 5. itidem pœnitentes ſtate iubentur inter audientes, nimirum in Eccleſiæ anteriori veſtibulo. In pleriſque Eccleſiis Galliæ hic vſus etiamnum viget, vt qui catechizat non aſcendat ſuggeſtum ſeu cathedram in qua ſolennis fit verbi Dei prædicatio, ſed in naui Eccleſiæ, vel ſpatioſo quodam ſacello, doceat vel in pedes erectus, vel ſedens in ſedili parum eleuato; qui mos ab antiqua canonum diſciplina non deſultat; qua fas non erat inferioribus Clericis, imò nec Diaconis è loco ſuperiori plebem docere, quemadmodum in opere noſtro de myſticis Galliæ Scriptoribus expreſſimus. Accedit quod dudum etiam infantes inter Catechumenos referebantur, vt doctè & perſpicuè demonſtrat Vicecomes lib. 2. de antiquis baptiſm. ritibus, & cæremoniis cap. 5. ex pleriſque ſacræ hiſtoriæ, præſertim de geſtis Sanctorum, monimentis, quibus factum adcenſere licet Sancti Hilarij, S. Iuſtum annum ætatis 8. agentem referentis inter Catechumenos, vt notâſſe meminimus in Martyrologio Gallico die 25. Nouembr. vbi de ipſo Sancto Iuſto Preſbytero & Confeſſore: quò magis igitur Catechiſta ſeſe puſillis his auditoribus accommodaret, è demiſſiore ſede eos docebat; Chriſti imitatione, qui humilitatis & ſimplicitatis amator, modeſtiæque & manſuetudinis ſummus magiſter, oblatos ſibi paruulos quaſi inter vlnas materno affectu ſuſcipiebat, complectens eos benedicebat, ait Sanctus Marcus capite decimo, prohibentibúſque diſcipulis ſuis ad ſe eos accedere, dicebat; *Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum:* ſedes ſublimior paruulis poteſt eſſe terrori; familiariùs cum iis agitur, ſi qui eos alloquitur, doceat ex inferiori loco, puſillúſque cum puſillis fiat, iuxta illud Apoſtoli 1. Theſſal. 2. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos:* quo ſpiritu etiam agendum eſt, cum iis qui tametſi ætate viri, paruuli in Chriſto ſunt: rudes vtpote, & inſcij doctrinæ ſalutis. Ad quorum infirmitatem ſeſe, qui cate-

chizat,

chizat, debet arremperare, voce, ſitu, & affectu, *omnibus omnia factus*, 1. Cor. 9.
(ait vas electionis) *vt omnes lucrifaciat*; & ſemel reuerà non ſolùm experimento compertum eſt Clericos inferioris ordinis, ætate iuuenes, at virtute maturos, docendis ſimplicibus quemadmodum & pueris, ea quæ ſunt doctrinæ Chriſtianæ elementa, maioribus ætate, & gradu, doctrinæque eminentiâ aptiores eſſe. Nolo hîc referendis exemplis quibus id perſpectum fieret, ex doctrina hiſtoriæ Eccleſiaſticæ expreſſis immorari, in qua me obſeruâſſe memini, plerumque minoris ætatis & dignitatis Clericos, auſpicatiori ſucceſſu laborâſſe in animarum conuerſione ac inſtructione, quàm qui eis & gradu, & doctrinâ, & famâ nominis plurimùm erant ſuperiores: ſed breuitatis gratiâ ab inductione eiuſmodi lubens ſuperſedeo, ne prolixitas narrationis lectori fiat oneri, opúſque hoc excreſcat in immenſum. Satiùs igitur fuerit vela contrahere, ſeclusíſque ambagibus ad id ſtyli aciem reflectere, quod magis noſtrum ſpectat inſtitutum. Præſtituto igitur hoc axiomate, quod Clericis minoribus officium catecheſis Chriſtianæ obeundum, etiam ex Eccleſiæ primitiuæ more & exemplo, committi poſſit: hîc dumtaxat quæ in eo requirantur dotes, vt fructuosè hoc ipſo munere admodùm in Eccleſia neceſſariô queat perfungi, expreſſum ire aggredimur.

PRIMÒ; doctrinæ Chriſtianæ, quam traditurus eſt, ſciens ac peritus eſſe debet; nec enim dumtaxat docendi methodum, at ipſa doctrinæ Chriſtianæ fundamenta, & ſumma principia fidei, rectè ac accuratim illum neceſſe eſt cognoſcere; ſi enim in iis fuerit rudis & imperitus, vel non ſatis eruditus, parum vel nihil proderit. At iis erit non abſimilis, de quibus Apoſtolus notandis & vitandis Timotheum admonebat, 1. ep. 1. 6. *Conuerſi ſunt*, inquit, *in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* S. Hieronymus ſuum inſtruens Nepotianum, Clericos ſe imprudenter & imperitè publicè docendo ingerentes, grauiter perſtringit, ab horúmque more & genio, illum cauere omni qua poteſt ratione perſuadet, *Nolo*, inquit, *te declamatorem eſſe, & rabulam garrulúmque ſine ratione, ſed myſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei tui eruditiſſimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt*, &c. *nihil tam facile, quàm vilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit, plus miratur.* At non eò contendere debet qui docet principia ſalutis, vt ſui apud populum pariat æſtimationem; ſed hoc vnum ſpectare, quo doctrinæ Chriſtianæ ignaros eius imbuat ſalutaribus documentis ac præceptis; curet igitur imprimis animas quærere non famam, ad hócque ſe miſſum recogitet, non vt ſuauitate eloquij eorum aures demulceat, aut *granditate ſermonis* (vt verbis vtar S. Auguſtini) ſuos auditores pertrahat in ſtuporem; verùm vt eis lumen afferat ſupernæ ſcientiæ, & lac ſalutis, quaſi paruulis in Chriſto purum & nitidum infundat. Dabit itaque operam docendo ſimplices animas, appoſitè, ſolidè, & dilucidè loqui, nihil enim aliud quærere debet, quàm ipſorum, quos docet, inſtructionem & ædificationem.

SECVNDO, neceſſe eſt vt non ſolùm ſciat quæ docet, ſed faciat: catecheſis enim Chriſtiana non ſolùm ſpectat fidem, ſed & mores, vnde etiam poſt explicata fidei principia ad exponenda mandata Dei, & præcepta Eccleſiæ moraléſque virtutes digreditur. Doctrina enim hæc *diui-*

1. Timoth. 3. 16.

nitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Homo Dei, ille eſt qui res Dei agit, alióſq; vocat, & inſtruit ad eius cultum & obſequium: hic igitur vt ſit perfectus in munere ſuo, non ſolùm Chriſtianâ doctrinâ imbutus eſſe debet, at inſuper, inſtructus aptatúſque ad omne opus bonũ: ſi enim bene doceat, malè viuat, ſibi canit, attamen nec ſibi nec aliis proficit. eiuſmodi viros dimidij operis, qui quæ ipſi docent, facere negligunt, ſic Apoſtolus aculeatè compellat ac perſtringit acriter, Rom. 2. 19. *Si confidis teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipſum non doces. At nobis à nobiſmet ipſis incipiendum eſt* (ſcitè ait Clemens Alexandrinus in exordio Pædagogi Chriſtiani c. 1.) *& quomodo nos componere ac moderari oporteat ſi vtiliter velimus monita ſalutis aliis proponere*; nec minùs aptè, quàm verè, 1. Stromatum, * *Neceſſe eſt vtroſque* (doctorem & auditorem) *probare ſeipſos; illum quidem, an dignus ſit qui doceat, & monita relinquat: hunc verò an iure poſſit audire; firmum enim eius fundamentum eſt recta vita cum ea quæ conuenit doctrina.* Attamen antè vita, quàm doctrina quærenda eſt (ait S. Ambroſius in Pſal. 118.) *Vita enim bona, & ſine doctrina habet gratiam: doctrina ſine vita integritatem non habet.* Eleganter S. Bernardus ſerm. 18. ſuper Cantica ad illa verba, *Oleum effuſum nomen tuum:* monet eum qui alios docere vult ſimilem eſſe debere conchæ non canali. *Quamobrem* (inquit) *ſi ſapis concham te exhibebis, & non canalem; hic ſiquidem penè ſimul & recipit & refundit, illa verò donec impleatur expectat, & ſic quod ſuperabundat ſine ſuo damno communicat, ſciens maledictum qui ſuam partem facit deteriorem. Verùm canales multos hodie habemus in Eccleſia, conchas verò perpaucas. Multi enim loqui quàm audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, & aliis præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt*; & cætera, quæ ſunt lectione digna.

* Ἀνάγκη τοίνυν ἄμφω τούτω δοκιμάζειν σφᾶς αὐτούς. τὸν μὲν, εἰ ἄξιος λέγειν τε καὶ ὑπομνήματα καταλιμπάνειν. τὸν δὲ, εἰ ἀκροᾶσθαί τε καὶ ἐντυγχάνειν δίκαιος .... θεμέλιος δὲ αὐτῆς βέβαιος, ὀρθὸς βίος, ἅμα μαθήσει τῇ καθηκούσῃ.

TERTIÒ, neceſſe eſt vt ſe accommodet ad auditorum ſuorum capacitatem ad inſtar Elizæi Prophetæ, qui vt defuncto paruulo vitalem refunderet ſpiritum, ſeſe ad eius puſillitatis modum contraxit, 4. Reg. 4. Nec refert quod in eiuſmodi inclinatione quicquam naturæ minùs gratum Catechiſta patiatur. Etenim ſapienter huic incommodo Sanctus Auguſtinus occurrit lib. de Catechizandis rudibus cap. 8. tom. 4. *Iam verò*, inquit, *ſi vſitata & paruulis congruentia ſæpe repetere faſtidimus, congruamus eis per fraternum, paternum, maternúmque amorem, & copulatis cordi eorum etiam nobis noua videbuntur.* Falluntur etenim omnino docti qui ſibimetipſis omnes alios ſine delectu metiuntur; eodémque modò vtuntur promiſcuè erga quoſcumque auditores: idem S. Auguſtinus eodem lib. cap. 15. graphicè exprimit quod qualéque ſit interponendum hoc in negotio diſcrimen: *Sed quia*, inquit, *de rudibus imbuendis nunc agimus, de*

me ipſo teſtis ſum, aliter atque aliter me moueri, cùm ante me catechizandum video eruditum, inertem, ciuem, peregrinum, diuitem, pauperem, priuatum, in poteſtate aliqua conſtitutum, illius aut illius gentis hominem, illius aut illius ætatis & ſexus, ex illa aut illa ſecta, ex illo aut illo vulgari errore venientem, ac pro diuerſitate motûs mei ſermo ipſe & procedit, & progreditur, & finitur: & quia cùm eadem omnibus debeatur charitas, non eſt eadem adhibenda omnibus medicina; ipſa etenim charitas alios parturit, cum aliis infirmatur, alios curat ædificare, alios contremiſcit offendere; ad alios ſe inclinat, ad alios ſe erigit, aliis blanda, aliis ſeuera, nulli inimica, omnibus mater. Non abludit ab hoc theoremate Sanctus Iſidorus, imò maximè conſonat lib. 3. de ſummo bono cap. 45. *Prima prudentiæ virtus eſt*, inquit, *eam quam docere oporteat æſtimare perſonam: rudibus populis ſeu carnalibus plana atque communia, non ſumma atque ardua prædicanda ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur potiùs quàm erudiantur; vnde Apoſtolus ait: non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, carnalibus quippe animis, nec alta nimis de cæleſtibus, nec terrena conuenit prædicare, ſed mediocriter vt vita eorum moréſque deſiderant edoceri.* Ita ſe geſſit ſummus fidei Doctor Paulus 1. Cor. 3. 2. & 9. 20. Heb. 5. 13. qui paruulis in Chriſto lac doctrinæ Chriſtianæ, hoc eſt ſummiſſiorem expoſitionem myſteriorum fidei; viris verò, hoc eſt magis in religionis diſciplina prouectis ſolidum cibum ſublimiorum myſteriorum apponebat, factus Iudæis tanquam Iudæus, Gentilibus verò quaſi ipſe eiuſmodi eſſet; iis porrò qui ſine lege erant, tanquam ipſe ſine lege eſſet, infirmis infirmus, omnibus denique omnia factus vt omnes lucrifaceret: quamobrem ſe aſſimilat nutrici balbutienti inter paruulos, & ſeſe ad eorum motus & affectus inflectenti; *Facti ſumus paruuli*, inquit, *in medio veſtrûm, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos*, 1. Theſſ. 2. 7. & Gal. 4. *vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam*, vt ſcilicet quaſi mater, nunc blandirer, nunc gemerem, nunc obſecrarem, nunc obiurgarem vos, vti ſolent matres naturales ſe in omnes affectus verſare, nunc orare, nunc plorare, nunc gemere, nunc arguere, vt filios permoueant, eíſque perſuadeant quod cupiunt, & quod vtile eſſe & commodum arbitrantur.

QVARTÒ; in docente Chriſtianam Catecheſim, lenitas, affabilitas, animi manſuetudo, ſermoníſque ſuauitas, plurimùm neceſſaria eſt. Sanctus Auguſtinus initio lib. de Catechizandis rudibus cap. 1. quem ſcribit ad Deogratias Diaconum Carthaginenſem, qui huic muneri præfectus erat, aptum huic eum eſſe his rationibus commemorat, *quòd haberet vberem catechizandi facultatem, & doctrinam fidei, & ſuauitatem ſermonis*: his dotibus vt inſignes ſint qui huic obeundo officio deliguntur, ſummopere ab his quibus horum competit delectus, eſt proſpiciendum. De vbertate & copia dicendi, palam eſt quòd ſi defuerit catechizanti, languidè duntaxat, & aridè animas auditorum reficiet: at ſi copiâ doctrinæ ſermoníſque ſit præditus, affluenti ſcientiæ ſalutis lacte eaſdem impinguabit, breuíque compertum fiet ex earum in fidei doctrina progreſſu, quàm vberi venâ fuerint ſpirituali paſtu ſaginatæ. Porrò an ſit Doctor eiuſmodi in dialecticis diſciplinis, & ſæculari litteratura admodum eruditus, pa-

rum refert: ſed omnino neceſſe eſt vt doctrinæ fidei quam profitetur, exactam notitiam habeat, quam conſequi poterit tum feruenti ad Deum (qui viuus eſt fons ſapientiæ) precum inſtantiâ: tum compendij Theologiæ aſſidua repetitione; tum etiam ex virorum in ipſius doctrinæ Chriſtianæ ſtudio ac enunciatione exercitatorum commerciô atque auxiliô: inſuper ex inſignium auctorum, qui hac de arte atque materia ſcripſerunt crebra & diligenti lectione; in quibus præcipuæ curæ eſſe debet lectio Catechiſmorum Ludouici Granatenſis, nec non Oſij Cardinalis Varmienſis; item Petri Caniſij, ac Cardinalis Bellarmini, maximè verò Concilij Tridentini, ad cuius præſcriptum ſeſe debet potiſſimùm componere tam circa ordinem dicendorum, quàm circa ipſius doctrinæ ſubſtantiam. Verùm in functione huiuſmodi, ſuauitate ſermonis, at longè magis ſpiritus lenitate opus eſt. Enimuerò magni momenti eſt affabilitas, & manſuetudo ad perſuadendum. Hâc mirum in modum vſus eſt Chriſtus, de quo etiam ideò aduerſarij eius dicere aliquando coacti ſunt; *Nunquam ſic locutus eſt homo;* non ſolùm, quia loquebatur cum ea qua decebat auctoritate, at quòd inſigni manſuetudine animi, & oris affabilitate auditores ſuos quos arguebat, etiam demulcebat; hinc ingens ille turbarum ad eum audiendum concurſus, quem S. Ambroſius monet obſeruandum ad illa Sancti Lucæ cap. 5. *Cùm turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei; Veſper incubuit*, inquit lib. 4. in Luc. cap. 5.) *ſequebantur, ſtagnum occurrit, vrgebant, & ideò aſcendit in Petri nauim, & ſedens docebat de nauicula turbas*, in litore ſcilicet paululùm remoto, circumſtantes; ſiquidem vt memoriæ prodidit ipſemet S. Lucas cap. 4. *Omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ipſius;* de verbis gratiæ id eſt gratioſis, & gratiâ plenis, animíque lenitatem, & manſuetudinem ſpirantibus, quibus eos docebat. Virtùs hæc mirificè in Chriſto emicuit, vnde ipſe ad ſe omnes afflictos ſolatio recreandos benignè inuitabat, *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde*, Matth. 11. 29. Tantùm hæc valuit manſuetiſſimi agni lenitas ad conciliandum hominum affectum atque obſequium, vt Apoſtolus cenſuerit ſe nullo efficaciori motiuo poſſe mentes fidelium obteſtari, quàm manſuetudinis ipſius Chriſti commemoratione; *ipſe autem ego Paulus* (ait ad Corinthios 2. epiſt. 10.) *obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Ieſu Chriſti*, &c. Non poterant enim ſi Chriſti manſuetudinem & lenitatem recordarentur, eam obteſtationem non magnifacere: quia nihil dulcius & acceptius eſſe poterat hominibus, quàm tantæ Chriſti benignitatis memoria; idcirco eam ſeſe inſinuat ipſemet Apoſtolus velle præ omnibus eius virtutibus imitari, *Obſecro vos per manſuetudinem, & modeſtiam Ieſu Chriſti*, ac ſi diceret, tametſi ex iure Apoſtolatûs, & ſecundùm poteſtatem quam mihi Dominus dedit in Euangelio, imperare poſſem, ſatiùs tamen exiſtimo *obſecrare vos per manſuetudinem & modeſtiam* (ἐπιεικείαν, comitatem, lenitatem) *Chriſti*, quam ſcilicet in præcordiis habeo, quam præ me fero. Chriſtus enim in docendis, dirigendis, & corripiendis hominibus miram oſtendit patien-

tiam, clementiam, modeſtiam, & manſuetudinem: quam ideo, quòd ipſe Chriſtus ſit exemplar noſtrum imirandum, non modò ſibi cenſuit Paulus Apoſtolus, ſed ſequendam Timotheo aliiſque verbi Dei, & Sacramentorum diſpenſatoribus affatim commendauit, 1. epiſt. 6. *Tu autem,* inquir, *homo Dei ſectare iuſtitiam, pietatem,* &c. *charitatem, patientiam & manſuetudinem,* manſuetudo etenim Epiſcopo & Doctoti valde eſt neceſſaria, vt ſuauiter, & efficaciter influant documenta vitæ, & præcepta ſalutis in animos auditorum, iiſque virtutes inſerant & vitia eximant: nec enim homines vitioſi facilè ferunt aſperitatem correctionis. Manſuetudo autem *eſt medica cordis,* ait ſcitè S. Ambroſius ad Vercellenſes. *Character animæ piæ,* inquit S. Baſilius. Quâ Sancti mundum Chriſto ſubegerunt; *nihil enim hac potentius,* ſcribit S. Chryſoſtomus ſup. Geneſ. hom. 57. Quamobrem Apoſtolos ſuos mittens ipſe Dominus, agnorum manſuetudinem, & columbarum ſimplicitatem eos voluit præ ſe ferre; *Ego mitto vos,* inquit, *ſicut oues in medio luporum, eſtote ergo ſimplices ſicut columbæ.* Vir Apoſtolicus Polycarpus inſtitutus in Chriſtiana diſciplina à Ioanne Apoſtolo dilecto Domini, tantùm in hac virtute excelluiſſe prædicatur, vt etiam Chriſtiani nominis infenſiſſimos hoſtes, & ipſos qui ad ſe comprehendendum miſſi fuerant, ſerenitate vultûs, blandimentis vocis, & mira ſpiritus ſuauitate manſuefaceret; ita enim eius Acta proconſularia habent. Quinimò cùm comperiſſet adeſſe comprehenſores ſuos, in occurſum eis progreſſus læto admodum vultu ac placido compellare vitos cœpit cum ingenti oris gratiâ; ita vt & illi mirarentur & ſtuperent, &c. ſed ille nihil moratus continuò apponi menſam hoſtibus, quaſi hoſpitibus iubet*, atque epulas largiùs miniſtrari, vnius horæ ſpatio, orationis gratiâ impetrato. Tantúmque emicuit hac virtute, quæ in Chriſto fuit potiſſimùm conſpicua, vt Ethnici, & Iudæi illum non aliter ſuſpicerent, quàm ſi alter ipſe Chriſtus exiſtetet; ita enim ad ſe omnium rapuerat corda inſigni illa benignitate, vt obſtiterint maximè Iudæi, ne Chriſtiani corpus eius ſepeliendum ſuſciperent. *Ne fortè* (dicebant) *relinquentes Chriſtiani illum qui crucifixus eſt, hunc incipiant colere,* ſiquidem Chriſtiani ſanctitatis eius reuerentiâ, ac benignitatis, quæ mirè in eo relucebat, amore, eius ad pedes paſſim procidebant, certatímque contendebant eius vel calceos contingere; quare in procinctu martyrij, cùm ipſe calceamenta ſibimet detraxiſſet, Actorum ſpectator & deſcriptor ſubdit de more piis fuiſſe (ex deuotione qua erga eum feruebant) ſeſe inuicem præuenire ad eius calceamenta reſoluendum. Cæterùm ipſos carnifices manſuetudinis ipſius ſancti viri nonnihil delinitos, in ipſo furoris æſtu, idem Actorum exceptor qui adetat, inſigni hoc obſeruat rei geſtæ monimentô: vt ergo expedita ſunt quæ ad ignem pertinebant, cùm eum vellent rogo impoſitum, etiam clauis affigere, ait, *Sinite me; qui enim dedit mihi ignis ſufferre ſupplicium, dabit vt & ſine clauorum affixione flammas immobiliter perferam: tum illi omiſſis clauis, vinculis ſolis vſi ſunt,* ipſimet capti nimirum, & conſtricti nexibus tantæ eius manſuetudinis, quam inuiti reuerebantur. S. Dionyſius Areopagita, ipſius B. Polycarpi amiciſſimus, diſcipulus S. Pauli, noſtérque Apoſtolus, hac ipſa præſtans virtute,

Matth. 10. 16.

*Simile mãſuetudinis Chriſtianæ exemplũ memoriæ conſignauimus in Martyrol. Gallicano die 26. Nouemb. vbi de S. Leonardo Confeſſ.

quam eximia aſpectus ſerenitate perferebat, adeò eandem dilaudat in epiſtola ad Demophilum, vt eorum proprium eſſe velit ſignaculum, qui veri Dei miniſtri ſunt & amici. Lectu digna eſt tota hæc epiſtola Clericis, quos ex præfixo lemmate in huius eximiæ virtutis cultu, & ſtudio inſtituit, exemplis adductis Moſis, Dauidis, Iob, Abelis, Ioſephi, & maximè Chriſti Domini, in quo præ cæteris virtutibus obſeruat clementiam ac manſuetudinem effulſiſſe: vnde à contrario exprobrat Demophilo immanitatem, qui Sacerdoti peccatorem benignè ad pœnitentiam & veniam ſuſcipienti probra conuitiáque intulerat: concludit denique Chriſti manſuetudinem potiùs imitandam eſſe, quàm Heliæ zelum, & ſimul oſtendit, quæ ſit manſuetorum, & crudelium retributio, ſubiunctâ mirabili viſione, Carpo viro Apoſtolico facta, qua Chriſti cultores quique, potiſſimùm verò Clerici ac Sacerdotes hanc ad virtutem, quaſi ad proprium ſacræ dignitatis inſigne, Eccleſiaſticíque ordinis præcipuum ornamentum, diuino monitu excitantur. Nec modò mites, & benignos decet Eccleſiaſticos viros eſſe, at etiam docere manſuetudinem eos oportet, quemadmodum docuit Chriſtus; ipſiúſque Apoſtoli, ex quibus Iacobus ad ſuos auditores ait: *Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras;* Iacob. 1. 21. Qua paræneſi S. Remigius ad Clodouæum primum Chriſtianum Francorum Regem auſpicatò vſus eſt; cùm enim eum fidei imbueret documentis, manſuetudinis vnà cum Chriſtianæ religionis ſpiritu imbibendæ, iis eum verbis admonuit; *Mitis depone colla Sicamber, adora quod incendiſti, incende quod adoraſti,* (Hincmarus in vita S. Remigij c. 39.) inſinuans ſcilicet Chriſtiani primum eſſe debere poſt ſtudium religionis, manſuetudinis & lenitatis affectum; in Chriſto enim nullum eſſe debere barbarum, neque Scytham, ſed nouum hominem, qui renouatur secùndùm imaginem eius qui creauit illum. Proinde quiſquis ſit Chriſtianus debere (vt monet vas electionis, Col. 3. 11.) *induere ſicut decet electos Dei Sanctos & dilectos, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam.*

Matth. 18. 15. QVINTÒ; requiritur in Doctore Catecheſeως in propoſito firmitas & perſeuerantia. *Si te audierit* (ait Dominus) *lucratus es fratrem tuum:* Quid verò? ſi non audierit, ideò ceſſandum à monendo? Neutiquam: præcipit enim Timotheo Apoſtolus, nihilominus in iis quæ didicit, & quæ ipſi ſunt credita ad docendum, permanendum eſſe, 2. ep. 3. 14. quin vt id officij ſtrenuè ac inſtanter obeat, ea auctoritate qua maior eſſe non poteſt, compellat atque obteſtatur 2. epiſt. 4. *Teſtificor,* inquit, *coram Deo & Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum ipſius & regnum eius, prædica Verbum.* Ad quam ſpectans interpellationem Sanctus Auguſtinus lib. 1. cont. Creſcon. c. 6. *Quis hæc audiens* (inquit) *ſi Deo fideliter ſeruit, ſi doloſus operarius non eſt, ab hac diligentia, & inſtantia conquieſcat? quis tanta ſub teſtificatione ſegnis eſſe audeat?* Prædicãdum igitur, ſed quomodo & quouſque? Pergit Apoſtolus; *inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina.* Quid eſt opportunè, importunè? niſi tempeſtiuè, intempeſtiuè: opportunè libenter audienti,

importunè auditori etiam inuito: argue coæquales, obſecta ſeniores, increpa iuniores, ſed cum omni patientia & doctrina: *cum omni patientia*, Græcè eſt *μακροθυμίᾳ*, id eſt longanimitate: neque enim auditoris duritiæ & torpori, negligentiæ & oſcitantiæ cedere quicquam oportet; at tum operoſiùs laborandum, & animoſiùs inſiſtendum; quamuis patienter expectare neceſſe ſit cum benignitate & tolerantia, quemadmodum Chriſti exemplo luculenter docet S. Auguſtinus eodem lib. contra Creſconium c. 5. & 8. *Fidelis*, inquit, *iuſtitiæ prædicator, etiam ſi ab hominibus reſpuatur; abſit vt apud Deum ſui officij mercede fraudetur; res enim certa ſit ad incertum; incertum autem dico, non præmium facientis, ſed animum audientis: incertum enim eſt nobis vtrùm aſſenſurus ſit cui veritas prædicatur; ſed certum eſt etiam talibus veritatem prædicari oportere: & certum eſt fideliter prædicantes retributionem manere, ſiue ſuſcipiantur, ſiue ſpernantur, ſiue etiam propterea quælibet temporaliter aduerſa patiantur: Dominus dicit in Euangelio: cùm ingreſſi fueritis, dicite: Pax huic domui: ſi digni fuerint qui ibi ſunt, requieſcet ſuper illos pax veſtra; ſi quominus ad vos reuertetur.* Luc. 10. 6. Vnde hæc illatio elici poteſt quam deducit S. Proſper lib. 1. de vita contemplatiua, c. 12. Hîc certè ſatis euidenter oſtenditur, quòd ſiue proficiant, ſiue non proficiant auditores, tacere eis non debeant Sacerdotes; nec ideò rei ſint, ſi fortè eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt, *ſed ſi ab eis corrigendis abſiſtunt*; pergendum igitur ac in ipſos irrumpendum obices, cùm Deus non ſit ad genium & inſtar hominum, qui res ex euentibus, & proſperis ſucceſſibus metiuntur, Deus enim intuetur cor, & affectum potiùs quàm actum conſiderat ac compenſat. Ipſi ſit laus & benedictio, honor & gloria, virtus & imperium ſempiternum.

FINIS I. PARTIS.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

ANDREÆ
DV SAVSSAY
PARISINI
S. R. E. PROTONOTARII,
I. V. DOCTORIS,
NEC NON OFFICIALIS PARISIENSIS
& Vicarij generalis, &c.

PANOPLIÆ CLERICALIS
PARS POSTERIOR,
Quæ eſt
DE HABITV CLERICALI.

Kkk

Google

LIBER PRIMVS.

IN QVO, DE MODESTIA HABITVS in genere; Clericorúmque à laïcis ipſo in habitu diſtinctione, iam olim obſeruata, in Eccleſia Dei, diſſeritur.

CAPVT PRIMVM.

Chriſtus perfectæ in omnibus virtutis, at ſignatim modeſtiæ, in externo etiam habitu obſeruandæ Doctor, ac archetypus fuit.

TOTA ſapientiæ Chriſtianæ diſciplina in Chriſti imitatione conſiſtit; in quo habemus omnia quæ ad perfectionem conducunt, tam exempla, quàm documenta & auxilia: omnia etenim (ait præclarè S. Ambroſius) nobis, & in nobis Chriſtus eſt; ſi à vulnere curari deſideras, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi grauaris iniquitate, iuſtitia eſt; ſi indiges auxilio, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cælum deſideras, via eſt, ſine qua nemo poteſt venire ad Patrem; quam qui ſequitur, non ambulat in tenebris, ſed habet lumen vitæ: ſicut enim ignoratio Chriſti, in æternæ mortis caliginem deducit, ipſius econtrà cognitio, fides, ſequela, & imitatio perducit ad vitam æternam. *Ego ſum lux mundi,* (inquit) *qui ſequitur me non ambulat in tenebris:* quibus verbis inſinuat, aberrare longè à recto fine, qui ſine ſua gratia & luce felicitatem quærunt, ambulant enim in tenebris: vnde quantacumque opera moralia operentur, quia tamen deeſt lumen fidei & gratiæ, veráque abeſt forma iuſtitiæ, nihil eis proſunt nec prodeſſe poſſunt ad ſalutem: at econtrà omnia in bonum cedunt eis qui Chriſtum audiunt & ſequuntur: *Sequitur autem Chriſtum* (inquit S. Cyprianus lib. de zelo & liuore) *qui præceptis eius inſiſtit, qui per magiſterij eius viam graditur, qui veſtigia eius atque itinera ſectatur; qui id quod Chriſtus & fecit, & docuit, imitatur.*

Ioan. 9. 5. & 8. 12.

Nihil porrò ſic in Chriſti geſtis & dictis, quemadmodum eius humilitas & modeſtia elucet, opúmque, deliciarum, & mundi luxûs ac vanitatis contemptus. Tria enim maximè homines mundi amatores affectare

Digitized by Google

ſolent, opes, voluptates, honores: de opibus praua, de voluptatibus turpia, de honoribus vana procedunt*. *Quicquid enim eſt in mundo* (ait dilectus Domini ep. 1. 2.) *eſt concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ:* concupiſcentia carnis voluptates appetit; concupiſcentia oculorum affectat opes: ſuperbia vitæ ad honores contendit: opes generant cupiditates & auaritiam: voluptates pariunt gulam & luxuriam: honores nutriunt ſuperbiam & iactantiam: has tres humani generis pernicies Chriſtus vt exciſum iret, toto vitæ decurſu impugnauit. *Tota enim eius vita in terris per hominem quem geſſit, diſciplina morum fuit: omnia enim bona mundi ipſe contempſit, quæ contemnenda docuit: & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit, vt nec in illis felicitas quæreretur; nec in iſtis infelicitas timeretur:* delicias ieiunio & labore; opes paupertate & inopia; honores humilitate & perpeti gloriæ contemptu, edomuit, ſuperandáque edocuit. Quàm abſtinens Chriſtus, qui dies noctibus, iiſque dies ieiunando & orando iunxit? quàm abhorrens à ſæculi honoribus, qui cùm turbæ eum quærerent vt facerent Regem, relictis properè diſcipulis fugit in montem ipſe ſolus? quàm pauper, qui naſci voluit in ſtabulo, reclinari in præſepio, vilibus faſciolis inuolui; totáque vitâ, domo, lectulo, omníque humano ſolatio deſtitui? *Vulpes* (ait Matth. 8. 20.) *foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi reclinet caput.* In veſtibus verò quàm modeſtus, imò quàm tenuis & humilis? Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 74. adeò viles geſſiſſe veſtes memorat, vt iis non abſimiles eſſent, quibus Galilæorum pauperes vterentur: cúmque ex abundantia cordis os loquatur, nihil frequentius habuit in ore Chriſtus, quàm quod habebat in corde, ſcilicet ſuperbiæ, luxûs, & ſuperflui veſtium cultûs odium & horrorem, ſtudium verò humilitatis, modeſtiæ ac temperantiæ in ipſo habitu commendationem. Hinc præcurſoris ſui laudes à veſtitûs aſperitate auſpicatur, *Quid exiſtis* (inquit) *in deſertum videre? hominem mollibus veſtitum? qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Non cum Ioanne deſerti incola, pœnitentiæ præcone, regis virtutum præcurſore, induto camelorum pilis, cincto zona ſuper lumbos pellicea, in antro ſolitudinis commorantur. Diuitis econtrà damnati infelicem vicem epulis, & luxui veſtium attribuit. Diſcipulis ſuis nihil frequentius incutit quàm veſtitûs neglectum; Matth. 6. 25. & Luc. 9. 22. monet vt abiiciant immodicum etiam neceſſarij indumenti æquè ac alimenti ſtudium, *Ideò dico vobis, ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, neque*, inquit, *corpori veſtro, quid induamini;* quo diuino oraculo edocti, hanc ſubinde regulam promulgarunt, *habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* 1. Timoth. 6. 8. quantò magis igitur omnem luxum in ſumptu, in ornatu & nitore Dominus prohibuit?

* Innocent. III. lib. 2. de contëptu mundi, ſeu de miſer. hum. condit. c. 1.

S. Auguſt. de vera Relig.

Ioan. 6.

Matth. 11. 8.

Succenſet Caluinus pictoribus, qui Apoſtolos (inquit) pingunt indutos aureis veſtibus, cùm lanoſis dumtaxat & vilibus veſtimentis amicti (ita *vt peripſemata mundi* viderentur) miſſi à Domino totum peragrârint orbem, verbum vitæ prædicantes. Videtur ſanè in hoc Caluinus non immeritò pictores noſtros ſugillare; ſed ſapienter monet Molanus in rebus eiuſmodi quæ bono ſenſu fieri poſſunt, *non oportere leuem, & pro-*

1. Cor. 4. 13.

perum eſſe ad carpendum, l. 2. de ſanctarum imaginum & picturarum vero vſu contra abuſus, versùs finem. Sanè Apoſtoli qui nunc cum Chriſto regnant, quo cum dudum in terris verſati ſunt, duplici in ſtatu poſſunt conſiderari: quandiu in ſtadio huius mortalitatis decurrebant, humiles fuiſſe & ſpiritu & habitu, nemo ſapiens poteſt inficiari: at ex quo poſt expletum agonem coronas triumphales meruerunt, alio vt in ſtatu ſunt, ſic non ineptè alio ſchemate exprimuntur, *lauerunt ſtolas ſuas in ſanguine agni*: triumphant igitur iuxta promiſſum ipſum Domini Apoc. 3. 4. *Ambulabunt mècum in albis, quia digni ſunt:* quamobrem in natali ipſorum officio, iure, Eccleſia hoc de eis glorificatis à Domino epinicium 1. *Reſp.* 2. *noct.*
modulatur: *Vidi coniunctos viros habentes ſplendidas veſtes: & Angelus Domini locutus eſt ad me dicens, iſti ſunt viri ſancti facti amici Dei.*

CAPVT II.

Apoſtoli modeſtiam in habitu, ſummoperè fidelibus commendârunt; ſed maximè Clericis, quos morum ſanctimoniâ & habitûs moderatione, à Laïcis diſtingui, ab iiſque ſuſpici voluerunt.

TAM in moribus, quàm in fide inſtituendi generis humani ad ſalutem, mandatum Apoſtoli à Domino, cùm rediret ad Patrem, opere ſuæ diſpenſationis & noſtræ redemptionis feliciter conſummato, accepetunt. *Data eſt mihi*, inquit, *omnis poteſtas in cælo & in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; docentes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis*; Matth. vltimo: in his documentis & præceptis humilitas, ſimplicitas, modeſtia, quam præ ſe tulerat ſemper ipſe Dominus in factis ac dictis, & præcipuè commendauerat diſcipulis ſuis, loco ſpectatiori conſidebant. Dixerat Dominus eis, in iiſque, omnibus nobis, *Eſtote ſimplices ſicut co-* *Matth.* 10. 16.
lumbæ, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde; humilitas certè non & 11. 29.
in verbis tantùm & nutibus, ſed & moribus intimóque cordis affectu, & externo corporis habitu conſtat; ſicut ſuperbia & inanis gloriatio in his ſeſe facilè prodit.

Appoſitè ad hoc Innocentius III. lib. 2. de mundi contemptu ſeu miſeria humanæ conditionis c. 37. *Primis*, inquit, *parentibus fecit Deus tuni-* *Geneſ.* 3.
cas pelliceas poſt peccatum, & à Chriſto dicitur Chriſtianis, non duas tunicas *Matth.* 10.
habeatis ſed iuxta Ioannis conſilium, qui habet duas tunicas, det non habenti *Luc.* 18. *Matth.* 23.
vnam: ſuperbus autem vt magnificus videatur ſatagit veſtiri duplicibus, indui mollibus, pretioſis ornari: ſed quid eſt homo pretioſis ornatus, niſi ſepulcrum foris dealbatum, intus autem plenum ſpurcitia? Hyacinthus & purpura, coccus & byſſus in limo putreſcunt, aurum & argentum, & lapides, & gemmæ in luto ſordeſcunt; dignitas, & poteſtas malè iacent in puluere, honor & gloria malè ſedent in cinere. Quid ergo ſuperbe, phylacteria dilatas? & magnificas fimbrias? *Matth.* 23. 5.

Luc. 16. 19. Eccli. 11. 14. *Diues ille qui induebatur purpurâ & byſſo, ſepultus eſt in inferno. Audi ſuper hoc conſilium ſapientis: in veſtitu ne glorieris vnquam: & Apoſtolus, non in veſte pretioſa, nec ſit extrinſecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut veſtimentorum cultus.*

Mulier quæ coniugata eſt, ſollicita eſt quomodo placeat viro; illi autem grata eſſe non poterit, ſi veſtitu inconcinno & ſordido ſit induta; quamobrem licere ei Patres & Theologi paſſim docent, ornare ſe vt placeat oculis viri ſui. Vnde Apoſtolus qui legem præſcribit & virginitati & matrimonio, dum huic imponit modum: 1. Tim. 2. 9. *Similiter*, inquit, *& mulieres in habitu ornato*, Græcè κοσμίῳ, id eſt honeſto & decenti, modeſto & caſto; ſed quia pronum hunc ſexum luxui nouerat (fœmineum idcirco genus S. Hieronymus epiſt. 12. ad Gaudentium φιλόκοσμον appellat) indultum hoc ſtatim ſuum ſimul explicat & reſtringit; *Cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe:* S. Cyprianus legit: *cum verecundia & pudicitia.* Tum ſculptoris more ea decerpens Apoſtolus quæ huic pudicæ formæ obeſſe poſſunt, *Non in tortis crinibus*, inquit, *aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa;* Græcè ἱματισμῷ πολυτελεῖ, id eſt *veſtitu ſumptuoſo.* Tum pictoris arte exprimens viuis coloribus pudici illius habitûs effigiem; *Sed quod decet mulieres* (addit) *promittentes pietatem & bona opera*, quaſi diceret, ſicut veſtiri decet Chriſtianas mulieres, quæ per bonam vitam verè Chriſtianos mores profitentur, non leuitatem, non luxum, non faſtum, non laſciuiam, ſed pietatem & cultum Dei.

Accinit ſuo coapoſtolo ſummus Chriſti vicarius S. Petrus 1. epiſt. 3. 3. *Quarum*, inquit, *non ſit extrinſecùs capillatura* (id eſt in capillorum cincinnis plicatura, criſpatura) *aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples; ſic enim aliquando, & ſanctæ mulieres ſperantes in Deo, ornabant ſe;* quaſi diceret; mulieres ethnicæ ſtudent placere viris ſuis eo ornatu qui foris apparet, vt cincinnis, & criſpaturâ capillorum, circumpoſitione auri, nunc à fronte & capillis, nunc à collo pendentis; in gemmarum & vnionum ſplendore ac nitore, & in veſtitûs elegantiâ, imò curioſa ſuperfluitate & vanitate: ſed tali habitu & ornatu non vult Chriſtus fideles mulieres ſtudere viris ſuis placere; verùm eo qui eſt interior homo, homo cordis, homo genitura Dei, innouatus in incorruptibilitate ſpiritus manſueti & quieti; qui ſpiritus licèt ſit mundo abſconditus, Deo tamen eſt apertus & acceptus, & coram viris timentibus Deum valde ſumptuoſus, pretioſus & gratus; *hoc ſiquidem ornatu placuit Sara Abrahæ; dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ benefacientes:* quæ enim interiori nitent ornatu obedientiæ, modeſtiæ, manſuetudinis, taciturnitatis, puritatis & caſtitatis, filiæ ſunt Saræ, id eſt Eccleſiæ dum ſic conuerſantur: at hoc à iure & honore ſuâ culpâ excidunt immodeſtæ, loquaces, procaces, ſumptuoſæ, nimis comptæ, luxui & deliciis, nugis & vanitatibus deditæ.

Nec modò fœminis iuuenibus & coniugatis hanc in habitu ſimplicitatem, verecundiam, honeſtatem exigunt afflatu diuino Apoſtoli; at etiam in ætate prouectis & innuptis: vas enim electionis Paulus ſignan-

ter addit; *Anus ſimiliter in habitu ſancto.* Tit. 2. Memorabili acumine S. Bruno Carthuſianorum parens obſeruat, vbi idem Apoſtolus ait de fœminis coniugatis, *Mulieres in habitu ornato;* paſſiuè illud adiectiuum intelligendum, nempe qui ab eis ornaretur, magis quàm eas ornaret; quo ſenſu pariter illud accipi poteſt de ætate maioribus, & nexu coniugij prorſus expertibus, *in habitu ſancto*, id eſt cui ab eis ex pudore, & conſpicuâ pietate potiùs concilietur ſanctitatis exiſtimatio ac reuerentia; quàm qui eis conferat externam ſpeciem, & aliquam opinionem ſanctitatis. Per hæc verba igitur, *in habitu ſancto*, inſinuat Apoſtolus, in amictu naturæ ſuæ, ætati, ſexui, religioni conueniente; honeſto ſcilicet, humili, modeſto, ſed imprimis vndequaque tegente: id enim ſignificat (Græcis hîc interpretibus) καταστολὴ tunicam longiorem & circumquaque tegentem, cuiuſmodi talaribus veſtimentis olim vtebantur filiæ Regum Iſraël virgines, 2. Reg. 13. 18. vnde ſtola Latinis deducitur; ideò longa Tibullo, ad talos vſque demiſſa Horatio ſerm. 1. ſat. 2. dicta inſtita ad oram ornata erat, vt Turnebus notat l. 29. aduerſariorum: ſiquidem apud Romanos ingenuarum & honeſtarum matronarum propria ſtola fuit, tunica ſcilicet ad plantas fluens, eadémque multis rugis ac plicis conſtructa: quam ideò Iſidorus ſcitè & conuenienter appellat *matronale indumentum.* Sunt qui velint vt cùm Apoſtolus præcipit, 1. Cor. 11. mulieres velatas orare, ſic intelligi debere, vt non modò caput velamine obnubilent, ſed & veſtibus ſe obducant vndequaque, neque indecoris, neque curioſis, aut exquiſitis, ſed nec corporis vllas partes impudenter retegentibus, vt ferè paſſim fit: cùm ait igitur diuinus didaſcalus *in habitu ſancto;* intelligit in habitu qui mentem indicet puram, ſanctam, & Deo deuotam: intus enim colenda pietas & religio, foris profitenda & excolenda, exponendáque caſto, modeſto, & pudico habitu.

Tametſi verò viris Apoſtolus circa veſtitum ita accuratas leges præſcribere non videatur, pares tamen iiſdem imponit; quid enim ſibi vult dum ait, *Mulieres ſimiliter in habitu ornato?* niſi & huic diſciplinæ primariò viros obſtringi, tum mulieres conſequenter; ſed quod expreſſiùs de fœminis locutus eſt, id ideò fecit quod ſuopte genio propenſiores ſint in luxum; viróſque ſuo ſuperfluo & procaci ornatu non ſolùm in libidinem prouocant, at etiam pelliciunt in eiuſdem luxûs affectum: qui ne muliebri hac mollitie, & laſciuia deprauentur, hos ideò Apoſtolus primariò monet, quatenùs Chriſtianæ modeſtiæ ſint ita memores, vt mulieribus exemplo eſſe poſſint; tam honeſtè enim, & moderatè eos decere veſtiri, vt ſimiliter mulieres induantur eo habitu, quo vxores virorum Chriſtianorum dignoſci poſſint; *Vt ſint pariter* (ſicut ad Philippenſes ſcribit c. 2.) *ſine querela & ſimplices, filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos luceant ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.*

Quod ſi tantam modeſtiam exigit Apoſtolus in laïcis coniugatis, in fœminis non modò ætate maioribus, ſed & adoleſcentulis, in vtriuſque ſexus iuuenibus, (ait enim ad Titum c. 2. *Iuuenes ſimiliter hortare vt ſobrij ſint*) nónne maiorem depoſcit in Clericis, qui vt B. Petrus admonet,

1. Pet. 5. 3. *forma debent fieri gregis ex animo:* Græcè formæ τύποι, quemadmodum in prælo formas vocamus typos, è quibus impreſſa editionis folia eliciuntur: ſed eorum characteribus inſignita, vt referant vſque ad minimum apicem quicquid in formis ipſis, typíſque continetur; ſic enim Clericos laïcis exemplaria, & archetypos omnis pietatis, humilitatis, modeſtiæ præbere ſe oportet; à quibus in eos eadem forma diſciplinæ Chriſtianæ deriuetur. Idipſum dum ſuum docet Timotheum vas electionis Paulus, non ſemel exigit ac poſtulat 1. ep. 4. *Exemplum eſto fidelium* (τύπος, forma & exemplar) inquit, *in verbo, in conuerſatione;* non ſolùm in ſermone pio & honeſto, ac ſano, ſed etiam in habitu modeſto, pudico motu, grauíque inceſſu & aſpectu. Eſto talis vt ſis aliis quos doces faciendi exemplar, morum norma, honeſtatis & puræ vitæ regula: exhibe te, inquam, talem non infidelibus modò, apud quos qui grauiora crimina non facit, magnus habetur: ſed ipſis maximè fidelibus, qui licèt pij & ſancti ſint (vt paſſim hac ætate erant, vigente Chriſtiana diſciplina ſub Apoſtolorum oculis) te videntes tamen, paſtorem te, ſe oues cognoſcant, tuóque proficiant exemplo; efficere lex animata, oſtende te legem non modò prædicare aut præſcribere, ſed reipſa exequi; ideóque omnium quæ dicis & doces, imaginem in te exprime viuam & efficacem. ſic quoque ſcribit ad Titum; *in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum;* in omnibus ait, nec enim ſufficit Dei miniſtro, Eccleſiæ Prælato, animarum paſtori, Epiſcopo, Sacerdoti, & cuiuis viro Eccleſiaſtico, eſſe alicuius virtutis dumtaxat ſtudioſum, decet omnis virtutis eſſe amatorem, accuratúmque obſeruatorem totius Chriſtianæ diſciplinæ: longum enim eſt iter per præcepta, efficax & breue per exempla, plus hâc via quàm ſolo ſermone proficies: da operam igitur, vt non tantùm quæ ſanè & piè doces, audiant & mirentur; ſed quæ agis faciant & imitentur: eſto his ſpeculum viuum non tantùm in fidei doctrina, ſed etiam in vitæ integritate, id eſt caſtitate & ſanctimonia. Præterea etiam *in grauitate*, id eſt verborum non modò & morum honeſtate, ſed & geſtûs, motûs & habitûs modeſtiâ, caue ne ex puerili leuitate, muliebri mollirie, luxu, ac mundi faſtu & vanitate, ad tui contemptum eos quibuſcum verſaris, inducas: at ne vituperetur miniſterium tuum, eſto in omnibus exemplum bonorum operum; exhibe te talem, vt te ſuſpiciant omnes ac audiant, venerentur velut oraculum cæleſtis doctrinæ, ſpeculum Angelicæ puritatis, & modeſtiæ Chriſtianæ ſimulacrum omnibus numeris abſolutum; adeò vt externa ipſa tui corporis species, conſpicua ſit imago puræ mentis, figuráque expreſſa pietatis; *Veſtis enim Sacerdotis* (rectè ait magnus Gregorius ſup. lib. 1. Reg.) *bonæ eius conuerſationis indicium eſt.*

CAPVT III.

Apoſtolicos viros, florentéſque in martyriis, primos Eccleſiæ Doctores, Ignatium, Polycarpum, Iuſtinum, Athenagoram, Tertullianum, Cyprianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, eandem ſedulò diſciplinam coluiſſe, ſeruaríque monuiſſe.

AVREVM Eccleſiæ ſæculum ab ortu cœptum ſolis iuſtitiæ, non ſolùm vſque ad eius reditum ad regni cæleſtis arcem perdurauit: *Stellæ* etenim (vt prædixerat Propheta) *dederunt lumen in cuſtodiis ſuis*: Apoſtoli ſiquidem quos operis ſui vicarios Dominus conſtituerat, orientis Eccleſiæ ſplendorem, quandiu in terris conſtitêre, radiantem in natiuo decore longè latéque totum per orbem diffuderunt; quibus poſt felices excurſus in cælum receptis, vicem eorum fulgentiſſimo adhuc lumine viri Apoſtolici, qui ſuperſtites erant, ſuppleuerunt: inter quos feruentiſſimus Martyr Ignatius, quem Antiochiæ Petrus Epiſcopum ordinauerat, præcipuo lucis emicuit ornatu: viri huius ſanctiſſimi ac planè Apoſtolici effigiem ſiquis cernere velit, in pictutis non quærat, ſed in eius epiſtolis, quæ eam viuam & genuinam exprimunt: ignis illius ſuperni, qui eius pectus impleuerat, ſiquidem vndequaque micantes eiaculantur ſcintillas, ardorémque ſpirant illum feruentiſſimum, quo pro tuenda fide, augenda Chriſti gloria, propaganda Eccleſia, deſtruenda perfidia, confirmanda pietate, & Apoſtolica doctrina & diſciplina retinenda, in vigore ſuo, ad vltimum vſque vitæ ſpiritum (quem ſitibundus martyrij demum effudit in præclara victoria) exæſtuauit. Tanto horrori fuit ei ſuperbia, vanitas, laſciuia, luxus omnis & faſtus: quanto ſtudio & amore humilitas, ſimplicitas, puritas, modeſtia præcordiis eius inſedit. In epiſtola ad Magneſianos; *Ne vocemur*, inquit, *Chriſtiani, ſed etiam ſimus: non enim appellari, ſed eſſe beatum reddit; nolite ſeduci alienâ gloriâ & Iudaïcis faſtibus*; quo nomine quid intelligat, ſiquis expoſcit, meminerit, quæſo, Dominici huius dicti quo Phariſæorum vanitatem & luxum perſtringit: *Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias ſuas; amant enim primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro*; Matth. 23. Et Marc. 12. 28. *Cauete à Scribis, qui volunt in ſtolis ambulare & ſalutari in foro*; quæ omnia Phariſæorum vitia, faſtus Iudaïci nomine, breuiter quidem, ſed eleganter S. Ignatius expreſſit; qui ipſe in epiſtola ad Tarſenſes (vnde Paulus Apoſtolus oriundus erat) eos monet execrari inflationem, ſeu vanitatem, honoris ambitionem; æmulari verò Chriſti humilitatem, manſuetudinem, atque modeſtiam: *Induite verò Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, liberos educate in diſciplina Domini, virgines honorate ſicut ſponſas Chriſti, viduas pudicas vt ſacrarium Dei.* Et in epiſtola ad Philadelphienſes, *Vos oportet*, inquit, *vt*

Baruch. 3. 34.

populum peculiarem & acceptum, & gentem ſanctam, omnia in Chriſto peragere; Patres educate liberos veſtros in eruditione & diſciplina Domini. Idémque ſcribens ad Antiochenos ſuos; *Virgines agnoſcant cui ſe conſecrârint. Viduæ ne in deliciis agant, ne per luxum adiiciant verbum*, malæ famæ ſcilicet, & ſiniſtræ de ſe opinionis. Et in epiſtola ad Epheſios, eis hoc nomine plurimùm gratulatur, quòd Oneſimus eorum Epiſcopus, modeſtiæ eorum teſtimonium perhiberet, diſciplinæque Chriſtianæ vigentis apud eos obſeruantiæ, laudem daret ſingularem: *Toti enim eſtis Dei*, (ſubnectit) *& nulla cupiditas inter vos exiſtit, quæ vos commaculare poſſit. Gaudeo autem de vobis quòd vanitati non attenditis.* Cæterùm quia Clerus ſic præeſt populo, vt niſi præeat exemplo, vix prodeſſe poſſit: ſcribens ipſe S^tus. ad Heronem ſuum Diaconum, & alumnum, totus ferè in hoc incumbit, vt eum à luxu & vanitate, faſtúque ſæculi deterreat, excitet verò ad puritatem, humilitatem, ſimplicitatem, modeſtiam, ſuo vt exemplo fideles cuiuſque ſtatus, ad virtutum harum cultum, & obſeruantiam poſſit prouocare; *Superbiam fuge, ſororibus meis ſuade vt diligant Deum, ſimiliter & fratribus meis*, &c. *virgines cuſtodi* (non onuſtas gemmis, & metallis fulgentes pretioſis, ſed) *vt Chriſti pretioſa monilia; pauperes ne negligas; teipſum caſtum ſerua, tanquam Dei habitaculum; templum Chriſti exiſtis, organum es Spiritus Sancti. Noſti quemadmodum te enutrierim, etſi minimus ſum, æmulator eſto mei, meam imitare conuerſationem: non glorior in mundo, ſed in Domino; Heronem filium meum admoneo:* ſcilicet vt aſſimiletur mihi in mundi deſpectu, vanitatis odio, pietatis, fidei, humilitatis & modeſtiæ ſtudio & cultu. Porrò paſſim in ſuis cæteris epiſtolis, Clerum populo in typum proponit ipſius Chriſtianæ moderationis & ſanctæ diſciplinæ; ſiquidem ſcribens ad Trallianos, vbi eos ſubiicere ſe Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, omni cum humilitate admonuit; *Ac ipſi quidem Diaconi*, ait, *tales ſint, vos verò reuereamini eos tanquam Chriſtum Ieſum, cuius loci cuſtodes ſunt; vt Epiſcopus patris vniuerſorum typus & forma eſt, Preſbyteri autem ſicut conſeſſus Dei, & cœtus Apoſtolorum Chriſti;* quorum formam in omni obſeruantia pietatis vti populo propoſuit: *Sic ergo & vos* (ſubiungit) *deponite inflationem, ſuperbiam, deſpicientiam, faſtum; ſic poſſibile vobis erit à Deo inſeparabiles eſſe.* Et ad Philadelphienſes; *Epiſcopo attendite, & Preſbyterorum cœtui & Diaconis:* & ad Smyrnenſes: *Omnes Epiſcopum ſequimini, vt & Chriſtus Ieſus patrem, & Preſbyterorum cœtum, vt Apoſtolos; Diaconos autem reuereamini, vt Dei mandatum miniſtrantes;* Quantæ igitur perfectionis debent populo præferre inſignia! at ſatis ex diuino Ignatio.

Coætaneus & ſuppar Ignatio fuit Polycarpus, Ioannis Euangeliſtæ præcipuus diſcipulus, aliorúmque Apoſtolorum auditor; vir quo maior poſt ipſos in Eccleſia non ſurrexit: laudatiſſimam Patribus ſcripſit epiſtolam ad Philippenſes, quæ etiamnum cum Ignatianis circumfertur; in qua efficitur contendit Chriſtianos efformare ad præſcriptum Chriſtianæ diſciplinæ, maximè verò hortatur ad mundi huius deſpectum, & fugam omnis cupiditatis & vanitatis: *Scitote*, inquit, *quia nihil intulimus in hunc mundum, neque auferre poſſumus. Armemur itaque* (non veſtibus

ſumptuoſis, & ſpecioſis) ſed *armis iuſtitiæ, & doceamus noſmetipſos primùm ambulare in mandatis Domini.* Et poſt hæc, *mulieres veſtras in fide, veritate, & charitate, in omni continentia, filios erudite in omni diſciplina & timore Dei.* Tum ad imitationem, & venerationem Sacerdorum inducit; *ſubiecti eſtote Preſbyteris & Diaconis, ſicut Deo & Chriſto;* tum Preſbyteris formam quam populo fideli exhibeant ſuis in moribus, ſtatu & conuerſatione præſcribit: *Preſbyteri ſimplices ſint in omnibus, miſericordes, omnes ab errore conuertentes, omnes infirmos viſitantes, pupillos & pauperes non negligentes, ſed ſemper prouidentes bona coram Deo & hominibus;* vbi non leuiter prætereundum illud primarium monitum, *ſimplices ſint in omnibus;* idem enim eſt ac ſi diceret, *in verbo & conuerſatione*, in ſpiritu & habitu; hæc enim ſimplicitas importat; de qua ſcitè & appoſitè S. Bernardus, *Omnibus nobis* (religioſis & Clericis) *in conuerſionis initio nulla virtus magis neceſſaria eſt quàm ſimplicitas humilis, & grauitas verecunda.* Eſt autem ſimplicitas modeſtiæ filia, quæ ſuperflua quæque excludit, in toto exteriori cultu, iis quæ neceſſaria ſunt, decéntque, contenta.

Miſit in Galliam Celticam prædicandi Euangelij causâ Sanctus Polycarpus Beatum Benignum Preſbyterum cum aliquot auxiliariis; qui à vitæ ſingularitate, & habitûs à vulgari differentiâ, vtque veriſſimile eſt, inſolitâ modeſtiâ & ſimplicitate, quæ decebat mundi vanitatis contemptorem, & præconem Chriſtianæ humilitatis, notatus, atque Aureliano Imperatori tunc Diuione agenti delatus fuit à Terentiano Comite; *Vidi*, inquit, *quendam hominem peregrinum, capite tonſo, cuius habitus differt ab habitu noſtro, vitáque eius noſtræ diſſimilis eſt: Deorúmque cæremonias refutat, populum noſtrum abluit aqua, & balſamo linit, ſigna multa in populo facit, nouum Deum patriæ noſtræ annunciat, & poſt mortem, aliam vitam illi Deo credentibus promittit.* En ſchema & ſpecimen Euangeliſtæ pacis, nunciíque æternæ felicitatis genuinè à ſpectatore deſcriptum, & actis inſertum martyrij ſancti huius Sacerdotis, qui primum lumen fidei, & gratiæ Celticis his populis inuexit: quorum & Apoſtolus eſſe, tam verbi quàm ſanguinis profuſione promeritus eſt. Sed mirum cur Terentianus ille Comes, qui tam exactè Sancti Benigni facta explorauit, tonſuræ eius in vertice, & habitûs ſingularis meminit, Chriſtianæ fidei ab eo prædicatæ ſummam recitat, myſticæ ablutionis & linitionis ſacræ quæ fit in baptiſmo, ritum innuit, ſub ſilentio præteriit morem illum ſolennem ab ipſis Eccleſiæ crepundiis vſitatum, quo recens baptizatis non modò paruulis, ſed & adultis, ablato veteri habitu, noua veſtis quæ candida erat imponebatur*, *Chriſtique veſtis* (præ candore, ſimplicitate, innocentia & modeſtia Chriſtiana, quam ſignificabat) appellabatur; ſicut enim canit Lactantius carmine de Reſurrectione Domini,

> *Fulgentes animas, veſtis quoque candida ſignat,*
> *Et grege de niueo gaudia paſtor habet.*

Sed Terentianus ille ethnicus cùm eſſet, myſticos Eccleſiæ ritus accuratè non nouerat, ſolúmque eos Aureliano retulit, qui erant ſibi ex quorumdam relatione comperti.

* *Vide S. Hieronym. ep. 57. ad Damaſum.*

Floruit circa hæc eadem tempora Sanctus Iuſtinus martyr, qui origi-

ne Samarites, profeſſione Philoſophus, fidem Chriſti, quam amplexus eſt, incomparabili ſapientia ac animi fortitudine propugnauit: pro qua Romæ demùm vbi conſederat aliquandiu, tam verbis quàm ſcriptis diſertiſſimis aduersùs impios decertauerat, intrepidè ceruices lethali demum ferro ſuppoſuit: binâ editâ pro Chriſtianis apologiâ, primâ ad Senatum, alterâ ad Antoninum Pium Imperatorem. De hoc notanter Eccleſiaſtici Scriptores memoriæ prodiderunt, quòd factus Chriſtianus, doctrinámque Chriſtianam prædicans, ardenti pietatis ſpiritu quo feruebat, habitum tamen philoſophicum neutiquam depoſuit. Euſebius ex Egeſippo lib. 4. hiſt. cap. 11. *Quibus quidem temporibus*, inquit (ſedente ſcilicet Eleutherio Pontifice) *Iuſtinus Philoſophi habitu, tum verbum Dei prædicando, tum ſcriptis pro fide acriter concertando, magna famæ celebritate enituit.* Idipſum obſeruauit Sanctus Hieronymus in Catalogo de viris illuſtribus, inter quos merito iure Chriſtianum hunc Philoſophum, & athletam digno cum elogio recenſuit. *Iuſtinus Philoſophus, habitu quoque Philoſophorum incedens, &c. pro religione Chriſti plurimum laborauit.* Non inceſſiſſet autem in eiuſmodi habitu, niſi ad modeſtiam Chriſtianam hoc ſchema admodum ſimplex & graue profitendam, aptum vir adeò ſapiens & pius cognouiſſet, qui tantæ curæ refert fuiſſe Chriſti cultoribus modeſtiam ac ſimplicitatem in habitu, vt fidem Chriſtianam amplecti, & modeſtiam profiteri, coniuncta, & indiuiſa fuiſſe illis ſtudia, in prima Apologia ſua palam inſinuet; qua dum recitat mulieris antea impudicæ ad Chriſtum ſeriam conuerſionem: * *Simul*, inquit, *ut Chriſti doctrinâ & præceptis fuit erudita, non ſolùm ipſa cœpit valde moderatè & temperanter ſe gerere; ſed viro etiam perſuadere, vt ſimul ſe temperantiæ, & vitæ modeſtiæ dederet, doctrinæque præcepta quæ didicerat, ei referre.* Quòd ſi tunc fœminæ ex quo Chriſtianæ factæ eſſent, ſtatim omnem abiiciebant luxum, modeſtiæque ſtudium in externo etiam habitu, toráque conuerſatione ſua præ ſe ferebant **, viróſque adhuc ethnicos piis ſuaſionibus ad Chriſti cultum, vnáque ad modeſtiæ Chriſtianæ diſciplinam amplectendam ſollicitabant: quantò magis eos qui ex fideli populo ad Clericatum Eccleſiaſticáque munera aſſumebantur, modeſtiæ huius leges, & præcepta ſeruare neceſſe erat. Nec ſatis enim fuiſſet doctrinæ profiteri magiſterium, niſi etiam diſciplinæ ab iis vulgo fidelium, ſpectabile exemplum præberetur. Prudenter igitur cenſuit Sanctus Iuſtinus, factóque ipſo egregiè comprobauit Doctorem Chriſtianæ fidei decere vt Philoſophum, indutum incedere. Cùm vera Philoſophia ſit in Chriſti ſapientia, nemóque eſſe poſſit verus Chriſtianæ doctrinæ prædicator & aſſertor, qui verus quoque non ſit Philoſophus, & interno affectu & externo habitu. Ita & S. Hieronymus in Catalogo, vbi de Origene; ſtatim Româ illum refert Alexandriam reuerſum, Heraclam Preſbyterum, qui ſub habitu Philoſophi perſeuerabat, adiutorem feciſſe κατηχήσεως.

* Ἐπεὶ δὲ τοῖς τοῦ Χριστοῦ διδάγμασιν ἔγνω αὐτὴ, ἐσωφρονίσθη, καὶ τὸν ἄνδρα ὁμοίως σωφρονεῖν πείθειν ἐπειρᾶτο, τὰ διδάγματα ἀναφέρουσα.

** Spectauit huc Eccleſia, quæ in officio de communi viduarum R. 9. ſic concinit, *Regnũ mundi, & omnẽ ornatum ſæculi contempſi propter amorem Domini mei Ieſu Chr. quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.*

Athenagoras Athenienſis Philoſophus, Iuſtini ſynchronus, inſignem Apologiam pro Chriſtianis edidit, quam pro his legationem agens obtulit Impp. M. Aurelio Antonino, & Aurelio Commodo. In hac, vt horum Principum animos ad commiſerationem permoueat,

ſupplicia atrociſſima vbique indignè pati Chriſtianos, ex eo euincit, quòd eorum fides de Deo ſit recta, mores verò adeò puri, vt nullius ſceleris rei peragi hactenus potuerint: calumniis eos obrui falſiſſimis, putidiſſimiſque impoſturis, cùm ſint innocentiſſimi, piaculíque omnis non inſontes modò, ſed prorſus abhorrentes; tenaciſſimi omnis iuſtitiæ, religionis puriſſimæ ſynceri cultores, honeſtatis verò omnis, modeſtiæque & ſimplicitatis ſtudioſiſſimi. * *Sed quia* (ait) *perſuaſi ſumus, Deo, qui nos, & hunc mundum condidit, tranſactæ hîc vitæ totius rationes reddituros, moderatum, benignum, & plериſque contemptum viuendi genus delegimus.* Ferè in exordio huius defenſionis inſinuauerat, omnem ornatum corporis iis fuiſſe *tunicam & pallium;* quem exuere etiam parati ſint charitatis & patientiæ gratiâ, iuxta præceptum Domini Matth. 5. *Ei qui vult tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Et infrà comparatione per oppoſitionem factâ Ethnicorum & Chriſtianorum, *An verò* (inquit) *illi quibus hæc ſententia animo inoleuit: Edamus, bibamus, cras enim moriemur: & mortem, profundum quendam ſomnum, rerúmque omnium obliuionem ſtatuunt, pietatis in Deum ſtudioſi videntur; nos autem non videmur qui innocentiæ & ſanctitati vitæ omnem operam damus, vt deuitemus iudicium: nos inquam, qui præſentem hanc vitam* (proinde & mundi pompam & faſtum) *minimè magnifacimus.* En idea vitæ priſcorum illorum Chriſtianorum: quorum Clerici doctores & Ductores, typi erant ſpectatiſſimi.

* Ἀλλ' ἐπεὶ πεπείσμεθα ὑφέξειν παντὸς τοῦ ἐνταῦθα βίου λόγον τῷ πεποιηκότι καὶ ἡμᾶς καὶ τὸν κόσμον Θεῷ, τὸν μέτριον καὶ φιλάνθρωπον καὶ εὐκαταφρόνητον βίον αἱρούμεθα.

Tertullianus Carthaginenſis incomparabilis preſbyter, imperium auſpicante Seuero, florere cœpit, præcipuúſque fuit Chriſtianorum defenſor, nam vt ait de eo Lactantius in Apologetico, quem aduerſus gentes conſcripſit, *cauſam Chriſtianorum planè perorauit:* Iuſtinum & Ariſtidem, qui in ea aſſerenda præcipui fuerant, imitatus: at vtrumque eruditione & acumine, víque & pondere rationum longè ſuperans; ab eo etiam titulo Chriſti cultores defendit, *Quòd vitæ innocentiam in omnibus præberent; religionem imprimis colerent puriſſimam, & inſignem in omnibus modeſtiam præ ſe ferrent; conuenire enim hos in cœtum* (ait) *tum ad orationem pro Imperatoribus,* (à quibus tot dira patiebantur) *tum ad diuinarum litterarum commemorationem: ibidem fieri exhortationes, caſtigationes, & cenſuram diuinam: quæ à communicatione ſtationis, & conuentus quis ob delicta relegatur, auctoritate ſeniorum, & Preſbyterorum qui præſident. Illic etiam depoſita pietatis offerri, eáque non epulis, ſed egenis, & in inſulas relegatis diſpenſari: fratres verò vocari non modò iure naturæ matris omnium, ſicut cum gentibus, ſed quòd & vnum Deum patrem agnouerint, & etiam ſubſtantia familiari fratres ſint: excepto ſolo matrimonio. Cœnas autem eorum tales eſſe quales Megarenſium: quaſi craſtina die ſint morituri* (quod vel ipſum nomen ἀγάπη ſatis indicat) *in quibus non priùs diſcumbitur, quàm oratio præmittatur cum omni ſobrietate, vt pote quibus de nocte Deus adorandus.*

Vt porrò cœnas Chriſtianorum à conuiuiis gentilium ſobrietate diſtingui, c. 39. quo ſuprà dicta fuſiùs exequitur, inſinuat: ſic c. 42. dignoſci Chriſtianos ab Ethnicis ſubindicat, *non forma habitûs ſingularitate,*

ſed modeſtiæ diſciplinâ; ſiquidem non modò de æquanimitate, fide in depoſitis ſeruandis, patientia, caſtitate, cum inſignioribus Philoſophis Chriſtianos certate poſſe & vincere, at inſuper de modeſtia & ſimplicitate. Nec eos enim vt Diogenes, calcare ſuperbos thoros Platonis, ſed alio faſtu: *at humilitate faſtidire luxum*, & paupetem tenuémque deſpicere neminem. c. 47.

Cùm tamen aliquâ pacis aura Chriſtianis rebus aſpirante, ſubinde nonnullæ Chriſtianæ mulieres, ſexûs propenſionem quæ in luxum tendit ſecutæ, oblitæ nonnihil Chriſtianæ ipſius ſimplicitatis & modeſtiæ, ad mundi genium in habitu, pompæ & decoris impotenti affectu, rediiſſent, zelo quo feruebat magnus ille vir Chriſtianæ diſciplinæ, calamum arripuit, gliſcentémque hunc abuſum reuulſione potenti ſibi operæpretium cenſuit maturè ire præciſum: conſiderato ſiquidem exceſſu habitûs muliebris, tam in cultu, quàm in ornatu, librum fœminis Chriſtianis inſcripſit paræneticum, de earum habitu: quo primum omnium docet lugere potiùs, pœnitere & omni ſatisfactionis habitu ignominiam primi Euæ delicti expiare debere mulierem, quàm ornari, ſi ad mercedem mulier reſpiciat quæ expectatur in cælis. Deinde Angelis deſertoribus, qui & metallorum opera nudauerint, & incantationum vires promulgauerint, & omnem curioſitatem vſque ad ſtellarum interpretationem deſignauerint, propriè & peculiariter adſcribi debere, omne inſtrumentum muliebris gloriæ, *quibus tamen in lauacro renunciauimus*. Porrò etſi illis non imputetur, rerum tamen ipſarum cultum ſeu mundum muliebrem, qui in auro, & argento, & gemmis, & veſtibus conſiſtit, ad ambitionem pertinere: ornatum verò quem immundum muliebrem conuenit dici, qui in cura capilli & cutis, & earum corporis partium quæ oculos trahunt ad proſtitutionem: auri verò, & argenti, ac ferri, & æris parem eſſe conditionem: gemmas item non aliud eſſe, quàm aut lapillos & calculos, aut maris conchas, aut denique de frontibus draconum erui ſolitas, *vt ſic etiam de ſerpente cultior fiat mulier*. Hæc omnia ſola raritate, & peregrinatione gratiam poſſidere: porrò non placere Deo adhibitos ad fucum colores, quos non ipſe produxit; atq; adeò intelligi à Diabolo eſſe, interpolatore naturæ: *Denique ad ambitionem pertinere hæc omnia*. Verùm, ſiue quòd cum plauſu acceptus fuerit iſte liber; ſiue quòd edomandæ muliebri vanitati non ſatis ipſi viſus fuerit Tertulliano acer ac efficax; iterum contra eundem luxum muliebrem ſtylum ſtrinxit, altero edito libro, inſcripto *de cultu fœminarum*, quo ſpeciatim artificia circa cutam capilli, & cutis pigmenta, fucúmque vehementiùs inſectatur; hoc vnum maximè perſuadere contendens, pudicitiam, quæ ancillas Dei deceat, non in ſola conſiſtere carnis integritate, ſed & cultûs & ornatûs ſimplici munditie, vt à gentilibus differant: non eſſe in carne gloriandum, niſi quum propter Chriſtum lacerata durauerit, vt ſpiritus in ea coronetur. Maximè porrò delinquere, qui cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, reprehendentes artificem Deum, cùm emendāt, quæ capillū vertunt, vti Germanæ & Gallæ, cerebro perniciem reſeruate: nec minùs illis quæ neſcio quas enormitates

ſutilium atque textilium capillamentorum alieni capitis, nunc in galeri modum vertici adfigunt, nunc collyridas quaſdam ceruicibus adſtruunt, magis adhuc proprias formæ præſtigias in viris improbari, vt fœminis placeant. Quamobrem Chriſtianis fœminis erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis earum impedimenta, ipſis curandam eſſe amputationem, & decuſſionem redundantioris nitoris: nam quid prodeſt faciem quidem fingi, & expeditam, & ſimplicitate condignam diuinæ diſciplinæ exhibere; cætera verò corporis laſciuioſis pomparum & deliciarum ineptiis occupare? quomodo enim humilitatem aliter implere poterunt, quam Chriſtiani profitentur debere eſſe inter ancillas Dei, & Diaboli diſcrimen? vt exemplo præſint infidelibus, vt ædificentur in eis, & magnificetur Deus in corpore Chriſtiano: magnificatum autem iri per pudicitiam atque habitum pudicitiæ competentem, ſecundùm Gentilium, aut ſecundùm Dei placitum Chriſtianos incedere oportet; optandum tantummodo, ne iuſtæ blaſphemationis cauſæ ſint mulieres Chriſtianæ; ſi quæ *Sacerdotes pudicitiæ* dicuntur, impudicarum cultu procedant: illa ciuitas valida quæ ſuper ſeptem montes, & ſuper aquas plurimas præſidet, quum proſtitutæ à Domino appellationem meruiſſet, quali habitu appellationi ſuæ comparata eſt? ſedet certè in purpura cum coccino, & auro, & lapide pretioſo, quæ maledicta ſunt ſine quibus non potuit maledicta & proſtituta deſcribi. Proiicienda denique eſſe ornamenta terrena, ſi cæleſtia optamus: odio habendum quod Iudæos perdidit. Cæterùm tempora Chriſtianorum ſemper, & nunc vel maximè non auro, ſed ferro tranſigi, ſtolas martyriorum præparari, Angelis baiulis ſuſtineri. Prodeant igitur Chriſtianæ animæ Apoſtolorum ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti; veſtitæ ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ: taliter pigmentatæ Deum habituræ amatorem. Hactenùs Tertullianus, quem

S. Cyprianus cùm fermè in cæteris quibuſque, tum maximè in hoc genere diſputandi contra luxum veſtium, & modeſtiæ Chriſtianæ in his diſciplinam aſſerendi egregiè imitatus eſt. Extat eius liber planè aureus *De diſciplina & habitu virginum*, de quo breuiter Pontius in eius vita. *Quis virgines*, inquit, *ad congruentem pudicitiæ diſciplinam, & habitum ſanctimoniâ dignum, velut frænis quibuſdam Dominicæ lectionis coerceret?* Dignus eſſet iſte liber qui hîc totus deſcriberetur; at peruius extat, quem ſatius fuerit totum perlegere, quàm hîc dumtaxat quædam eius fragmenta decerpere: maximè cùm iam nonnullos obiicientes mihi audire videar, de Clericorum habitu diſſerere promiſiſti, & ad habitum mulierum & virginum diuagaris? Quibus, ne aberrare à ſcopo me putent illubentem vel imprudentem, paucis reſpondeo; ſtatuiſſe me modeſtiam in habitu oſtendere, non minimam eſſe religionis Chriſtianæ diſciplinam; quam cùm tantoperè Dominus, Apoſtoli, & Patres commendent virginibus Chriſto ſacris, & fœminis etiam coniugatis; hinc elici ad eiuſdem obſeruantiam Clericos, & Sacerdotes longè diſtrictiori lege obli-

gari. Quis enim dum audit Tertullianum, vel Cyprianum, à luxu fœminas Chriſtianas deterrentem, quia in baptiſmo omnibus Diaboli pompis & operibus abrenunciauimus, quia debet inter ancillas Dei, & Diaboli ſpectabile eſſe diſcrimen, quia decet mulieres Chriſtianas Sacerdotes eſſe pudicitiæ: porrò viros coniugatos præire exemplo vxoribus magíſque eis peccare, ſi præſtigiis formæ & habitûs deprauentur: Quis hæc non perſpiciat axiomata, Dei Sacerdotes, omnéſque Eccleſiæ miniſtros, Clericos arctiori prorſus iure conſtringere? qui cæteris forma diſciplinæ eſſe debent, ad hoc dati à Domino vt ſint *lux mundi & ſal terræ*, omníſque pietatis, & ſanctimoniæ ſpecula conſpicua.

Matth. 5.

Sed B. Cypriani dictis non eſt cur minutim expendendis immoremur, cùm verbis ſint exempla potiora: Pontius in eius vita ſimulacrum eius graphicè depingit, quod imitari ſi velint Sacerdotes & Clerici, ad habitûs & formæ modeſtiam optimè queant componi: ita enim ſe geſſit hac in parte Cyprianus, vt typus omnium vnus meritò eſſe poſſit. Pontius præfatus eius Diaconus eius in vita hæc igitur ſcribit: *Exinde quemadmodum ſe geſſerit quis referre ſufficiat? quæ illi pietas, quis vigor, miſericordia quanta, quanta cenſura: tantum ſanctitatis & gratiæ ex ore eius lucebat, vt confunderet intuentium mentes; grauis vultus & lætus; nec ſeueritas triſtis, nec comitas nimia, ſed admixta vtrinque temperies, vt eſſet ambigere, vereri plus an diligi mereretur, niſi quod & vereri, & diligi merebatur: ſed nec cultus fuit diſpar à vultu, temperatus & ipſe de medio; non illum ſuperbia ſæcularis inflauerat, nec in prorſus affectata penuria ſordidârat, quia & hoc veſtitûs genus à iactantia minus non eſt quàm oſtentata taliter ambitioſa frugalitas*, &c. viderint pietatis Antiſtites quos ad officium boni operis inſtruxit ipſius ordinis diſciplina, &c.

Inter eiuſdem B. Cypriani opera tom. 3. extat inſignis liber *de ſingularitate Clericorum*, quem plerique Origeni adiudicant non contemnendis coniecturis, vt eſt Græca phraſis, atque conſtructio, geniúſque ipſius Origenis, qui totus hîc ſpirat, & facti eius proprij quam ſuadet Auctor Clericis imitatio, feruenti zelo puritatis ſuccenſus, quo vt omnes nôrunt ipſe Origenes ardebat. Tametſi verò ille liber *de ſingularitate Clericorum* in eo verſetur, vt ex reuelatione diuinitus ſibi facta, & Scripturarum ſacrarum oraculis Clericos ad vitam exhorterur ſingularem ſeu ſolitariam, ſine conſortio vllius fœminæ: cùm vitandi ſcandali causâ, tum periculi incontinentiæ, à qua eos vehementer abhorrere fortiſſimis admonet argumentis: attamen paſſim quanta ſingularitate conuerſationis, modeſtiæ, humilitatis, & omnis Chriſtianæ diſciplinæ, Clerici debeant laïcis prælucere, monitis planè ſanctis oſtendit ac inculcat. *Propter quod* (inquit) *Dominus in Euangelio ſic præmonet, dicens, ſic luceat lumen veſtrum coram hominibus, vt videntes opera veſtra bona magnificent patrem veſtrum, qui in cælis eſt: hoc ſequitur & Paulus Apoſtolus dicens: prouidentes bona nec tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*, &c. *Cùm hoc laïcos doceat, maximè vehementer neceſſitas iſta conſtringit, quibus aut religio blaſphemata, aut fraternitas perdita pœnas duplices irrogabit: propter quod ſic Paulus Apoſtolus Titum inſtruit, dicens; teipſum bonorum factorum præbens exemplum*

in

*in doctrina, in humilitate, in integritate, in grauitate, &c. ſic & ad Timo-
theum ſcribit; forma eſto fidelibus in ſermone, in conuerſatione, in charitate,
in fide, in caſtitate: quod & Petrus Apoſtolus hortatur dicens: conuerſatio
veſtra in gentibus bona ſit, vt in eo quod detrahunt de vobis, &c. in bonis ope-
ribus veſtris glorificent Deum, &c. Ac ne tardiùs ſit euagari per ſingula, totum
quicquid agimus honeſtum eſſe poteſt, ſi in nobis ſigna honeſtatis eluceant; ſicut
Paulus Apoſtolus vniuerſa complexus eſt dicens, omnia veſtra honeſtè fiant. Et* 1. Cor. 14.
iterum, ſicut præcepimus (inquit) vobis, vt honeſtè ambuletis. Contem- 1. Theſſ. 4.
*plamini quid ſit populo ſancto præeſſe, & conſiderate quale ſit ſacramentis di-
uinis inſiſtere; alteris placere debent, qui alteris viuunt, & talis conuenit cu-
ra ſynceritatis ſacratis, qualia ſunt ſacra ipſa quibus exhibent officia ſeruitu-
tis; ne circa Dominum offendant ipſi quod tractant, aut circa populum incipiant
impedire quod prædicant: propter quod Paulus Apoſtolus ſic teſtificatur: &
omnia, inquit, ſuſtinemus ne quid impedimentum demus Euangelio Chriſti. Et
iterum; nemini dantes vllam offenſionem ne vituperetur miniſterium noſtrum:
& infrà, hoc exigit ſancta ſingularitas Clericorum vt antequàm transfiguretur,
iam transfigurata cernatur in Angelicæ claritatis aſpectum; vnde ſic nos Apo-
ſtolus edocet dicens, ſicut filij lucis ambulate; fructus enim luminis eſt in omni bo-
nitate, & iuſtitia, & veritate, probantes quod beneplacitum ſit Deo, &c.
Omnia facite, vt ſitis irreprehenſibiles, & ſimplices ſicut filij Dei immaculati in
medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo;
ſic vtique ſingularitas ſplendet, vt omnes pro illa ſplendere non dubitent, & ita
in ſemetipſa ſanctitatem clarificat, vt laudem ſibi ab ipſis quoque inimicis extor-
queat: quod magis de propoſito quocumque* (Epiſcopo, Sacerdote, Clerico)
*mandat Apoſtolus dicens, oportet autem eum, & teſtimonium habere bonum ab his
qui foris ſunt, &c. Denique ſubiungit, rogo vos quantùm valeo, & vltra quàm
valeo, hæc ſint ſtudia Clericorum: ſic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in
Clericis Eccleſiæ ſenatus candidus conſtet. Seueritas, &c. in vobis vigeat, aucto-
ritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur.* Hactenùs auctor ille puta-
rus Cyprianus, aſſerrus Origenes.

Clemens Alexandrinus Preſbyter, eodem ſæculo claruit quo floruit
Origenes, cuius extitit magiſter, & in cathedra Alexandrinæ Eccleſiæ
didaſcalica anteceſſor; ipſe verò Pantheni diſcipulus: Tertulliano quo-
que contemporaneus, ſiquidem vixit ſub Seuero Imperatore, quemad-
modum colligitur ex eius lib. 1. Stromarum: quæ volumina, vt cætera
ipſius opera plena eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis diuinis,
quàm de ſæcularibus litteraturæ floſculis S. Hieronymus in ipſius elogio
Clemenris prædicat: de quo & in epiſtola ad Magnum: *Clemens Ale-
xandrinus Preſbyter Eccleſiæ, meo iudicio omnium eruditiſſimus, octo ſcripſit ſtro-
matum libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium contra gentes; Pædagogi quo-
que tria volumina; quid in libris eius indoctum: imò quid non è media Philoſophia,
tam diuina nimirum quàm humana?* Opus illud Pædagogi ſanè egregium
edidit vir ille ſapienriſſimus, vt ad præſcriptum diuinæ legis, & Chri-
ſtianæ diſciplinæ moderandas eſſe animi paſſiones, moréſq; componen-
dos, & actiones edoceret; quamobrem & hinc Pædagogi indidit titulum,
non tamen eo nomine intelligens ſemeripſum, at Chriſtum Dei Ver-

bum & ſapientiam, qui omnes ad ſe venientes tanquam infantes docet, & ducit, vt apertè inſinuat lib. 1. c. 7. Porrò pædagogiam quam profitetur „ magiſter ille cæleſtis, eſt (inquit ibidem Clericis) veritatis directio ad „ Dei contemplationem, & ſanctarum actionum aperta ac euidens deſcri„ ptio, in æterna perſeuerantia. Pædagogus enim ſanctus Deus, Ieſus, „ Verbum, ipſe clemens & benignus, qui eſt dux omnis humanæ creaturæ, „ legibus quæſiuit in mundo, nunquam cedit, nec eis puerum tanquam „ cymbam in libidinoſam & belluinam viuendi rationem impellere per„ mittit; ſed ſolo ſecundo veritatis ſpiritu in altum ſublatus, clauum pue„ ri fortiter tenet, donec inoffenſum in portum cælorum perduxerit. Be„ nignum ſiquidem oſtendit eſſe diuinum hunc pædagogum & ho„ minum amantem; qui ex æquo virorum & mulierum eſt præceptor, „ cuius omnes qui in veritate verſantur, ſunt diſcipuli & ſub eius ferula „ quaſi pueri. Cuius ſit poteſtatis & benefacere & iuſtè punire. Idem enim „ Deus Verbum, & à peccatis arcet minans, & humanæ naturæ ſalutem „ dat adhortans. Ipſum verò dudum per legem & Prophetas pædagogi „ functum officio; deinde tandem per ſeipſum; cui nos Pater æternus mi„ ra ex beneuolentia, tanquam vero & germano rationalis creaturæ præ„ ceptori, tanquam filios eorum commiſit & commendauit. Fide porrò
cap. 11. „ eſſe dignum diuinum hunc pædagogum vt pote ornatum tribus rebus „ pulcherrimis, ſcientiâ, beneuolentiâ, docendi libertate; ſcientiâ qui„ dem, quoniam eſt ſapientia Patris; dicendi autem fiducia, quia Deus „ eſt & opifex; beneuolentia aurem, quoniam ſolus pro nobis ſeipſum „ hoſtiam tradidit; in eius ſchola hoc ſummum omnium theorema „ diſcendum eſſe, id quod rectè & ex virtute, fieri ex recta ratione „ à Verbo & ſapientia Dei tradita; quod ſit contrà eſſe peccatum. Ita Clemens Alexandrinus Pædagogi ſui diſſerit libro 1. nihil aliud, vt in fine monet, contendens, quàm vitæ Chriſtianæ tradere inſtitutionem, non tantùm ad viuendum, ſed ad rectè viuendum; lib. autem ſecundo, ad particularia quædam deſcendit documenta; & oſtendit primùm quomodò in alimentis verſari oporteat; quomodò in potu quiſque ſe debeat gerere; quomodò in conuiuiis; tum de riſu agit; ſubinde de turpiloquio fugiendo; mox ea inſinuat quæ oporteat obſeruare eos, qui honeſtè ſimul viuunt; deinde diſquirit an vnguentis & coronis ſit vtendum, atque à ſummis ad ima vſque deſcendens, de calceamentis diſſerit, luxum muliebrem hac in parte perſtringens, virorúmque etiam pudendam mollitiem ſtylo eleganti & erudito, nonnihílque aculeato, tametſi tandem calceos indulgeat demum fœminis candidos, viris nullos niſi militares aut plebeios, Chriſtianis enim tenuem ac ſimplicem calceaturam ſufficere, exemplo Domini; non enim curioſos aut ſuperfluos habuiſſe calceos, qui veræ Philoſophiæ typum oſtendebat. Inde contra gemmarum aureíque ornatûs luxum diſputat, & totum mundum muliebrem, quem ſtupere & mirari non oportere docet; quo vti Chriſtianis fœminis nefas ſit; eas enim quæ Chriſto ſeruiunt, conuenire frugalitatem amplecti, quæ curam gerit ſanctitatis; & ſufficientiam quæ ſcilicet eſt habitus quidam quo fit vt neque quid deſit, neque redundet; huius ma-

trem eſſe iuſtitiam; nutricem autem virtutem quæ dicitur αὐτάρκεια, quæ eſt per quam contenti ſumus. Tum præclara hac apoſtrophe Chriſtianas fœminas compellat; ſit verò in manuum veſtrarum carpis ſanctus ornatus, in pedibus autem appareat impigra alacritas ad benefaciendum, & ingreſſus ad iuſtitiam. Torques autem & catenæ ſint pudor & modeſtia; non perforentur aures præter naturam, vt aureæ ab eis inaures dependeant, neque enim fas eſt vim inferre naturæ. Nec alius fuerit aurium melior ornatus, deſcendens per meatus qui ſunt ſecundùm naturam, quàm vera Catechesis, hoc eſt quæ per auditum ſuſcipitur inſtitutio. Oculi autem verbo inuncti, & aures ad ſenſum perforatæ, diuinarum rerum auditorem, & ſanctarum rerum contemplatorem efficiunt; verbo veram oſtendente pulchritudinem, quam oculus non vidit, nec auris priùs audiuit. Librum porrò tertium à fine præcedentis exorditur; primùm enim diſſerit de vera & ſolida pulchritudine, deinde docet non eſſe cultu vtendum, niſi modeſtiæ & virtutis, acritérque contra meretricium nitorem, effœminatúmque virorum animum inuehitur; qui formam colunt muliebrem & luxum æmulantur. Eò vſque enim (inquit in limine c. 3. lib. 3.) proceſſit luxus, vt non ſolùm fœminæ inani hoc ſtudio laborent, ſed etiam viri hoc vitium ſequantur, qui enim à corporis cultu puri non ſunt, ij nequaquam ſani ſunt: ad mollitiem autem declinantes planè effœminantur, illiberali quidem tonſu ac meretricio ſe tondentes; ſubtilibus autem ac pellucidis veſtibus induti glorioſè vndequaque obeuntes, maſtichen rodentes & vnguenta olentes: contra quos expanſis velis miræ eloquentiæ ac eruditionis, piæque æmulationis pleno ſpiritu declamitat; deinde per aliquot diuerticula digreſſus, vt quòd ſolus Chriſtianus ſit diues; quòd pulchrum viaticum Chriſtiano ſit frugalitas, ad compendioſam optimæ, id eſt Chriſtianæ vitæ pertractationem deuenit; quam ferè modeſtiæ & temperantiæ humilitatíſque includit diſciplina. Diuinum enim pædagogum nobis concedere frugali veſte vti, albo colore vt diximus, lib. 3. c. 11. in ipſo exordio, vt non arti varieganti, ſed naturæ generanti nos accommodantes, quicquid eſt fallax, & veritatem ementitur, repellentes, quod eſt ſimplex, & vniuſmodi veritatis amplectamur. Quemadmodum enim militis, & nautæ, & principis, ita etiam viri temperantis propria eſt veſtis, quæ eſt minimè elaborata, & eſt decora & munda. Vnde etiam quæ in lege per Moyſen de lepra lata eſt lex, reiicit quod eſt varium, & multis maculis notatum. Porrò autem vtatur etiam fœmina veſte frugali & honeſta, magis autem molli quàm viro conueniat. Congruant autem veſtes ætati, perſonæ, figuris, naturæ, ſtudiis, (ſicut igitur ſuprà dixit militis, & nautæ, & principis proprias eſſe veſtes, ita & Sacerdotis & Clerici, quos & poſteà ſpectat, nonnullos non obſcurè ſuggillans, tam circa tonſuram quàm veſtem delinquentes, alio vt pote vtentes indumenti genere, quàm gradui & conditioni competat, vt liberiùs genio, imò potiùs vitio ſe dedant) quoniam autem non decoris gratiâ tonſura, ſed propter alias accipitur circumſtantias, pili tondendi ſunt, non nouacula, eſt enim illiberale, ſed duabus tonſorum forficibus. Barbæ autem pili qui nihil moleſtiæ afferunt, non ſunt vellendi, vt

c. 11. in fine.

eodem c. 11. circa med.

qui vultui grauitarem afferant, & quendam paternum terrorem incutiant (Sacerdoribus optimè congruentem.) Porrò quoque mulros docet, (ſacros ſcilicet viros) non peccare figura & habitu, ne facilè deprehendantut, iis autem qui nolunt manifeſtè peccare occultus habirus & non inſignis, eſt gratiſſimus: quod veriti ij quibus licet peccare, propterea quòd non cognoſcantur, multis aſſimilari vt ſecurè poſſent peccare, *cap. 12. ſere in limine.* conſecuti ſunt. Ar ſatis fuir præreritum tempus (ait Perrus) ad faciendam genrium voluntarem dum ambulauimus in laſciuiis, &c. & nefariis idolorum cultibus, *limitem habemus crucem Domini, cui crucifigimur.* Regenerati ergo in verirate affigamur, reſipiſcamúſque atque ſanctificemur, &c. oprima ſanè educatio, ſeu inſtiturio eſt moderatio, quæ eſt decorum vndequaque perfectum, firmáque & ſtabilis ac ordinara poteſtas, ea quæ ſunt inter ſe inuicem coniuncta, & cohærenria factis rectè diſtribuens virtute inſuperabilis. Hæc Clemens pædagogi cæleſtis ad Eccleſiam inrernuncius, qui ſubinde carena confecta ex ſelectis ſacræ Scripturæ ſentenriis, quibus Chriſti fideles ad mores verè Chriſtianos, & modeſtiæ imprimis ac humiliraris, pieraris & caſtimoniæ ſtudium efformen- *p. 264. poſt med.* tur, ſubdir per corollarij modum de Cleticis: *Plurima autem alia præcepta quæ ad electas perſonas pertinent, in ſanctis libris ſcripta ſunt; hæc quidem Preſbyteris, alia Epiſcopis, alia Diaconis, &c. de quibus fuerit aliud dicendi tempus.* Sed quod in voris habuit vir ille inſignis non præſtirir. De hâc enim Cleri ſpeciali diſciplina quòd ex profeſſo diſſeruerit poſtmodum, nulla in eius ſcriptis quæ ſuperſunr veſtigia apparent. Meminir Caſſiodorus in lib. 1. diuinarum inſtirurionum, explanarionis Clementis Alexandrini in epiſtolas canonicas, ſed an ea ſir quæ in bibliotheca veterum Patrum legirur, Cardinalis Bellarminus dubirar. Honorius Auguſtod. in lib. 1. dè luminaribus Eccleſiæ, c. 39. plura alia ſeripta huic ipſi Clementi, quàm recenſeat ipſe Bellarminus & S. Hieronymus, arrribuit; videlicer librum vnum *de Paſcha*, alrerum *de ieiunio* per modum diſceptationis; item alium cuius titulus eſt, *quiſnam diues ille ſit qui ſaluetur*: vnum ir idem librum *de obtrectatione*, diſceptationem aduersùs eos qui Iudæorum errorem ſequuntur: denique librum vnum *de Eccleſiaſticis canonibus*, qui vtinam ſupereſſet; ſanè plerique in eo, vt veriſimile eſt, canones antiqui qui exciderunt, poſſent reperiri; quin & expreſſa in eis perſpicere liceret decrera, quæ ex primitiuæ Eccleſiæ ſententia & praxi, canonicam Clericorum diſciplinam, tam circa ritus quàm mores, tonſuram & habirum, rectámque eorum inſtitutionem & gubernationem redderent perſpectam & exploratam.

CAPVT IV.

Sanctorum Patrum, qui poſt ethnicas perſecutiones ſuperatas in Eccleſia fulſerunt, eadem de re monita & exempla: item canonicæ ſanctiones editæ in Synodis, vel à Pontificibus emanatæ.

§. 1. *Sæculum IV. quod excurrit ab anno 300. ad annum 400.*

SANCTVS Athanaſius, ſublime illud columen[a] Eccleſiæ ac lucidiſſimum[b] ſydus, ſapientiæ Apoſtolicæ[c] oraculum, eximium conſtantiæ & virtutis exemplum, qui ſimilem ſemper ſplendenti ſpeculo vitam habens, priùs pene adeptus eſt Martyris meritum, quàm Confeſſoris caperet[d] dignitatem; in Parænesi de virginitate, Presbyteram inſtituens ad ſacræ diſciplinæ obſeruantiam de modeſtia in habitu ſeruanda, hunc in modum effatur *; *Tu autem ſi non facias tibi iuuenilis habitus, non audies iunior, ſed grandior, & Presbytera vocaberis, honorémque vt presbytera habebis. Materia tuarum veſtium ne ſit pretioſa, indumentum tuum fuſcum ſit, non tinctum, ſed natiui coloris, aut ſaltem album amiculum fimbriis careat; eiuſdémque coloris ſint manicæ laneæ, brachia obtegentes vſque ad digitos manuum: capilli circum tonſi, crinalis vitta ex lana ſit caput aſtringens. Cucullula & ſuperhumerale laſcinias non habeat; &c. ipſa ratio cultûs veſtitúſque ſanctitatem deceat.* Presbyterarum in priſcis Conciliis non infrequens fit mentio, eæque erant mulieres cœlibem vitam agentes, quarum viri Presbyteratûs ordine initiati vel erant vel fuerant. Ita intelligendus canon 21. Concil. Autiſſiodorenſis, quô vetitum *ne Presbytera cum ſuo Presbytero dormiat.* Porrò in antiquis Patrum monimentis vt Presbyterarum, ſic & Diaconiſſarum, & Epiſcopatum ſatis peruia eſt nuncupatio. Quæ monuiſſe neceſſe fuit, vt conſtaret lectori accipere vt deberet nomen Presbyteræ, ad quam Sanctus Athanaſius inſtituendam ad præſcriptum Eccleſiaſticæ legis vitæ monita præſignata dirigit. Vetat Concilium vetuſtiſſimum Laodicenum, has tanquam ordinatas in Eccleſia conſtitui, can. 11. Verùm ſic prohibet iis conferri presbyteralem ordinem; vt tamen ipſum nomen & formam externam, quoad vitæ continentis legem & habitûs modeſtiam, iis relictum, imò præſcriptum eſſe velit. Hinc Romani Concilij ſub Gregorio II. can. 1. *Si quis Presbyteram duxerit in coniugium, anathema ſit; & reſponderunt omnes tertiò, anathema ſit.* & can. 2. *ſi quis Diaconam in coniugium duxerit, anathema ſit; & reſpondêre vt ſuprà.* Vt igitur ad cœlibatum tenebantur ſicut Presbyteri, eorum viri, à quibus mutuo conſenſu ſeparatæ ob promotionem fuerant, ſic ad eandem habitûs modeſtiam, & ſanctæ conuerſationis diſciplinam. Sed me hîc fortè nonnemo de ridiculis excipiet. Vult Sanctus Athanaſius vt

a S. Greg. Nazian. orat. de S. Athan.

b Theod. Dial. 1.

c S. Cyril. Alexand. in epiſt. ad Presbyteros, Diacones, &c. in act. Epheſ. Synod. 1. cap. 1.

d Caſſian. lib. 17. de Incarn. c. vlt.

* Οὐδὲ σὺ μὴ ἐποιεῖς τὰ νεωτερικὰ σχήματα, οὐκ ἀκούσεις νεωτέρα, ἀλλὰ καὶ πρεσβύτις ἀποκληθῇ, καὶ τιμὴν ἕξεις ὡς πρεσβυτέρα. ἡ ὑπόστασις τῶν ἱματίων σου, μὴ ἔστω πολύτιμος· ὁ ἐπενδύτης σου μέλας, μὴ βεβαμμένος ἐν βαφῇ, ἀλλ' αὐτοφυὴς ἰδιόχροος ἢ ὀνυχίζων, καὶ τὸ μαφόριον ἄχροον ὡσαύτως τῆς αὐτῆς χρόας, καὶ χειρίδια ἐρεᾶ περισκέποντα τοὺς βραχίονας ἕως τῶν δακτύλων τῶν χειρῶν, καὶ τρίχας τῆς κεφαλῆς περικεκομμένας, καὶ κεφαλοδέσμιον ἐρεοῦν, περισφίγγον τὴν κεφαλὴν καὶ κουκούλιον καὶ ἐπωμίον ἄχροον. αὐτὸς γὰρ ὁ πολιτισμὸς, ἱεροπρεπὴς ἔστω.

Preſbytera cucullulam & ſuperhumerale getat: ſi igitur aſſimilari debet ipſo in veſtitu, Preſbytero, conſequenter voluiſſe neceſſe erit fateri, vt Preſbyter cucullatus incedat; quod perinde eſt ac ſi dicere voluiſſet Preſbyterum non eſſe, qui Monachus non ſit, cuculla enim Monachi proprium eſt indicium, & veſtimentum, vt conſtat ex Caſſiano, inſtitutionum monach. lib. 1. c. 4. & Sozomeno lib. 3. hiſt. c. 13. quin & S. Hieronymo in vita S. Hilarionis. Sed abſit vt perſuadere velimus, S. Athanaſium cenſuiſſe Preſbyteros ita indui oportere cucullulâ, vt monachatum neceſſe iis fuerit profiteri: videmus etiamnum in Gallia Epiſcopos ſacro capitio inſigniri, ſeu epomide, quæ non monachatûs at pontificiæ dignitatis inſigne eſt, vtque plurimùm violacei eſt coloris: licèt verò eo ſic integumento iam paſſim vti ſoleant, vt demiſſum à vertice ad humeros getant capitium, cuius quod ſupereſt in humeros ſuperfluit; olim tamen ipſo capitio, caput (excepta tota facie quæ aperta manebat, vt in aſcetis etiamnum apparet) inuoluebant. Quo ſchemate, & figura indutum inceſſiſſe ipſum Sanctum Athanaſium docet genuina eius effigies operibus eius Pariſienſis editionis anni 1627. præfixa, quam Andreas Theuetus Coſmographus regius è peruetuſto quodam exemplari, quod extat Alexandriæ, depingi curauit. Non mirum igitur, ſi modeſtiæ, & innocentiæ potiùs quàm dignitatis inſigne in Preſbyteris oprauerit, quod ipſe Epiſcopus, hoc eſt exemplar & typus Preſbyterorum præferebat. Porrò quantum modeſtiæ, & humilitatis in reliquo habitu ſtudioſus fuerit ſanctus ipſe pater, indicio eſt ipſa eius expreſſa (vt diximus) effigies, quæ à planta pedis vſque ad verticem ipſam modeſtiam & ſimplicitatem Chriſtianam refert, ac intimis quaſi ex medullis ſpirat. Tunc temporis, & diu poſteà monachatus ad Clericatum gradus erat; proinde ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, in Clericatu prælucebat, vel prælucere condecebat: quamobrem cùm in Clericis quam præferebat ipſe modeſtiam, & humilitatem in habitu ſummoperè exigeret; ipſemet etiam Aſceris commendat in ea quam ad eos ſcripſit exhortatione, inter initium & medium tom. 2. p. 620. col. 2. in fine; *Illud verò*, inquit, *extra commonitionem puto, vt ſit victus facilis, veſtitúſque vilis; cùm hic tegendi gratiâ corporis repertus ſit, non ornandi; & ille ſuſtinendæ animæ potiùs quàm obruendæ.* In vita ipſius Sancti Athanaſij Græcè edita à priſco auctore, quæ in fine eius operum extat poſt encomium eius à Sancto Gregorio Nazianzeno expreſſum, ſignatim legitur, ob deditos Eccleſiæ mores, ipſum propè iam adoleſcentem à parentibus ſuis Paulo * Archiepiſcopo fuiſſe adductum, *qui ſacram ei tunicam induit, & Clero eum inſeruit, vt cum commilitonibus ſuis ſe exerceret, & obſeruationes dirigeret.* Ex quo perſpicuum euadit iam tunc Clericis fuiſſe aſſignatas proprias quaſdam veſtes, quarum vſu & indicio vt peculiari militiæ Eccleſiaſticæ teſſerâ à vulgo fidelium dignoſci poſſent. Metaphraſtes tunicam illam Clericalem *Sacerdotale amiculum* appellat. *Poſtero autem tempore adducunt ei Athanaſium, cui ſtatim ipſe Sacerdotale amiculum circumdat, nouum Samüelem Eccleſiæ præficiens.* Ita ibi: de veſte linea ab Athanaſio poſt ſuſceptum Epiſcopatum fieri iuſſa, vide eundem

In appendice tom. 2. p. 28.

* Petro

Metaphraſtem ibidem p. 64. circa medium, & 65. poſt medium. At de Athanaſio ſatis quoad præſens inſtitutum.

Interfuit Concilio I. Oecumenico Nicæno, cùm adhuc Diaconus eſſet, ipſemet S. Athanaſius aſſumptus in cooperatorem ab Alexandro ſuo Epiſcopo; in quo præter ea, quæ in cauſa fidei aduerſus Arianam hæreſim definita ſunt, nonnulla etiam, quoad externam Eccleſiæ politiam, & Cleri plebiſque diſciplinam ſummo reipublicæ Chriſtianæ bono fuerunt conſtituta: feruntur ſacræ huius Synodi 80. canones ex Arabico in Latinum conuerſi, & recogniti à Franciſco Turiano S. I. Theologo, qui ediri extant tom. 2. Conciliorum regiæ editionis Pariſienſis; in quibus ſexageſimus ſextus canon, cuius titulus eſt, *De alio habitu, & aliis moribus, & conuerſatione Monachorum & Monialium ſic habet*; quâ eadem ſerie in corpus iuris Canonici à Gratiano ſub eiuſdem Nicæni Concilij nomine relatum eſt 16. q. 1. can. *Placuit vt Religioſi tum Monachi, tum Moniales habeant alia indumenta, & alios mores, quàm habeant laïci, ac tondeant caput in modum coronæ, & cingant ſe honeſtè, neque ſigillis* (id eſt annullis) *aureis aut argenteis obſignent, neque ferant crumenam ad latus, neque cultellos, ſicut ſolent milites & homicidæ*, &c. *quin potiùs ſint probi, & inter ſe & alios patientes, & ne eant per plateas niſi cum modeſtia, nec inter ſe iocula riter & ridiculè loquantur, ſed potiùs ſilentium teneant & grauitatem, præſertim apud aduerſarios fidei*. &c. Qui canon non ſolùm Monachos reſpicit, ſed & Clericos potiori iure; quandoquidem monachatus diſpoſitio erat ad Clericatum, quin & Præſulatum, vt ex canone ſuperiori patet, ratióque à Patribus aſſignata militet potiùs pro Clericis, quàm Monachis: diſcernendos enim vult hos Synodus à laïcis indumento & moribus. At quis non videt, quàm hoc diſcrimen, Clero maiori ratione competit, ne ſit (vt ait Propheta) *ſic populus vt Sacerdos*. Si Clerici eodem indumento tunc vſi fuiſſent quo laïci, dixiſſet profectò Concilium, *alia indumenta & alios mores habeant, quàm habent laïci & Clerici*: at de laïcis expreſsè meminit, de Clericis ſiluit, eo, quòd nimirum tantùm eos volebat Synodus ad modeſtiam & grauitatem Cleri conformare, quantùm à luxu, & vanitate laïcorum illos cupiebat eſſe diſcretos. *Iſaia* 24. 2.

Iulianum, Apoſtatam, ob eiuratam Deo fidem nuncupatum; quum ſuo cum fratre Gallo in prima iuuenture educaretur, Clericum factum Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 1. aduerſùs eundem, enarrat, munúſque Lectoris ſuſcepiſſe, & eo publicè ambos eſſe functos: Sozomenus verò lib. 5. hiſt. c. 2. ſic Clericum Iulianum factum commemorat, vt ſimul depoſitâ comâ, & ſæculari habitu detonſus vſque ad cutem ſelectæ vitæ ſchema induerit, Nicomediæ, quo Conſtantinum Imperatorem nuper ſiniſtram de ſe conceptam ſuſpicionem de rerum nouarum molitione deponere confictâ pietate induceret. Anno 337.

Sanctus Baſilius hâc eadem tempeſtate eluxit præfulgidum orbis lumen, vir planè diuinus, cognomento Magnus, ſed Maximi cognomine dignior, cuius breue elogium, ſed illuſtre Philotheus dudum conſcripſit in panegyrica oratione quam edidit in tres ſummos Eccleſiæ Doctores,

Baſilium ipſum videlicet, Gregorium eius Symmyſtam, & Ioannem Chryſoſtomum, vbi ait; *Magna Cæſarienſium Eccleſiæ præclarè præfuit Baſilius, & quaſi ſacrum quoddam prytaneium aut omnium orbis Eccleſiarum ſpeculum, & curiam illum habuit, illius verbo & opere præeſt vniuerſis, omnibú'que viribus & ingenio, cum excellenti quadam ſpiritus virtute eas adminiſtrat, ſcribendo, docendo, admonendo, mandando, diſputando, confutando hortando Reges, præfectos, duces, principes, Clerum, populum, communem vitam traducentes, & ſolitarios viros perinde ac mulieres, regiones totas ac vrbes,* &c. *ſermone & ſcriptis Oratorem, Philoſophum, Theologum agendo, ſpiritúque adiuuante* (ſuperno) *pietatem libris defendente.* Porrò non modò ſcriptis eloquentiſſimis, eruditiſſimis, piiſſimis, ſed moribus etiam ſanctiſſimis, & qualiter Paulum in ſe rediuiuum referebat, Eccleſiam vniuerſam in ſui admirationem pariter ac amorem pertraxit, quæ de eo etiamnum

Breuiar. Rom. in feſt. S. Baſilij die 13. Iunij.

prædicat, *Eum feciſſe curſum ad omnem doctrinæ & morum excellentiam, vt inde Magni cognomen meritò inuenerit.* Abſtinentiâ fuit admirabili, vna tunica contentus erat, in ieiunio ſeruando diligentiſſimus, in oratione aſſiduus, in qua ſæpe totam noctem conſumebat, quibus ſanctiſſimis exercitationibus ſeipſum demum cõſumpſit; obiit enim cùm tantùm ſpiritu viuens, præter oſſa & pellem, nulla præterea corporis parte conſtare videretur; vir igitur hic tot nominibus magnus, tametſi nobilis Eccleſiæ Hierarcha, tantæ fuit abſtinentiæ in victu, vt fere ſemper ieiunaret, tantæ ſimplicitatis & modeſtiæ in habitu, vt vnica tunica indueretur, quod tamen ſic accipias velim, vt ea ſit vſus in veſtitu priuato; nam in ſacro, vt ferebat pontificalis dignitas, & Eccleſiæ præcipiebat ritus, móſque obtinebat, indutum diuina myſteria celebrâſſe & prædicâſſe, muniáque alia Eccleſiaſtica obiiſſe, patenti indicio eſt, eius ad viuum effigies depicta in Cod. MS. Baſilio Macedoni Orientis Cæſari ante annos 700. oblato, è quo Petrus Frizonius Theologus Pariſienſis illam expreſſam protulit, vnà cum deſcriptione vultûs & corporis ſtaturæ ipſius, ex libro item veteri bibliothecæ Vaticanæ præfigendam æneis inciſam typis in tom. 1. operum eiuſdem ſanctiſſimi Patris frontiſpicio: in qua imagine ipſe S. Baſilius conſpicitur apparatu pontificio præter mitram & pedum ornatus: podere nimirum, caſula & pallio crucibus interſtincto, læuâ codicem Euangeliorum perferens, cui etiam porrectam dextram apponit. Apparet ſub caſula, pontificia tunica, Phrygionico texta opere, in cuius limbo ſeu extrema ora tam anteriori, quàm laterali, globuli appenſi cernuntur ornatûs gratiâ. Cum igitur in ſancti huius Patris elogio Eccleſia dicit *eum fuiſſe contentum vna tunica*, id profecto intelligi debet de priuato habitu, quæ tunica etſi ad priuatum ſpectaret vſum, triuialis tamen non fuiſſe formæ, ad laïcum morem, ſed ad eum modum

*Ἔστι τι στρατιώτου ἴδιον ἐν τῷ ἐνδύματι, καὶ ἄλλο τι συγκλητικοῦ, καὶ ἄλλο ἄλλου, ἀφ' ὧν εἰκάζεται αὐτῶν, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, τὰ ἀξιώματα.

confectam, quo eam perferre volebant viri Eccleſiaſtici, non dubium eſt. Cùm enim eo ipſo tempore, teſte ipſo S. Baſilio veſtes diſtinguerent homines ſecundùm vniuſcuiuſque qualitatem; * *Peculiaris enim* (ait in lib. regularum fuſiùs diſputatarum interrogat. 22. ſub finem tom. 2.) *in veſtitu eſt ornatus militis, alius ſenatoris, itémque aliorum alius, vnde vt plurimùm de dignitate illorum cuiuſque capitur coniectura.* Hinc certè conſectaneum

ſtancum eſt & Clericos & Sacerdotes, ipſóſq; Epiſcopos peculiaris etiam extra Eccleſiam formæ veſtes geſtâſſe, qua eorum Eccleſiaſtica conditio, gradus & dignitas dignoſceretur. Nam ibidem etiam Chriſtianos homines, & fœminas in veſtitu præcipuum aliquid à cæteris ſeruare, ait, oportet, per quod traditum ab Apoſtolo modeſti ornatûs ſpecimen exhibeatur: porrò Epiſcopum ornatum eſſe, Apoſtolus ipſe exigit, eo ſcilicet veſtitu, qui viſæ non modò Chriſtiani hominis, ſed Antiſtitis dignitati congruat, ſeruatâ tamen ſemper & vbique modeſtiâ, quam viris Deo ſacris ipſemet beatus Baſilius ſummoperè commendauit.* *Si in eo ſtudendum eſt nobis*, (inquit reg. 22. ex fuſ.) *vt omnium infimi ſimus* (humilitatis affectu) *& quod in genere indumentorum infimum eſt, id ſummoperè nobis eſt amplectendum: vt enim gloriæ cupidi gloriam & inanitatem ex veſtium cultu & ſplendore aucupantur; ſic videlicet humilis & pia vitæ ſtudioſi ex veſtimenti quoque ſimplicitate debent venari humilitatem, & eam conſectari.*

* Εἰ γὰρ πάντων ἐσχάτους ἡμᾶς σπουδάζειν ἐχρῆν, δῆλον ἐν τούτῳ, δηλονότι, τὸ ἔσχατον ἀσπαστέον. ὥσπερ γὰρ οἱ φιλόδοξοι καὶ ἐκ τῆς περιβολῆς τῶν ἐνδυμάτων τὴν δόξαν ἑαυτοῖς θηρῶνται, ἀποβλέπεσθαι καὶ ζηλοῦσθαι ἐπὶ πολυτελείᾳ τῆς ἐσθῆτος φιλοτιμούμενοι, οὕτω, δηλονότι, ὁ εἰς ἔσχατον αὐτὸν πιέζων διὰ τῆς ταπεινώσεως, μεταδιώκοντα αἰχμάλωτον, ἀσπάσεται καὶ ἐν τούτοις τὸ πάντων ἔσχατον.

Eadem ferè ætate claruit S. Nicolaus, admirabilis ille Myræorum Metropolites, alter Moyſes, ſignorum & virtutum operatione, qui diuinitus ad hanc ſedem delectus, cùm iam eſſet Presbyter, atque cùm inſcius diuini conſilij ad templum orationis accederet, à modeſtia habitûs & ſermonis ſuauitate & benignitate in veſtibulo Eccleſiæ deprehenſus: poſtquam ordinatus eſt Pontifex non ſolùm ſimplicitatem habitûs, quo in Clericatu vixerat, retinuit, at veſte humiliori, ac etiam neglectiori vti cœpit quàm anteà conſueuiſſet **, in quo veſtitu, nullus omnino eſſet nitor aut faſtus, ſed caſtigatæ potiùs humilitatis & modeſtiæ ſignificatio.

** Vide Manuale Paſtorum M. Antonij Epiſcopi Montis Mariani, c. 13. n. 8.

Hoc idem æuum incomparabili ſanctitate & ſapientia exornauit S. Ambroſius, qui eiuſdẽ modeſtiæ cultor eximius fuit: quàm verò abhorreret ab omni faſtu, & veſtimentorum nitore ac mollitie facilè prodit lib. 3. Comment. in Lucam c. 7. quo acriter eos reprehendit qui luxui dediti ſunt. *Pleroſque* (inquit, nec excipit Clericos, at potiùs notat longioris veſtis amantes) *molliores cura veſtis effœminat, qui quaſi lana onus ferre non poſſint, ſericas veſtes tectis per terram verrunt veſtigiis, vſuque faciunt vt amictus oneri ſit.* Addit memorandum morale theorema; *Sunt* (inquit) *mollia indumenta delicioſi actus & mores, propter quod nos hortatur Apoſtolus, vt expoliantes veterem hominem cum actibus eius, induamus nouum, in quo non dulcis illecebra ſit, ludúſque laſciuiæ, ſed vſus laboris & fructus; eo quòd tenera corporis cura luxúſque & laſciuiarum cupiditate mollitos, nequaquam cæleſtis aula ſuſcipiat, ad quam duris laborioſæ gradibus virtutis aſcenditur; hi verò quibus fluida deliciis membra ſoluuntur, regni cæleſtis extorres, intra mundi huius habitacula conſeneſcunt, quos rectores huius mundi atque tenebrarum vocat Apoſtolus.* Coloſſ. 3. 9. Epheſ. 6. 12.

Synchronus fuit S. Ambroſio B. Martinus, vir ille Apoſtolicus qui ſignis & virtutibus, vitæque ſanctæ ſplendore, ſuperſtitionis ethnicæ quæ ſupererant, pleriſque locis in Gallia reliquias extirpauit; quàm verò præ cæteris virtutibus coluerit modeſtiam in habitu, tam in Clericatu quàm Epiſcopâtu, teſtis eſt in eius geſtorum dialogis, Seuerus Sulpitius. Tametſi non modò tenuiſſe modeſtiam, ſed affectâſſe vilitatem, aut cer-

tè humilitatem nimiam, obiicerent qui electioni eius minùs fauebant: quod & S. Bernardus ex eiuſdem vitæ monimentis obſeruat, ſerm. *de exemplis obedientiæ*, ſubiiciens, nihil eorum obtrectationibus ipſum motum B. Martinum, licèt hæc à maleuolis quibuſdam obiecta fuiſſent, in ipſo tamen Epiſcopatu non mutâſſe; ſed ratio fuit in hoc ſpecialis, nempe quòd monachatum clericatui ante ſuam electionem ad Epiſcopatum, adiunxerat. Petrus Abaillardus S. Bernardi coætaneus & æmulus, ſerm. de S. Ioanne Baptiſta: *Cùm euenerit* (inquit) *vt quiſpiam ex Monachis ad Epiſcopatum aſſumatur; nequaquam is qui Epiſcopus factus eſt*, &c. *habitum religionis mutat.* Huc illud ſpectat Sidonij ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum ex Abbate Lirinenſi, lib. 3. ep. 9. *Nihil ab Abbate mutatus per Sacerdotem: quippe cùm nouæ dignitatis obtentu rigorem veteris diſciplinæ non relaxaueris*; idipſum piè laudat in B. Euſebio Vercellenſi S. Ambroſius epiſt. 82. Hinc Cap. Caroli Magni lib. 1. c. 27. *Monachus ſi ad Clericatum prouehatur, propoſitum monachicæ profeſſionis non amittat.* (Vide Petrum Cluniac. lib. 5. ep. 27.) Qui mos etiamnum in Eccleſia perdurat, & probatur in iure cap. penult. *de vita & honeſtate*, &c. quod deſumptum eſt ex Concilio generali Lateranenſi ſub Innocent. III. can. 16. in fine; vide Capitulare Aquiſgranenſe ſub Carolo Magno cap. 27. tom. 2. Concil. Gall. p. 140.

ep. 3. tom 1. Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Heliodorum de obitu Nepotiani, qui ante Clericatum, militiam ſæcularem ſecutus fuerat, *Verumtamen*, (inquit) *velut incunabula quædam naſcentis fidei comprobemus; vt qui ſub alienis ſignis deuotus miles fuit, donandus laureâ ſit, poſtquam ſuo regi cœperit militare baltheo poſito, habitùque mutato, quicquid caſtrenſis peculij fuit, in pauperes erogauit*, &c. *quid multa? fit Clericus, & per ſolitos gradus Preſbyter ordinatur.* Quali verò veſte vſus ſit cùm militiæ Eccleſiaſticæ exorſus eſt tyrocinium, paulò antè exponit; *Excepta vili tunica* (ait) *& operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil ſibi amplius reſeruauit.* Ita tamen vilem fuiſſe tunicam illam, vt ſordida eſſet, non eſt quòd opineris; adiungit enim, prudenti congruóque moderamine, hac in re vſum ipſum Nepotianum. *Cultus ipſe prouinciæ* (pro ſtatu ſcilicet ſuo) *morem ſequens, nec munditiis, nec ſordibus notabilis erat*; quemadmodum nempe ipſum viuentem admonuerat ep. 2. quæ inſcripta eſt, de Clericorum vita; *Veſtes pullas æquè deuita*, inquit, *vt candidas; ornatus vt ſordes pari modo fugiendi ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*; enimuerò, ait Sanctus Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in monte c. 12. tom. 4. *non in ſolo corporearum rerum nitore atque pompa, ſed etiam in ipſis ſordibus poteſt eſſe iactantia, & eò pernicioſior, quò ſub nomine ſeruitutis Dei decipit.* at non ſic Nepotianus, qui ab vtroque extremo, monente S. Hieronymo, piè & prudenter declinauit. At verò inter veſtem ſacram, & priuatam adhibuit diſcrimen non minùs decens quàm neceſſarium, vt tunicam priuatam quaſi rem nullius pretij ſuó in obitu nemini in donum contraderet; ſacram verò ipſi B. Hieronymo legaret pro ſingulari munere, mutuæque amicitiæ pignore atque ſignaculo. *Quis crederet in tali illum tempore noſtræ* (inquit in Epitaphio eiuſdem) *neceſſitudinis recordari, & lu-*

ſtante anima, ſtudiorum ſcire dulcedinem; apprehenſa auunculi manu; hanc, inquit, tunicam qua vtebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi, atate patri, fratri collegio, & quicquid à te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas.

§. 2. *Sæculum V. ab anno* 400. *ad* 500.

FVIT S. Hieronymo amicitiâ deuinctiſſimus S. Auguſtinus, clariſſimum Eccleſiæ lumen; qui poſt primæ conuerſationis lapſus, ſyncero corde conuerſus ad Dominum, Clericos ante Epiſcopatum ipſum, cùm adhuc Preſbyter eſſet in ſocietatem congregauit, iiſque aſſignauit ipſam viuendi normam, quam etiamnum ſequuntur Canonici, vel Clerici, qui dicuntur regulares. Extant eius duo inſignes ſermones de communi vita Clericorum, quos Cardinalis Bellarminus pro genuinis & indubitatis agnoſcit, ſúntque editi inter diuerſos quorum prior eſt 49. alter eſt 50. éſtque inſcriptus prior, *de diſquiſitione, & communi vita Clericorum ſuorum*, (nimirum quos in Epiſcopali domo, poſtquam creatus eſt Epiſcopus, & Valerius deceſſor eius defunctus eſt, apud ſe collegerat,) *ad populum Hipponenſem*; in quo ſermone rationem huius ſui inſtituti exponit, eiúſque originem & progreſſum deducit, iam ſcilicet, vt inſinuat, ſenex. Cùm verò primum ſuum acceſſum eam ad vrbem denarrat, vulgari ſe habitu fuiſſe ait indutum, ſed quem poſteà mutauit, quum ſacris ordinibus initiatus eſt; *Veni ad iſtam ciuitatem*, inquit, *propter videndum amicum, quem putabam me poſſe lucrari Deo, vt eſſet nobiſcum in monaſterio, quaſi ſecurus perueni*, (fugiebat enim Epiſcopatum) *quia locus habebat Epiſcopum; apprehenſus autem, Preſbyter factus ſum, & per hunc gradum perueni ad Epiſcopatum; non attuli aliquid, non veni ad hanc Eccleſiam niſi cum his indumentis, quibus illo tempore veſtiebar.* Vnde patet poſteaquàm ordinatus fuit, vulgare indumentum dimiſiſſe atque congruum aſſumpſiſſe ordini ſuo. Cæterùm altero ſermone, qui ſecundus eſt *ad eundem populum Hipponenſem de vita ſuorum Clericorum, quos ad ſocialem vitam*, vt ait, *ſecum coadunauerat*, manifeſtè innuit Clericalem habitum iis fuiſſe ſibíque communem; nam ſic hortatur populum: *Nemo det byrrhum, vel lineam tunicam, ſeu aliquid, niſi in commune; de communi accipiam mihi ipſi, cùm ſciam commune me habere velle quicquid habeo; nolo talia offerat ſanctitas veſtra, quibus quaſi ego ſolus decenter vtar: offeratur mihi v. g. byrrhum pretioſum, forte decet Epiſcopum, quamuis non deceat Auguſtinum.* (qui nimirum cum ſuis Clericis, clericaliter viuebat, & Clericatui communem viuendi legem coniunxerat) *certè ego ſum*, inquit, *qui ſtatueram ſicut noſtis, nullum ordinare Clericum, niſi qui mecum vellet manere*, &c. Porrò cùm ait *byrrhum pretioſum decuiſſe Epiſcopum, ſed non decuiſſe Auguſtinum*, his verbis ſubindicat alios paſſim Epiſcopos honeſtiore veſte ſolitos vti, quàm ſimplices Clericos: ſe verò quamuis Epiſcopum, hoc à priuilegio cohiberi, ſancto nimitum ſocietatis Clericalis quam inſtituerat, propoſito, imò voto, vt non ſemel dicit: agnoſcit tamen duas res eſſe diſtinctas Clericatum & eiuſmodi vo-

tum; eſſéque quoſdam qui extra ſocietatem ſuam manere volebant & Clerici erant, quamuis non ita perfecti; ſed, vt ait, *quaſi dimidij*. Iis nihilominus vt ſuus conſtabat honos, imò onus; vt enim ait ſerm. 1. *Clericatus magis onus eſt quàm honos*; ſic veſtis genus à vulgari diſtinctum, & ita ad modeſtiam compoſitum, vt eſſet Clericatûs indiciô; id manifeſtè conſtat ex can. 45. Concil. IV. Carthaginenſis anno 398. celebrati, cui interfuit ipſemet Sanctus Auguſtinus, ſic enim habet, *Clericus profeſſionem ſuam & in habitu, & in inceſſu probet, & nec veſtibus, nec calceamentis decorem quærat*; eſt porrò relatus in codicem Eccleſiaſtici iuris diſt. 41. can. *Clericus*.

Hoc eodem anno, quo Synodus iſta Carthaginenſis conuenit, S. Ioannes Chryſoſtomus Epiſcopus regiæ vrbis Conſtantinopolis creatus eſt, qui in ipſo ſuo ingreſſu comperiens Clericos, contra Clericalem modeſtiam, canonúmque diſciplinam luxui victûs ac veſtitûs deditos, eos ad profeſſionis ſuę obſeruantiam reuocare, quacumque ſuperfluitate reſecta, zelo decoris domus Dei ſuccenſus omni ſtudiô ac operâ aggreſſus eſt; vnde ſibi magnam inuidiam, ex quo præcipuam laudem merebatur, immorigerorum Clericorum conflauit, quemadmodum Palladius eius Diaconus & diſcipulus, pòſt verò Epiſcopus Helenopolitanus, in dialogo de eius vita fuſiùs commemorat.

Anno circiter 421. B. Amator Epiſcopus Autiſſiodorenſis afflatu diuino paulò poſt ſæculi huius initium, Sanctum Germanum, ſedis huius poſt eum temporis progreſſu ſucceſſorem, at tunc nobilium more, nugis ſæcularibus implicitum feruore Apoſtolici ſpiritus, quin & prophetici, quo futurum tantum, quantus fuit in Eccleſia præſagiebat, maturè, non ſine multorum admiratione, ab eiuſmodi mundanis affectibus abſtraxit, ſolitóque ritu militiæ Eccleſiaſticæ nouum tyronem adſcripſit, quem admodum Conſtantius Presbyter Lugdunenſis in rerum poſthæc ab ipſo Germano geſtarum hiſtoria, litteris prodidit hac ſerie; *Glomerata ſecum turba Clericorum atque nobilium, iniiciens manus Germanum apprehendit, & inuocato nomine Domini, cæſariem eius capiti detrahens, habitu religionis*, (id eſt Clericalis profeſſionis) *reiectis ſæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit, talibus eum verbis exhortans atque confirmans; Satagere te oportet, frater cariſſime & venerabilis, quo incontaminatum atque immaculatum cuſtodias honorem tibi commiſſum; quia me decedente tibi Omnipotens paſtorale officium commiſit.*

apud Surium tom. 7. die 31 Iulij c. 4.

Anno Chriſti 456. ſub Leone Magno celebrata eſt in Hibernia Synodus à Sanctô Patritio, & Auxilio, ac Iſſerno, Epiſcopis, cuius Synodi can. 6. excommunicat Clericum, ſine tunica & Tonſura incedentem. *Quicumque Clericus ab Oſtiario vſque ad Sacerdotem ſine tunica viſus fuerit. &c. Et ſi non more Romano capilli eius tonſi ſint, ab Eccleſia ſeparetur.*

circiter annum 460.

Tom. 5. Bibliothec. SS. PP. col. 169. E.

Saluianus, Maſſilienſis Presbyter, poſteà Epiſcopus, hac eadem ætate, quanquam paulò ſeriùs, magno ſplendore doctrinæ, eximiæque ſanctitatis dotibus emicuit, qui inter præclara quæ texuit opera, libros quatuor diuino afflatu plenos ſub Timothei nomine, *de Ec-*

cleſia, ad ipſam Eccleſiam Chriſti Catholicam nuncupauit. Horum in 4°. verò zelo gloriæ Dei exæſtuans, & ſalutis animarum cupidus, vehementer inuehitur in Chriſtianorum vitia, maximè verò Clericorum, quorum culpæ deputat præcipuam Chriſtiani orbis perniciem; ſic verò eos reprehēdit aculeato ſtylo & feruenti ſpiritu, vt dum inſinuat de more cùm adſcribi geſtiunt Eccleſiaſticæ militiæ, habitum exuere ſæcularem, induere autem ſub titulo religionis, id eſt Clericatûs profeſſione, ſancti nominis habitum, peſſimè eos abuti venerabili ſchemate & titulo, nonnulla cum acrimonia animi, at feruore dilectionis expoſtulet; ſic enim Eccleſiam affatur, ipſo ferè libri ipſius quarti exordio: *Illud durius*, inquit, *ac moleſtius, quòd quidem vt arbitror filiorum tuorum ſub religionis titulo, à religione* (id eſt ſanctæ profeſſionis obſeruantia) *diſſentiunt, & habitu magis ſæculum relinquere, quàm ſenſu.* Túmque eiuſmodi deceptorem ſingulari numero, quamquam communi iure expoſtulationis adortus; *Non credis igitur*, (inquit) *non credis, & licèt de conuerſorum venerabili choro eſſe videaris, licèt veſtibus religionem ſimules, licèt fidem cingulo* (id eſt teſſerâ militari Clericalis profeſſionis) *aſſeras, licèt ſanctitatem pallio mentiaris: non credis omnino, non credis*, &c. *induat ſibi quamuis quilibet habitum ſancti nominis, & titulum ſanctæ religionis inſcribat, ſi de ſubſtantia ſua aliis magis conſulit quàm ſibi, profectò non credit.* Tum paulò inferiùs, Clericos habitu, actu verò ſectatores mundi, falſariorum criminis inſimulat, quòd ſpeciem præferant pietatis, cuius abnegant reipſa virtutem: *Et tu*, inquit, *ſpecie profeſſionis grandia polliceris, & rebus nulla reſtituis, falſarij criminis reus es, Deo cuncta mentiris; nec immeritò ſacer ſermo iudicium de templo Dei incipiendum eſſe teſtatur; iudicium enim de domo Domini; alibi quoque, & à ſanctis meis*, inquit; *incipite.* Acriùs verò pungit ipſos Clericos, dum Chriſti laboribus otioſè frui, & perditè abuti eoſdem, verbis eiuſmodi expoſtulat quaſi ſub perſona ipſius Chriſti Domini, ita ad ipſos conquerentis: *Defoſſis à me talentis incubant, premunt argenti & auri congeſtas ſtrues; materiam quoque iis voluptati omnium præparaui, diſtenduntur diuitiis à me relictis: ego diu abſtinui vt nunc illi inebrientur. Crapula eſt illorum frugalitas mea, natant triclinioꝛum redundantium pauimenta vino; falerno nobili lutum faciunt, menſa eorum ac toreumata mero iugiter madent, ſemper vda ſunt; luxuriant in periſtromatis quæ ego feci; fornicantur in ſericis quæ reliqui.* Hactenùs Saluianus paulò amariuſculè, vt Cardinali Bellarmino videtur, qui in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in fine eius breuis elogij; *In his libris ita exaggerat*, inquit, *vitia Chriſtianorum, maximè Clericorum ſui temporis, vt nimius videri poſſet, niſi ex vero zelo gloriæ Dei & ſalutis animarum eius oratio proficiſceretur.* Hîc tamen alius locus ex eodem Saluiano præteriri non debet, lib. 5. de Prouid. quo Clericos meritò reprehendit, qui ſub ſpecie religionis vitiis ſæcularibus mancipantur, qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probra & crimina, titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, non conuerſatione aliis, ſed profeſſione, nomen tantùm demutauère, non vitam, & ſummam diuini cultûs habitum magis quàm actum exiſtimantes, veſtem tantummodò exuerunt, non mentem.

Sub huius ſæculi finem, Sidonius Apollinaris ex Senatoribus Romanis ordinatus fuit Epiſcopus Aruernenſis, ann. videlicet 472. Vir tam ſoluta oratione, quàm carmine eloquentiſſimus, doctrina ſua ætate præcipuus, morum verò innocentia & ſingulari pietate nulli inferior; cuius ingenij, & ſapientiæ monimenta pleraque exciderunt; ſuperſunt tantùm libri nouem epiſtolarum ad diuerſos, & carmina ſimul edita, quibus nonnihil Eccleſiaſtica hiſtoria ac politia illuſtratur. lib. autem 4. epiſtol. 24. qua Maximum ex Palatino Clericum factum enarrat, depoſuiſſe eum ſimul innuit cultûs ſæcularis decorem, induiſſe verò habitum Clericalem, moréſque itidem Eccleſiaſticos iniiſſe, ſic enim de eo vt viderat, memoriæ prodidit: *Igitur ad amicum* (Maximum ipſum videlicet) *libens ex itinere perrexi, quamquam villa non paucis aggere à publico millibus abeſſet. Vt veni, occurrit mihi ipſe, quem noueram anteriùs, corpore erectum, greſſu expeditum, voce liberum, facie liberalem, multùm ab antiquo diſſimilis inceſſu. Habitus verò, gradus, pudor, color, ſermo religioſus; tum comæ breuis, barba prolixa, tripodes, ſellæ, cilicium, vela foribus appenſa, lectus nihil habens plumæ, menſa nihil purpuræ, humanitas ipſa ſic benigna quod frugi, nec ita carnibus abundans vt leguminibus. Certè ſi quid in cibis vnctius nihil ſibi, ſed hoſpitibus indulgens. Cùm ſurgeremus clàm percontor aſtantes, quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus? Monachum ageret, an Clericum? pœnitentémne? dixerunt nuper impacto ſacerdotio fungi, quo recuſantem factioſè ligâſſet ciuicus amor.* Hæc Sidonius; in cuius verbis habes non ſolùm graphicè expreſſum habitûs Clericalis ſpecimen, ſed etiam morem tunc vigentem teſtatum, vt qui monaſticen profeſſi eſſent, vel pœnitentiæ eſſent addicti, maximè verò qui in Clerum cooptati, cum moribus veſtes mutarent, fierentque ſimul exempla Chriſtianæ humilitatis atque modeſtiæ.

§. 3. *Sæculum VI. ab anno 500. ad 600.*

CONCILIVM Agathenſe in Gallia Narbonenſi, præſide Cæſario ſeniore, Metropolita Arelatenſi anno 506. habitum eſt 34. Epiſcoporum. Quo in ſenatu Eccleſiaſtico de diſciplina, & moribus præſertim actum fuit, tam Clericorum, quàm Laïcorum, at potiſſimùm Clericorum, ad quos maior pars canonum ſpectat. In his viceſimus loci huius proprius eſt, quo ſic ſtatuerunt Patres de Clericorum Tonſura & habitu; *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono, etiamſi noluerint, inuiti detondeantur. Veſtimenta vel calceamenta etiam eis, niſi quæ religionem deceant, vti, vel habere non liceat.* Quæ ſynodica lex refertur diſt. 23. can. *Clerici qui comam.*

Athalaticus Gothorum Rex anno 526. in Italia regnare cœpit, qui quamuis hæreſi Ariana laboraret, Romanæ tamen Eccleſiæ omnium apici maximam detulit reuerentiam; adeò vt ſtatuerit huius Clericos, propter honorem Apoſtolicæ Sedis, nonniſi apud beatiſſimum Papam, (ſic nominat) accuſari ac iudicari poſſe, lege lata, quam qui excepit,

& fortè dictauit iis quibus verbis extat Caſſiodorus lib. 8. variarum, num. 14. in eius fine autem obſeruatione digna eſt, qua Rex ipſe compellat Clerum ipſum Romanum, parænefis. *Sed interim vos quos iudicia noſtra venerantur, Eccleſiaſticis viuite inſtitutis. Magnum ſcelus eſt crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem*, (proinde nec habitum nec mores) *profeſſio veſtra, cæleſtis eſt vita. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores deſcendere. Mundani coërceantur humano iure; vos ſanctis moribus obedite.*

Sub ſæculi huius excurſum, ſcilicet anno 58o. Pelagio iuniore Papa, Synodus prima Matiſconenſis inſtante Guntchramno piiſſimo Rege, præſide Priſco Antiſtite Lugdunenſi habita eſt; in qua à conſidentibus 21. Epiſcopis actum de Eccleſiaſtica diſciplina, Canónque hic, qui quintus eſt ſerie aduerſus Clericos in habitûs cultu & delectu delinquentes, editus fuit; *Vt nullus Clericus ſagum, aut veſtimenta, vel calceamenta ſæcularia, niſi quæ religionem deceant, induere præſumat: Quòd ſi poſt hanc definitionem Clericus, aut cum indecenti veſte, aut cum armis inuentus fuerit, à ſeniore ita coërceatur., vt triginta dierum incluſione detentus, aquâ tantùm & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur.* Huic canoni titulus iſte præfixus eſt, *vt Clerici habitu decenti vtantur.*

Chilpericus Rex tunc in Gallia regnabat, qui Merouæo filio acriter infenſus, quia ab eo grauiter offenſus, eum quò regni ſpem ipſi præcideret, adſcribi Clero, & Preſbyterum ordinari coëgit, quemadmodum refert Gregorius Turon. lib. 5. hiſt. Franc. c. 14. hoc tenore; *Poſt hæc Merouæus cùm in cuſtodia à patre retineretur, tonſuratus eſt, mutatáque veſte*, QVA CLERICIS VTI MOS EST, *Preſbyter ordinatur, & ad Monaſterium Cenómanicum, quod vocatur Aninſula, dirigitur, vt ibi ſacerdotali erudiretur regula.*

Porrò de ipſo S. Gregorio Turonenſi hæc litteris conſignârunt in eius vita Clerici Turonenſes, cùm graui & periculoſo morbo laboraret, conſolabatur eos qui flebant dicens; *Ad ſepulchrum B. Elidij me ſemel adhuc deferte, fides mea eſt, quòd ille & mihi ſanitatem, & vobis præſtabit lætitiam; Tunc verò illuc deportatus, voce qua poterat orationem fudit, ſpondens quia ſi ab eo contagio liberaretur, Clericatûs habitum ſuſciperet, nec prorſus moraretur: Dixerat, & protinus ſenſit diſcedere febrim*, &c.

In vita S. Marculphi Abbatis ab antiquo auctore fideliter ſcripta, expreſſè habetur, quòd à S. Poſſeſſore Epiſcopo Conſtantienſi tonſus, annorum cùm eſſet triginta, *Clerici habitum acceperit.* Talaris erat hæc Clericalis veſtis, vt conſtat ex Martini Bracarenſis collectione Synodicorum decretorum can. 66. *Secundùm Aaron talarem veſtem* (inquit) *oportet eos induere, vt ſint in habitu ordinato.* Viuebat porrò ipſe Martinus hoc ſæculo, nam præfuit Concilio II. Bracarenſi anno 572. & anno ſequenti obiit, vt cenſet Cardinalis Baronius.

§. 4. *Sæculum VII. ab anno 600. ad 700.*

HOc ineunte ſæculo ſedebat S. Gregorius Papa I. diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſummus vindex, ac Clericalis honoris & honeſtatis ſtudioſus doctor & aſſertor, vt ex eius patet pontificiis epiſtolis, quibus totus incubuiſſe legitur huic curæ, vt Eccleſiaſticus ordo, tam modeſtiâ habitûs, quàm morum innocentiâ toto orbe fulgeret. Axioma hoc eius fuit nulla obliuione delendum, *Honeſtati veſtium debere in Clericis & Epiſcopis, ornamenta actionis conuenire*; lib. 7. ind. 2. ep. 114. ad Siagrium Epiſcopum Auguſtodunenſem. Ab initio ſuæ à mundi tramite diſceſſionis, refert Ioannes Diaconus in eius vita lib. 1. c. 1. reliquiſſe ſericas auro gemmíſque radiantes togas, habitúmque militiæ quam amplectebatur, indicium aſſumpſiſſe. Ex quo autem factus eſt Pontifex, non ſolùm modeſtiam retinuit in priuato habitu, at etiam in ornatu pontificio modum adhibuit, quemadmodum idem Ioannes commemorat eiuſdem vitæ lib. 2. cap. 1. cuius eſt titulus eiuſmodi, *Gregorius ſeruum ſeruorum Dei ſe ſcribens, mediocribus veſtimentis amicitur:* ſub quo lemmate Ioannes præfatus; *Primus omnium* (inquit) *ſe in principio epiſtolarum ſuarum, Seruum ſeruorum Dei ſcribi ſatis humiliter definiuit, cunctíſque ſuis ſucceſſoribus documentum ſuæ humilitatis tam in hoc, quàm mediocribus Pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in ſancta Romana Eccleſia conſeruatur, hæreditatem reliquit.*

S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus paulò poſt S. Gregorium pietatis ac doctrinæ gloriâ in Eccleſia emicuit, multíſque ſapientiæ Chriſtianæ monimentis quæ etiamnum ſuperſunt, celebris eſt. In quibus inſignes ſunt libri duo de Eccleſiaſticis officiis; quorum poſterior de ſacris ordinibus & miniſteriis ac ſacramentalibus muneribus ferè totus diſſerit; caput huius 2. inſcriptum eſt de regulis Clericorum; in quibus ſunt hæc loco iſto notabiles; *Non vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti tumidóque greſſu incedant; ſed pudorem ac verecundiam mentis ſimplicique habitu ac inceſſu oſtendant.*

Quini-ſexta Synodus in Trullo palatio Conſtantinopoli habita anno 690. legem ſpecialem de diſtinctione veſtis Clericalis à Laïcorum habitu can. 27. edidit, qui ſic habet; * *Nullus eorum qui in Cleri catalogum relati ſunt, veſtem ſibi non conuenientem induat; neque in ciuitate degens; neque iter ingrediens; Sed vtatur veſtibus, quæ his qui in Clerum relati ſunt attributæ fuere: ſiquis autem tale quid fecerit, vna ſeptimana ſegregetur.*

* Μηδεὶς τῶν ἐν κλήρῳ καταλεγομένων ἀνοίκειον ἐσθῆτα. ἀμφιεννύσθω, μήτε ἐν πόλει διάγων, μήτε ἐν ὁδῷ βαδίζων. ἀλλὰ στολαῖς κεχρήσθω τῶν ἤδη τοῖς ἐν κλήρῳ καταλεγομένοις ἀπονεμηθείσαις. εἰ δέ τις διαπράξοιτο τὸ τοιοῦτον, ἐπὶ ἑβδομάδα μίαν ἀφοριζέσθω.

In Occidente, adeóque in Gallia Belgica hoc ipſo æuo emicuit ingenti gloriâ ſanctitatis, B. Trudo Preſbyter, vulgò dictus Haſbaniæ Apoſtolus, cuius vitam Theodoticus Monaſterij ab eo conſtructi primus Abbas fideliter deſcripſit: narrat verò c. 15. quatenus de ſæculari militia ad Eccleſiaſticam tranſierit, circa annum Domini 670. *vtque Clericalem habitum indueret, laïcum*, vt ait, *exuerit.* Ita & de B. Aycardo Abbate Gemeticenſi in Lugdunenſi ſecunda, circa annum Domini 680. eximiæ pietatis radiis coruſcante, fermè refert Fulbertus in eius vita:

&

& priſcus auctor de S. Landelino eodem tempore claro, quem memorat poſtulâſſe à S. Auſberto Epiſcopo Rothomagenſi, vt ſe tonderet, & vitæ cæleſtis chlamydem indueret. Ionas Monachus Fontanellæ, auctor vitæ S. Wulfranni Archiepiſcopi Senonenſis, de eo etiam memoriæ conſignat, ipſum de ſæculari militia ad Eccleſiaſticam tranſeuntem *ſumpſiſſe habitum Clericatus*, anno circiter 690.

§. 5. *Sæculum VIII. ab anno 700. ad 800.*

SEDENTE Zacharia Pontifice coacta eſt Sueſſionenſis Synodus anno 744. in qua can. 3. vetitum eſt, *Ne Clerici habitum laïcorum portent*: & eodem ſub Pontifice Concilium Germanicum celebratum eiuſdem Papæ iuſſione, per Bonifacium Apoſtolicæ Sedis vices gerentem, apud Ratiſbonam ſeu Auguſtam Vindelicorum, vbi actum de Eccleſiaſtica diſciplina: ſeptimo autem canone aduersùs Clericos laïcorum indumenta geſtantes, animaduerſum fuit. *Decreuimus* (aiunt Patres) *vt Presbyteri, vel Diaconi non ſagis, laïcorum more, ſed caſulis vtantur more ſeruorum Dei*; id eſt habitu viris ſuæ profeſſionis conſueto atque congruenti: quem canonem vbi de formula habitus Clericorum ſumus dicturi, accuratim expendemus.

Labente hoc ſæculo celebrata fuit ſeptima Synodus generalis, dicta Nicæna II. cuius canon 16. huius tenoris eſt; * *Omnis iactantia & ornatus corporeus, eſt à Sacerdotali ordine & ſtatu alienus. Epiſcopos ergo vel Clericos qui ſe ſplendidis & inſignibus veſtibus exornant, ſe corrigere oportet; ſin autem permaneant, ſupplicio tradi, ſimiliter & eos qui ſunt vnguentis delibuti. Quoniam autem radix acerbitatis ſurſum pullulans fuit Eccleſiæ noſtræ inquinamentum, Chriſtianorum ſcilicet accuſantium hæreſis; hi qui eam ſuſceperunt, non ſolùm imaginum picturas auerſati ſunt, ſed omnem etiam pietatem ac religionem extruſerunt in eos qui piè & honeſtè viuunt inuehentes, in eis impletum fuit quod ſcriptum eſt* (Eccleſ. 1.) *Abominatio peccatorum, religio & verus Dei cultus. Si itaque inuenti fuerint nonnulli eos irridentes, qui vilem & modeſtum habitum induti ſunt, pœnâ corrigantur: à ſuperioribus enim temporibus, omnis vir Sacerdotalis cum moderato & honeſto indumento verſabatur: quicquid enim non propter vſum, ſed oſtentatorium ornatum aſſumitur, in nequitiæ reprehenſionem incurrit, vt ait Baſilius Magnus. Sed nec ex ſericeis texturis variatum quis veſtimentum habeat, neque in veſtimentorum fimbriis adiecta erunt alieni coloris* ** *indumenta. Ex diuina enim lingua audierunt, quod qui mollia ferunt, ſunt in domibus Regum.* Hactenùs piè ac grauiter Oecumenica Synodus, contra Eccleſiaſticorum luxum in veſtibus declamat atque decernit. Præfuit huic Synodo cum Legatis Apoſtolicæ Sedis Tharaſius ſanctæ recordationis Patriarcha, de quo ex aula ad Clericatum tranſeunte, hæc Ignatius Monachus in eius vita memoranda prodidit: *Lini mundani mutata dignitate, & tonſa coma ritu Clerici, honeſtóque & venerando alio ſumpto amictu, diuinis & ſpiritualibus inuocationibus, ſicut Aaron, & Phinees ſuſcepit honoris Sacerdotalis vnctionem.*

* Πᾶσα βλακεία καὶ κόσμησις σωματικὴ ἀλλοτρία ἐστὶ τῆς ἱερατικῆς τάξεως. τοὺς οὖν ἑαυτοὺς κοσμοῦντας ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς διὰ ἐσθήτων λαμπρῶν καὶ περιφανῶν, τούτους διορθοῦσθαι χρή. εἰ δὲ ἐπιμένοιεν, ἐπιτιμίῳ παραδίδοσθαι, ὡσαύτως καὶ τοὺς τὰ μύρα χριομένους. ἐπειδὴ δὲ ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα μίασμα γέγονεν ἐν τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ ἡ τῶν Χριστιανῶν κατηγόρων αἵρεσις, καὶ οἱ ταύτην δεξάμενοι οὐ μόνον τὰς εἰκονικὰς ἀναζωγραφήσεις ἐβδελύξαντο, ἀλλὰ καὶ πᾶσαν εὐλάβειαν ἀπώσαντο, τοὺς σεμνῶς καὶ εὐλαβῶς βιοῦντας προσοχθίζοντες· καὶ πεπλήρωται ἐπ' αὐτοῖς τὸ γεγραμμένον, βδέλυγμα ἁμαρτωλῷ θεοσέβεια· εἰ εὑρεθῶσι τοίνυν ἐγγελῶντες τοῖς τὴν εὐτελῆ καὶ σεμνὴν ἀμφίασιν περικειμένοις, δι' ἐπιτιμίου διορθούσθωσαν. ἐκ γὰρ τῶν ἄνωθεν χρόνων πᾶς ἱερατικὸς ἀνὴρ μετὰ μετρίας καὶ σεμνῆς ἀμφιάσεως ἐπολιτεύετο. πᾶν γὰρ ὃ μὴ διὰ χρείαν, ἀλλὰ διὰ καλλωπισμὸν παραλαμβάνεται, ἀλαζονείας ἔχει κατηγορίαν, ὥς ὁ μέγας ἔφη Βασίλειος. ἀλλ' οὐδὲ ἐκ σηρικῶν ὑφασμάτων πεποικιλμένην ἐσθῆτα ἐνεδιδύσκετό τις, οὐδὲ προσετίθεσαν ἑτερόχροα ἐπιβλήματα ἐν τοῖς ἄκροις τῶν ἱματίων. ἤκουσαν γὰρ ἐκ τῆς θεοφθόγγου γλώττης, ὅτι οἱ τὰ μαλακὰ φοροῦντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσί.

** *aſſumenta.*

Sub hâc ipſa ætate vixit Albinus Flaccus Alcuinus, Caroli Magni di-

daſcalus, qui librum inſignem de diuinis officiis conſcripſit; in quo ſub epigraphe, *quid ſignificent veſtimenta*, ſapienter monet veſtes alias habere Sacerdotes dum miniſtrant, alias extra ſacra officia gerere: prohibuiſſe Stephanum Papam & Martyrem ne ſacras veſtes in vſu quotidiano perferrent, vel eas geſtarent niſi in Eccleſia, extra quam proprias haberent in vſu familiari; docente ſiquidem S. Hieronymo ſuper Ezechielem, diſcendum eſſe, *Religionem habere alterum habitum in miniſterio, alterum in vſu vitâque communi.* tom. 9. Biblioth. SS. PP. col. 275.

§. 6. *Sæculum IX. ab anno* 800. *ad* 900.

848. SYDVS ſæculi huius fulgentiſſimum fuit S. Ignatius, Conſtantinopolitanus Patriarcha, qui Michaëlis Imperatoris filius, ſæculi pompis ac honoribus contemptis, ſeſe Chriſti totus militiæ dedicauit, cúmque Clero primùm adſcriptus eſt, abiectis ſæcularibus gloriæ ornamentis, Clericalis habitus, & Tonſuræ Eccleſiaſticæ ſchema ſimul ſuſcepit, quemadmodum in eius vita ſeu certamine Nicetas Dauid commemorat.

Florebat eodem ſæculo Amalarius Fortunatus, Archiepiſcopus Treuirenſis, cuius extat liber de ordine Antiphonarij, & de Eccleſiaſticis officiis libri 4. tom. 10 Bibliothecæ SS. Patrum inſerti: qui auctor lib. 2. c. 16. totus eſt in diſtinguendo Clericorum ſacro ac priuato habitu, adducto inſigni loco Ezechielis, & ſelectis in id S. Hieronymi ſententiis, ex quibus concludit, decere Clericos & Sacerdotes eo vti veſtimentorum ſchemate (myſtico intellectu) quo Chriſtus vſus memoratur; nuſquam tamen vti licere veſtibus ſacratis in quotidiano vſu.

Hoc eodem ſæculo labente, videlicet anno 888. coacta fuit Metenſis Synodus, cui in Eccleſia S. Arnulphi congregatæ præfuit Ratbodus Archiepiſcopus Treuirenſis. Sanctio hîc ordine ſexta inter canones edita eſt, de veſtimentis tam ſacris quàm priuatis Sacerdotum, & Clericorum, hoc tenore: *Cuncti Preſbyteri vt libros, & Sacerdotalia veſtimenta ſuo Epiſcopo in prima Synodo oſtendant, & vt Chriſma ſuum, ſub ſigillo & ſera ſemper cuſtodiant, à prædictis Epiſcopis expreſſè commendatum eſt. Vel indumenta laïcalia induat, id eſt cottos, vel mantellos ſine cappa non portet, & laïci cappas non portent.* Qui canon ob vocabulorum obſcuritatem, infrà accuratè opportuniore loco, à nobis fauente Deo excutietur.

§. 7. *Sæculum X. ab anno* 900. *ad* 1000.

CIRCA ſuperioris ſæculi finem, & præſentis initium ingenti claritate ſanctitatis emicuit Sanctus Geraldus Confeſſor, Aureliaci Comes, ex cuius modeſtia ſpectabili in habitu, Sanctus Odo Abbas Cluniacenſis, qui geſta eiuſdem ſancti Confeſſoris quatuor libris deſcripſit, luxum quorumdam huius temporis Clericorum, quin & Monachorum, (vtroſque enim ſub religioſi nomine deſignat) non immeritò reprehendit, qui cùm moribus prauis eſſent, turpes & ſordidi, ornatu veſtium ſuperfluo, ſed ſplendido, ſibi intuentium captabant reuerentiam.

Porrò, inquit, *veſtibus laneis aut lineis non iſto modo quo nunc à filiis Belial præſumptum & excogitatum eſt, qui vtique ſine iugo ſunt; ſed antiquo more ſemper vſus eſt, ita duntaxat contextis, vt nec affectatam pompam redolerent, nec plebeia ruſticitate notarentur; ſericinis verò vel pretioſis, nec obtentu quidem cuiuſlibet feſtiuitatis, nec alicuius præſentiâ Marchionis plus ſolito ſe comere ſtuduit. Quid dicam de balteo vel ambitioſis cinctoriis, aut fibula, de equorum phaleris, quandoquidem ille ſolùm portare aurum, ſed nec habere quidem patiretur; non enim putauit aurum robur ſuum, neque in multitudine diuitiarum, ſed in Deo gloriando gloriatus eſt: vt religionis ſolent etiam profeſſores* (id eſt viri Eccleſiaſtici, quidam etiam Monachi) *qui ad excolendum corporis cultum inuerecundo & infatigabili ſtudio ſollicitantur; id toto niſu affectantes, vt reuerentiam quam ſibi moribus tollunt, veſtis pretioſa ſaltem obtentu ab intuentibus emendicarent; quibus vtique expediret, vt ad cultum animæ, quæ iugiter pulchreſcere poterat, potiùs vacarent.* S. Odo, lib. de vita S. Geraldi c. 16. Hæc de Beato Geraldo Sanctus Odo Cluniacenſis, ex modeſto laïci hominis veſtitu ſapienter Clericorum arguens in habitu vanitatem, non ignorans ſcilicet illud Sancti Hieronymi celebre pronunciatum; *Nihil infelicius & turpius rebus Chriſtianis cedere poſſe, quàm ſi laïci Clericis inueniantur meliores*, modeſtiæque, humilitatis, pietatis & innocentiæ magis ſtudioſi. Cæterùm ipſe Sanctus Odo lib. 2. vitæ eiuſdem Sancti Geraldi, Clericorum communem veſtem fuiſſe tum lineam inſinuat; quam ab ipſo beato viro qui clam ſub operimento capitis tonſuram ferebat, geſtari ſolitam, ſub veſtimentis pelliceis, quibus contegeretur; melior enim eſſe quàm videri vir ſanctus cupiebat; quamobrem ſub ſpecie ſæcularis habitûs, at moderatiſſimi, Clericum, quin & Monachum agebat, hócque ſtudium ſelectioris vitæ intimo habitu profitebatur.

Fuerat autem ipſe encomiaſtes Sancti Geraldi B. Odo ante monachatum Clericus, quemadmodum Ioannes Monachus Cluniacenſis eius diſcipulus lib. 1. eius vitæ inſinuat. *Igitur*, inquit, *vir beatiſſimus nono decimo ætatis ſuæ anno confugiens apud B. Martinum, Clericatus officium ſuſcepit:* ſuſcipi autem non ſolet, nec tum etiam conſueuerat, niſi priùs ſæculari habitu depoſito, vt Clericalis aſſumeretur, quemadmodum idem Ioannes Cluniacenſis, eodem lib. refert conuerſionem enarrando Adhegrini cuiuſdam. *Vnus autem*, inquit, *ex aſſiſtentibus, & auditor internus, prædictus erat Adhegrinus; qui mox corde compunctus*, &c. *concitè rediit ad eum; depoſitâ itaque capitis comâ & ſæculari militia, ex tunc Chriſti factus eſt agoniſta.*

§. 8. *Sæculum XI. ab anno* 1000. *ad* 1100.

SÆCVLI huius initium eò cæteris illuſtrius eſt, quò non modò ætatis vnius, vel ſolius annorum centuriæ ſit principium, ſed & finis primi Eccleſiæ millenarij, & ſequentis exordium. De quo ideò ineunte hæc memoratu digna litteris conſignauit Glaber Rodulphus, qui tum

viuebat, lib. 3. hiſtoriarum ſui temporis cap. 4. *Igitur*, inquit, *infra ſupradictum millenarium, tertio iam ferè imminente anno contigit in vniuerſo penè terrarum orbe, præcipuè tamen in Italia, & in Galliis, innouari Eccleſiarum Baſilicas, licèt pleræque decenter locatæ minimè indigüiſſent. Æmulabatur tamen quæque gens Chriſticolarum aduerſus alteram, decentiore frui. Erat enim inſtar ac ſi mundus ipſe excutiendo ſemet, reiecta vetuſtate, paſſim candidam Eccleſiarum veſtem indueret. Tunc denique Epiſcopalium ſedium Eccleſias penè vniuerſas, ac cætera quæque diuerſorum Sanctorum Monaſtria, ſeu minora villarum oratoria, in meliora quique permutauêre fideles.* Superius ſæculum hoc ipſum illud tempus eſt, de quo Cardinalis Bellarminus part. 2. Chronolog. ſub ann. 970. in variarum columna. *Vide* (inquit) *ſæculum infelix, in quo nulli ſcriptores illuſtres, nulla Concilia, Pontifices parum ſolliciti de Republica;* (addit continuò) *ſed diuina prouidentia fecit, vt nullæ ſurgerent hæreſes nouæ.* Proinde non mirum ſi Eccleſiæ poliriâ, & Cleri diſciplinâ neglectâ, omnia circa mores penè inculta, feréque deſerta iacebant; ipſáque externa Eccleſiæ facies non eo quo antè decore nitebat, at ſquallore confecta, attritáque rugis, in habitu ſquallido & lugubri ſtatu gemere, & benignam ab alto manum expectare ad deſideratum ſolatium videbatur. Viſione diuina id oſtenſum fuiſſe Brunoni tum Tulli Leucorum ſanctiſſimo Epiſcopo, quem diuina prouidentia ad fortunatiora Eccleſiæ gubernacula euocabat, refert lib. 1. geſtorum eius Wibertus Archidiaconus eius coætaneus hoc planè verborum contextu: *Alio itidem tempore illi per ſomni quietem videbatur, quòd quaſi perſona cuiuſdam deformis vetulæ, eum importunè impeteret, & veluti familiari, ſed tamen ſyncero colloquio, ſibi adiungi expoſceret: quæ tam horrendi vultus, diſciſſæ veſtis, hirſutis capillis atque turpiter erectis videbatur, vt vix quicquam humanæ formæ in ea recognoſceret; cuius deformitatis horrore nimiùm perculſus, eam plurimùm volebat euitare; ſed illa tantò magis illi nitebatur inſiſtere: qua importunitate victus vir Domini, ei ſignum crucis in faciem exprimebat; at illa ad terram veluti mortua proruens in admirabilem pulchritudinem continuò reſurgebat; cuius viſionis terrore experrectus, ad nocturnas ſurrexit vigilias, denuóque in huius rei admiratione ſopori reddidit membra. Cui videbatur in ſomnis adeſſe venerabilis Abbas Odilo, quem quaſi rogabat ſibi portendere, quæ eſſet huius viſionis ſignificatio: qui lætiſſimus ei tali reſpondit oraculo; beatus es tu; & tu animam eius de morte liberâſti.* &c. *Nec incredibile eſſe videtur talia ei à ſumma diuinitate præmonſtrata fuiſſe, cùm crebrò nocturna in lecto ſuſpiria, & frequentes corporis tunſiones, ac ſtratus ſæpè à veridicis cubiculariis repertus irrigatus lachrymis, oſtendunt illum diuina fuiſſe viſione dignum. Nulli autem dubium eſt, quid ſignificet prælibatæ mulieris viſio, quicumque legit penè ſimile ſomnium magni Conſtantini pro reſtituenda vrbe Byzantio. Nam certum eſt horribiliter extabuiſſe per diuerſas orbis partes Eccleſiaſticum decorem, imò Chriſtianam Religionem,* (ſcilicet quoad priuatos fidelium, præſertim Eccleſiaſticorum mores) *& per eum Chriſti adminiculante ſuffragio, ad priſtinum reductam eſſe honorem:* qui potiſſimùm conſiſtit in decore Eccleſiaſtici ordinis, cuius per vi-

gilem hunc paſtorem depulſa fuit incuria, excuſſa ignorantia, luxus exciſus, modeſtia reſtituta, caſtitas vindicata, tenórque diſciplinæ ad priſtinum vigorem & decorem reuocatus: non tamen plerumque ſine pertinaci Clericorum immorigerorum renixu, vt ex actis Concilij Mantuani patet, cuius ipſe Wibertus lib. 2. vitæ eiuſdem ſancti Pontificis meminit, c. 8. referens ferocem tumultum à ſeditioſis contra ipſum B. Leonem concitatum, ſed ſedatum ſine vi & cæde, ſolo diuino nutu. Amator fuit modeſtiæ etiam in habitu ſeruandæ hic Pontifex, adeò vt cùm delectus iam Romam proficiſceretur ad ſuſcipienda Apoſtolicæ Sedis gubernacula, ſimplici peregrini habitu inceſſerit; nec deſtitit poſteà in Synodis quibus præfuit, vel quæ ſuo ſtudio conuenerunt, inſiſtere, vt omnis in Clericorum veſtitu ſuperfluitas, vanitas, nouitas exſcinderetur, modeſtiáque & honeſtas canonibus priſcis præſcripta, at ſuperioris ætatis exceſſibus violata reſtitueretur in integrum: hinc in Concilio generali Rhemenſi, cui ipſe præſedit anno Domini 1049. canon hic ſextus ipſo dictante editus eſt; *Ne quis Clericorum arma militaria geſtaret, aut mundanæ militiæ* (quo nomine mundi faſtus & genius ſubnotatur) *deſeruiret*; quemadmodum clariùs inſinuatur can. 3. Concilij Coyacenſis, ipſo agente Pontifice ſequenti anno, Chriſti ſcilicet 1050. celebrati in Ouetenſi Diœceſi, pro reformandis Eccleſiaſticorum maximè moribus, regnante Ferdinando I. in Caſtella, hoc tenore; *Tertiò autem titulô ſtatuimus*, &c. *vt Preſbyteri & Diacones qui miniſterio funguntur Eccleſiæ, arma belli non deferant, ſemper coronas apertas habeant, barbas radant*, &c. *veſtimentum vnius coloris, & competens habeant*, &c. *ſi quis autem huius iuſſionis deſtructor extiterit ſexaginta ſolidos Epiſcopo perſoluat, & gradu Eccleſiaſtico careat.* Barbæ raſura.

Abeunte S. Leone ad piorum laborum præmium, creatus eſt Papa Victor II. cui poſt annos duos, & aliquot menſes Pontificatûs, ab humanis exempto ſuffectus fuit Stephanus, qui præfuit Eccleſiæ decem duntaxat menſibus: his verò exactis de ſede & vita ipſemet exceſſit. Túmque ad Petri Cathedram Nicolaus II. euocatus breui quoque pontificio potitus eſt, annis ſcilicet duobus & ſex menſibus: interim verò Eccleſiæ neceſſitati conſulens anno 1059. Romæ ſynodum cum centum & tredecim Epiſcopis celebrauit; in qua Berengarius hæreſi ſua tertiùm abiurata fidem Catholicam de Euchariſtia tertiò eſt profeſſus: ordo autem pontificiæ electionis præſcriptus eſt; lex contra Simoniacos edita, déque Sacerdotum & Clericorum diſciplina canones tredecim promulgati; ex duodecimo conſtat ſæcularem habitum ſic à Clericali fuiſſe diuerſum, vt laïcis ad nullum gradum Eccleſiaſticum fas eſſet promoueri, niſi depoſita ſæculari veſte, & Clericali aſſumpta, ſic enim habet canon ipſe XII. *Vt nullus laïcus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repentè promoueatur, niſi poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturna conuerſatione inter Clericos fuerit comprobatus.* Quæ canonica Conſtitutio in alio Concilio Romano, quod habuit cum centum & ampliùs Epiſcopis Alexander II. anno ſalutis 1063. totidem verbis repetita, & inter canones ibi editos numero quoque 12. inſerta fuit.

Viuebat hoc tempore pari pietatis ac doctrinæ gloriâ inſignis Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, qui plures epiſtolas ad ipſum pontificem Alexandrum II. & aliquot etiam ſub eius nomine ſcripſit, etiamnum inter eius opera conſpicuas. Inſignior earum eſt quæ ordine recenſetur XV. qua afflicto Pontifici ſuper ſæculi huius calamitatibus, ſolatiúmque ab eo in quiete degenti & rebus totus diuinis defixo, per litteras petenti reſpondens, eiuſmodi calamitatum cauſas crimina eſſe nefanda omnis generis hominum, quæ tantùm Dei iram meritò concitârint, perſpicuè oſtendit, luctuoſóque planè ſtylo deplorat. *Reuera enim tam immanis preſſura calamitas incumbit Eccleſiis, vt tanquam Babylonicæ legionis acies circumfuſa, & Ieruſalem cum ciuibus ſuis videatur obſeſſa: ſæculares enim quilibet Eccleſiaſtica iura corrodunt, ſalaria ſubtrahunt, poſſeſſiones inuadunt, & ſic ſtipendia pauperum, velut hoſtium ſe reportare manubias gloriantur: ipſi quoque * ſæculares nihilominus inter ſe proprij iuris bona diripiunt, alter alteri ſupergradientes impingunt, & in communi mundo concluſi, quia ſoli eſſe nequeunt, mutuâ ſe peruaſione collidunt. Sed quòd Clerici, & Prælati non meliores, at deteriores eſſent ipſis ſæcularibus, quorum faſtum, luxúmque in habitu, vt in moribus æmulabantur* (exceptâ ſolâ barbæ raſurâ) *multò magis dolendum erat: Eccleſiarum planè quoque rectores,* (inquit) *quibus potiſſimùm huius rei cura debuiſſet incumbere, tantò mundanæ vertiginis quotidie rotantur impulſu, vt eos à ſæcularibus barbiraſium quidem diuidat, ſed actio non diſcernat; nec ſacrarum meditantur eloquia ſcripturarum, ſed ſcita legum, & forenſe litigium: multitudini Sacerdotum non ſufficiunt tribunalia iudicum, & aulæ regiæ dum Clericorum ac Monachorum euomunt turbas, breuitatis ſuæ conqueruntur anguſtias. Clauſtra vacant, Euangelium clauditur, & per ora Eccleſiaſtici ordinis forenſia iura decurrunt. Sed vtinam legalis edicti duntaxat eſſemus lite contenti! arma potiùs, arma corripimus, vibrantia telis tela conſerimus, & non verbo, ſed ferro contra noſtri ordinis regulam dimicamus.* Eiuſdem Petri Cardinalis extat tractatus eximius contra Clericorum nonmodò, ſed, quod nonnihil demireris, Monachorum etiam huius temporis effrænem in habitus ſplendidioris & comptioris cultu affectationem: inter ipſius auctoris opuſcula, 29. præfixo programmate: *De vili veſtitu Eccleſiaſticorum* ad Maynardum Abbatem, tribus præter epiſtolam conſtans capitibus; cuius primi inſcriptio eſt, *Quibus veſtibus Eccleſia delectetur:* ſecundi, *indui veſtibus ſplendidis quàm animæ pernicioſum, & Deo odibile;* tertij, *diſſuaſio eſt appetitûs pretioſarum veſtium:* qui tractatus quoniam ita breuis eſt facilè potuiſſet hoc loco integrâ ſerie deſcribi. verùm quia ad manum peruius eſt, nec opus hoc ſuperfluis exſcriptionibus inflare, propoſito erat noſtro conſentaneum; lubenter ab eiuſmodi tranſcriptione abſtinuimus; nolentes præſertim erudito Lectori oneri eſſe, cui opuſculum iſtud Damiani incompertum eſſe non poteſt. Nec tamen hîc prætermitti debet in apologetico opuſculi 12. quod ſcripſit idem Petrus Cardin. *de ſæculi contemptu,* eundem pleriſq; ſyntagmatibus inuectum eſſe aduerſus Monachorum qui ſplendorem veſtium hoc ſæculo miro æſtu vanitatis ambiebant,

* Nota tunc temporis ſolos laicos dictos fuiſſe ſæculares: quo nomine poſteà religioſi paſſim Clericos, neſcio cui bono, deſignârunt.

ſtoliditatem; capite enim decimo-quinto huius opuſculi tractat ex inſtituto de Monachis qui pretioſis veſtibus delectantur. cap. 16. oſtendit quòd ſicut pretioſa veſtis ad iram, ita humilis Deum ad indulgentiam prouocat. Quò tamen ab altero extremo caueatur, differit cap. 17. de his qui vilitate veſtium vulgarem mercantur applauſum, &c. cap. 19. docet quòd mollia indumenta minùs perfecti faſtidiant; perfectiores aliquando indifferenter admittant. Quo toto diſcurſu, etſi Monachos præſertim dum arguit, erudiat, ſimul tamen Clericos generalibus inſtruit documentis loco ſuo legendis à Clerico Chriſtianæ humilitatis, & Eccleſiaſticæ modeſtiæ ſtudioſo; atque etiam à quocumque alio. Sed hactenus ſatis de Petri Damiani viri ſanctiſſimi, ſuíque æui præclariſſimi ſyderis, hac de re ſententia. obiit miraculis illuſtris Fauentiæ anno ſalutis 1072. in feſto Cathedræ S. Petri.

Claruit ſub eiuſdem ſæculi lapſum, initióque ferè ſequentis ad æternos abiit ſplendores gloriæ Sanctus Anſelmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis ex Abbate Beccenſi in Lugdunenſi ſecunda. Cuius viri ſiue morum ſanctimoniam ſpectes, ſiue doctrinæ præſtantiam & animi pietatem, vix meritis & dotibus parem iſto poteris æuo repetire. Inter cuius opera ſole ipſo clariora, carmen extat egregium, planéque defixæ cælo mentis intimos affectus ſpirans, cui programma inditum, *De mundi contemptu*; quem ex ſelectis Patrum ſententiis, & rationibus multiplici argumento perſuadere ſtudet; luxum autem & ſuperfluitatem veſtium docet imprimis ab ipſo Chriſtianæ religionis titulo, & puro Dei cultu diſcrepare; ita porrò quemque vitio huic deditum compellat, arguítque:

Creatus fuit Archiepiſcopus anno 1093. obiit an. 1109.

Te mollis byſſus, te mollis purpura veſtit,
Et texunt mundi ſingula regna tibi.
Quæ pretioſa tuos pellis non cedit in vſus?
Quæ veſtis ſpecies, quæve coloris abeſt?
Sed nec ad indecoris cultus pudet addere quicquid
Artificis nouit plurima docta manus.
Irradiant gemmis digiti, paritérque lacerti,
Vixque vales auri pondera ferre tui.
O quàm vana hominum talis veſania! ſtulte,
Quid iuuat externis velle nitere bonis?
Si vitiis ſordes, quid prodeſt fulgida veſtis?
Abſterget maculas purpura nulla tuas?
Gemmarum & tanti fulgor non efficit auri,
Vt careat tenebris mens tua cæca ſuis.
Et ſancti mores faciunt, non veſtis honeſtum;
Et probitas magnos efficit vna viros.
Quæ natura dedit ſerua integra; non eget illa
Vilibus ornari rebus imago Dei.

Et infrà. *Quid tibi tantæ ædes? quantò felicius ipſe*
Templum eſſes viui, viua domúſque Dei.
Eſto domus Domini, quam ſacris moribus orna
Virtutum cultor religionis ama.

Quàm felix anima eſt, in qua ſibi ponere ſedem
Dignatur ſummi Spiritus ipſe Dei!

Non habitat autem ipſe niſi in corde puro; externos verò quoſcumque reſpuit ornatus, ſi ſola munditia deſit: externa tamen mundities eſt plerumque internæ puritatis indicium; quamobrem etſi ſuperfluum nitorem Sancti affectare noluerint, ita etiam abhorruerunt ab externa immunditia, vt ab nimis accurato cultu. Scitum eſt illud Hieronymi ad Nepotianum; *Ornatus vt ſordes pari modo fugiendi ſunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*, ep.2. vnde B. Anſelmus ad Pauli gnomonem adæquatus Antiſtes: nullum in ſua familia tulit Clericum, niſi exteriori ipſo habitu, intimam animi modeſtiam teſtaretur, vt in eius geſtis poſterorum memoriæ proditum eſt; in quibus etiam Angelus ſubindicatur Clerico cuidam eius apparuiſſe, ætate iuuenis, ornatu verò ac veſtitu non vilis; quo ipſa habitûs modeſtia non ſolùm Clericis conuenire ſignaretur, ar etiam Angelis. Nec adeò mirum, quum quod Angeli ſunt in aula cæleſti, hoc in ſubcæleſti, id eſt in Eccleſia, Clericos eſſe à petitis myſticæ Hierarchiæ non ignoretur.

Hôc eodem ſæculo, anno videlicet 1090. coëgit Vrbanus II. Papa Concilium apud Melfiam, ſeu Amalphim pro reſarcienda Eccleſiaſtica diſciplina; in quo hic canon ſerie 13. editus eſt: *Vtque ſcandala omnéſque occaſiones laicis ſubtrahantur, ſciſſis veſtibus Clericos abuti prohibemus, & ne pompoſis induantur exuuiis admonemus. Penſandum eſt namque quantum viris flagitij adſcribatur, à quibus curam paſtor Eccleſiæ exegit, & fœminas prohibere dicens, non in veſte pretioſa, quam Dominus ipſe vituperans ait, qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt.* Matth. 11. 8.

§. 9. *Sæculum XII. ab anno Domini* 1100. *ad* 1200.

CONCILIUM LATERANENSE Oecumenicum, cui mille Prælati, ſupráque interfuerunt, ab Innocentio II. ann. 1139. Romæ celebratum fuit, in quo præſertim de Canonica diſciplina actum eſt. Cuius can. 4. ad compeſcendam Clericorum in veſtibus vanitatem editus, ſic ad verbum habet: *Præcipimus etiam quòd tam Epiſcopi quàm Clerici in ſtatu mentis, in habitu corporis Deo & hominibus placere ſtudeant, & nec in ſuperfluitate, ſciſſura, aut colore veſtium, nec in Tonſura intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum; ſed potiùs quæ eos deceat, ſanctitatem præ ſe ferant. quòd ſi emendari noluerint, Eccleſiaſticis careant beneficiis.*

Ab Eugenio III. Rhemis Synodus etiam celeberrima habita eſt; cuius ad repreſſionem luxûs eiuſmodi Clericorum canon 2. qui refertur in codice iuris Eccleſiaſtici, 21. q. 9. c. vlt. promulgatus eſt, hoc tenore; *Præcipimus etiam, quòd tam Epiſcopi, quàm Clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut fiſſura* veſtium, neque in tonſura intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum, ſed potiùs ita in ſuis actibus ea condemnent, vt amorem innocentiæ conuerſatione demonſtrent, ſicut dignitas exigit ordinis Clericalis. Quòd ſi moniti ab Epiſcopis ſuis infra vn-*

*ſciſſura

decim

decim dies non obtemperauerint, Eccleſiaſticis beneficiis eorumdem Pontificum auctoritate priuentur. Epiſcopi verò ſi præfixam pœnam irrogare neglexerint, quia inferiorum culpæ ad nullos magis referendæ ſunt quàm ad deſides, negligentéſque rectores, tamdiu ab Epiſcopali officio abſtineant, donec pœnam à nobis conſtitutam Clericis ſibi ſubiectis imponant, nec etiam niſi præcedente congrua ſatiſfactione relaxent. Tam inſigni decreto, Synodali & Apoſtolico, tamen malè obtemperatum fuiſſe, Epiſcoporum incuriâ, & Cleri his ſuperfluitatibus ex æui vitio impenſiùs dediti pertinaciâ, facilè patet ex Sancti Betnardi hac de re graui querimonia directa ad ipſum Eugenium Papam, de Conſid. lib. 3. c. 5. *Nonne os tuum* (inquit) *in Rhemenſi Concilio ſubiecta capitula promulgauit? quis ea tenet? quis tenuit? falleris, ſi teneri putas; ſi non putas, ipſe peccaſti, aut ſtatuens quæ non tenerentur, aut quæ non tenentur diſſimulans. Præcipimus* (aiſti) *vt tam Epiſcopi, quàm Clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut ſiſſura veſtium, neque Tonſura intuentium, quorum forma & exemplum eſſe debent, offendant aſpectum*, &c. *quod ſi moniti ab Epiſcopis ſuis*, &c. *Epiſcopi verò ſi hanc pœnam irrogare neglexerint*, &c. tum recitato toto canone Sanctus Betnatdus notatu dignum hoc cotollarium ſubiungit; *Luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna dictata, ſed minimè ſecuta eſt. Iam quartus annus eſt, ex quo datum mandatum audiuimus, & neminem Clericorum priuatum benefitio, neminem ipſorum Epiſcoporum ſuſpenſum ab officio luximus. At luctu amariſſimo dignum quod ſecutum eſt; quid hoc? impunitas, incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix.* Nec ſuos hîc ſiſtit ſanctus Pater gemitus, pergit enim ipſum monete Pontificem ſupet hoc defectu; *Ex [illegible]; ſi omni ſatagas* (ait) *curâ; malorum omnium primam parentem cauere incuriam; ſed ad hoc tu operam dabis. Et nunc leua oculos tuos & vide, ſi non æquè vt priùs, pellicida diſcolor ſacrum ordinem diſcolorat, ſi non vt priùs ſiſſura enormis penè inguina nudat. Solent dicere; num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus? at forma hæc veſtium deformitatis mentium, & morum indicium eſt. Quid ſibi vult quod Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? id quidem minùs caſtum, minúſque ſyncerum; nempe habitu milites, quæſtu Clerici, actu neutrum exhibent; nam neque pugnant vt milites, neque vt Clerici euangelizant: cuius ordinis ſunt? cùm vtriuſque eſſe cupiunt, vtrumque deſerunt, vtrùmque confundunt; vnuſquiſque*, inquit, *in ſuo ordine reſurget; iſti in quo? an qui ſine ordine peccauerunt, ſine ordine peribunt? aut ſi ſummè ſapiens Deus veraciter creditur à ſummo vſque deorſum nihil inordinatum relinquere, vereor iſtos non alibi ordinandos, quàm vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. O miſerandam ſponſam talibus creditam paranymphis, qui adſignata cultui eius, proprio retinere cultui non verentur! Non amici profectò ſponſi, ſed æmuli ſunt.* Hæc Sanctus Bernardus, non ſine lacrymis, quas ſerm. 33. ſup. Cant. adhuc profuſiore planctu profundit; *Serpit*, inquit, *hodie putida tabes ſuperbiæ per omne corpus Eccleſiæ; & quò latiùs eò deſperatiùs, eóque periculoſiùs quò interiùs: nam ſi inſurgeret apertus inimicus hæreticus, mitteretur foras & areſceret, ſi violentus inimicus, abſconderet ſe forſitan ab eo: nunc verò quem eiiciet, aut à quo abſcondet ſe? omnes amici, & omnes inimici; omnes neceſſarij & omnes aduerſarij; omnes domeſtici, & nulli pacifici; omnes proximi, &*

omnes quæ ſua ſunt quærentes; miniſtri Chriſti ſunt, & ſeruiunt Antichriſto: honorati incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is quem quotidie vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus; inde aurum in frænis, in ſellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent; inde ſplendida menſæ & cibis & ſcyphis; inde commeſſationes & ebrietates; inde cithara & lyra & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marſupia; pro huiuſmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, Decani, Archidiaconi &c. *Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis aduenit; ecce in pace amaritudo mea amariſſima; amara priùs in nece Martyrum, amarior poſt in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugare, non fugere eos poteſt, ita inualuerunt, & multiplicati ſunt ſuper numerum, inteſtina & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideò in pace amaritudo eius amariſſima; ſed in qua pace? ei pax eſt, & non eſt pax, pax à paganis, & pax ab hæreticis, ſed non profectò ab ipſis filiis; vox plangentis in tempore iſto; filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Hæc ille ſui æui Hieremias, futuríque potiùs ſpectator quàm vates.

Iſaia 38. 17.

Iſa. 1. 2.

Vixit eodem ſæculo Ioannes Sariſberienſis, diſcipulus & indiuiduus comes Sancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, imò, vt verè nuncupatur à Petro Bleſenſi ſuo coætaneo, eius *manus & oculus*; vir famâ ſcientiæ & eximiæ virtutis, maximè verò pietatis titulis percelebris; quibus meritis ad ſedem Epiſcopalem Carnotenſem demùm conſcendit, vbi & obiit felici in Deo exitu, anno 1180. relictis præclaris ingenij ſui & ſapientiæ monimentis, quorum lapſu tamen temporis pars excidit non modica, pars verò ſupereſt etiamnum non minima; Epiſtolæ ſcilicet, Metalogicus, & Policraticus, ſiue de nugis Curialium. Huius operis lib. 8. cap. 12. luxum & vanitatem veſtium ſalsè, acriter, & ingenioſè deridet, ac nihilominus grauiter reprehendit, in quo & Clericos ſubnotat vitio haud fuiſſe ſua ætate militibus abſimiles; *Eſt*, inquit, *& illa voluptas in viro graui notabilis ex cauſa luxuriæ, quæ ornatum ſuum in pretio veſtium, aut colore, aut formâ, aut vſus nouitate conſiſtere opinatur; vt enim ait Ethicus,*

Maltinus tunicis demiſſis ambulat; eſt qui
Inguen ad obſcœnum demiſſis vſque facetus.

Alter ſolis lineis brumæ horrores excludit, & dum omnia gelu conſtricta rigent, tenui ſudat in cyclade, & illius delicias etiam bombicinus vrit pannus, aut premit; hic cæpa tunicatior, denſatis pellibus & epitogiis chlamydi penulam ſuperducit, & quaſi conglobatus in orbem rotulari quàm incedere magis idoneus eſt. Ille nunc vtitur penula, nunc campeſtri; id ſolùm agens, vt aliis diſſimilis habeatur; ille tantas exquiſiti ornatus affectat munditias, vt nimio ſplendore cultus operoſi ad ſordes videatur accedere; quicquid enim dedecet, & quodammodo polluit, aut potiùs expellit honeſtatem, ſordidum eſt, & habendum in ſordibus. Non tamen arguitur quod neceſſitas introducit, quia non omnes omnia poſſunt, & eſt cuius natura exigit, vnde alius oneratur, aut quod omnino ferre non poteſt. Hoc autem philoſophia præcipit obſeruari, vt quiſque in omnibus fugiat notam, indicens actioni rectitudinem, ne ſit reprehenſibilis, ſermoni cautelam, ne ſit contemptibilis, habitui mode-

ſtiam, ne ſit notabilis. Intemperantiam namque nota conuincit. In hodiernum diem arguitur intemperies Hortenſij, à quo iſti dealbati dicuntur Hortenſiani, non quòd primus, ſed quòd præcipuus talium fuerit, adeò vt ſuffecerit ad notam ſæculi ſui. Vir vtique alloquio ex profeſſo mollis, & in præcinctu ponens decorem ſuum; fuit enim veſtitu ad munditiem curioſus, & vt bene amictus iret, faciem quærebat in ſpeculo; vbi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, vt rugas non fortè ſed induſtriâ locatas artifex nodus aſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens modum lateris ambiret. Is quondam cùm incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de iniuriis diem dixit, quòd ſibi in anguſtiis obuius, offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat, & capitale putauit quod in humero ſuo locum ruga mutâſſet. Nihil tale ſapientem decet aut virum probum; imò & matronæ honeſtæ, & virgines nupturæ faciliùs, & feliciùs ob dotes formæ, tantam ſui ſollicitudinem erubeſcunt. Mirum itaque eſt, quia impudentia ætatis noſtræ,

———Cultus geſtare decoros
Vix nuribus rapuêre mores.———

Quid ergo quod milites? quid quod Clerici? ſiquidem hæc omnia fallacem meretricis fucum, & malitiam imitantur; quid ergo viro cum ſpeculo, niſi in eo caſu, quo illud Platonem geſtâſſe teſtis eſt Flauianus, vt videret in eo quantum peregrinatio, ſtudij feruor, acumen temporis proceſſu ætatis de naturali ſtatu mutâſſet, faciei indicio, quæ bona & mala fideliſſimè proteſtatur.

Circa idem tempus, nempe anno 1175. quo hæc ſcribebat Ioannes Sariſberienſis (ſic dictus à loco originis) celebrata fuit Synodus Londonienſis à Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo cum eiuſdem Prouinciæ ſuffraganeis, in cauſa reformationis morum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ; vbi contra Clericorum exceſſum in habitu, & abuſum in Tonſuræ & modeſtiæ neglectu, priſci Concilij Agathenſis canon renouatus eſt, hoc prorſus tenore; *Clerici qui comam nutriunt, ab Archidiacono etiam inuiti tondeantur: veſtimentis etiam & calceamentis, niſi quæ honeſtatem & religionem deceant, eos vti non liceat; ſi quis autem contra hoc præſumpſerit, & commonitus emendare noluerit, excommunicationi ſubiaceat.* Quæ clauſula ſuperaddita fuit canoni Agathenſi, ob contumaciæ Clericorum, quæ hoc tempore obduruerat, grauitatem.

Floruit eadem ætate Petrus Bleſenſis Archidiaconus Bathonienſis in Anglia, vir præſtantiâ omnis eruditionis clarus, quæ eius in ſcriptis omnium ore doctorum laudatiſſimis abundè patet; in quibus etiam pleriſque locis, Cleri ſui temporis deſidiam, immodeſtiam & luxum reprehendit, præſertim verò *in Cantilena de lucta carnis & ſpiritus*, quam dirigit ad quendam amicum randem mundi nugas ac vanitates faſtidientem; & *ſerm. de S. Lucia*, quo pompæ & ſuperfluitatis incongruæ Clericos non obſcurè ſugillat, ſagaciter inſinuans pridem Clero eas non fuiſſe opes, quibus in tantum faſtum aſſurgeret. *Chriſtus in Eccleſia lactanti,* (inquit) *quaſi caluus erat, quia prædia & poſſeſſiones non habuit Eccleſia vſque ad tempus Conſtantini, imò tantâ inediâ laborabant fideles, quòd Iulianus Apoſtata paupertatis opprobrium eis incutiens, Galilæos pannoſos eos vocare conſueuit.* (ait Sanctus Gregorius Nazianz. orat. 1. in Iulianum, & Sanctus Chryſoſtomus cont. Gentil.) At non tam ex inopia quoad populum,

quàm ex modeſtia Chriſtianæ diſciplinæ, ſicut de B. Agatha (cuius ibidem ipſe Bleſenſis, licèt alia de cauſa meminit) conſtat, quæ etſi eſſet diues & nobilis, Chriſtiano more humilitatem in habitu, modeſtiámq; inſignem præferebat. Hinc ad Quintianum Siciliæ Prætorem: *Ingenua ſum* (dicebat) *& ex ſpectabili genere, vt omnis parentela mea teſtatur; ſed ſumma ingenuitas eſt, in qua Chriſti ſeruitus comprobatur. Ancilla Chriſti ſum, ideò me oſtendo ſeruilem habere perſonam*; ex vilis ſcilicet habitûs inſpectu; cuius humilitatis eo tempore, non ſolùm viri Eccleſiaſtici erant ſuaſores, at obſeruatores præcipui; vnde Clericorum poſteriorum temporum luxus magis reprehenſibilis eſt. Quamobrem idem Petrus Bleſenſis, qui exceſſum eiuſmodi grauiter animo ferebat; rurſum ſuæ ætatis Clerum perſtringit ſerm. 12. quem habuit in quadrageſima, *Bona Eccleſiarum* (inquit) *in victum & veſtitum conceſſa, bona, inquam, pauperum Chriſti in ſuperfluos vſus conſumimus:* appoſitè denique, quò eos ad abſtinentiam, & modeſtiam Chriſti exemplo reuocet, in fine ſermonis ait, *Non tranſeamus per Ægyptum, ſed tranſeamus vſque in Bethleem*, (vbi nimirum inueniemus infantem pannis inuolutum, paruóque lacte paſtum) *& videamus hoc verbum, quod ibi factum eſt; imò ſequamini præcedentem, ſicut in ortu enim fuit Bethlehemites* (poſitus in præſepio) *in progreſſu Nazarenus* (inops, eſuriens, fatigatus) *in morte Hieroſolymites* veſtibus modicis exutus, ridiculis ad opprobrium indutus, felle & aceto potatus, in tumulo non ſuo ſepultus, ſyndone inuolutus mundâ quidem, at alienâ; *in horum recordationem turtur habens nidum commoretur.* Habitabit enim quiſque ſi voluerit in adiutorio altiſſimi, ſi Chriſti veſtigia ſequatur, & exempla imitetur.

Præterierat hîc abſque debito elogio Philippus Abbas Bonæ Spei, ordinis Præmonſtratenſis, Sancti Bernardi contemporaneus, quem ſcriptis etiam coluit epiſtolis. At ipſe cum honore inter huius ſæculi claros auctores audiri promeruit; nec ſine detrimento huius operis prætermitti poteſt, cùm de Clericorum diſciplina tractatum conſcripſerit & copioſum & inſignem; vbi de modeſtia ab iis ſeruanda in habitu non oſcitanter diſſerit; de qua, & diſtinctione habitus Clericalis à laïco, hoc ſuo tempore à quibuſdam neglecta, ſed ad praxim & obſeruantiam Eccleſiaſtico iudicio reuocata, & per Diœceſanum Epiſcopum vigore quo decuit Sacerdotali vindicata, hanc memoriæ prodidit rei geſtæ, & à ſe conſpectæ narratiunculam titulo de Continentia Clericorum cap. 118. *Memini cùm in ciuitate quadam adoleſcentulus diſcendi gratiâ conuerſarer; erant in ea duo viri, qui in pueritia profeſſionem aſſumpſerant Clericalem, ſed propoſiti pœnitentes, ad ordinem relapſi fuerant laïcalem; in quo pertinaciter conuerſantes annos tranſegerant iuuentutis, & aſperſi caput canitie, iam parabant ingredi veſtibulum ſenectutis. Viſum eſt autem Epiſcopo, vt eos ad propoſitum reuerti commoneret, ne ordo Clericalis diutiùs per eos riſui ſubiaceret, quia & eos fuiſſe Clericos fama crebriùs ventilabat, & hoc frequenter multorum ſubſannatio Clericis obiectabat. Cùm igitur ad celebrandam ſynodum vndique more ſolito veniretur, vt in ea de Eccleſiaſticis canonicè tractaretur, vt quod videbatur vtile, auctoritate debita ſanciretur, & quod fortè fuerat infirmatum, reduci in priſtinum cogeretur; Epiſcopus eos quos prædiximus, publicè monuit*

ad profeſſionem Clericalem, quam reliquerant, vt redirent, interminans eis ſe damnationis ſententiam illaturum niſi monitis obedirent; at illi reſponderunt ſe quidem in ſcholis pueros aliquanto tempore litteras didiciſſe, ſed omninò Clericos non fuiſſe; ad hoc voce conſonâ quorumdam Clericorum teſtimonium ſonuit, & præcipuè Decanus Eccleſiæ, vir genere nobilis, & ætate maturus aſſeruit, quòd illi quidem in ſcholis curam ſecum ſtudio impenderant litterali, & inſigniti fuerant coronâ & habitu Clericali; quo audito ſine hæſitatione debere illos ad Clericatum reuerti Synodus iudicauit, factúmque iudicium Epiſcopus auctoritate debita confirmauit; & ſic ſoluto Concilio incumbente veſperâ vnuſquiſque ad propria remeauit. In craſtino Clericis congregatis cùm rurſus in Concilio ſederetur, & de illis apoſtatis ſermo nullus in publicum verſaretur, ecce vnus ex eis raſus barbam, raſus coronam, tonſus comam in rotundum, indutus CLERICALI VESTE, *venit in Synodum, & inter cæteros Clericos reſedit, gaudentibus, mirantibúſque multis, quòd & ſpiritu, & habitu fuerit immutatus; nec diſtulit ad honorem, & ordinem redire Clericatûs; alter verò etſi paulò tardiùs, tamen compulſus eſt redire, non præſumens vel iudicio ſynodali, vel mandato Epiſcopali ineſficaciter contraïre; ſic vtrique ſtatui renunciantes laïcali ex eo manſerunt, & permanſerunt in conuerſatione & habitu Clericali; quorum neuter adhuc exutus eſt onere corporali, imò adhuc vterque vitâ fungitur temporali.* Idem auctor aliis locis infrà citandis tractat de morali & myſtica ratione habitûs Clericalis tam ſacri quàm priuati. Sed de eius teſtimonio quoad præſens ſatis.

Sub finem huius ſæculi, anno videlicet 1179. conuocauit Alexander III. Papa Concilium Lateranenſe Generale, cui præfuit, ducenti verò & octoginta Epiſcopi interfuerunt. Actum in eo eſt præcipuè de reformandis tam Cleri quàm populi moribus, & reſtituenda in integrum canonica diſciplina; ſpeciatímque canon, *Clerici*, Concilij Romani renouatus eſt, quo diſtrictè iis prohibetur nutrire comam, & aliis vti veſtimentis ac calceamentis, quàm iis quæ religionem deceant & honeſtatem, ſi quis autem contrà venire præſumpſerit, & commonitus ſe emendare noluerit, excommunicationi decernitur fore obnoxius. Extat hoc decretum, quod etiam ex reſcripto depromptum prænotatur eiuſdem Pontificis Alexandri III. ad Archiepiſcopum Cantuarienſem tom. 2. Concil. part. 2. Appendice XI. Concil. Oecumenici III. Lateranenſis part. 28. c. 4. edit. Col. p. 618. col. 2. a. 6.

§. 10. *Sæculum XIII. ab anno* 1200. *ad annum* 1300.

INITIO huius ſæculi præfuit Eccleſiæ Pariſienſi cum ſumma omnium laude Odo de Soliaco Henrici Bituricenſis Epiſcopi frater; de quo Petrus Bleſenſis epiſt. 126. in hunc modum meminit; *Odo Henrici II. Anglorum Regis, & Regis Gallorum conſanguineus, inuitus ad Epiſcopatum Pariſienſem Mauritio mortuo raptus eſt; pius eleemoſynas condiebat lachrymis. Adoleſcentem Gregorius VIII. penè pari Epiſcopis honore excepit; cúmque vas ſuum in ſanctificatione & honore ab infantia poſſediſſet*, &c. *vberem reditum prudenti conſideratione diſperſiſſet*, &c. *& ſicut lignum, quod ad humorem mit-*

tit radices in Eccleſia Bituricenſi(vbi Cantor erat) *fructificari cœpiſſet, nunc Pariſius à Domino tranſplantatur, vt fructum plus afferat, vt lucerna ſuper candelabrum poſita, glorioſius cunctis irradiet*, &c. *in Epiſcopum denique conſecratus*, &c. *fidelis ſequeſter inter Deum, & homines vota populi offert, & populo gratiam Dei refert, vigilantiâ iugi reducens in viam iuſtitiæ, quos inde verſutus impoſtor abduxerat.* Quanta ſapientia, zelo, vigilanria, pietate, gregi ſibi commiſſo inuigilârit, reſtimonia produnr virorum ipſo viuente illuſtrium, manifeſtioréque ſunt indicio Synodales illæ conſtituriones, quas Clero & populo ſibi ſubdito, magna fide, doctrina, prudentiâ, & circumſpectione præſcripſir; quæ excuſæ extant in Biblioth. SS. Patrum; necnon tom. 28. Conciliorum Regiæ edirionis Pariſienſis in octo capira quæ pleriſque conſtant arriculis, digeſtæ. Harum c. 5. art. 8. prohibet Clericum „ malè ornatum altari ſeruire. cap. 8. art. 13. vetar penitus vniuerſis Sacer„ dotibus ludere cum deciis, (id eſt aleis) & inreresse ſpectaculis, vel cho„ reis aſſiſtere, & intrare tabernas causâ potandi, & procedere ſine amictu, „ ſcilicet cappa vel pallio, vel ſuperpelliceo, & comite Clerico vel laïco in„ trare domos alienas, aut diſcurrere per vicos, & plateas, inhibérque iis „ ne habeant cappas alaras, & veſtes inordinatas: & art. 34. ne eorum ca„ pellani habeant (ſicut nec ipſi) cappas manicaras. art. 39. ne celebrent „ ſine caligis, & art. 40. ne ipſi, nec Clerici eorum, culrellum porrent cum cuſpide. Cæterùm de piis huius inſignis Epiſcopi inſtirurionibus alibi dixiſſe meminimus, ſcilicet poſteriore parte *de myſticis Galliæ Scriptoribus* ſub centuria XIII. In qua vixit eriam rirulis nobilitatis illuſtris, & rebus ſuo in Epiſcopatu pleriſque laudabilirer geſtis à nonnullis commendarus Philippus Epiſcopus Bellouacenſis; qui nihilominus potiùs alri ſtemmatis generoſirare pollens, quàm Epiſcopali modeſtiâ ac manſuetudine præditus, miliraria rractans, in acie pugnans, à Rege Angliæ Richardo comprehenſus ac durè habitus, & in vincula coniectus, litteras deprecatorias pro liberrare ſua imperranda Cœleſtino III. direxir, nonnihil conqueſtus de ipſius Pontificis lenra ac nimium protelara pro ſe apud ipſum Regem interceſſione; cui ille tandem reſponſoriam dedit ſuo hoc memorabili exordio: *Siniſtrè licèt tibi euenerit, nec mirum; cunctorum enim meretur odium, qui omnium in ſe communem approbat inimicum, præſulem namque pacificum exuens, militem bellicoſum induiſti; clypeum pro infula, gladium pro ſtola, loricam pro alba, galeam pro mitra, lanceam pro baculo paſtorali, ordinem rerum & ſeriem peruertens temerarius baiulâſti.* Quamobrem etſi mos ſit Sedis Apoſtolicæ perpetuus, vt Papa nullo alio nomine Epiſcopos ſalutet vel alloquatur, quàm *venerabilium fratrum* titulô; hunc quòd hoc honore dedecorâ illa ſua metamorphoſi ſeſe præbuiſſet indignum, *dilecti* tantùm, qua minores Clericos, quin & laïcos compellare ſolet ſummus Pontifex, appellarione nuncupauit; quo ſcilicet derrimento honoris, daret inrelligere ſuam in eum iuſtam indignationem, qui exuere Clericalem habitum, induere milirarem, ſacra deſerere, caſtra non modò ſequi, ſed ducere, pedúmque enſe commutare, & delibutas ſacro chriſmare manus, immiſcere humano cruori non exhorruiſſet; quia tamen vir regio ſanguine progenitus (erat enim filius Roberti Comitis

Drocarum ex Agnete de Braina) non ſolùm Epiſcopus, ſed Comes & Par Franciæ, pro Rege & patria arma ſumpſerat, licèt modum exceſſiſſet inculpatæ tutelæ; pius pater Cœleſtinus afflicto Epiſcopo non modò aures, ſed & manum porrigere æquum cenſuit adiutricem, quemadmodum apertè ſignificat ſub finem ſuæ ad eum epiſtolæ; *Regi tamen Anglorum*, inquit, *pro te litteras dirigimus ſupplicatorias; qualitate namque captionis tuæ medullitus inſpecta, in tali caſu non poſſumus nec debemus imperare, ſed tantùm ſupplicare, victor enim ſapienter vincendus eſt*, &c. *nos igitur pro te ſupplicamus non importunè, ſed opportunè*. Ita Cœleſtinus III. apud Houedenum, Anglum hiſtoricum.

Concilium Eboracenſe in ipſa Anglia ſub eodem Richardo Rege celebratum fuerat, Huberto Cantuarienſi Archiepiſcopo, Legato Apoſtolicæ Sedis præſidente; in quo circa Eccleſiaſticam œconomiam decreta inſignis notæ ſunt edita. Primò prohibitum eſt, ne Sacerdos niſi in habitu Clericali infirmis deferat viuificam hoſtiam, *quæ cum humilitate confici debet, cum timore ſumi, cum reuerentia diſpenſari*. Decretum autem 6. expreſsè latum eſt *de Tonſura & habitu Clericali*, hoc verborum nexu; *Statuimus etiam, vt Clerici qui ab Epiſcopo coronam ſuſceperunt, habeant & Tonſuram, quam ſi habere contempſerint, ad hoc, beneficiorum ſi quæ habeant, priuatione cogantur: qui verò beneficia non habent, per Archidiaconum vel Decanos tondeantur inuiti. Præcipimus etiam, vt Sacerdotes non in cappis manicatis incedant, ſed in veſtibus ſuo ordini congruis, vt ſicut cæteris dignitate præminent, ſic pleniùs & formam & exemplum exhibeant honeſtatis.* Hæc ibi.

Concilium Dalmaticum paulò pòſt habitum eſt per Legaros Apoſtolicæ Sedis, Ioannem, & Simonem, ab Innocentio III. commiſſos pro reformatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, in quo ſanctio noua edita de raſura, & Tonſura renenda Clericali; quo nomine etiam habitus, ſolito canonum vſu intelligi debet.

Anno præcisè 1200. habita eſt Synodus Londinienſis, euocante ac præſidente dicto Huberto Archiepiſcopo Cantuarienſi; in cauſa itidem morum & diſciplinæ; cuius canone 10. ſic legitur, *Clerici omnes habeant habitum Clericalem & Tonſuram canonicam: Archidiaconi autem, & in dignitatibus conſtituti alij, & Presbyteri cappis manicatis vtantur*; rectiùs legeretur, *non vtantur*; ſic enim expreſſim habent ſuperiores aliorum Conciliorum canones per ſeriem recitati.

Celeberrimum Concilium Lateranenſe V. ſub ipſo Innocentio III. ſummo Pontifice Romæ, anno 1215. indictum ac habitum eſt, omnium quæ antehac conuenerant, numeroſiſſimum. In Apoſtolico diplomate conuocationis ipſe Pontifex acceſſuros eo præſules, & Clericos modeſtiæ ſeruandæ in actu & habitu memores eſſe iubet: *Nec quiſquam* (inquit) *ſuperfluas faciat, & pompoſas, ſed neceſſarias tantùm, & moderatas expenſas, oſtendendo ſe actu, & habitu verum Chriſti cultorem, cùm non ſæcularis applauſus, ſed ſpiritualis profectus, in hoc ſit negotio requirendus*. In ipſo autem Concilio expreſſim canon ſerie 16. de Clericorum indumentis, editus eſt hoc tenore, *Clerici officia vel commercia ſæcularia*

non exerceant, maximè inhoneſta; mimis, ioculatoribus, hiſtrionibus non intendant, & tabernas prorſus euitent, niſi fortè cauſâ neceſſitatis in itinere conſtituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec huiuſmodi ludis interſint. Coronam & Tonſuram habeant congruentem, & ſe in officiis diuinis, & aliis bonis exerceant diligenter; clauſa deſuper deferant indumenta, nimia breuitate vel longitudine non notanda: pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut ſotularibus conſutitiis ſeu roſtratis, frenis, ſellis, pectoralibus & calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad officium diuinum intra Eccleſiam non gerant, ſed nec alibi qui ſunt in Sacerdotio vel perſonatibus conſtituti, niſi iuſti cauſa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias, auri, vel argenti ornatum habentes, ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officiô dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes vtantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem; palliis diffibulatis non vtantur in publico, ſed vel poſt collum, vel ante pectus hinc inde connexis. Hæc Spiritus S. ore ſummi Pontificis loquens, in Eccleſiæ Catholicæ generali Concilio.

Oxonienſis Synodus per Stephanum Cantuatienſem Archiepiſcopum pro reformatione Eccleſiæ Anglicanæ congregata, anno 1222. c. 32. eadem de modeſtia in habitu ſeruanda à viris Eccleſiaſticis ſtatuit in hunc modum; *Vt Clericalis ordinis honor debitus ſeruetur, auctoritate præſentis Concilij decernimus, vt tam Archidiaconi quàm Decani, & omnes alij in perſonatibus & dignitatibus conſtituti, & omnes Decani rurales, & Presbyteri decenter incedant in habitu Clericali, & cappis clauſis vtantur; idémque obſeruent Officiales Epiſcoporum, & Archidiaconorum dum fuerint in Conſiſtorio.* Et can. 33. *Et nec ipſi, nec alij Clerici comam nutriant, ſed honeſtè tonſi, & coronati incedant, niſi fortè iuſta cauſa exegerit habitum transformare.*

Floruit hoc ſæculo in medium decurrente Humbertus, quintus Ordinis Prædicatorum Generalis, qui inter *multa vtilia, & valde pia* (ſic nominat Cardinalis Bellarminus) quæ ſcripſit, ſermones compoſuit ad omne hominum genus pertinentes, in quibus ad Clericos ſunt plerique directi, quibus eos dum commonet officij, etiam ad pios mores, & omnem modeſtiam & honeſtatem hortatur; legendi præſertim partis 1. ſermo 3. ad omnes perſonas Eccleſiaſticas, ſerm. 53. ad Capellanos & Clericos; ſerm. 57. ad omnem Clericum; ſerm. 59. ad Canonicos & Clerum Cathedralis Eccleſiæ; ſerm. 60. ad quoſcumque Canonicos ſæculares. prodierunt Venetiis typis Marci Anton. Zalterij, anno 1603.

Bellarmin. de Script. Eccl ad an. 1245.

Neceſſe eſt hoc ſæculo fuiſſe Clericorum circa habitum grauiores quàm antehac exceſſus, cùm frequentiores legamus in huius æui auctoribus hac de re querimonias, pluréſque contra luxum Clericorum in Synodis editas ſanctiones, inter quas hæc mihi viſa eſt memorabilis quæ in Concilio Londinienſi habito ſub Gregorio IX. ſummo Pontifice, & Henrico III. Angliæ Rege, auctoritate Othonis Legati Apoſtolicæ Sedis, qui præfuit eidem Synodo anno ſalutis 1237. promulgata fuit eiuſdem ſacri Conuentus decreto 14. ſub hac ad verbum ſerie; *Quoniam de habitu Clericorum, qui non Clericalis videtur, ſed potius militaris, graue ſcandalum laïcis generatur, firmiter ſtatuendo præcipimus, vt ad formam tam de*

veſtibus

veſtibus Clericorum, quàm de ornamentis equorum, in generali Concilio editam per ſubtractionem beneficiorum ab Epiſcopis reſtringantur: ita quòd in menſura decenti veſtes habeant, & cappis clauſis vtantur in ſacris ordinibus conſtituti, maximè in Eccleſia, & coram Prælatis ſuis, & in conuentibus Clericorum, & vbique in parochiis ſuis qui cum animarum cura Eccleſias ſuſceperunt. Et vt poſſint Epiſcopi alios meliùs ad honeſtatem veſtium, tonſuram & coronam decentem, & equorum ornamenta idonea coarctare, prouideant vt à ſuis Clericis commenſalibus hæc priùs faciant obſeruari, habentes eos in veſtibus, calcaribus, frænis, & ſellis Clericalis gerentes habitum honeſtatis. Quam ita altè præcordiis inſitam habuit Gregor. IX. vt in collectione Decretalium (de cuius cõpilatione ipſius iuſſu factâ, & auctoritate promulgatâ, nonnulla diximus in noſtra Panoplia Epiſcopali, lib. 2. p. 172.) proprium titulum extare voluerit, *de vita & honeſtate Clericorum*, qui pleriſque capitulis ex Conciliorum canonibus, & Pontificum decretis, delibatis conſtat; huius tituli c. 15. & poſtremo conſtitutio Innocentij III. in Concilio IV. generali Lateranenſi promulgata ſeriatim inſerta eſt, quæ ſuprà eſt ſuo loco recitata; quamobrem ſuperuacaneum hîc cenſemus eam ad verbum retexere.

Labente hoc ipſo ſæculo, videlicet anno 1274. Gregorio X. ſedente coactum eſt Concilium prouinciale Saltzburgenſe à F. Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, pro recipiendis Concilij Lugdunenſis ſub eodem Gregorio celebrati conſtitutionibus, aliiſque de cauſis, quæ ad Eccleſiaſticam ſpectabant diſciplinam; cuius Synodi can. 11. *de vita & honeſtate Clericorum*, hôc extat memorabili tenore; *Edicto perpetuo prohibemus, ne Clerici comam nutriant, maximè Sacerdotes, qui taliter tondeantur, vt pateant eis aures: cæteri inferioris ordinis Clerici in Tonſura non multùm diſcrepent ab eiſdem, coronam & deſuper congruam habeant; veſtes non deferant niſi clauſas, quas omnino prohibemus à latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo ordinatis cingulis, fibulis, nodulis, in manicis & capitiis non vtantur; ſed nec in publicum procedant, niſi circumcincti veſte ſuprema; in pileis ſuffuraturas non habeant, niſi fortè de nigro cenlato, vel panno aut nigra pelle agnina, caudata pilea diſtrictiſſimè prohibemus.*

Italiam compreſſum iri voluiſſe eundem in veſtibus Clericorum abuſum, eodem æuo plus ſolito graſſantem, indicat Synodus Rauenatenſis, anno 1286. Eccleſiam vniuerſalem Honorio IV. regente celebrata, in cauſa reformandæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ per Bonifacium illius Sedis Archiepiſcopum, & eius Suffraganeos, quemadmodum ex eius decreto 3. patet; cuius hæc eſt fermè conſcriptio; *Licèt ſit canonica ſanctione ſtatutum, vt excommunicentur Clerici arma portantes, & vt habitum, coronam & tonſuram deferant congruentem*, &c. *túmque Clericorum nonnullorum notata contumacia, non modò in veſtibus gerendis minimè ſuo ſtatui congruis, ſed & armis portandis, pœníſque iis præſcriptis irrogandis; qui immorigeri deinceps in hoc fuerint, ſubiungitur, pecuniaria etiam pœna non leui animaduertendum eſſe in Clericos, qui comperti fuerint habitum, coronam, & tonſuram notabiliter incongruam portare.*

Sequenti anno nationalem Germaniæ Synodum congregauit Ioannes, Tuſculanus Epiſcopus Cardinalis, Sedis Apoſtolicæ Legatus, cò

Google

miſſus ab eodem Pontifice Honorio IV. Cuius Concilij exordium ab honeſtate Clericorum in moribus, victu, & veſtitu, his verbis texitur. *Capitulum 1. In nomine Domini, Amen. Vt Chriſti militia laudibus deputata diuinis, vita, geſtu, moribus & habitu à * mulitia ſecernatur humana; cunctos Archiepiſcopos, Epiſcopos, Clericos, Abbates, cæteróſque inferiores Eccleſiarum prælatos, & perſonas in dignitate ſacri Sacerdotij conſtitutas, quarum cura nobis committitur, auctoritate hortamur in Domino, & paternâ ſuadelâ monemus, vt piè, caſtè, mundè, ac in ſplendore vitæ viuere ſtudeant, grauitate qua conuenit, tam in habitu, quàm in moribus incedentes; & vt in dignitate præcellunt, ſic & vita præfulgeant honeſtate, præſentium conſtitutione ſtatuimus in poſterum valitura, vt Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates in domibus eorum clauſa, & non nimia longitudine, vel breuitate munda habeant indumenta.*

* *militia*

Tulit hoc ſæculum (quo nomine felix meritò dici poteſt) perlucidum Theologiæ iubar, Sanctum Thomam Aquinatem, Doctorem Angelicum, qui in Summa Theologiæ, quiequid ad fidei doctrinam ſpectat morúmque diſciplinam, mirâ prorſus ſapientiâ explicauit. Cuius operis incomparabilis 2. 2. q. 169. qua tractat de modeſtia in exteriori apparatu, art. 1. diſquirens vtrum exteriorem circa ornatum poſſit eſſe virtus & vitium? affirmatiuè concludit, *ex eo quòd contingat circa externum corporis cultum, & laudabilem ſeruare mediocritatem, & ab ea vel excedendo vel deficiendo recedere.* Ponit verò in corpore articuli quædam axiomata; *vt quod vitium non ſit in ipſis rebus exterioribus, ſed ex parte hominis qui eis immoderatè vtitur; qui exceſſus attenditur tam per comparationem ad conſuetudinem hominum cum quibus quiſque viuit; quàm ex inordinato affectu vtentis, qui tripliciter contingit. Vno modo per hoc quod aliquis ex ſuperfluo cultu veſtium, hominum gloriam quærit. Alio modo, ſecundùm quod homo per ſuperfluum cultum & mollitiem veſtium quærit delicias. Tertiò denique ſecundùm quod nimiam ſollicitudinem apponit ad exteriorem eiuſmodi apparatum.* Quòd ſi in his laïcus peccat, quantò magis Clericus? quandoquidem non ſolùm ex his principiis peccat, ſed inſuper ex eo quòd Eccleſiæ infringit leges, quibus & diſtincto à laicis iubetur vti habitu, eóque modeſto & honeſto, qui ſtatui Eccleſiaſtico conueniat, & ſplendorem in ornatu priuato mollitiémque omnem, vel minimum affectum gloriæ habere in veſtitu prohibetur. Præclarè Sanctus Ambroſius 1. Off. cap. 19. ibidem à Sancto Thoma laudatus**, modeſtiæ à quouis Chriſtiano, præſertim à Clerico in habitu obſeruandæ leges præſcribit; *Decor corporis*, inquit, *non ſit affectatus, ſed naturalis, ſimplex, neglectus magis quàm expetitus; non pretioſis & albentibus adiutus veſtimentis, ſed communibus, vt honeſtati, vel neceſſitati nihil deſit, nihil accedat nitori. Seruando autem eiuſmodi moderamini duplex inſeruit virtus: humilitas, quæ ſumptus in eiuſmodi rebus reſtringit, & ſuperfluitatis inimica inanı́ſque gloriæ, excludit exceſſum, vanitatem & mollitiem: ſimplicitas, quæ fucum omnem repellit, & ſuperfluam ſollicitudinem, his vt pote contenta quæ contingunt.* Non debuit certè hîc ſub ſilentio præteriri tam inſignis B. Thomæ doctrina, quæ cùm omnibus, tum maximè Clericis inſtar regulæ eſſe poſſit. At aliàs iterum de hac diſſeruimus, ſcilicet vbi de modeſtia à viris Eccleſiaſticis colenda, &c.

** Sed contra, &c.

§. II. *Sæculum XIV. ab anno* 1300. *ad annum* 1400.

SEDENTE in Sede Apoſtolica Clemente V. ſummo Pontifice, anno 1311. celebratum fuit Concilium Oecumenicum Viennenſe; in quo Clementinæ conſtitutiones promulgatæ ſunt: quarum c. 2. hæc cenſetur, ſub titulo, de vita & honeſtate Clericorum. *Quoniam qui abiectis veſtibus proprio congruentibus ordini, alias aſſumere, & in publico portare rationabili causâ ceſſante præſumit, profeſſorum illius ordinis prærogatiuâ ſe reddit indignum, præſenti conſtitutione ſancimus, quòd quicumque Clericus virgata, vel partita* * *veſte publicè vtetur, (niſi cauſa rationabilis ſubſit) ſi beneficiatus exuerit, per ſex menſes à perceptione fructuum beneficiorum quæ obtinet, ſit eo ipſo ſuſpenſus: ſi verò beneficiatus non fuerit, in ſacris tamen ordinibus citra ſacerdotium conſtitutus, per idem tempus reddatur eo ipſo inhabilis ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum: idem quoque cenſemus de Clericis aliis veſtem talem* (talarem) *ſimul & tonſuram publicè non deferentibus Clericalem.* Hæc Clemens facto approbante Concilio generali.

Clement. lib. 3. tit. 1.

* Vide gloſſ.

Poſt eius obitum vacauit Sedes Apoſtolica annis duobus; quo Pontificij intetregno durante, habita fuit Rauenatenſis Synodus III. à Raynaldo Præantiſtite pro diſciplina, & moribus reformandis; ſub cuius Concilij rubrica x. ſequens aduersùs luxum & laſciuiam Eccleſiaſticorum edita eſt conſtitutio; *Quoniam Sacerdotium ex indiſciplinatione populi apparet non ſanum, & propter laſciuias, & diſſolutiones Clericorum, & Religioſorum, detrahitur diuino honori, ac ordini Clericali, populique fiunt minùs ex hoc deuoti, in tantum vt iura Eccleſiaſtica retinere, & aliquando temerariè inuadere non vereantur, cùm inceſſus, habitus, & veſtimenta Clericorum & Religioſorum, in grauitate, forma, ac colore diſtincta ſæpiùs non videantur ab habitu Laïcorum, quemadmodum eſſe deberent, proinde ſtatuimus & mandamus pro honeſtate ordinis Clericalis, quòd nullus Religioſus vel Clericus portet arma, vel veſtimenta alterius coloris quàm iure permiſſi; quæ deſuper clauſa ſint atque talaria: coronam etiam condecentem portent, per quam deſignetur regalis eſſe generis; & ſperare ſe aſſequi debere partem hæreditatis diuinæ; quæ ſcilicet ſit rotunda, & ita tonſi ſint inferiùs quòd aures pateant: ita quòd ſi in ſacris fuerit aut beneficiatus in Eccleſia Cathedrali, vel Collegiata venerabili, ſecundum condecentiam ſui ſtatus portet latiorem, alij verò mediocrem vel minorem ſuis ſtatibus condecentem. Capita cooperiant pileo, vel birreto, vel armatia oblonga ad aures: Laïcorum conuiuia non frequentent, in domibus Eccleſiarum ſtudeant habitare. Prælati, Sacerdotes, & alij in dignitatibus & perſonatibus conſtituti, ac Canonici Cathedralium Eccleſiarum in ſacris conſtituti, Sacerdotes & Rectores Eccleſiarum, ciuitatum, & ſuburbiorum, per ciuitates incedentes, decentem habitum portent, videlicet cappas vel chlamydes; Sacerdotes verò extra ciuitatem, & ſuburbia, & alij in ſacris conſtituti, ſaltem tabardos talares portent; in Eccleſia verò vtantur cappis nigris, vel ſaltem cottis albis*, &c. *Quòd ſi quis contra aliquod præmiſſorum fecerit, pœnam decem ſolidorum Rauennatum incurrat ipſo facto, quam ſi non*

Nota.

ſoluerit infra menſem, poſtquam ſemel monitus fuerit, & ipſe excommunicatus exiſtat: ſi verò fuerit Religioſus per menſem ieiunet, bis in hebdomada in pane & aqua, &c. *quam pœnam ſi non inchoauerit infra menſem poſtquàm ſemel monitus fuerit vt ſuprà, & inchoatam compleat vt debet, ex tunc ipſo facto excommunicatus exiſtat. Et nihilominus contrà facientes priuati ſint ipſo iure priuilegiis, & fauoribus huius Concilij, & omnium aliorum Prouincialium Conciliorum: cùm non ſit miles reputandus qui ſtigmata non habet, & fruſtra legis imploret auxilium, qui committit in legem.* Ita ibi. Repetita eſt ferè ad verbum, aggrauatis dumtaxat pœnis, ipſa hæc conſtitutio in IV. Concilio Rauenatenſi habito ab ipſo Archipræſule anno 1317. ſedente Ioanne XXI. Pontifice, ſub rubricæ IV. inſcriptione.

In Hiſpania paulopòſt, ſcilicet anno 1322. eodem Papa ſuperſtite, coactum fuit Concilium Palentinum à Guillelmo Sabinenſi Epiſcopo, Legato Apoſtolicæ Sedis: in quo ſacro Senatu ita fuit etiam de Clericorum, quin & Prælatorum honeſtate, & modeſtia in habitu definitum cap. 6. *Quamuis honeſtas morum, & habitûs decentia omnibus Clericis per ſacros ordines ſint indictæ: in Prælatis tamen, Archiepiſcopis videlicet & Epiſcopis, eò deſiderantur ampliùs, quò ex ſuſcepta dignitatis debitò, in ſeipſis debent oſtendere qualiter alios fideles deceat in Domino conuerſari; volentes igitur, vt Prælati prædicti in conuerſatione, habitu & veſtitu, aliis præbeant exemplum honeſtatis: ſtatuimus vt Epiſcopi, & ſuperiores Prælati ſacras lineas in publico, & cùm eos equitare contigerit, nullatenus tabardos, ſed cappas & capellos ſuæ dignitati deferant congruentes, cappis aut veſtibus ſericis non vtantur.*

* Nota.

Idem Legatus biennio poſteà celebrauit Concilium Toletanum; in quo ſanctionem hanc conſonam priſcis conſtitutionibus Eccleſiaſticis promulgauit can. ſecundo. *Antiquos Canones qui in Clericis ſuperflua & inhoneſta prohibent, ad memoriam reducentes, ſtatuimus quòd nullus Clericus ſupertunicale, ſed tabardum, poſt menſem à tempore publicationis præſentis conſtitutionis deferat, ita longum, quòd ſi ad pedes contingat nullatenus tamen per terram trahatur, cùm hæc non honeſtas, ſed ſuperfluitas, & indecentia cenſeatur; Clericus verò qui contrà fecerit ſupertunicale ipſum, ſeu tabardum ipſo facto amittat, per Prælatum, ſeu eius Vicarium ſeu Officialem pauperibus erogandum. Caueant & Clerici ne mantellos ferant, ſeu chlamydes nimia longitudine rotandos, & cum chordis & nimis longis, nec tunicarum manicas notabiliter nimis breues, ita quòd brachia nuda appareant, ſi pœnam conſimilem voluerint euitare. Quilibet etiam Clericus barbam faciat ſibi radi quolibet ſaltem menſe, nec crines deferat notabiliter infra aures.*

Nota
De raſura barbæ, ſemel menſe quolibet.

Toleti alia, iuſſu & præſidio Ægidij Archiepiſcopi eiuſdem Eccleſiæ, conuenit Synodus anno 1347. Clemente VI. ſedente, Rege verò Caſtellæ Alphonſo XI. cuius Synodi decreta Patres à titulo *de vita & honeſtate Clericorum* ordiuntur, ſub eiuſmodi ſerie: *Ad reformandam in Prælatis honeſtatem,* &c. *Nos cupientes Suffraganeos noſtros ſimilitudine decenti & debita, vt in Eccleſia vnum ouile, & etiam vnus pa-*

ſtor valeat apparere; in qua flores honoris, & honeſtatis fructus in vbertate ſuccreſcant, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, cùm nos & Epiſcopi Suffraganei noſtri capellos detulerimus rotundos, & in ſuperiori parte laneos, nullatenùs ſericos, cum nigra, & non alterius coloris fodratura portemus. Qui verò ſecus facere præſumpſerit, tanquam inobediens, & inhoneſtè incedens mille marebelinorum vſualis monetæ ſummam eo ipſo ſoluere teneatur; quorum tertia pars fabricæ Eccleſiæ ſuæ, alia pars denunciatori, reliqua pars redemptioni captiuorum irremiſſibiliter applicetur.

Ingreſſus eſt ſolium Petri anno ſalutis 1352. in aſcenſu purpureo ſancti laboris, in reclinatorio aureo eximiæ charitatis Innocentius VI. natione Gallus, ortu Lemouicenſis, qui memor humilitatis & modeſtiæ Domini, & Petri eius vicarij, Eccleſiæ reformationem à proptia familia exorſus, impenſas aulæ ſuæ imminuit, veſtium Cleri appatatum & pompam coërcuit; paraſitos domo ſua excluſit, apud ſe non alios viros quàm doctos, modeſtos & probos manere voluit: idem porrò Cardinalibus vt facerent præcepit, beneficia nullis, niſi his ſignatis characteribus contulit; tandémque decennio in pontificatu nondum expleto, vir diuturnioris pontificij dignus, vt pote ſynceræ vitæ & probatæ conſtantiæ, feréque ad miraculum vtriuſque iuris petitiâ inſignis, cùm ad Europæ pacem omnibus neruis contenderet, ſummo Chriſtiani orbis diſpendio, nec minore bonorum omnium luctu, labili ex hac luce, ad æternum glotiæ lumen, Chriſto euocante, feliciter migrauit.

In exitum hoc ipſo ſæculo vergente, ſcilicet anno 1386. ſedente Vrbano VI. Concilium actum eſt Saltzburgenſe à Pilgrino Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, & Comprouincialibus huius Metropolicæ Sedis; in quo etiam luxui Clericotum coërcendo proſpectum fuit; ſic enim habet capitul. 5. *Quoniam per decentiam habitûs extrinſeci oportet Clericos intrinſecam morum honeſtatem oſtendere, diſtrictè prohibemus, ne aliqui Clerici ſine caputio capitis, bireto, capello, vel pileo cooperti in Eccleſia, ſeu aliàs in publico præſumant incedere, cùm hoc honeſtatem non deceat Clericalem; quòd ſi quis contrà fecerit per ſuperiorem acriter puniatur.* Et cap. 6. *firmiter inhibemus ne Clerici in publico vtantur vario, vel illud deferre præſumant, niſi in dignitatibus fuerint, vel Canonici Eccleſiarum Cathedralium, vel in gradu magiſterij ſcientiæ litterarum fuerint conſtituti: Adiicientes etiam ne ipſi Clerici, maximè non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris, auri vel argenti ornatum habentibus vtantur, aut etiam veſte vel alio habitu indecenti.*

In Concilio Palentino anno 1388. celebrato, rubricæ 3. hic tenor eſt; *Cùm in iure ſtatutum exiſtat quòd Clerici coniugati qui cum vnicis virginibus contraxerunt, ſi Tonſuram & veſtes deferant Clericales, priuilegium obtineant canonis ab Innocentio Papa II. editi in fauorem totius ordinis Clericalis, &c. & nonnulli ex prædictis Clericis coniugatis, vt fide dignorum relatione percepimus, tonſuram aut veſtes deferant honeſtati ordinis Clericalis minimè congruentes. Ideò ſtatuimus quòd Clericus coniugatus qui gaudere voluerit priuilegio ſupradicto, Tonſuram, ſeu Clericam* quantitatis inferiùs præ-*

Nota.

* Nota Tonſuram etiam ſubſtantiuè *Clericam* vocitari.

ſcriptæ deferat, vel maiorem, & veſtem ſuperiorem non virgatam, (variegatam) *aut bipartitam, quæ tamen vſque ad medietatem tibiæ, vel vltra in longitudinem protendatur.*

Viuebat hac ætate Nicolaus de Clemangis Baiocenſis Archidiaconus, vir acris ingenij, doctrinæque famâ celebris, qui ſcribens ad Reginaldum Epiſcopum Sueſſionenſem, epiſt. 133. eundem monet dignitatis & gradus vt memor eſſe velit; docétque, in Eccleſia, ſchiſma quod eam dilacerabat, omnéque malum, quo afflicta erat Chriſtiana reſpublica, hinc ortum, quòd parum in ſua vocatione Eccleſiaſtici ſe ſedulos oſtenderint: Prælatis autem Galliæ infortunij huius non minimam culpam adſcribit, aſſerítque *luxum Gallicanam Eccleſiam perdidiſſe. Quæ alia res,* inquit, *& principes noſtros, & cum prælatis cæteros Gallicanæ Eccleſiæ miniſtros perdidit, in illámque omnibus ſæculis inauditam prorumpere fecit inſaniam, niſi luxus & inſolentia?* &c. Luget deinde *immoderatos ſumptus, ſuperbiæ faſtum, vanitatis ſequelam, luxûs & pompaticæ oſtentationis inanem, vt ita dicam, idololatriam, ipſi penè Galliæ exitium attuliſſe.* Quæ dicta acerbiora eſſe (ex genio hominis) non dubito; an vndequaque falſa ſint, accuratiùs diſcutienda, ſub lectoris prudentis piíque examine, lubens relinquo; attamen probare non poſſum quod poſteà idem Auctor ſubiungit, non fuiſſe *tum in Regno Galliæ Paſtorem qui gregem ſuum paſceret aut curaret;* certum eſt enim, conſtátque ex Pontificiis Dioceſeωn tabulis, & temporum illorum tam ciuili quàm Eccleſiaſtica hiſtoria, tum fuiſſe in Gallia præſtantiſſimos Epiſcopos, & Sacerdotes piiſſimos atque doctiſſimos, licèt tunc non deeſſent, vt antehàc Præſules negligentes & deſidioſi, delicioſique Clerici, quemadmodum & hoc tempore, quo maximè refloruit Sacerdotalis vigor, & Clericalis honeſtas; nihilominus plerique ſunt amantes nugarum ſæculi magis, quàm ſtudiorum, quæ Eccleſiaſticos decent, ſectatores.

In Rom. indice prohibitus eſt; ſed hic non vt auctor probatus citatur, at vt ſæculi huius qualiſcumque ſcriptor, quamuis ipſe non eſt in omnibus ſcriptis prohibitus.

§. 12. *Sæculum XV. ab anno* 1400. *ad* 1500.

PAVLÒ poſt huius ſæculi initium, videlicet anno 1415. celebrari cœpit Concilium Conſtantienſe; in quo tandem depoſitis tribus Pſeudopontificibus, Papa legitimus Martinus V. creatus eſt; qui in eiuſdem Synodi ſeſſ. 43. diuerſas ſanctiones ſacro approbante Concilio edidit ac promulgauit, ad communem Eccleſiæ politiam, & Clericalem diſciplinam ſpectantes. In his hæc eſt 7. quæ reperitur ſub titulo *De vita, & honeſtate Clericorum. Martinus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,* &c. *inter cæteros Prælatorum, & Clericorum exceſſus,* Nota. *hoc maximè inoleuit, quòd ſpretâ in veſtibus formâ Eccleſiaſticæ honeſtatis, plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt laïcis conformari; quódque mente gerunt, habitu profitentur, vnde præter cætera quæ circa veſtes, tonſuram & habitus Clericorum, tam in formis, quàm in coloribus; atque comam, ſeu capillos, vitámque & honeſtatem Clericorum iure ſtatuunt,*

Digitized by Google

*& quæ nimium collapſa ſunt, tam in ſæcularibus, quàm in regularibus ſacro ap-
probante Concilio innouamus, & præcipimus diligentiùs obſeruari; illum ſpecialiter
abuſum (eodem approbante Concilio) decernimus penitus abolendum; quod in qui-
buſdam partibus nonnulli Clerici & perſonæ Eccleſiaſticæ ſæculares & regulares,
etiam (quod magis execramur) Prælati Eccleſiarum manicas ad cubitum pen-
dentes, & longas cum magna & ſumptuoſa ſuperfluitate veſtes, etiam fiſſas retrò &
in lateribus, cum * fodraturis, vltra oram excedentibus, etiam in fiſſuris deferunt,* * *fourures.*
*& cum talibus in Eccleſiis cum ſuperpelliceis ac aliis veſtibus ad cultum & officium
Eccleſiaſticum ordinatis, etiam intra Eccleſias ipſas, in quibus beneficiati exiſtunt,
non verentur diuinis officiis intereſſe. Hanc veſtium deformitatem in quibuſcumque
Eccleſiaſticis perſonis reprobamus, ac vſum talium inhibemus. Contrarium autem
facientes, vt tranſgreſſores Canonum puniantur, ſpecialiter ſtatuentes vt quicum-
que beneficiatus, aut officium in Eccleſia gerens in habitu huiuſmodi diuinis officiis
præſumpſerit intereſſe, pro qualibet vice à participatione prouentuum Eccleſiaſtico-
rum per menſem nouerit ſe ſuſpenſum, fructúſq; illi fabricæ illius Eccleſiæ applicentur.*

Summi Pontificis & Concilij vocem, vt Spiritus Sancti oraculum
Eberhardus Archiepiſcopus Saltzburgenſis auſcultauit, qua excitus hoc
edictum ſuis cum Suffraganeis pronunciauit in ſua prouinciali Synodo,
eodem Martino V. ſedente anno ſalutis 1420. celebrata c. 17. *Etſi per
ſacros Canones & noſtrorum anteceſſorum conſtitutiones indecentia in vita & ha-
bitu Clericorum ſtrictiſsimè prohibeatur, noſtri tamen ſubiecti, temporibus præſen-
tibus hoc minimè attendentes, tam in habitu, quàm in reliquis ad honeſtatem in ſor-
tem Domini electorum ſpectantibus habenas ſuas demiſerunt. Nos igitur huic inho-
neſtati Clericorum occurrere volentes, noſtrorum nihilominus anteceſſorum conſtitu-
tionibus in ſuo robore duraturis ſtatuimus, vt quicumque Clericus in ſacris ordinibus
conſtitutus, vel in minoribus, & beneficiatus tantùm portauerit habitum à ſacris Ca-
nonibus, vel à noſtris anteceſſoribus prohibitum, ſi monitus fuerit, eo ipſo amiſsio-
nem illius habitus incurrat ipſo iure, in aliquod opus pium conuertendi. Et vt hæc
conſtitutio noſtris temporibus effectu non careat, noſtris Suffraganeis in virtute ſan-
ctæ obedientiæ, & ſub interminatione diuini iudicij præcipimus, quòd per ſuas diœ-
ceſes aliquos diſcretos & honeſtos Eccleſiaſticos viros deputent, qui prædictis Clericis
vnica tantùm monitione præmiſſa præcipiant, vt infra ** decennium talem habitum* ** *decem dies*
*deponant, & nullo ampliùs tempore reaſſumant; alioquin ipſum habitum eis publicè
auferant, etiam violenter, & eum in opus pium conuertant, cum conſenſu tamen
ipſorum diœceſanorum, ſi habitus ipſe notabilis fuerit æſtimationis; alioquin præter
talem conſenſum exequantur; quod in exemplum prædictorum noſtrorum Suffra-
ganeorum intendimus obſeruari.*

Hoc ſæculo claruit pietate & doctrina non vulgari Ioannes Hagen,
dictus de Indagine, natione Teutonicus, profeſſione Monachus, ordi-
nis Carthuſiani. Multa hic ſcripſit quæ pietatem & eruditionem ſpirant,
partímque extant edita, partim manuſcripta quæ à Poſſeuino in Appa-
ratu, longa ſerie recenſentur; in quibus pleraque ſunt ad modeſtiam Cle-
ricorum & honeſtatem ſuadendam ſpectantia, maximè verò opuſcu-
lum, ſeu tractatus *de vita & regimine Clericorum & Paſtorum; de ornatu in-
teriori; de diſciplina morum; de nugamento habituum, eorúmque differentia*, &c.
de vita virorum Eccleſiaſticorum. Hæc & his ſimilia eſt quòd nonnihil dolea-

Google

mus in Bibliothecis PP. Carthuſianorum adhuc deliteſcere, quæ vt alia, cùm à Trithemio, tum à Poſſeuino prædicto enumerata, ſi typis mandarentur, non dubium quin Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtituendæ magnum conferrent momentum, Clericiſque immorigeris ad eius obſeruantiam reuocandis, lumen non minimum præberent.

Exciderat hîc ferè mihi Ioannis Carlerij, ab originis loco cognominati de Gerſon, illuſtre nomen, non eius recordationis deſpectu, ſed propriæ meæ memoriæ lapſu: ſiquidem in huius ſæculi limine, hoc Eccleſiæ præcipuum ſua ætate ſydus, collocandum fuerat; cuius ſole fulgentiora ſcripta, vt non recenſione noua, ſic nec commendatione noſtra opus habent. Inuenit tantus vir in Theophilo Raynaudo, Societatis Ieſu Theologo perilluſtri, dignum ſui laudatorem; felix vel hoc nomine cui laudari contigit à viro tot nominibus laudabili, tótque eruditorum ac piorum virorum oribus calamiſque laudatiſſimo, ſed neutiquam indigo illorum præconiis, quæ meritorum gloriâ in exaratis à ſe eximiæ doctrinæ monimentis plurimùm ſuperauit. Extat in aureo indiculo Sanctorum Lugdunenſium, ſiue eius mantiſſa de Piis itidem Lugdunenſibus ab ipſo Patre Theophilo edita, inſigne ipſius Ioannis Gerſonij encomium, ex quo potiora quæ ei adſcripſimus elogia in Martyrologij Gallicani ſupplemento, potiſſimùm delibauimus. Nec enim vereor me tanti viri profiteri debitorem, quamuis imparem me fateri non pudeat ipſius quem celebrauit Gerſonij, vel minimis recenſendis præconiis, quorum nec hîc exequendorum locus extat. Laudi eius & hoc accedit, quòd ſcriptores etiam, minimè in cæteris omnibus conſentanei: in eius præconium conſentiant. V. C. Ioannes Launoius T. P. qui cum Raynaudo litem habet, vir in polemicis quæ antiquitatem Eccleſiaſticam ſpectant exercitatiſſimus, meritóque omnium in ore percelebris, impensè Gerſonium vbique prædicat ac attollit præcipuis encomiis. A tantis laudari viris, Gerſonio ſat eſto. Certè hunc vel hîc nominaſſe, quoad locú quem tractamus, ſatis eſt, qui vt meritis piæ vitæ ſibi ad pręmiú, æternæ apud Deum felicitatis aperuit aditum; ſic fluẽtis Chriſtianæ ſapientiæ Eccleſiam ſuorum tẽporum iniuriâ marceſſentem vbertim irrigauit; verè ſiquidem ac appoſitè de eo cenſuit ſcripſítque Iacobus Vimpfelingius. *Nec claudit Gerſonius facilè hominibus cælos, neque cæcam nutrit præſumptionem, at mediâ viâ quæ tutior, incedit.* Iugum Domini leue eſſe contendit; Papæ & Prælatorum oſtendit legitimam poteſtatem: Eccleſiæ reformandæ modum conſentaneum innuit: Canonum & legum aperit neceſſitatem: Pio zelo Religioſos docet; adoleſcentes inſtruit; pueros paterno affectu complectitur; Præceptores Gymnaſiorum informat; erudit Clerum; Vniuerſitatis Facultates ordinat; excitat Theologos ad materias non tam contentioſas, quàm vtiles: hæreſes confutat: in ſchiſmata inuehitur; Regum & Principum filiis præcepta tradit cõgruentia; triplicem ſtatum, ſcilicet Eccleſiaſticum, militarem, & ciuilem, in Republica ſic neceſſarium eſſe demonſtrat, vt vnumquemque eorum intra propriæ diſciplinæ contineat limites. Prædicatorum Ordinem cum Vniuerſitate conciliat, dum Parochorum iura defendit, Religioſorum priuilegia non lædit;

ſele-

ſelectæ vitæ hominibus dulciſſimas doctrinas infundit: confeſſionum ſacrarum exceptoribus, præcepta impertit ſaluberrima. Aſtantes agonizantibus Sacerdotes & Clericos docet, accendit & impellit, quo feruore in ſpiritu, qua puritate in actu, qua modeſtia & honeſtate in habitu ſe gerere ſemper, & vbique debeant, plerïſque libellis inſinuat, vt videre eſt eo præſertim volumine, quo eius *ad Clerum ſermones* continentur. Item *in declaratione defectuum virorum Eccleſiaſticorum*, in opuſc. *de ſtatibus Eccleſiæ*; in ſerm. *de vita Clericorum:* item ſermone *in cœna Domini, de humilitate;* & alibi paſſim.

Superiori ſæculo claruit Ioannes Ruſbrochius Carthuſiæ Vallis Viridis prope Bruxellas, quem Dionyſius Carthuſianus ob altam contemplationis gratiam qua ſua ætate præcelluit, alterum Dionyſium Areopagitam appellabat: tametſi præfatus Gerſon non aſſuetus nouis vocibus quas ſcriptis ſuis inſerebat, minùs in iis quædam probârit; at certè non improbat pios eius de virorum Eccleſiaſticorum luxu in habitu gemitus: ſiquidem vir ille deuotus lib. *de Contempl.* c. 60. meritò deplorat, quòd curioſum & comptum habitum eos ferre non puderet; quo maximè (quod horrere deberent) affectarent ad hominum mundanorum conſuetudinem conformari; neque enim ſuo tempore ab eorum habitu illos diſtâſſe colore & effigie.

Sed vt ad rectam huius ſæculi ſeriem redeamus, Concilium Baſilienſe, dum de forma regiminis ſummi Pontificis, ante ſchiſma conflatum tractaret, ſeſſ. 23. (extat tom. 31. Concil. regiæ edit. ſub ann. 1436. pag. 178.) notabile hoc monitum proponit: *Pontificalis domus ac Curia tanquam ſpeculum mundum eſſe debet; in quo omnes proſpicientes ad eius exemplum ſe componant & viuant*, &c. *neminem permittat veſtibus & coloribus per ſacros canones prohibitis vti: Clerum Romanum qui ſibi principaliter & immediatè ſubiectus eſt, principaliter in omni Eccleſiaſtica honeſtate inſtruat, monens non in veſtimentorum pompis, & nitore conſiſtere beneplacitum Dei, ſed in humilitate, decentia, mentis puritate, ſimplicitate cordis, in morum caſtimonia, & reliquarum virtutum ornatu, quæ habentem Deo & hominibus commendant; ſed reformet & præſertim vt cultus diuinus in Eccleſiis vrbis, cum ea qua decet, veneratione & diſciplina obſeruetur.* Ita celebris illa Synodus, quæ rurſum in admonitione ad quoſdam Eccleſiaſticos viros, qui erant ad Concilium ipſum acceſſuri, vel in eo conſeſſuri, in hunc modum eos ad modeſtiam & honeſtatem præſcriptam ſacris canonibus obſeruandum, grauiter & ſanctè prorſus hortatur (in appendice quæ extat poſt Concilij ſeſſiones, pag. 555.) *Admonet hæc ſancta Synodus omnes ſacrum Concilium celebrantes, vt omnem grauitatem & honeſtatem quæ viros Eccleſiaſticos decent, diligenter obſeruent, vitam & conuerſationem exemplarem ducant, & cùm ad dandam toti orbi formam conuenerint, ipſi priùs in ſe legem ſuſcepiſſe demonſtrent; ſint eorum mores ſine macula & ruga: meminerint ſe eſſe ſal terræ & lumen.* Et poſt multa (pag. 557.) *in via quilibet incedat pudicis oculis cum modeſtia & grauitate, ad loca minùs honeſta non vadat, nec ad ſpectacula publica: choreas, ludos, haſti-*

ludia, torneamenta & alia eiuſmodi. Veſtimentis vtantur prout ſacri Canones ſtatuerunt: abſtineant à coloribus rubeis & viridibus exceſſiuè; veſtimenta deferant talaria, & tam retrò, quàm à lateribus & antè clauſa; & ſine manicis ad cubitum pendentibus & abſque foderaturis vltra oras excedentibus, & infixuris: nullus portet annulum niſi cui competit ex officio dignitatis, & vnum duntaxat; ne corrigias auri, vel argenti ornatũ habentes, nec caligas ſolatas, (in margine legitur for-
*fortè ſericeas. tè ſericeas,) *nec mitras, *ſinceas, aut birreta longa, ſed parua, aut honeſta capucia, tonſuras deferant ſuis ordinibus congruentes, & capillos ita tonſos, quòd aures pateant. Non portent in ſellis, frænis, aut pectoralibus equorum aurum vel argentum, aut ornamenta auri depicti, aut metalli figurati, aut mappas ſericeas, ſeu alia eiuſmodi ſuperfluitatum; & quòd eiuſmodi ornamenta equorum ſint vnius coloris non rubei, vel viridis, nec calcaribus deauratis vtantur,* &c. *Et quia qualis paterfamilias, tales & domeſtici eius, curandum eſt vt non ſolùm patres de Concilio, ſed & eorum familiares decentem honeſtatem ſeruent,* &c. *huiuſmodi familiarium veſtes non ſint breuiores genu, nec diuerſorum colorum, nec cum ſciſſuris, frappis vel brodaturis, vel alia ornamenta aurea vel argentea, nec tincturas exceſſiuè ſumptuoſas; ſint eorum caligæ vnius coloris, ſimiliter & caputia,* &c. *familiares Dominorum de Concilio beneficiati, vel in ſacris conſtituti, taliter incedant, & non laïcaliter tanquam ſcutiferi,* &c. (p. 559.) *Admoneantur Baſilienſis Epiſcopus & Officialis ſuus, vt prædicta Clero ſuo intiment, & inuiolabiliter obſeruari faciant.*

Sedente adhuc Eugenio IV. videlicet anno 1440. habita eſt Synodus Friſingenſis in cauſa Eccleſiaſticarum conſtitutionum, vbi tit. 4. ſanctio hæc congruenter ſacris Eccleſiæ legibus edita fuit, de vita & honeſtate Clericorum: *Quia Clericorum eſt in ſeipſis implere voluntatem Domini, & lucere per honeſtam conuerſationem, qualiter alios oportet in domo Dei conuerſari, ſacrâ approbante Synodo ſtatuimus,* &c. *vniuerſos Clericos noſtræ diœceſis,* &c. *honeſtè, clericaliter, & deuotè ſe exhibere, à crapula, & ebrietate abſtinere, mitras caudatas penitus dimittere, cingulos & monilia auro & argento, vel alio metallo, exceſſiuè admodum laïcorum ſplendentia abiicere omnino & vitare, veſtes, non rubei nec viridis coloris, deferre deſuper clauſas; ſic quòd ſuperior aliis ſuperemineat, vel inferior nequeat maximè in ſummitate apparenter videri. Birretum capiti ſuperpoſitum, cum caputio humeris impoſito portare ipſis in publicum deambulantibus. Contrafacientes verò vltra pœnam iuris communis per ſuſpenſionem à perceptione fructuum beneficiorum ſuorum,* &c. *debere per nos aut vicarium noſtrum puniri.*

In Concilio Toletano, quod Alphonſus Carillus illius ſedis Præantiſtes anno 1473. eadem de re congregauit, conſtitutiones editæ ſunt, vt ex eiuſdem Synodi capitulorum titulis conſtat, quorum quintum ſic habet; *Glorioſum ſacro-ſanctæ Eccleſiæ corpus ab æterna Dei Patris prouidentia admirabiliter ordinatum, nullam iure in ſe deformitatem continere debet. Nos verò qui prælationis infulâ, licèt immeriti, nutu diuino altiùs euecti ſumus: tantò honeſtatis, & vitæ forma inter alios prælucere tenemur, velut ſydera in firmamento cœli, quantò maiora ſumpſimus de manu Domini: quatenus & membra per bona opera ſuo capiti correſpondeant; quia igitur per exteriorem habitum, qui qualiſve interior Prælatorum ornatus eſſe debeat, ſignificatur: prædeceſſo-*

rum noſtrorum hortamenta ſectantes, ſtatuimus ſacro approbante Concilio, vt Archiepiſcopi & Epiſcopi veſte linea ſuperiori, vulgariter rocheto nuncupata, in publico ſemper vtantur; ſericas verò veſtes qualeſcumque, aut breuitate notandas, nec non ſotulares albos, ipſis præſentium tenore prohibemus, &c. Sextus verò huius tenoris eſt: *Cæterùm ne Clerici poſtquam in ſacris ordinibus fuerint conſtituti, aut beneficiati extiterint, ſericum præterquam ab interiori futura chlamydis, aut capuciolorum quæ vulgariter foratæ appellantur, nec rubeas, ſeu claras virides veſtes induere, aut caligas eiuſdem coloris ſeu ſotulares albos vel rubeos, niſi cùm nigris deſuper ſotularibus dumtaxat calciare de cætero præſumant, ſacro approbante Concilio ipſius conſtitutionis tenore prohibemus; Clerici autem contrarium facientes*, &c. ſtatutíſque pœnis ſubiungitur; *Decani nihilominus, & alij ad quos id pertinet, ſi mulctationem prædictam remiſerint quoquo modô, ipſo facto à diuinis per menſem qualibet vice nouerint ſe ſuſpenſos.* Et tit. 8. *Quamuis omnis gloria ab intus eſſe debeat*, &c. *verùm quia militamus illi cùm quo omnis pulchritudo agri eſt, vilibus veſtibus uti non debemus: abſurdum ergo & reprehenſibilem quorumdam Clericorum abuſum qui lugubres & luctuoſas veſtes induunt**, *& flebiliores quàm ſuæ congruit honeſtati, ex eo ſe reddunt, quia parentes, conſanguinei & eorum amici corruptibilem carnis noſtræ molem deponentes, ad æternam patriam de præſentis exilij miſeria conuolârunt, penitus abolere volentes; cum & ſecundùm ſententiam ore benedicto probatam, qui credit in Chriſtum etiam ſi mortuus fuerit viuet, præſentis conſtitutionis ſerie, ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, vt vlteriùs luctuoſas veſtes induere Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, aut beneficiati noſtræ prouinciæ non audeant; contrarium verò facientes eo ipſo à perceptione fructuum ſuorum beneficiorum per tres menſes qualibet vice ſint ſuſpenſi*, &c.

Quoad Clericos.

* Nota contra Clericos, viles, lugubres, & luctuoſas veſtes gerentes.

§. 13. *Sæculum XVI. ab anno* 1500. *ad annum* 1600.

PAVLÒ poſt huius ſæculi initium, nempe annno 1511. Iulius II. Papa generale Concilium Lateranenſe V. conuocauit, anno 1518. abſolutum ſub Leone X. ipſius Iulij ſucceſſore: cuius Leonis Bulla reformationis curiæ in eodem Concilio generali publicata eſt, ſeſſ. 9. in qua vbi de Cardinalibus agit, hæc de eorum decernit Sacerdotibus & Clericis: *Habeat itaque eorum quiſque Sacerdotes & Leuitas honeſtis veſtimentis indutos, attentéque prouideat nequis in familia ſua quoque modo beneficiatus, & in ſacris ordinibus conſtitutus veſtes portet verſicolores, nec eo habitu vtatur, qui ordini Eccleſiaſtico parum conueniat: quare in Preſbyteratus ordine conſtituti, veſtes colorum quæ Clericis à iure non prohibeantur, deferre debeant, vſque ad talos ſaltem demiſſas. Et habentes dignitates in Cathedralibus, & Canonici etiam dictarum Cathedralium, ac primam dignitatem in Collegiatis habentes, & Cardinalium Capellani miſſas celebrantes, caputium deferre in publico teneantur*, &c. *reliqui verò Clerici temperatè ac modeſtè omnia faciant, & tam ipſi Clerici beneficiati, quàm in ſacris ordinibus conſtituti, comam neque barbam non nutriant*,* *neque mulas aut equos*

* Barba non nutrienda neque coma.

cum phalaris ornamentiſque ex veluto aut ſerico factas habeant, ſed eiuſmodi rebus ex panno tantum aut corio ſimpliciter vtantur; ſi quis autem familiarium prædictorum contrà fecerit, aut poſt tres menſes legitimâ monitione præcedente huiuſmodi veſtes prohibitas geſtauerit, in excommunicationem incurrat; ſi verò intra ſex menſes ſe non correxerit, perceptione fructuum ex beneficiis quæ obtinet, ſuſpenſus intelligatur. Quòd ſi per alios ſex menſes in eiuſmodi obſtinatione pertinax permanſerit, legitimâ ſimiliter monitione præcedente, beneficiis omnibus quæcumque habet priuatus ſit, & eſſe cenſeatur; eáque ſic vacantia, à ſede Apoſtolica liberè impetrari valeant. Quæ omnia & ſingula in noſtris, & cuiuſcumque Romani Pontificis pro tempore exiſtentis familiaribus, & ſimiliter in omnibus aliis Clericis beneficiatis, vel in ſacris ordinibus conſtitutis, ac etiam Curialibus locum habere volumus; hoc vno dumtaxat excepto, quòd dicti noſtri, & Romani Pontificis familiares, rubri coloris veſtimenta geſtare poſſint, pro decentia & conſuetudine dignitatis Pontificalis.* Hæc Leo X.

* Hinc notare iuuat, cùm Eccleſiaſticæ ſuprà citatæ aliquot poſteriores ſanctiones pecuniarias pœnas infractoribus ſtatuunt; non mitigate canonum rigorem qui excommunicationem, & alias ſpirituales animaduerſiones aduerſus refractarios conſtituunt. At cōtra eos qui ſpirituales pœnas paruipendunt, mulctas & alias pœnas temporales ſtatuere, quæ nō ita graues quidem; at eiuſmodi hominibus magis formidabiles eſſe ſolent.

Cui ſublato ex humanis ſucceſſit Clemens VII. à quo miſſus in Germaniam Laurentius Campegius Cardinalis tituli Sanctæ Anaſtaſiæ, de latere legatus anno 1524. conſtitutio ad remouendos abuſus, Clerique vitam reformandam, edita eſt. huius articulus 2. *de modeſtia in habitu ſeruanda*, iuxta canonicas ſanctiones, ipſi Clero præſcribit legem hoc modô; *Hinc hortamur atque monemus omnes & ſingulos qui ſacris initiati ſunt, vt viuant vitam quam profeſſio exigit, & Chriſtus requirit, inquiens, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt; cum veſtitu honeſto incedant, quem Paulus alicubi præſcribit; quapropter ſingulari cura intendat quiſque Prælatus, ne ij quibus præeſt, in ſacris ordinibus conſtituti, veſtes varij coloris, velut * virgatas & ſimbriatas deferant, ſed longis atque talaribus vtantur; nulla arma induant niſi itinerantes; barbam & comam non nutriant, coronam & tonſuram deferentes: tum ſummopere curantes, ne quem laïcorum indecentiâ veſtitûs offendant, vt ſacris canonibus cautum eſt.*

* *variegatas*

Vix abhinc effluxerat triennium, cùm Antonius à Prato, itidem S. R. E. Cardinalis & Senonenſis Archiepiſcopus, Synodum Prouincialem, quæ Senonenſis dicta eſt, etſi habita ſit Pariſiis, aduerſus enaſcentes Lutheri hæreſes, & corruptos mores Cleri populíque congregauit: in quo etiam de Cleri in habitu luxu cohibendo præclara ſtatuta & monita edita ſunt, ſiquidem part. 2. decretorum huius Synodi quæ ad mores pertinet (nam prima ad fidei doctrinam ſpectat) tit. 23. ſic legimus: *Omnes Clericos, maximè in ſacris conſtitutos admonitos eſſe volumus, ſe cùm in Sanctorum loco ſint, neceſſitatem bene viuendi, non licentiam peccandi eſſe aſſecutos; idcirco eos hortamur, vt opera Sanctorum exerceant, luceántque coram hominibus opera eorum; ſintque illud verè ſal Euangelicum; in miniſterio vigilantes & ſolliciti plantent, euellant, diſſipent, & cum ſummo ſtudio ædificent quæ pietatem reſpiciunt. Inſuper profeſſionem ſuam probent habitu, ſcilicet vt per decentiam habitûs extrinſeci, intrinſecam morum honeſtatem oſtendant. Veſtitus ergo Clericorum,*

*maximè in ſacris conſtitutorum non ſit * expectoratus, ſed à collo deſuper vndique clauſus à manibus, lateribus & retrò. Cùm elationis habeat calumniam quicquid propter venuſtatem, non propter neceſſitatem accipitur: & ne bona Eccleſiæ quæ pauperum ſunt, in faſtum & corporis ornatum (* qui à ſacrato ordine alienus eſſe debet *) conuertantur, inhibemus omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis noſtræ prouinciæ, ne veſtimentis exterioribus, & ſagis oblongis ſericeis in publico aut domeſticè vtantur, ſub pœnis arbitrio Ordinariorum imponendis. Non tamen intendimus Eccleſiaſticis ex ſanguine regio aut ducali ortis, huiuſmodi veſtimentorum ſericorum delationem prohibere; quos tamen hortamur vt in ſuis veſtimentis decentiam Eccleſiaſticam obſeruent.* Et tit. 24. *Veſtes ſint talares, non fronciatæ, non partitæ, nec nimia amplitudine ſuperfluæ, nec plus æquo conſtrictæ; in quibus Clericalis ordinis honeſtas & modeſtia, non faſtûs iactantia, vel elationis vitium deprehendatur; non etiam camiſias geſſent (quod dicunt) fronciatas *. Non pannoſi ſint Clerici, aut in veſtibus * laceri; neque enim affectatæ ſordes aut exquiſitæ deliciæ laudem pariunt; non caligas partitas, aut ſæcatas aſſumant, neque circa genu diſſutas, non lunatis ſeu cornutis ac nimis feneſtratis calceis vtantur; non annulos in digitis deferant, niſi fortè huiuſmodi ſint quibus id ad decorem ſuarum dignitatum * permittatur. Ipſi quoque Clerici in ſacris præſertim conſtituti, & eorum commenſales, neque comam relaxent, aut barbam nutriant, ſed tonſuram, coronam, ſeu raſuram habeant, ſecundùm ordinem ſuum honeſtè raſam. Denique iuxta Concilium Lateranenſe, pannis rubeis aut viridibus non vtantur, ab iiſdémque abſtineant, quæ in eodem Concilio continentur; inceſſu quoque honeſtatem exhibeant, vt grauitate incedendi mentis maturitatem oſtendant, incompoſitio enim corporis, riſus diſſolutus, indecens oculorum vagatio inæqualitatem indicant mentis.*

* Nota.
De forma habitus Clericorũ.

* *froncées*

* Contra eos qui ſordidis veſtibus amiciuntur.

* Poterat permitti in ſacris: extrà fortè potuiſſet (meliùs vt puto) prohiberi.

In Concilio Colonienſi pro reformarione Clericorum & cæremoniarum Eccleſiæ celebraro, auctorirare Hermanni Archiepiſcopi, Paulo III. Ponrifice anno 1536. parr. 2. capir. 26. doctrinâ Apoſtolicâ de modeſtia ſeruanda in habitu, eriam à laïcis vtriuſque ſexus, præmemorarâ, Synodus ira ad Clericos digredirur; *Quàm turpis ergo putanda eſt in Clericis tanto gradu ſublimioribus deformiſſima illa ac frequentiſſima noſtræ tempeſtatis habituum variatio, quam ne inferiori * quidem vaſculo Apoſtolorum principes permittendam duxerunt; ex veſte apud homines ſanctimoniæ opinionem aucupari prohibuit Chriſtus, qui in omnibus operibus noſtris id quod intus eſt primùm reſpicit, mundaríque iubet, væ illud horrendum Phariſæis hypocritis interminans, qui vt viderentur ab hominibus iuſti dilatabant phylacteria ſua, & magnificabant fimbrias, cùm eſſent intus pleni rapina & immunditia: interim tamen Euangelium non temerè veſtimentum Ioannis Baptiſtæ, quod illius profeſſioni ac menti reſpondebat, de pilis camelorum contextum celebrat; ac ipſe Chriſtus veſtium mollitiem ac leuitatem auerſatur; ecce, inquiens, qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. Quæ omnia huc ſpectant vt velimus Clericos præter indictam Tonſuram, veſtes quoque ſuo ordini congruentes deferre; quemadmodum olim Concilio generali, C. Clericis, de vita & honeſtate Clericorum cautum eſt; pudet ſiqui-*

* *infirmiori*

Grauis expoſtulatio nõ prætermittenda.

dem nos, cùm videmus prodire Clericos, proinde ac ſæculi milites amictos, vel qui ſint vt fœminæ compti: itidem pannoſi Clerici ac veſtibus laceri diſplicent; neque enim affectatæ ſordes aut exquiſitæ deliciæ laudem pariunt. Hæc ibi.

Non prætermiſit Otho Cardinalis & Epiſcopus Auguſtanus in ſuo Concilio quod Delingæ habuit anno 1548. eandem modeſtiæ commendationem, *Clerus noſtræ Diœceſis* (inquit c. 10.) *in habitu, coronæ tonſura, & inceſſu, decorem ſeruet; ſuperiori veſte talari indutus, atque pietate magis venerabilis, quàm vt famulorum multitudine, aut vano armorum terrore contemptibilis incedat; menſa quoque vtatur frugali, & ab ebrietate, ludis à iure prohibitis, atque omni ludicra leuitate abſtineat, luxum omnem fugiat*, &c.

Moguntinum Concilium ſequenti anno habitum à Sebaſtiano Archiepiſcopo, part. 2. decretorum, quæ motes reſpicit, id ipſum ſtatuit & commendat c. 74.

Sed omnem impleuit menſuram Oecumenici Concilij Tridentini nulla obliuione vmquam delenda, nec ſatis vmquam pro dignitate inculcanda Clericis, ad obſeruationem conſtitutio, quæ ſic habet (ſeſſione 14. ſub Iulio III. Concil. Tridentin. anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo, part. 2. quæ eſt de reformatione, capit. 6.) *Quia verò etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem paruipendentes, veſtes etiam deferant publicè laïcales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus; Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum, non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, reditibus & prouentibus ipſorum beneficiorum: nec non ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum huiuſmodi, coërceri poſſint & debeant; conſtitutionem Clementis V. in Concilio Vienneſi editam, quæ incipit, Quoniam, innouando & ampliando*, &c.

Sanctus Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis tituli Sanctæ Praxedis, & Archiepiſcopus Mediolanenſis, qui Concilio generali Tridentino ſub Pio IV. præfuit, cùm eſſet ipſius ſummi Pontificis, & Sedis Apoſtolicæ per vniuerſam Italiam de latere Legatus, ſuis cum Suffraganeis Concilium I. Mediolanenſe anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto celebrauit; in quo reſarciendæ canonicæ diſciplinæ gratiâ, temporum ſuperiorum iniuriâ, hæreſeωnque graſſantium longè latéque per Europam contagiô nonnihil labefactatæ,

ſanctiones opportunæ perplures editæ ſunt; nec modò Clericis, ſed ipſis Prælatis intra menſuram modeſtiæ, tam in habitu quàm moribus reuocandis, canonicæ Regulæ ſunt præſcriptæ: operæpretium hîc viſum eſt illas recenſere per ſeriem, quæ ſub programmate proſtant, tom. 36. p. 46. *De Epiſcopi veſtitu; Epiſcopus non profano ornatu, aut apparatu, ſed fidei, & vitæ ſplendore ſibi auctoritatem quærere debet.*

1. *Itaque in veſtitu ſericum non adhibeat.*

2. *Non pretioſis pellibus vtatur.*

3. *Vnguenta ne ſumat, néve alias odorum ſuauitates conſectetur.*

4. *Sit annulo Epiſcopali contentus.*

5. *Ne mulæ, aut equo Epiſcopali ſtragulum aut ornamentum ex villuto, aut ſerico, ſed ex corio factum adhibebit.*

6. *Epiphiis aut calcaribus, aut frænis inauratis non vtatur.*

7. *Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex decreto Innocentij III. in Concilio generali, in Eccleſia & in publico habeat.*

8. *Sine talari tunica, quæ ad collum aſtricta ſit ac inoleta, neque è cubiculo exeat, neque quemquam niſi ex familia admittat; neque eum veſtitum ante noctem, vel niſi dimiſſis omnibus, deponat.*

9. *Veſtes quibus priuatim vtetur, tales omnino ſint, vt modeſtiæ & grauitati conſulatur.*

10. *In itinere quoque tam in Diœceſi quàm extrà, eum veſtitum habeat, ex quo illum eſſe Epiſcopum appareat.*

Sub titulo: *De Epiſcopi ſupellectili.*

1. *In eius ſupellectili nihil aureum, aut argenteum ſit, præter leuiſſima atque tenuiſſima quædam inſtrumenta, ad cibum ori admouendum comparata.*

2. *Nihil auro, argentóve ornatum.*

3. *Nihil ſericum, aut ſerico diſtinctum.*

4. *Non colorum varietas.*

5. *Non aulæa aut tapetia.*

6. *Nihil acu pictum.*

7. *Nihil variè textum.*

8. *Nihil ſtudioſiùs elaboratum.*

9. *Denique non pluris ſit artificium, & manupretium quàm rei neceſſitas poſtulet.*

10. *Simplici tantùm corio aut panno menſas, aliáve ſternere liceat.*

11. *Signa & tabulas profanarum rerum reiiciat.*

12. *In ædibus duo tantùm loca veſtiri poſſint, quæ attributa ſint Epiſcopo; alter eius valetudinis cauſa; alter eorum gratiâ, qui ad Epiſcopum conueniunt.*

13. *Liceat etiam & hoſpitum gratiâ qui excipiendi ſunt, habere neceſſarios apparatus, non tamen diuerſi generis, nec maioris pretij, quàm eos qui ad ipſius vſum conceduntur; ita vt in omnibus humilitas & modeſtia Epiſcopalis eluceat.*

14. *Equos ne alat, niſi neceſſarios.*

15 Domeſticam omnem luxuriam, in ædificiis extruendis magnificentiam, picturas, & inania ornamenta, ac delicias excludat.

16. Caueat denique, nequid in eius domo appareat, quod non ſimplex ac purum ſit, quod non Dei zelum, & omnium inanium rerum contemptionem teſtetur. Cùm in iis quæ ad priuatum vſum cultúmque requirantur, eam moderationem adhibuerit, vt ſordes & ſuperuacaneum ſumptum fugerit, omnem operam & artificij ſplendorem ad publicum Dei templorum cultum & ornamentum conferat. Denique ſub inſcriptione *de Epiſcopi familia*, Clericorum etiam, ex quibus potiſſimùm conſtat, ordinem ac apparatum his præceptis delineat ac præſcribit.

Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quantos poſſit, habeat Clericos, qui nonniſi Clericali veſtitu vtantur, & in illis ſi commodè fieri poſſit, ad minimum duos ſacris initiatos, & bonæ æſtimationis, qui vigilantem, orantem, in opera miſericordiæ incumbentem, ac diuinarum litterarum myſteria ſcrutantem Epiſcopum ſtudioſiùs attendant, eiúſque actionum, & ſanctæ conuerſationis quaſi teſtes ſint & imitatores. Habeat denique Eccleſiaſticam perſonam ſpectatam & probatam, quæ præfecta ſit moribus familiæ, ac de omnium ſalute ſollicita; ſpiritualem curam ſuſtineat, eámque bonis, & piis artibus ac litteris præſertim ſacris, pro cuiuſque ſenſu & intelligentia, erudiendam curet.

1. Familiares arma ne ferant, niſi in itinere, vel neceſſitatis causâ, idque Epiſcopi arbitratu.

*2. Sericum, aurum & argentum, colorúmque varietatem omnino excludentes, * nigrum tantummodò, vel fuſcum colorem in veſtibus adhibeant, quibus ſciſſis, aut prætextis ad elegantiam non vtantur.*

* Nota. *Niger vel fuſcus color in Clericorum veſtitu,* tantùm probatur à S. Carolo.

3. Calcei inaniter non incidantur.

4. Non ſint turgidæ caligæ, non virgatæ, non ſectæ, non acu pictæ, ſed ſimplices, & vnius coloris ac generis. Denique talis ſit omnium Eccleſiaſticorum veſtitus, vt ex illo etiam appareat illos eſſe miniſtros miniſtrorum Dei.

Hæc Sanctus Carolus, in prima illa Synodo Mediolanenſi; vbi iterum ſub titulo *De Clericorum veſtitu, & reliqua vitæ moderatione*, reuocatâ ad memoriam, & vſum conſtitutione ſuperiùs deſcriptâ; accuratiùs ad praxim quorumuis Clericorum deſcendens, has regulas aſſignat.

1. Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteríque Clerici Tonſurâ ſint inſigniti ad eam formam quam ratio vniuſcuiuſque ordinis Epiſcopi arbitrio poſtulabit.

2. Ita ſint abraſo capillo, vt Tonſura conſpicua ſit omnibus.

3. Comam verò, & barbam ne ſtudiosè nutriant; capillis ſimplicem cultum adhibeant.

4. Barba ab ſuperiore labro ita recidatur, vt pili in ſacrificio Miſſæ Chriſti Domini corpus & ſanguinem ſumentem non impediant.

5. Ne in habitu Clericali aut ſtudioſiùs exquiſita cultus elegantia, aut nimis abiecta negligentia, & affectatæ ſordes appareant.

6. In

*6. In omni veſtitu, color tantùm * niger adhibeatur; niſi fortaſſè alium * colorem requirat dignitatis gradus.* *Nota.

7. Omnem habitus & ornamenti nouitatem Clerici fugiant.

8. Ne ſerico veſtimento, aut ornamento domi, aut foris vtantur.

9. Iubemus verò illos laneum & ei ordini decorum veſtimentum adhibere.

10. Reticulum, aut ſubbirretum (vulgò Calotte*) vt vocant, ne ferant, niſi valetudinis causâ, & ſine redimiculis.*

11. Camiſias ad collum & manus criſpas & rugoſas, vel artificio elaboratas reiiciant.

*12. Collare (*Rabat, ou Collet*) quod dicunt, ſimplex, ac modicè latum, honeſtè reclinetur.*

13. Externa veſtis ſimplex ac talaris erit: quæ neque à ceruicibus in tergum reflectatur, ſed apto ad collum nodo decentiſſimè annexa ſit.

14. Toga verò quod matelletum vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur, niſi ſit ex numero Prælatorum, quibus ex dignitatis gradu iudiciô Epiſcopi debeatur.

15. Interior eiuſdem generis ad talos demittatur, quam tamen pro hominum genere, próque loci natura ac conditione, Ordinariorum arbitrio in aliquibus moderandam relinquimus.

16. Pallium, quod ferrecidum appellant, ne ſumant niſi per pluuias, tum verò nec à collo plus duobus digitis emineat, neque eo ſine talari toga & tunica vtantur: verumtamen ſi iter faciendum ſit, illis liceat vti habitu contractiore, & ad iter accommodato, ſed ſimplici, & in quo honeſtas & decorum ordinis eluceat.

17. Turgidis caligis & diſſectis abſtineant.

18. Calceos & crepidas ad elegantiam non incidant.

19. Torques, armillas, & monilia reſpuant.

20. Annulum non induant, niſi propter officij munus, aut honoris gradum, ſit iure conceſſus, quo loco & vnico, nec magni pretij ſint.

21. Quæcumque autem de Epiſcoporum menſa, eiúſque benedictione & cibis, lectione, & gratiarum actione, ſupellectili, auro, argento & ſerico, cubiculorum apparatu, ædificiorum magnificentia, ſuperuacaneis ſumptibus, priuata moderatione, templorum cultu & ornamento, familiæ cura & inſtitutione, eiúſque veſtibus, eorúmque modo, colore & ornamentis, equorum numero; & ſi quæ alia decreta ſunt, quæ non ſint Epiſcoporum tantùm propria, eadem à Clericis quibuſcumque, cuiuſuis conditionis, ordinis & dignitatis ſint, accuratè ſeruari iubemus, etiamſi in alienis ædibus aut cum propinquis habitent.

Si quis perſonatus veſtes Clericales, aut Monachales, vel ad eorum formam induerit, & is qui eas aſſumpſerit, & is qui accommodárit, graues pœnas ſubeant.

Hæc S. Carolus ita aptè, accuratè, piè, vt nihil ad exprimendum modeſtiæ Clericalis ſpecimen (cuius perfectum ipſe fuit exemplar) amplius deſiderari poſſit. Vide geſtorum eius hiſtoriam, ex qua M. Antonius Epiſcopus Montis Marani in Manuali Paſtorum quod Romę edidit anno 1606. & Paulo V. dedicauit, ita refert c. 13. §. 9. *B. Carolus nullum ſe-*

ricum veſtimentum deferebat, veſtibus externis vtebatur quidem, vt Cardinalis, interioribus autem ex ſimplici panno & tela, & cubicularis amictus erat ex panno cintricio, rudi, & craſſo; quam veſtem 14. annis numquam mutauit, & ſuam veſtem vocabat, nec ſuorum operâ in exuendo, vel veſtiendo corpus vtebatur: rocheto lineo ſemper domi indutus erat ad perſonæ dignitatem ſeruandam; dicebat enim domicilium ſuum eſſe locum precum. Cæterùm huic inductioni iam liceret finem imponere, niſi Gallicanæ Eccleſiæ præſulum quoque diligentia in extirpando Cleri quocumque faſtu, luxúque, & modeſtiæ ac honeſtatis ferendæ & afferendæ ſtudium, pleriſque reſtarum decretis, à nobis iure ſuo exigeret, hîc etiam breuiter ſaltem commemorari.

In Concilio prouinciali Narbonenſi quod poſt decem primas Seſſiones Concilij Tridentini habitum eſt, anno 1551. ſub Iulio III. ſummo Pontifice, can. 15. hoc memoria dignum decretum, de tonſura & habitu Clericali editum eſt. Statuit hæc Synodus, *vt Clerici ſacros ordines conſecuti coronam gerant grandem, rotundam, & apertam, ordinibus in quibus conſtituti ſunt congruentem; barbámque * radant, ſaltem ſemel in menſe, potiſſimùm Canonici & alij qui in Eccleſiis Cathedralibus diuino munere funguntur; & qui in Eccleſiis Collegiatis ſecularibus, vel regularibus viuunt: & Parochi qui in eorum Eccleſiis perpetuò miniſtrant, decenti indumento, nempe talari * veſte incedant ornati, niſi fortè vrgentia negotia curaturi gradum accelerent; tunc enim ſaltem ad genua demiſſam æquum eſt eos deferre: præterea quæ in rugas contracta non ſit, neque ſerico, neque bombicino * limbo, vel aſſuto veluti nenio deturpata, veriùs quàm ornata, quæ aptè compoſita ſit, cuius color Sacerdotem deceat, quem nec longitudo, nec breuitas nimia deformem reddat: neque domum egreſſi, in ciuitate, vel in loco quem habitant, conſpiciantur, niſi veſte ſuperiori induti, pileo * rotundo & epheſtri, ſeu caputio, præcipuè Parochi, quibus Eccleſiarum credita eſt adminiſtratio; veſtes & caligas gerant integras, non variegatas, neque inciſas; ſubuculis non rugatis vtantur, quæ Laïcorum inconſtantiæ & leuitati, quàm Clericorum grauitati, magis conueniunt: non digitos annulis ornabunt, niſi quibus id iure permittitur.*

*Barbæ raſura.

*Decens indumentum talaris veſtis.

*Paſſement de ſoye, ou ruban.

*Bonet rond, ou chapeau.

*Cùm ſtudere debeant Clerici omnes, præſertim Sacerdotes, vt ſibi in omnibus & vbique quàm ſimillimi ſint: multi autem reperiantur, qui ab vrbe iter aliquò facturi milites perſonati videantur; præſcribit hæc Synodus vt equites, vel pedites aliquò profecturi (Clerici) decorum ſeruent; præſertim nullas pileis plumas inſerentes; prohibetur Clericis omnibus, ſericis, ſumptuoſiſque veſtibus vti; hoc tamen conceſſo, ne vileſcat Eccleſiaſtica dignitas, vt dominis Epiſcopis, Abbatibus, & cæteris qui auctoritate & honore in Eccleſiis præfulgent, hiſque omnibus quibus iura eas non negant, permittantur *, habitâ cuiuſque ratione,* &c. *Caueant maximè Canonici & alij tam Eccleſiarum Cathedralium, quàm Collegiatarum, & Parochiarum miniſtri, ne veſtes in templo ſub indumento Eccleſiaſtico gerant niſi ſupernè clauſas, & vt prætactum eſt, eò vſque demiſſas vt talos attingant, quarum manicæ integræ, non in medio ſectæ ſint, in quibus nihil indecori deprehendatur,* &c.

Nota.

*Sericæ veſtes hîc Epiſcopis, & Abbatibus conceduntur; at Canonibus aliis, longè pluribus prohibētur, vt patebit infrà.

Idem fermè ſtatuit Concilium Rhemenſe anno 1583. celebratum,

ſub titulo de Clericis in genere, ſect. 8. *Præterea* (inquit Synodus) *veſte Eccleſiaſtica eáque talari ac decenti vtantur omnes Clerici, non ſine illa pallium breue aut longum deferant, aut vmquam prodeant in publicum, nec criſpatis induſiis, vel arte ſciſſis calceis, diſſolutorum laïcorum perſonas referant.* ſect. 9. *Galero numquam quidem in templis, in plateis verò & locis publicis, niſi propter aëris intemperiem non vtantur.* &c. *Qui verò in iis ſe negligentes præſtiterint, & ter moniti etiam per edictum à ſuperioribus, non paruerint, ſuſpenſione ab ordinibus, officiis, beneficiis, & horum fructibus,* &c. *plectantur: ſi autem correpti denuò deliquerint, eorum beneficiorum priuatione coërceantur, iuxta conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi; cuius initium eſt; Quoniam innouanda.* Nota. Induſia criſpata.

Idem quoque edicit Burdegalenſis Synodus, & ipſa Prouincialis, anno eodem ab Antonio Archiepiſcopo conuocata, cap. 21. de vita & moribus Clericorum : *Clericos* (inquit ſacer ille Conuentus) *geſtu, vultu, habitu, & veſtibus ſtatum & ordinem ſuum profiteri decet: quapropter omnibus qui ſacris ordinibus initiati ſunt, vel qui beneficia Eccleſiaſtica, etiam ſimplicia obtinent, præcipimus vt intra menſem poſt harum conſtitutionum promulgationem, Tonſuram & habitum Clericalem ordini ſuo atque dignitati congruentem gerant; alioquin mulctentur priuatione redituum Eccleſiaſticorum illius anni, quos Epiſcopus pro ſuo arbitratu, piis rebus attribuet. Veſtes eorum ſint talares, neque foris, neque domi veſtimento aut ornamento vllo ſerico, alteriúſve quàm nigri coloris, niſi causâ dignitatis id eis liceat, vllo modo vtantur; induſia ad collum & ad manus criſpata, & in multiplices ſinus contracta, aut arte elaborata non deferant, nec caligis tumentibus aut diſſectis, aut ſerico ornatis vtantur.* Veſtes ſericæ vetitæ.

Denique in omni veſtitu & habitu Clericali nec affectata, & immoderata cultûs & elegantiæ diligentia, nec ſordes, & nimis abiecta incuria appareant. In inceſſu quoque modeſtia, & mentis maturitas appareat; incondita enim & leuis compoſitio corporis, animi incompoſiti, & malè ſedati indicium eſt. Clerici numquam perſonati incedant, neque comœdias, fabulas, choreas, vel quid aliud ludicrum, ex iis quæ ab hiſtrionibus exhibentur, agant vel ſpectent, ne viſus & obtutus ſacris myſteriis dicati turpium ſpectaculorum contagione polluantur, &c. Nota. Laruæ & fictitij habitus Clericis prohibiti.

Eadem mens fuit Patrum Concilij itidem Prouincialis Aquenſis, quod anno 1585. Alexander Canigianus Præantiſtes ſuis cum Suffraganeis tenuit. In hunc modum ſiquidem eloquitur illa Synodus, de vita & honeſtate Clericorum : *Veſtes item coloris tantùm nigri ac ſimplices, ſericis omnibus ornamentis excluſis adhibeant, exteriorem quidem talarem, interiorem autem ſaltem vſque ad tibiæ medium; quanquam in ciuitate talaris vtraque eſſe debeat; in itinere verò breuiorem permittimus, ſed ne omninò ſupra genua ſint, vetamus,* Color niger ſolus permiſſus; ſericum prohibitum.

Caligis non turgidis neque diſſectis, calceis quoque non inciſis vtantur.

Neque camiſiis ad collum, ſiue ad manus criſpis aut elaboratis.

Neque item pileis, niſi valetudinis causâ, iiſque ſimplicibus, non ſericis, neque turbinatis; quos tamen in Eccleſiam, & ædes præſertim publicas ingredientes ſtatim dimittant.

Birretũ in formam crucis. *Birretum autem ſemper gerant in crucis modum conſutum, vt Eccleſiaſticos homines decet.*
Vnguentis, & omnibus odorum illecebris abſtineant.
Annulos non deferant, &c.
Ac denique in veſtitu omnem nouitatem fugiant, nec tam nimiæ elegantiæ, quàm ſordium & negligentiæ ſuſpicionem euitantes.
Arma non ferant, niſi itineris longioris cauſâ, atque ea tamen breuiora, ac facultate ab Ordinario impetratâ.
Ne perſonati vmquam incedant, &c.

Cæterùm cùm eiuſmodi decretis, & canonibus à pleriſque Clericis nequaquam obtemperaretur; Sixtus V. Pontifex maximus diuino ſuccenſus zelo aduersùs eorum contumaciam, ſeueriori animaduerſione vtens, conſtitutionem datam anno ſalutis 1589. quinto idus Ianuarij, Pontificatûs anno quarto, fulminauit; cuius exordium eſt, *Cùm ſacro-ſanctam Dei Eccleſiam*, &c. quæ quàm iuſta ratione quámque graui de cauſa ſit edita, paulò poſt initium, his verbis exponit: *Quare animaduertentes, quòd qui in ſortem Domini, ad eiuſdem Eccleſiæ decus & ornamentum ſunt vocati, ex eo Clerici nomen conſecuti, quique cenſu Eccleſiaſtico viuunt, ſingulari aliquo ſigno à populo diſtingui debent; ne cui eorum iure dici poßit, quomodo huc intrâſti non habens veſtem nuptialem? & ad hoc ipſum ſollicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, ne ſanguis eorum de manu noſtra requiratur, cum ingenti cordis noſtri dolore inuenimus complures ſupradictâ Domini ſententiâ redarguendos. Nam eorum plerique Clericali honore neglecto, in veſtibus laïcalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos priuilegio reddiderunt; quapropter licèt ſacris canonibus, Conciliis generalibus, & Apoſtolicis conſtitutionibus, certus circa eorum qui Clericali charactere inſigniendi ſunt, habitum, ætatem, & alias qualitates ſit præſcriptus modus, & contra* Nota. *Clericos in habitu Clericali & Tonſura non incedentes impoſita pœna, nempe vt gratiis, immunitatibus, & aliis priuilegiis Clericalibus minimè gaudeant: tamen cùm iniuriâ temporum, & forſan dormientibus paſtoribus, inimicus homo lethifera tranſgreßionis zizania ſuperſeminauerit: Nos propterea his, & aliis rationabilibus de cauſis adducti, ne nimiâ ſiue paſtorum, ſiue temporum indulgentiâ & impunitate, ſiue oſcitantiâ cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio, de cætero abutatur, hac noſtra perpetuò valitura conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Clericis, non ſolùm in ſacris, ſed etiam minoribus aliis ordinibus conſtitutis, & Clericali tantùm tonſura inſignitis*, &c. quæ ſuprà ſeriatim recenſentur, vbi de Tonſuræ Clericalis actum eſt origine & vſu, præcepto & obligatione.

Sed & illa verba Sixti Pontificis potiſſimùm expenſione digna ſunt, quibus ait, Cleri deprauationem in habitu eo auctore profectam qui ſalutis humanæ perpetuus hoſtis, ſolet tranſgreſſionis ſeminare zizania: certè enim ex præmiſſa inductione, quam per ſexdecim ſæculorum excurſum delineauimus, manifeſtum euadit, vt reter ille præuaricator omnis iuſtitiæ & pietatis, modeſtiæ & humilitatis Chriſtianæ capitalis aduerſarius, non deſtiterit Eccleſiaſticam diſciplinam hac in parte impetere, vtque eam ſublatum iret, totis contenderit viribus, minimè ignarus ſcilicet quemadmodum inducto in luxum faſtúmque Clero, ſuperbiæ

& libidini latum aditum aperiri, ſic ex aduerſo Eccleſiam ſteriſſe, pro viriliſque contendiſſe ſemper hanc aſtruere diſciplinam, ex cuius obſeruatione probè nouerat magnum momentum Clericali dignitati, honeſtati, & fidelium cæterorum ædificationi, ac in ſacrum ordinem obſeruantiæ ac venerationi, quin & religioni decori plurimùm acceſſum iri. More Pontificum, quorum proprius ſpiritus eſt ſenſa ſua oraculis exprimere; Sixtus Papa ſuo in diplomate dixit: *Luxum veſtium in Eccleſiaſticis viris non modò temerare ſacros Eccleſiæ canones, Conciliorum generalium edicta, Apoſtolicarúmque Conſtitutionum ſanctiones, ſed inſuper inferre religioni dedecus, diuino nomini contemptum, & ipſis Clericis parere propriæ ſalutis diſpendium.* Vice verſâ igitur, modeſtia in habitu Clericali, ſtaturæque tam conſtanti Chriſtianæ religionis inſtituto, Eccleſiaſticorum virorum huiuſce diſtinctionis Cleri à populo, cuſtodia, ſi ſuo in vigore, vt leges Eccleſiæ decernunt, à Clericis obſeruetur, eximium affert religioni ornamentum, diuinæ maieſtatis apud homines admodùm auget honorem, ſalutíque Eccleſiaſtici ordinis non leue conciliat ſubſidium.

FINIS LIBRI PRIMI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE HABITV CLERICALI LIBER II.

QVO, DE EIVSDEM MATERIA, DISSERITVR.

CAPVT PRIMVM.

Materia in veſtibus, quàm maximè attenditur.

MVLTVM refert ex qua materia ſint confectæ veſtes, ſiue quoad vſum, ſiue quoad dignitatem, & decorum, ſiue quoad mores & ſignificatum. Quamobrem in ſacris ſcripturis tam diligenter veſtitûs materia deſignari ſolet quàm forma & ornatus. Pleriſque locis ſanè ibi deſcribitur tam hominum quàm Angelorum habitus, ſed imprimis ſemper materia, ex qua conſtat, notatur: habemus Exod. 28. indumenti Pontificis inferiorúmque Sacerdotum exactam deſcriptionem, in qua tamen nihil accuratiùs quàm materia ex qua confici debent videre licet deſignatum: *Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filiis eius*, (inquit Dominus ad Moyſen) *vt Sacerdotio fungantur mihi: accipiéntque aurum & hyacinthum & purpuram, coccúmque bis tinctum, & byſſum. Facient autem ſuperhumerale de auro & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta opere polymito*, &c. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis*, &c. *facies & fœminalia linea.* Daniel Angeli quoque ſibi apparentis apparatum dum memorat, c. 10. *Et leuaui oculos meos* (inquit) *& vidi: & ecce vir vnus veſtibus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.* Ioannis Baptiſtæ ſignanter etiam Euangelici ſcriptores veſtium materiam obſeruant: *ipſe autem Ioannes habebat* (ait S. Matth. cap. 3. 4.) *veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*; ita & S. Marcus notat cap. 1. quo ſchemate indutum fuiſſe prodit Regum hiſto-
4. *Reg.* 1. 7. ria Eliam Prophetam, in cuius ſpiritu, & virtute veniſſe ipſum Ioannem Dominus edocuit; ita enim interroganti Ochoſiæ Samariæ Regi: *cuius figuræ & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis?* miniſtros regios reſpondiſſe refert ſacer codex; *vir piloſus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus*; vir pilo-

ſus, id eſt piloſa indutus veſte; quod genus indumenti priſcis Sanctis in vſu fuiſſe Beatus Paulus in epiſtola ad Hebræos inſinuat, cap. 11. *Circuierunt in melotis*, (inquit) *in pellibus caprinis*. Caſſianus lib. 1. c. 8. melotem promiſcuè, & pellem caprinam intelligit. *Vltimus eſt habitus eorum* (Monachorum ſcilicet Ægyptiorum, & nonnullorum Orientalium, quorum deſcribit mores) *pellis caprina, quæ melotes vel pera appellatur*, verùm Apoſtolus vt diuerſas res diſtinctè ponit. Et verò *melotes*, vel *melota*, Græca vox eſt, quæ pellem ouinam (non ſolùm caprinam) ſimul cum lana corpori pecudis detractam ſignificat, aut veſtem ex eiuſmodi pellibus aptatam & confectam: μῆλον enim Græcè, Latinè ouis dicitur: S. Hieronymus in vita Sancti Hilarionis pelliceum ependyten nuncupat, quem alij penulam, alij tunicam interpretantur: penulam geſtatam fuiſſe à Beato Paulo ipſe teſtatur, dum ad Timotheum ſcribit 2. epiſt. c. 4. *Penulam*, inquit, *quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum.* Penulam autem fuiſſe pallium hyemale, aut veſtem ſimilem extimam, ad frigus & pluuiam carpendum, ſolertiores interpretes aſſerunt, quibus Iuuenalis poëta ſuffragatur Satyra 5.

—— Et multo ſtillaret penula nimbo.

Sed aliàs de penula; hîc hæremus in melote? certè citato loco 4. Regum 1. vbi Vulgata habet, *vir piloſus*; non hirſutus & capilloſus intelligi debet, at indutus veſte villoſa, vnde pallium Eliæ, Septuaginta 3. Reg. 9. & 4. Reg. 2. μηλωτὴν appellant, quod nomen S. Hieronymus ep. 28. vſurpat pro eiuſdem Eliæ pallio, *Helias*, inquit, *igneo curru raptus ad cælum, melotem reliquit in terris*; quod extimum veſtimentum priſcos Aſcetas de more geſtâſſe, patenter euincunt quæ de Sancto Antonio litteris prodidit S. Athanaſius in eius geſtis; item quæ Sozomenus ſcribit de Monachis Ægypti, lib. 3. c. 13. & S. Pachomius in regula apud Palladium; nec ita proprium fuiſſe Monachis, vt à viris Eccleſiaſticis, etiam primi gradûs, non deferretur; argumento eſt Sancti Antonij teſtamentum, vbi ait; *Melotem & pallium tritum cui ſuperiaceo, Athanaſio Epiſcopo date, quod nouum ipſe detulerat.* Epiſcopos certè extra ſacra, veſtibus vſos non ſplendidis, ſed laneis, & fortè etiam groſſioris texturæ, & minimè terſis, nec expolitis, queiſque in vtraque antiquitate verſatis eſſe non poteſt incognitum, maximè qui de birro Sancti Cypriani ſententias ſolertiorum vocabuliſtarum diſquiſierunt; de quo etiam opportuniore loco dicemus, ſi Chriſtus dederit. Sulpitius de Sancto Martino diſſerens Dialog. 1. birrum accipit pro eudromide hirta & villoſa; ſuccinit Auſonius, vbi ait,

Nobilis horribili iungatur purpura birra.

CAPVT II.

Quemadmodum viris Eccleſiaſticis in ſacris linum: ita extrà ſacra lanam vſitatam, iam olim fuiſſe in priuato habitu.

VESTEM ſanctam, quæ ex candidiſſimo linteo contexta erat, vt indueret cùm ingrederetur in Sancta Sanctorum ſummus Sacerdos, lex Dei præcipiebat: tametſi cum hominibus agens, panno laneo veſtiretur; nec Pontifici ſolùm, ſed inferioribus Sacerdotibus iuſſum erat, vt cùm Deo miniſtrarent, ſancta deferrent veſtimenta, tunicas ſcilicet lineas, quas diſcerpere nefas eſſet, extra tabernaculum verò ſolitis veſtimentis, laneis ſcilicet, vterentur; quamobrem & Chriſtus æternus Sacerdos & Pontifex, cùm verſaretur inter homines, iis indumentis inceſſit indutus quæ communi vſui congruebant; cùm verò in monte Thabor coram Patre & Prophetis Apoſtoliſque glorificatus apparuit, candidiſſimis ſolennibúſque veſtimentis enituit amictus, *veſtimenta eius facta ſunt alba ſicut nix*; Eccleſia à ſuo ipſo ſponſo edocta, induit *duplicibus domeſticos ſuos; quæſiuit lanam & linum*, hæcque Dei miniſtris ita diſpertiit, vt lino operirentur in ſacris, lanâ verò priuatim agendo veſtirentur. Prædictum id fuerat ab Ezechiele Propheta, c. 44. vbi de noui Teſtamenti Sacerdotibus & Leuitis, ſub nomine filiorum Sadoc ita dicit: *Stabunt in conſpectu meo, vt offerant mihi adipem* (carnem ſcilicet puriſſimam agni redemptoris) *& ſanguinem, ait Dominus Deus. Ipſi ingredientur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, vt miniſtrent mihi, & cuſtodiant cæremonias meas, cúmque ingredientur portas atrij interioris, veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quicquam laneum, quando miniſtrant in portis atrij interioris & intrinſecùs; vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, & fœminalia linea erunt in lumbis eorum*, &c. *Cúmque egredientur atrium exterius ad populum, exuent ſe veſtimentis ſuis in quibus miniſtrauerunt, & reponent ea in gazophylacio Sanctuarij, & veſtimentis alijs ſe veſtient.*

Prou. 31.

Linum differt à lana, quòd hæc ſit propria brutarum animantium veſtis: linum verò eſt nobilis plantæ medulla, quæ hominum induſtriæ abdita aſſeruatur. Cùm accedit ad Deum Sacerdos, omnes exuere debet carnales affectus, totúſque tranſire in ſpiritum qui puritate, ſubtilitate, tenuitate & candore lini deſignatur. Sicut igitur ſacris deſtinabatur linum myſteriis; lana profanis erat vſibus accommodata; quamobrem apud ipſos Ethnicos ex Orphei & Pythagoræ ſcitis, lanea veſtis profana habebatur, hac ſcilicet de cauſa, quòd ab animali lana decerpatur omnium mitiſſimo; linum porro ex terra oriatur, ex qua quæ ſponte prodeunt, quaſi à natiuo naturæ ſinu, munda & pura paſſim cenſeantur. Et verò Grammatici volunt lanam à laniando dictam eſſe, vt vellus à vellendo; antequàm enim tonſura inuenta eſſet, vellebantur ex ouibus lanæ; ideò agnus myſticus Chriſtus quaſi ouis ductus ad occiſionem, dicit

cit ſe corpus ſuum dediſſe percutientibus, *& genas ſuas vellentibus*, faciem autem non auertiſſe à conſpuentibus in ſe, Iſaiæ 50. verſ. 6. ſed quo quæſo tempore? myſterio hoc non vacat. ſcribit Varro de re ruſtica lib. 2. tonſuræ tempus inter æquinoctium vernum & ſolſtitium inſtare: cùm ſudare inceperint oues, à quo ſudore recèns lana tonſa ſuccida eſt appellata: ſudor igitur in oue, proxima diſpoſitio eſt ad tonſuram; quapropter agnus immaculatus Chriſtus iam maturus paſſioni, in horto dum orat ad patrem, vſque ad ſudorem ſanguineum æſtuauit, quo peccata noſtra cruoris ſui vel ſponte fluentis liquore elueret, ipſéque vellere carnis (quod in Virginis matris vtero propter nos induerat) mox laniato & flagellis deſpecto, noſtram nuditatem operiret; exuit etenim ſe, nudus in cruce moriens mitiſſimus ille agnus, vt nos ſuis exuuiis operiret, lanáque ſuæ charitatis noſtram calefaceret frigiditatem. *Luc. 22.*

Palæſtinæ oues vellere fuiſſe candidiſſimo molliſſimáque lanugine, Ioſephus refert lib. 3. de bello Iudaïco c. 18. & lib. 5. c. 4. Ariſtæas in hiſtoria 70. interpretum, aliíque: adeò vt ſparſi greges ſuper montana Iudææ inſtar niuis eſſent: quò ſpectaſſe videtur diuinus Pſalmographus vbi Deo canit Pſal. 147. *Qui das niuem ſicut lanam.* &c. tum propter candorē, tum propter ſpiſſitudinē, tum propter vim calefactiuam. Audiendus in loci huius commentario doctiſſimus Genebrardus, *Nix*, inquit, *etſi ſit frigidiſſima, tamen dum halitus, & expirationes terræ cohibet, ei calorem internum conciliat, & vim maximam fœcunditatis indit, inſtar lanæ quæ calefacit, & fouet corpus.* Dat igitur Deus niuem, ſicut lanam: tam crebram enim, & frequentem dat niuem, quàm lanam, cuius pili ſunt denſiſſimi & ſibi proximi, nam nix tam denſa demittitur, vt eâ terra non aliter tegatur, quàm lanâ pecus, vel qui tribuit niuem ſimilem lanæ candidiſſimæ: de quo colore ſequenti libro datâ operâ diſſeremus. Interim hoc notâſſe curæ pretium erit, primum quo homines veſtiti ſunt veſtimento, vellus, vel pellem ouinam, villoſam, ſuâque lanâ opertam fuiſſe; legimus ſiquidem Geneſ. 3. *Fecit Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Procopius perperàm exiſtimauit pelles has Deum ex nihilo creauiſſe; at Theodoretus rectè cenſuit eas vel ex Angelorum miniſteriô animalibus occiſis detraxiſſe, vel aliunde ſubitò tranſmutâſſe, & efformâſſe ad inſtar vellerum: pelles verò eiuſmodi fuiſſe naturales, ſcilicet villis & pilis inſtructas, innuit Hebræum עור, & Latinum *pelliceas*: quæ nimirum datæ ſunt primò, vt non modò æſtate, ſed etiam hyeme, Adæ & coniugi eius ſolario eſſent, aduerſúſque vtraſque aëris iniurias æſtus & frigoris, ac imbrium etiam incommoditatem tegerent, atque tuerentur; quandoquidem non ad ornatum datæ ſunt, ſed ad neceſſitatem, videlicet vt nuditatem tegerent, ſubindéque aëris arcerent iniurias. Denique eò quòd eiuſmodi veſtes ſymbolum eſſent non tantùm verecundiæ, ſed & continentiæ, frugalitatis, auſteritatis, ac pœnitentiæ; non purpurâ etenim, non pannô ſericeô, ſed pellibus quaſi ciliciô Deus homines poſt peccatum veſtiuit: cuius moniti vt eſſent memores viri Eccleſiaſtici, quibus ex officio incumbit alios tam actu, quàm habitu docere, & ex contemptu rerum præſentium, per meditationem mortis (in qua vel Platone teſte vera ſita eſt Philoſophia) eos

deducere ad beatæ immortalitatis deſtinatum diuino munere creaturæ rationali feliciſſimum terminum; edocta cæleſti afflatu Eccleſia voluit eoſdem extra diuini cultus myſteria (in quo ſic ſupernæ Maieſtati debitam rependunt ſeruitutem, vt eius gloriæ etiam & honoris referant dignitatem) illas deferre veſtes quæ non auro fulgerent, non micarent gemmis, non ſplenderent ſerico, ſed vellere puro, lanáque ſimplici, nec tenui plica, at rudi textura & plexu ſpiſſiori, indicio eſſent vitæ huius caducitatis, lugubris hominum ſtatûs, amicæque Deo humilitatis ac congruæ Ordini Clericali modeſtiæ eſſent monimento ſpectabili.

CAPVT III.

Laneæ veſtis moralitates.

NON modò abhorruiſſe florentis Eccleſiæ Antiſtites ac Clericos ab quocumque ſplendido veſtitu, at maiori affectu obſcuras, quàm ſæculi huius amatores niridas fulgentéſque veſtes quæſiuiſſe; priſcorum Eccleſiæ patrum & doctorum geſta, ac theoremata, quorum ſuprà non tenuem congeſſimus ſegetem, manifeſtè docent. Illuſtre eſt hac in parte Ammiani Marcellini de Narbonenſis Galliæ Epiſcoporum modeſtia in habitu actíſque, teſtimonium, quos lib. 27. ſcribit tenuitate edendi potandíque parciſſimè, vilitatéque indumentorum, & ſuperciliis humum ſpectantibus perpetuo numini, veríſque eius cultoribus, vt puros ſe commendâſſe & verecundos. Saluianus lib. 4. memorat ſua adhuc ætate viguiſſe morem, vt qui à mundi militia, ad Eccleſiaſticam ſe conferebant, habitu quoque perhumili ſuam innuerent in profeſſione, & dignitate mutationem; *Vbi quis*, inquit, *mutauit veſtem, mutat & protinus dignitatem, ſi fuerit ſublimis, fit deſpicabilis, ſi ſplendidiſſimus fit viliſſimus:* habitu ſcilicet, non ſpiritu; humilitatis ſtudiô, at veri non diſpendiô honoris: hinc illud Sidonij ad Polemium ſuum; *At ſi videtur humilitas noſtræ profeſſionis habenda contemptui, quia Chriſto res humanas moderaturo, putrium conſcientiarum cultro ſquallens vlcus aperimus, quod in noſtri ordinis viris etſi adhuc aliquid de negligentia fœtet, nihil iam tamen de ſuperbia tumet.* Verùm *poſtquàm mutatus eſt color optimus*, Clericíque ad ſæcularia deſideria & ſtudia magna ex parte deflexerunt, inuicta tamen perſtitit in ſeruanda ipſo in habitu humilitate, ſimplicitate, atque modeſtia plurimorum virtus, (quorum memoria in benedictione perdurat) obſtitítque variorum hominum faſtibus viuida ſemper Eccleſiæ vigentis, vigilantíſque auctoritas, quæ legibus ſacris ſuprà relatis, impetum erumpentis tam propudioſi auſûs cohibuit: cùm enim quicquid ſplendoris eſſe poteſt in habitu diſtrictè vetuerit Clericis, iis tantùm conceſſit vti ad veſtitum pannis, quorum materia pretiô non commendaretur, nec nitore eſſet inſignis, ſed ſic profeſſioni conueniret, & neceſſitati ſeruiret, vt ſaluâ interiùs honeſtate, modeſtiam & humilitatem indicaret, quas

debent Clerici actu & habitu profiteri: lanam igitur meram iis geſtandam permiſit, imò præcepit; ſericum & ſiquid aliud eſt in veſtium natura & materia ſpecioſum ac illuſtre, molléque ac delicatum, penitus prohibuit, vt ex prænductis & infrà ſignatis, patet canonicis conſtitutionibus & decretis.

Et verò lana Clericali Sacerdotalíque ordini, quàm aptè conueniat, oſtendere breui inſinuatione poſſum: lana ſiquidem paſſionem non ſentit, naſcitur ex carne, iterúmque carnem veſtit, & omnia interiora operit atque tegit; inſuper calorem nutrit, corpus ab aëris intemperie defendit; ſic verò exteriùs corpori adhæret, vt ſine corporis periculo, imò cum eius multiplici commodo induatur & exuatur: nec modò ad veſtes, ſed ad infinita propè artificia ſe expandit, tam humano generi vtilia, quàm neceſſaria. Nihil magis genuinè exprimere mihi videtur Eccleſiaſticorum virorum proprias affectiones, quorum eſt patiēter iniurias perferre, paſſiones moderari, ſic in carne viuere, vt ſpiritus carni imperet, infirmiores fideles, populum ſcilicet Chriſtianum, ad omne opus bonum verbo & exemplo inſtruere, zelo ſuo fouere, tueri, accendere ad Dei cultum & amorem, vitiis ſe opponere, virtutem colere & augere, hæreſes, & quicquid fidem & pietatem lædere poteſt, procul pellere, ſic eſſe in mundo, vt non ſint de mundo, ad omnia promptos eſſe, quæ Deo placita, hominibúſque ſalutaria eſſe poſſunt, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 9. *Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifacerem.* (Et Philip. 4.) *Omnia enim poſſum in eo, qui me confortat.*

Lana inſuper proprietates habet nonnullas, quibus optimè deſignantur Clericalis ordinis præcipua officia ac virtutes. 1°. operit nuditatem, & eſt indicium honeſtatis & caſtitatis; quæ quàm in Clericis neceſſariæ ſint nemo neſcit. Canonicæ ſanctiones plenos habent titulos *de vita & honeſtate Clericorum:* item de ſacrorum virorum continentiâ totum Ius canonicum decretis refertum eſt, quibus concordat Ius ciuile legibus plurimis, v. g. l. 19. eum qui de Epiſc. & Cleric. l. 33. ſacro-ſanctæ de Epiſc. & Cleric. Nouella 6. §. & illud etiam in verbo, nihil enim, & Nouell. Iuſtiniani 123. §. Preſbyteris ſanè, in verbo Epiſcopum. & Nouella 6. §. indeadeò, in verbo, ſed neque l. 74. de Epiſc. & Cleric. & præcitata Nouella 123. §. Clericos, verſiculo, quod ſi; & in verbo enimuerò. Nou. 22. §. eodem initio, verſ. ſed ne res, &c. & longè pluribus aliis, quas vitandæ causâ prolixitatis hîc prætermittimus. Redeamus ad ſacra. Vellere Gedeonis, quod in imbre circumquaque profuſo vnde tota madefacta eſt area, ſiccum ab humore permanſit, Patres paſſim docent Deiparam Virginem fuiſſe adumbratam, quæ omnis peccati expers Verbum Dei ſine ſemine concepit. Sub hoc vellere igitur viri Eccleſiaſtici quorum eſſe debet præcipuus integritatis affectus, confugiant, vt ab omni libidinis profluuio protegantur, ſed & tuti eſſe poſſint (vt ait Prophera Eſa. 4. 6.) *abſconditi ab æſtu, & à turbine, & à pluuia.* Nec eſt quòd quis nos hîc inſimulet nugacitatis, eo nomine quòd lanæ proprium eſſe dixerimus operire nuditatem, & honeſtati ſuffragari, cùm & ſericum id æquè faciat: id enim eſt quod penitus abnuimus; ſapienter enim cenſuere veteres; Se-

Iudicum 6. 40.

ricas veſtes potiùs denudare corpora quàm tegere. Hinc illud Senecæ, *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt quo defendi corpus, aut denique pudor poſſit, quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit.* Vetuiſſe Tiberium viris ſericum teſtis eſt Tacitus, *Ne*, inquit, *veſtis ſerica viros fœdaret.* Ar de hoc rurſum inferiùs vbi de veſte ſerica.

2°. Lana calefacit corpus & frigus repellit, eſt igitur ſignum charitatis, quæ mentem accendit, arcet pigritiæ torporem, & deuotionis excitat ardorem; lana hæc eſt coccinea quæ cum hyſſopo aſſumebatur à Pontifice ad faciendam aquæ & ſanguinis ſuper populum aſperſionem pro immunditiarum legalium emundatione; id porrò præſertim Sacerdotibus curæ eſſe debet, vt populus expurgetur à noxis, & ad pietatem, amorem ſcilicet & cultum Dei, accendatur. *Heb. 9.*

3°. Lana eſt veritatis indicium; de candore enim certat cum niue & lilio; hinc Deus veritatis in flammeo throno ſedens Danieli viſus eſt hoc miro inſignis candore; *Veſtimentum eius candidum erat ſicut nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda;* Dan. 7. Et Chriſtus ſplendor gloriæ & ſapientia patris, qui eſt teſtis fidelis & verax, dum apparuit dilecto ſuo, Apoc. 1. *Capilli eius erant tanquam lana alba & tanquam nix.* Richardus à S. Victore part. 2. lib. 1. ſup. Apoc. per lanam mundam, innocentiam intelligit, quam Apoſtolus exigit præſertim in viris Eccleſiaſticis, *Nemini dantes* (inquit 2. Cor. 6. 3.) *vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum.*

4°. Eſt quoque lana ſymbolum manſuetudinis; quia eſt exuuium huius animalis quod omnium eſt mitiſſimum; quamobrem Chriſtus typum & titulum agni manſuetiſſimi ſibi aſſumpſit, eo quòd potiſſimùm hac delectatus eſt virtute, in qua ſuper omnes excelluit; quapropter Apoſtolus Dominicæ huius virtutis recordatione, fideles obſecrat ac obteſtatur 2. Cor. 10. 1. *Ipſe autem ego Paulus obſecro vos per manſuetudinem & modeſtiam Ieſu Chriſti.*

5°. Eſt lana conglobatæ virtutis ſimulacrum; eſt enim omnium auida colorum, horúmque capax excipiendorum ſuo ſinu. Eccleſiaſticus omnium virtutum ſtudioſus eſſe debet, etſi enim quædam virtutes ſatis eſſe poſſint Laïco, Clerico non item; cui illud imprimis competit Apoſtoli; *Quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ: ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, &c: hæc agite*, Philipp. 4. Pulchrè S. Chryſoſtomus *multioculos* Sacerdotes & Clericos appellabat, quòd nimirùm priuatis hominibus duo ſatis ſint lumina in capite, verùm Eccleſiaſticis neceſſe ſit habere multos oculos *antè & retrò*, Apoc. 4.

CAPVT IV.

De ſerico, & bombyce, vel bombycino.

SERICVM, ſeriùs in Occidente quàm in Oriente vſum habuit; inde ad nos aduectum; tardè ſiquidem & nonniſi ſub Imperatoribus ſerica veſtis Romanis cognita eſſe cœpit: ſed in Media & Perſide iam diu antè geſtari conſueuerat, ſiquidem tempore Aſſueri Regis Medorum & Perſarum, cui nupſit Eſther, Mardochæi neptis (paulò poſt captiuitatem Iudæorum factam Iechonia Rege Iuda) ſerica veſtis regij pars ornatûs vt purpura, erat; quemadmodum colligitur ex libro Eſther cap. 8. vbi cùm voluiſſet Rex Aſſuerus Mardochæū publico teſtimonio honorare, cultu regio inſignē per vrbem Suſam procedere iuſſit: *Mardochæus autem* (ait ſacer textus) *de palatio & de conſpectu regis egrediens fulgebat veſtibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus ſerico pallio atque purpureo.* Hinc patet cur ſerica veſtis Medica dicta fuerit à Procopio lib. 2. de bello Wandalico; *Vvandali*, inquit, *omnium ſunt molliſſimi atque delicatiſſimi*, &c. *geſtant veſtem Medicam, & ſumptuoſam, quam Sericam vocant;* Medicæ enim tulit nomen, quòd apud Medos & Perſas primùm in vſu fuerit; cur verò ſerica ſit deinde crebriori nomine appellata, ſi quæratur ratio, non vna aſſignari ſolet. Iſidorus ſericum inquit dictum, quod id Setes primi miſerunt. ſuccinit Virgilius vbi ait,

Velleráque vt folus depectant tenuia Seres. 2. Georg. verſ. 121.

Conſentit & Plinius lib. 6. cap. 17. Sunt Seres autem populi qui partem orbis Orienti ſubiectam tenent; Rhenanus vult Scythas fuiſſe (in Tertullian. vbi infrà) Horatius videtur eos Parthos cenſuiſſe, nam ſericas ſagittas Parthicas nuncupat lib. 1. Od. 29. Alij volunt dictum ſericum à vermiculis quos Iulius Pollux σῆρας appellat (lib. 2. cap. 17. Dictionarij) qui apud hos populos naſci perhibentur, à quibus hæc circum arbores ducuntur fila tenuiſſima. Plinius tamen loco citato putat ab ipſis arboribus hæc ipſa proficiſci; *Seres*, inquit, *lanificio ſyluarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium canitiem.* Ammianus Marcellinus aſſentitur Plinio, ſcribit enim lib. 23. *Sericum confici ex arborum quarumdam lanugine;* ſubſcribit etiam Tertullian. c. 1. libri *de muliebri habitu; Age nunc*, inquit, *ſi ab initio rerum, & Mileſij oues tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyrij tinguerent, & Phryges inſuerent, & Babylonij intexerent.* Sunt qui bombycinum idem eſſe putent ac ſericum; ſed Lipſius ad Tacitum, ex eo ſericum à bombycino diſtinguit, quòd bombycinum vermiculórum opus eſſet (quos βόμβυκας Græci nominant) ſericum autem ex Indica lanugine, quam diximus ex arboribus deductam. Conciliationi via peruia eſt; agitur potiùs de nomine quàm de re ipſa. ſericū & bombycinum pleríque pro rebus habent promiſcuis, adeò vt vtroque nomine idem ſignificari velint, tametſi ſerici nomen tritius, & vſitatius eſſe fateantur, generíſque ad inſtar, vtramque ſpeciem complecti, imò nobilioris ſpeciei

vocabulo includi alteram: ſi quis igitur dixerit duplicis eſſe ſpeciei ſericum, quod tamen bombycinum etiam ſoleat indiſcretim appellari, non ita forrè à proprio rei ſcopo deflectere videretur: ſumi enim vtrumque vel ex lanugine arborum, vel ex vermiculorum filis ſeu ſtamine, vnde tramam texi, liciíſque necti, ex quibus panni ſerici confici ſolent. Sed hîc intercedit auctor Etymologici trilinguis; *Si ſericam veſtem*, inquit, *confuderis cum bombycina, Iuriſperitos experiere aduerſos, qui ab ea diuerſam faciunt*, Vlpianus v. g. l. 23. ff. de auro & arg. leg. *Veſtimentorum ſunt omnia lanea, lineáque, vel ſerica, vel bombycina.* Sed vno verbo reſponderi poreſt, Iuriſconſultos in re phyſica conſulendos non eſſe. Ipſo Etymologico citatore, Pollux & Iſidorus ſericum ex verme prodire non eſt dubium; Lipſio iudice, quem plerique ſequuntur, bombycinum vermiculorum quoque opus eſt; igitur eadem ex origine manant; quamuis haud inficiar fieri poſſe, vt à diuerſæ ſpeciei vermiculis proficiſcantur; nec tamen ſic prodire à vermiculis cenſeo, quin etiam ex arboribus aliquid mutuentur, vermiculi enim iſti ex quibus hæc fila defluunt, foliis mori potiſſimùm nutriuntur, quibus pinguefacti pinguiores euadunt: fœtus eſt igitur proprius ſericum ſeu bombycinum vermiculorum, quod vel eo paret quod Zonaras in vita Iuſtiniani ſcriptum reliquit, duos Monachos attuliſſe ex India vermium oua, vnde toti ferè Europæ copia facta, cœptúmque eſſe ſericum texi à Romanis, cùm antea à Perſicis mercatoribus tantùm importaretur. Procopius idem fermè narrat, quâquam paulò accuratiùs, ſcribit enim regnante Iuſtiniano circiter annum 550. Monachos quoſdam oua ſeris ſiue vermiculi illius, qui ſericum ſolet deducere, Conſtantinopolim attuliſſe, indéque texta illa in Europa paulatim cœpiſſe elaborari. Verùm aliud eſt ſericum ex ouis vermiculorum elicere, aliud texere telam ſerici, aliud ſericum in vſu habere, diu antequàm oua illorum vermiculorum Bizantium fuiſſent aducta, & Græci, Romaníque ex ouis eiuſmodi vermes ſericum producentes per totum extrahere, filáque ſic educta texere, & telam pannúmque ex huiuſmodi ſtamine conficere didiciſſent: ipſum ſericum atque etiam bombycinum apud Romanos in vſu erat, quanquam non ita frequenti. Fertur Heliogabalus à Spartiano primus Romanorum ſericam veſtem induiſſe: auctor eſt Lampridius Alexandrum Seuerum numquam holoſericam geſtâſſe veſtem, non quòd re careret, ſed quòd vti nollet. Geſtauit ſericam veſtem ex parte Aurelianus, integro ſerico contextam nuſquam vſurpauit nec aliis conceſſit. Vopiſcus refert, qui & addit eundem Auguſtum, vxori, vt pallam ex purpureo ſerico textam geſtare ſibi permitteret, recusâſſe; numquam ſe commiſſurum dicens vt fila auro penſarentur; iſta enim tempeſtate ita rarum erat ſericum, vt auro rependeretur. Verùm ſubinde non raritas, quæ rebus pretium facit, in cauſa fuit, cur ſericum, vel bombycinum in veſtitu habere nefas eſſet; honeſtas ſcilicet quæ non ſinit corpora oculis nuda, vel quaſi nuda ſubiici: perſuaſum enim habebant veteres, ſerico potiùs nudari corpora quàm veſtiri, nec pati poterant virtutis tenaces viri matronas in eiuſmodi veſtimentis tranſlucere, non ſine pudicitiæ diſcrimine vel detrimento; hinc illud Petronij,

Palam proſtare nudam in nebula lineâ.

Et rectè notat Solinus c. 63. ſericum in vſum publicum damnô ſeueritatis admiſſum, & quo ob materiæ tenuitatem oſtentare potiùs corpora quàm veſtire, primò fœminis, ſenſim etiam viris perſuaſit luxuriæ libido. Sed de hoc ſatis ad propoſitum.

CAPVT V.

Sericum quodvis conſtanti Eccleſiæ lege, vetitum Clericis, ipſiſque etiam Prælatis in priuato & ordinario habitu.

IACOBVM Apoſtolum dictum fratrem Domini, poſt eius funus & triumphum, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primum ordinatum Antiſtitem ab ipſis Apoſtolis, laneam veſtem non induiſſe, ſed geſtâſſe dumtaxat lineam, Sanctus Hieronymus in catalogo refert virorum illuſtrium, ipſo in Iacobo. Quòd verò ipſe ſyndone tantùm ſimplici vteretur, inde factum eſt, vt ad eius imitationem, atque etiam in ipſius Domini Hieroſolymis crucifixi, & ſyndone munda in ſepulchro inuoluti, memoriam, ſucceſſores Hieroſolymitani Epiſcopi haud circumſpectè induti incederent, ſed ſimplici candida veſte, licèt eiuſdem Eccleſiæ Clerici ſericis atque etiam ſplendidis vterentur; ſicut inter cætera teſtimonia ex narratione Cyrilli, in rebus geſtis S. Euthymij Abbatis conſtat, vbi de Anaſtaſio eius Eccleſiæ Epiſcopo diuinitus deſignato, hæc quæ ſequuntur commemorat: *Euthymium videre valde deſiderabat Anaſtaſius,* (cuſtos ſacrorum vaſorum Hieroſolymis) *cùmque aſſumpſiſſet Phidum Ioppenſem Epiſcopum, & Coſmam cuſtodem ſanctæ Crucis,* &c. *cum iis proficiſcitur ad magnum Euthymium; poſtquàm autem fuerunt iam prope Lauram, ab aliis quidem cùm nondum perueniſſent ignorabantur, Euthymio verò arcana quodammodo aperuit ſpiritus. Cùm ergo ſtatim vocâſſet Lauræ œconomum Chryſippum; ſint, inquit, tibi parata, quæ ſunt ad accipiendos hoſpites neceſſaria; ecce enim ſimul cum fratre tuo ad nos venit etiam Patriarcha. Cùm autem ipſi iam adueniſſent, diuiniore quadam contemplatione magnus correptus Euthymius colloquebatur, & differebat cum Anaſtaſio tanquam cum Patriarcha Hieroſolymorum; atque qui aderant omnes quidem admirabantur: Chryſippus verò ipſe quoque obſtupefactus, & ad aurem ſe inclinans Euthymij; ſed non eſt apud nos, inquit, Patriarcha, ô venerande Pater: hic autem eſt ſacrorum vaſorum cuſtos Anaſtaſius, vides quiſnam ſit eius veſtitus, oſtendens eius veſtes; hæ autem erant ſplendidæ & ſericeæ; quas quidem, inquit, non eſt fas Hieroſolymorum Patriarcham induere. Cùm autem aliquo tempore ſe repreſſiſſet ſenex, & velut ad ſe rediiſſet; ſed mihi crede fili, inquit, hunc vidi candida veſte indutum, & quali decet indui Patriarcham, & exiſtimo me non eſſe deceptum, ſed quod Deus præſciuit, id ad finem quoque deducet; ſunt enim eius chariſmata minimè pœnitenda. Ille ergo hæc quidem dixit multis audientibus, & conſecutus fuit rerum euentus.* Nam Iuuenali Epiſcopo ſanctæ ciuitatis qui interfuerat Concilio Calchedonenſi, de medio ſubducto, Anaſtaſius ille ſacrorum vaſorum

cuſtos, communi omnium ſuffragio ad ſedem illam promotus eſt, depoſitiſque omnino ſericeis veſtimentis, quæ antè iuxta morem huius Eccleſiæ ferebat, lineam induit veſtem ſimplicem, Patriarchatûs inſigne; *ſacri enim huius magiſtratûs magnitudo* (inquit ipſe Cyrillus rei geſtæ relator) *alium exigebat locum & ordinem.*

Vnde verò ortum duxiſſet mos iſte, vt Clerici Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ſericis, & ſplendidis veſtibus induti conuerſarentur, cùm eorum Hierarcha humilitatis Chriſti memor, & Iacobi primi Antiſtitis eiuſdem Sedis modeſtiæ, lineâ ſimplici veſte procederet amictus, ad cuius typum & ſpeculum par erat, vt capitis ſui, ipſos Clericos ſe componere, ingenuè vt dicam, non video, niſi ex corruptela ſenſim inducta ex ſacræ diſciplinæ neglectu: ab initio enim ſic non fuiſſe palam eſt ex ſanctorum Sacerdotum & Clericorum geſtis, qui antehàc in ipſa ſanctæ ciuitatis Eccleſia floruerunt, quorum potiori parte elogia, noſtra in Parthenia Hieroſolymitana, nondum mandata typis, expreſſimus.

Sanè Beatus Hieronymus, qui apud Bethlehem conſenuit, Hieroſolymis vicinus nunquam laudauit ſplendidas veſtes in Clerico, at grauiter reprehendit, in epiſt. ad Nepotianum de Clericorum vita; *Ornatus vt ſordes* (inquit) *pari modo fugiendæ ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet;* & in eius Epitaphio ipſum laudat, *Quod excepta vili tunica, & operimento pari, quo tecto tantùm corpore frigus excluderet, nihil ſibi ampliùs reſeruaret.* Quanquam ad eum ſcribens probet à Clerico vbique geſtari veſtem lineam, ſed non inſignem pretio: *Non abſque amictu lineo incedere,* (qui etiamnum Clericorum regularium eſt habitus) *ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt.* Idem verò Sanctus Pater in epiſtola ad Sabinianum Bethlehemitanū Diaconum increpatoria, acriter eum reprehendit, quòd fulgeret ſericis, præter lineos delicatiores amictus; *Amiciris linteis,* (inquit) *digitos annulis oneras, dentes puluere teris, raros de rubenti caluaria dirigis capillos; taurina ceruix, toris adipeis intumeſcens; nec quia propter libidinem facta eſt, inclinatior; ſuper hæc vnguenta fragras, mutas balnea, & contra renaſcentes pilos pugnas; per forum, ac plateas nitidus ac politus amator incedis.* Et infrà; *inter ſericum, & linteamina quibus tibi videris fulgidus & formoſus, intellige te, nudum, conſciſſum, ſordidatum, mendicantem. Numquam eſt ſera pœnitentia; quamuis de Hieroſolymis deſcenderis, & ſis in itinere vulneratus, inde te Samaritanus impoſitum iumento, curandúmque ad ſtabulum referret,* &c. *Poteris & tu videre ſi clames* (cum cæco in via ad Dominum) *ſi accitus ab eo, ſordida veſtimenta proiicias,* &c. *incuruare, & ſacco veſtire pauliſper.* Hactenùs Sanctus Hieronymus igneo quo feruebat in omnem luxum ſpiritu. Extat Sancti Auguſtini epiſtola 73. ad Poſſidium, de eorum qui ſunt cælibes prohibendo omni ſuperfluo in veſtibus cultu; extat & Iſidori Peluſiotæ (Sancti Ioannis Chryſoſtomi diſcipuli) epiſtola hac de re inſignis ad Cratonem lib. 1. epiſt. 74. de iis qui mollibus induuntur veſtimentis, & ſubtilibus & ſplendidis (qualia ſericea ſunt;) quos Deo gratam & religioſam exercitationem temerare, & à Chriſti exemplo (qui vili tunica indutus conuerſatus ſit, quali Galilæorum pauperes vtebantur) longè deflectere, nec minùs monita eius, quàm exempla

epiſt. 68.

pla aſpernari, euidenter oſtendit, hácque demùm concludit apoſtrophe; *At eiuſmodi mollia veſtimenta ſpirituali illo thalamo, fulguris in modum rutilante, minimè digna ſunt; quamobrem ſi huius deſiderio teneris, vilem Dei noſtri Ieſu veſtitum imitare; nam mollicies præſentis laſciuiæ eſt, non cæleſtis ſplendoris.* Sanctus Gregorius patre genitus Senatore, ipſéque Prætorio functus officio, ex quo Chriſti militiæ ſe adſcripſit, reliquiſſe perhibetur à Ioanne Diacono ſericas togas, & auro gemmíſque radiantes ornatus. In ſeptima Synodo generali, quæ Nicæna ſecunda fuit, memorabili decreto ſtatutum eſt can. 16. * *Vt Epiſcopi, & Clerici ex ſericeis texturis variatum veſtimentum non habeant, nec ſe ſplendidis, & inſignibus veſtibus exornent; eos verò, qui canonem hunc tranſgredi reperti fuerint, pœnis etiam afflictiuis tradi, ſimiliter & eos qui inuenti fuerint vnguentis delibuti; hoc enim eſſe dedecus & ludibrium, ab iis perditis Clericis nuper inuectum qui ſanctarum imaginum venerationem impugnabant, & omnem pietatem amoliebantur; à ſuperioribus enim temporibus omnem virum Sacerdotalem conuerſatum cum moderato & honeſto habitu.* Concilium Palentinum ſuprà relatum cap. 6. itidem decernit, vt nec Prælati, nec Clerici, ſericis veſtibus vtantur. Idipſum ſtatuit Toletanum Concilium ibidem citatum, ſub titulo *de Clericorum vita & honeſtate.* Baſilienſe Concilium in præambulari epiſtola ad Synodum eò acceſſuris ſericum omne tam in veſtitu, quàm in quacumque ſupellectili, prohibet. Toletana Synodus ab Alphonſo Carillo Primate celebrata, tam Archiepiſcopis, quàm Epiſcopis vſum ſerici in veſtibus penitus vetitum eſſe denunciat. Idem interdictum notauimus à Leone X. in Bulla reformationis, lecta & promulgata in Concilio Lateranenſi: & prohibitum quoque in Concilio Prouinciali Senonenſi quod habuit Antonius à Prato Cardinalis atque Metropolita, cum ſuis Suffraganeis. Sanctus Carolus Borromæus ſericum omne veſtimentum à ſe ſuáque omni familia proſcripſit, ac in Concilio I. Mediolanenſi legem tulit Suffraganeis, *vt Epiſcopus in veſtitu ſericum non adhibeat.* * *Item in domeſtica ſupellectili, nihil auro, aut argento habeat ornatum; nihil ſericum aut ſerico, diſtinctum.* Item Clericis quibuſcumque præcepit *vt ſericum, aurum, argentum, colorum varietatem ab vſu ſuo prorſus excludant.* Narbonenſe Concilium ſedente adhuc Tridentino Concilio celebratum, non modò Clericis omnibus prohibuit ex ſerico, vel bombycino contextas veſtes, at limbos etiam vetuit bombycino fulgentes, ſericóque, quod inter vel ſuper ſuturas attexeretur, ſignatim interdixit. Concilium Burdegalenſe paulopòſt habitum edixit itidem capite 21. *vt neque foris, neque domi Clerici veſtimento aut ornamento vllo ſerico vtantur quovis modo.* Item Concilium Aquenſe, à quo diſertè præceptum, *vt Clerici ſimplices gerant veſtes, ſericis omnibus excluſis ornamentis.*

* πάντας γὰρ ἑαυτοὺς κοσμοῦντας ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς δι' ἐσθήτων λαμπρῶν καὶ ἐπισήμων, τούτους διορθοῦσθαι χρή· εἰ δὲ ἐκ σηρικῶν ὑφασμάτων πεποικιλμένην ἐσθῆτα ἐνδιδύσκοιντό τις· εἰ δὲ ἐπιμένοιεν ἐπιτιμίῳ παραδίδοσθαι, ὡσαύτως καὶ τοὺς τοῖς μύροις χριομένους...... ἐκ γὰρ τῶν ἄνωθεν χρόνων πᾶς ἱερατικὸς ἀνὴρ μετὰ μετρίας καὶ σεμνῆς ἀμφιάσεως ἐπολιτεύετο.

* *Vide Concil. Tolet. ſub Sixto IV. tit. 5. p. 36. & 37, tom. 34. Concil. reg. edit.*

Quo nomine omnia textorum ſericorum genera prohibentur; ſericum ſcilicet raſum & villoſum, quod holoſericum (à pilis quos dicunt Latini, *villos*) vocabularij auctores vocitant; Concilia quædam ſuprà citata pannum huiuſmodi appellant *velutum*, vulgò *ve-*

lours, bombycinum raſum denſius, vulgò *ſatin*. Sericum ſeu bombycinum multificum, id eſt *taffetas*, ou *tabit*; texta ſerica virgulata, quæ quoniam Damaſci inuenta, etiam Damaſcena dicitur, Gallicè *damas*. Ormeſina (ab inſula ſinus Perſici) raſa, ſemiraſa, *velours raz, ou demy raz*, ſeu *velours figuré*; & id genus alia nuper elaborata v. g. *ferendine*, quæ partim ex lana, partim ex ſerico texitur, & quæ in dies inueniuntur; quorum vſus ob bombyci ſericíque inopiam, vel artis huius verſatilis in ſpecies propemodum innumeras inſcitiam, veteribus fuit incompertus, & nobis vt non ita eſſet cognitus, abſque vllo conſcientiæ piaculo aptari poſſet; ſi non poſſet in ſacris ſericum, piè & conuenienter vſurpari.

CAPVT VI.

Tametſi ſericum Eccleſiaſticis fuerit tot legibus Canonicis prohibitum in priuato habitu: licitè tamen & decenter admitti poſſe in ſacro ornatu.

CALVINVS in indiculo reliquiarum, effusè nos irridet, quòd ſandalia ſeu crepidas Sanĉti Petri ex raſo ſerico, auro intertextas populo ſimplici exoſculandas non vno loco exponamus, *Apud Sanĉtum Saluatorem* (inquit) *in Hiſpania, crepidatam oſtendunt ſoleam Sanĉti Petri; de cuius forma, vel materia anxiè non inquiro, non tamen temerarius ero, ſi eſſe cenſuero ei conſimilem quæ Piĉtaui colitur, ex texta ſerica eſt denſa & raſa, filiſque aureis interieĉtis rutilanti confeĉta; ita enim placuit his ingenioſis hominibus ornare Apoſtolum iſtum poſt mortem, in præmium paupertatis & nuditatis, quam in hac vita tolerauit.* Acutè ſcilicet & ſolerter! quaſi verò Eccleſiæ quæ hæc ſeruant Sanĉti Petri pignora, conſpicientibus perſuaſum ire velint, crepidas illas vel ſoleas, geſtatas ab eo fuiſſe ſerico vel auro fulgidas; & non potiùs hoc ſubinde fuiſſe inſtruĉtas ornatu ex pio fidelium affeĉtu & reuerentia, quæ tanti Apoſtoli memoriæ debetur. Non id nouum certè in Eccleſia Catholica, vt Sanĉtorum reliquiæ, quas impij eorum perſecutores ludibrio habuerunt & inter ſordes proiecerunt, honorificè colligerentur, locóque vt decenti reponerenrur: ita etiam ſplendido, qui indicio eſſet ipſorum viĉtoriæ & gloriæ, apparatu exciperentur, & illuſtrarentur ornatu. Audiendus S. Hieronymus aduerſus Vigilantium, cuius ſpiritus ſubinde in Caluino reuixit: *Dolet*, inquit, *Martyrum reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in ſterquilinium*, &c. *ergo ſacrilegi ſumus quando Apoſtolorum Baſilicas ingredimur*, (in quibus eorum venerabiles exuuiæ obſeruantur) *ſacrilegus fuit Conſtantinus Imp. qui ſanĉtas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei, tranſtulit Conſtantinopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum ſe ſentire præſentiam confitentur; ſacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Sa-*

muelis longo poſt tempore de Iudæa tranſtulit in Thraciam: Omnes Epiſcopi non ſolùm ſacrilegi, ſed & fatui iudicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portauerunt. In Martyrologio noſtro Galliæ, plurimas memoriæ conſignauimus Sanctorum vtriuſque ſexus & cuiuſvis ordinis & conditionis Inuentiones & Tranſlationes; quorum monimenta produnt Sanctorum exuuias, ſerico inuolutas, panno diuerſæ texturæ repertas fuiſſe. vita Sancti Sidonij Apollinaris Aruernorum Epiſcopi & Confeſſoris à doctiſſimo Sauarone relata, diſertim in fine habet: *Cuius cineres ſericis inuoluti in arca plumbea, quæ capſâ ligneâ circumdata eſt, ad dextrum cornu maioris altaris Eccleſiæ Sancti Geneſij Claromontenſis Epiſcopi, religiosè ſeruantur.* Sed notandum maximè quod Sanctus Eutychianus Papa & Martyr, qui anno Chriſti 283. purpuratus Euangelij teſtis ad cæleſtem euolauit triumphum: martyrem vllum ſepeliri vetuerat abſque dalmatica vel collobio (vide Panopliam noſtram Epiſcopalem lib. 6. c. 3. in fine): ſed & Sanctus Ambroſius hunc morem ferè cum religione Chriſtiana natum perſpicuè innuit epiſt. 53. quæ prima eſt lib. 7. Narrat enim à ſe inuenta Sanctorum Martyrum Geruaſij & Prothaſij, qui ſub Nerone paſſi ſunt, fuiſſe corpora, eâ induta veſte, quâ mos erat Martyres ſepeliri. *Vt Seuerus*, &c. *contigit fimbriam de veſte Martyrum, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, clamat, ſibi reſtitutum lumen.* Monachos conſueuiſſe cum ſchemate aſcetico inferri tumulo, teſtis eſt Sanctus Hieronymus ſub finem vitæ Sancti Hilarionis, vbi de inuentione ſacri eius corporis in Cypro ab Heſychio viro ſpectatæ ſanctitatis, tranſlationéque facta meminit: repertum enim fuiſſe ait, *illæsâ tunicâ, cucullâ & palliolo, & toto corpore, quaſi adhuc viueret.* Ita & Sacerdotes cum ſacrarum veſtium Panoplia ſepulchro inditos probant Sanctorum Epiſcoporum & Preſbyterorum inuentiones & tranſlationes, in quibus repertæ ſunt venerabiles eorum exuuiæ ſacris veſtibus indutæ, quæ paſſim ſericæ, & aureis filis intextæ compertæ ſunt. Cùm apud Iotrum eſſem celebre virginum ſacrarum Monaſterium, anno exeunte ſalutis 1631. corpus Sancti Agilberti Epiſcopi Pariſienſis, cuius meminit Beda, repertum fuit in crypta Sancti Pauli Eremitæ (quam condiderat): ſepultum cum Pontificiis indumentis, contextis ex ſerico cum fimbriis aureis, quarum particulas adhuc fulgidas, & rutilantes propriis conſpexi oculis, & manibus contrectaui. Nuper aperta theca corporis Sancti Peregrini Epiſcopi Antiſſiodorenſis, & Martyris (cuius elogium in Gallicano noſtro Martyrologio authenticis ex eius actorum monimentis 17. Kalend. Iunij conſignauimus) in Regali Sancti Dionyſij prope Pariſios Monaſterio, cum ſacris eius reliquiis, particulæ adhuc extantes variis coloribus, & floribus conſpicuæ, veſtium eius Sacerdotalium, & funebris linteaminis repertæ ſunt quædam ex ſerico Damaſceno, quædam ex multitio bombycino; fragmenta quarum nonnulla ipſe vidi, quæ Monialibus Vrſulanis eiuſdem oppidi curæ meæ ſubiacentibus, illuſtriſſimus Epiſcopus Antiſſiodorenſis Dominus Petrus de Broc pio munere dederat; ad cuius Reuerendiſſimi Antiſtitis inſtantiam, atque adeò in eius præſentia à Superioribus inclyti huius Monaſterij reſerata

fuit 13. Iulij anni currentis 1647. quemadmodum pleniùs continetur in actis eiuſdem reſerationis, mihi per tranſſumptum traditis ab ipſomet digniſſimo Præſule, memorabili occaſione, & loco proprio à me (ſi Deus votis aſpiret) referendis in ipſius Martyrologij commentariis die ſignato.

In actis Sancti Birini Epiſcopi Dorceſtrienſis in maiori Britannia, quò miſſus fuit ab Honorio primo, ſummo Pontifice anno 640. legitur fuiſſe cum apparatu Sacerdotali ſepultus, quo cum, & diu pòſt ſacrum eius corpus iacens in tumulo repertum fuit; inuentum enim fuiſſe memoratur apud Surium, die 3. Decembris ante plures annorum centurias corpus ipſum *integrum cum duplici ſtola, & infula rubra ex panno ſerico*, &c. His & aliis propè innumeris exemplis (quæ tædio Lectori forent) ſatis ſupérque patet ſericum in ſacris veſtibus Dei miniſtrorum, & Eccleſiæ Præſulum, ac Rectorum, iamdudum admiſſum fuiſſe; proinde tam licitè quàm decenter etiamnum vſurpari. Nihil in cultu Dei nimis ſplendidum aut pretioſum eſſe poteſt, quapropter in veſtitu priſci Pontificis applicabatur cum byſſo aurum & gemmæ: quæ ſuperſunt in Eccleſiarum ſacrariis inſignium Epiſcopalium, & ornamentorum Sacerdotalium veſtigia, laudabile maiorum in hoc ſtudium ſpectatum efficiunt; quo nomine Roberti ſanctæ memoriæ Francorum Regis meritò pietas commendatur, qui Conſtantini Imperatoris Baſilij filij regali dono ad ſe miſſam, tranſuectámque per Odolricum Epiſcopum Aurelianenſem, ab Hieroſolyma reducem, ingentem pannorum holoſericorum copiam, Eccleſiis ad altarium ornatum, & Sacerdotale decus diſtribuit, hoc in more habens vt quæcumque extruebat Sanctorum loca non modò locupletaret cenſu annuo, ſed ornatu tam aureorum, argenteorúmque vaſorum, quàm ſplendidiſſimorum veſtimentorum Eccleſiaſticorum decoraret, Adhelaidis piiſſimæ matris pio exemplo excitus, quam religioſo hoc enituiſſe ſtudio Helgaudus Monachus in vitæ ipſius Roberti Regis epitome his verbis commemorat; *Mater quoque eius ſupradicta Adhelaidis admiranda ſatis in ſancta deuotione Regina*, &c. *fecit ſancto Pontifici Martino caſulam auro operatam optimo, inter ſcapulas* (ſacrificatoris) *maieſtatem veri Pontificis continentem; Cherubim quoque atque Seraphim colla Dominatori omnium ſubmittentes, in pectore verò agnum Dei, noſtræ redemptionis hoſtiam: quatuor è regione præfigens animalia Dominum gloriæ adorantia. Fecit & eidem Beato Confeſſori cappam vnam intextam auro, duas verò ex argento. Speciali autem ſuo poſt Dominum amicorum amico, Beato videlicet Dionyſio, caſulam miro itidem opere factam contulit; cui & aliud, vt tantam decebat fœminam, ornamentum contexuit, quod vocatur Orbis terrarum, illi Caroli Calui* (quod ſcilicet ipſe ibidem dederat) *diſſimillimum.* Et infrà idem Auctor munificentiſſima dona eiuſdem Roberti Regis Eccleſiis Aurelianenſibus, ſignatim verò matrici Eccleſiæ ſanctæ Crucis collata referens, ſubiungit, *Nihilominus & dominum Odolricum Epiſcopum in Sacerdotali ornamento ſic honorauit, vt adſtans in ſacrificio Domini circumtectus ex omni parte auro, & purpura videretur.* Plura his

congeri poſſent conſimilia monimenta Regum noſtrorum munificæ pietatis, circa illuſtrationem Sacerdotalis apparatûs, & altarium, templorúmque decorationem; ſed hæc non patitur minutim iſto loco referre amica breuitas præſcriptáque materiæ quam tractauimus determinatio; ſufficit oſtendiſſe non modò ſericum, ſed & argentum, & aurum, & quicquid eſt vllo pretio vel decore exornandis ſacris veſtibus Sacerdotum, piè & decenter adhibere, tam Eccleſiæ quæ morem hunc iam pridem probauit iudicio, quàm conſtanti fidelium vſu, toto quo patet Chriſtiano orbe, paucis his quidem ſed inſignibus exemplis ſpectatiſſimo.

FINIS LIBRI SECVNDI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE
HABITV CLERICALI
LIBER III.
QVO, DE EIVS FORMA TRACTATVR.

CAPVT PRIMVM.

Clerici priuatam etiam veſtem, talarem eſſe debere.

SOLVS Ioſeph inter fratres, talarem habuiſſe tunicam perhibetur Geneſ. 37. *Iſraël enim* (ait ſacer contextus) *diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, fecítque ei tunicam polymitam;* Hebraïcè *Paſim*, id eſt, vt quidam exponunt, *tunicam talarem;* nec abs re, nam infrà legimus, *nudauerunt eum fratres eius tunica talari & polymita*. Sanè Eccleſia Chriſti, vna eſt familia, quam Apoſtolus aptiſſimè vocat *domum Dei viui, & columnam veritatis*. 1. Timoth. 3. Quot Chriſtiani in ea ſunt, tot filij; proinde omnes ſunt fratres, ſed inter eos pars quæ Clerus dicitur, eo quòd ſit vocata ſpecialiter in Domini ſortem, potiori gaudet parentis affectu, dilectionísque priuilegio ſingulari præeminet: cui ideò myſtici Ioſeph tenerior hæc allocutio competit, *Do tibi partem vnam extra fratres tuos*. Geneſ. 48. 22. multis certè nominibus Clerus populo præcellit; nec ferre poteſt præſtitutus à Spiritu Sancto pulcherrimus ordo Eccleſiæ, *vt ſit ſicut populus, ſic Sacerdos;* non nomine tantùm & officio, gradu & poteſtate; ſed & ipſo habitu Clerus à plebe (vt præmonſtrauimus) dignoſcitur: alia eſt, fuítque ſemper Clericalis veſtis à laïca. Differt ab ea pleriſque modis, colore, pretio, materia, forma; cuius primus character eſt quòd ſit talaris: cùm laïca ſemper breuior eſſe conſueuerit: quæ talaris veſtis, ſi ſit linea, Sacerdotij inſigne eſt. *In veſte poderis, quam Aaron habebat totus erat orbis terrarum*, Sap. 18. 28. vidit Ioannes Apoc. 1. *ſimilem filio hominis veſtitum podere*, hoc eſt, talari veſte, qua Sacerdotalis habitûs pars tritior atque potior eſt; vnde & apud Chriſtianos al-

ba, quæ linea eſt tunica talaris ante omnia alia veſtimenta aſſumitur, quæ huic ſuperimponi ſolent, tam à Leuitis & Sacerdotibus, quàm Epiſcopis: ſine hac enim nec tunica, nec dalmatica, nec caſula congruè geri poteſt; at ſola ſine aliis ornamentis etiam à minoribus Clericis non indecenter defertur, ſine qua priſci canones, nuperíque, illos non permittunt ſacris myſteriis intereſſe; ſed de hac non nobis eſt hîc ſermo, quæ à Clericis tam maioribus, quàm minoribus tantùm in diuino miniſterio geſtari debet, ſed de alia tunica talari, lanea ſcilicet, qua in priuata conuerſatione canones præcitati Clericos ad profeſſionis ſuæ indicium vti iubent, vt ex ſerie per ſæculorum excurſus ſuperiùs deductâ liquet.

Et verò hæc veſtis ab Hebræis originem duxit; quibus in more erat præter intimam tunicam ſeu ſubuculum, extimam deferre oblongam, cui pallium ſupereminebat; hinc zonarum vſus in illa gente ſolennis, quæ adhibebantur ne inter agendum, aut ambulandum nimiùm veſtis ipſa talaris deflueret, eſſétque motui, & operationi incommoda: hinc Angelum ſe præbuiſſe præcinctum, vt Tobiam filium in via comitaretur Scriptura memorat, Tob. 5. *Inuenit iuuenem ſplendidum, ſtantem præcinctum, & paratum ad ambulandum.* Hinc Chriſtus ipſe Apoſtolorum ſuorum ablaturus pedes *præcinxit ſe.* Et Angelus educturus Petrum de carcere Herodis, dixit ei; *Præcingere & circumda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me.* Ad quem morem Dominus ipſe alludendo ait diſcipulis ſuis, *ſint lumbi veſtri præcincti,* &c. Et ſanè Apoſtoli oblongâ tunicâ induti ſemper depinguntur, ac ita præcincti zona, pallióque ſuperinduti (huc collineat illud Sancti Hieronymi de S. Iacobo Apoſtolo, dicto fratre Domini, *Tanta erat eius vitæ ſanctitas, vt fimbriam veſtimenti eius certatim omnes cuperent attingere,* ſicut ipſius Chriſti, ſcilicet Marc. 6. & Luc. 3. fimbria autem eſt prælongæ veſtis extremitas:*) quorum antiquis picturis quantùm ſit auctoritatis deferendum, præclarè docet ac patenter oſtendit Petrus Damiani Cardinalis Oſtienſis Opuſcul. 35. quo ex profeſſo tractat de picturis principum Apoſtolorum, *Pro patribus* (iuxta diuinum oraculum Pſal. 44.) *nati ſunt Eccleſiæ filij, nam pro Apoſtolis, ad gloriam aſſumptis, dati ſunt Epiſcopi, Preſbyteri & ceteri Clerici:* horum eſt igitur Apoſtolos imitari tam in ſpiritu, actu, quàm habitu. Et verò quoad veſtem talarem ſpectat, Nicæni II. peremptoria eſt teſtificatio, à ſuperioribus temporibus omnem vitum Sacerdotalem conuerſatum fuiſſe cum honeſto habitu, can. 16. honeſta autem veſtis oblonga eſſe debet, qua conſulatur pudori, totius corporis caſto & decenti operimento: hinc filiæ Regum virgines apud ipſos Hebræos, vt legitur 2. Reg. 13. talari veſte vtebantur, quæ membra pudica caſtè & honeſtè velaret. Quo pacto diſtinguebantur etiam apud Romanos proſtibula ab honeſtis matronis; nam iſtæ tunicâ operiebantur, quæ ad talos vſque deſcenderet; ſcortorum verò, vt notat Ouidius lib. 3. Eleg. 3. erant tunicæ breues; in quas celebre illud dictum cadit Taciti lib. 2. *licentia ſtupri.* abhorret vehementer Chriſtiana religio ab omni impuritate, quamobrem eo ſacrificio nititur, in quo offertur (vt præclarè S. Ambroſius ſcribit) *virginitatis hoſtia:* hinc iniunctus noſtris Sacerdotibus perennis cælibatus, omnibus verò Clericis tot mo-

Ioan. 13. 4.
Act. 12. 8.
Luc. 12. 35.

* Incautè exſcriptor marginalem hác notatiunculam, in textum inuexit.

nitis commendata munditia, pudor, honeſtáque verecundia, quæ talari veſte optimè conciliatur.

Præterea pleræque ſunt myſticæ moraléſque rationes, quæ ipſa ſignificantur veſte Cleri polymita ſeu talari.

I. Pertingit enim vſque ad infimas myſtici corporis Eccleſiæ partes, quarum æquè ac ſummarum ſalutem, decúſque intento ſtudio procurare debet ordo Sacerdotalis, omníſque Cleri militia; *quemadmodum vnguentum in capite, quod deſcendit, non ſolùm in barbam Aaron, ſed in oram quoque veſtimenti eius, ſicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion.* Pſal. 132.

II. Talarem inſuper veſtem indicium eſſe exploratæ probitatis ac perfectæ iuſtitiæ, rectè Sanctus Gregorius docet ad verba illa Iob cap. 29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me quaſi veſtimento*; ſic enim ait lib. 19. Moral. cap. 16. *Veſtimento cùm veſtimur, ex omni parte circumdamur; ille ergo iuſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe vndique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit*; nam qui in quibuſdam actibus iuſtus eſt, in aliis iniuſtus, quaſi hoc latus cooperuit, illud nudauit; nec iam bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis prauis operibus inquinantur, iuxta illud Eccleſiaſtici 9. *qui in vno peccauerit, multa bona perdet*; & Iacobi 2. *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* Pulchrè igitur Eccleſiaſtici 27. Sapiens nos hortatur; *ſi ſequaris iuſtitiam* (quæ nexus eſt perfectionis, eſt enim virtus collectiua) *apprehendes illam, & indues quaſi poderem honoris.*

III. Eſt denique talaris tunica ſymbolum perſeuerantiæ, ſine qua viri Eccleſiaſtici grati Deo, & Eccleſiæ vtiles eſſe non poſſunt; ridetur enim
Luc. 14. 30. meritò in Euangelio imprudens ille architectus, *qui cœpit ædificare, & non potuit perficere*: eſſéque in Dei conſpectu odioſos, Angelus Sancto Furſeo pridem denunciauit, qui incipiunt tantùm opus Dei, & non perficiunt, ideóque notâ ignominioſâ, at iuſtâ ſuæ deſidiæ, *viri dimidij operis*, appellantur.

CAPVT II.

A militari habitu & ſpiritu, Clerici prohibentur.

DOLET admodùm, fértque grauiter omninò S. Bernardus ſui temporis Clericos, qui cùm non pugnarent vt milites, cauerèntque militaris loricæ pondus, militaris tamen ſuperbiæ faſtum æmularentur; à mulieribus enim mutuari mollitiem, balneum, gloriam, delicias, pelles rubricatas à collo pendentes; à militibus, equorum phaleras, & nobilem apparatum, lib. 3. de Conſid. ad Eugenium, & ſup. Pſal. 73. *Inde*, inquit, *aurum in ſellis, in frænis, in calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent*; ſerm. 73. ſup. Cant. & rurſus ad Eugenium: *Et nunc leua oculos tuos*, inquit, *& vide, ſi non æquè vt prius* (quàm ſcilicet in Concilio Rhemenſi canones contra eiuſmodi luxum Clericorum Apoſto-

lico

lico ſpiritu fulminâſſes) *pellicula diſcolor ſacrum ordinem diſcolorat, ſi non æquè vt priùs ſiſſura enormis inguina denudat; ſolent dicere, num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus? at forma hæc veſtium deformitatis mentium & morum indicium eſt. Quid ſibi vult quòd Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt; id quidem minùs caſtum minúſque ſyncerum; nempe habitu milites, quæſtu Clerici, actu neutrum exhibent*, l. 3. c. 5. vbi illos ait habitu ſe oſtentâſſe, vt milites, non eſt quod ſic accipias, vt ferro procederent induti; declinabant ſiquidem, vt antè notatum eſt, *loricæ pondus*, ſed quòd extra caſtra ſoleant viri pugnaces veſtium faſtu gloriari, pompaticéque incedere veſtitos, ſic & Clerici; non enim vererentur modeſtiæ ſui ordinis obliuiſci, at eo apparatu inter laïcos conuerſari præſumerent, qui non Clericis, ſed militibus vanâ gloriâ tumentibus ex veſtium ſplendore toto ambitu exquiſitus, conueniret. Vbi eſt rurſus quod aduertas, militis nomine ſanctum hunc Patrem non intelligere, gregalem quemvis armigerum, vel peditem, quales ſunt quos Gallicè, *ſoldats & gens de guerre*, vocitamus; ſed nobilem bellicoſum, equeſtris turmæ ductorem, vel alariæ turmæ præfectum, aut ſigniferum, aut equitem, quales ſunt qui paſſim *Cheualiers*, aut *Eſcuyers* dici ſolent. Sæculi illius & anteriorum, ſequentiúmque aliquot vſus fuit, vt primarij etiam nobiles, Dynaſtæ, Toparchæ, milites vocarentur, ſic miles Tercelinus ipſius Sancti Bernardi pater appellatur, eò quòd eſſet vir *antiquæ & legitimæ militiæ*, ait Willelmus Abbas, cap. 1. lib. 1. eius vitæ; hoc eſt vt ſuperiùs inſinuat, clarus & nobilis ortu ſecundum ſæculi dignitatem: & Petrus Bleſenſis Gaufridum (cuius piæ munificentiæ acceptam refert Bleſenſis Eccleſiæ inſtaurationem epiſt. 78. ad eiuſdem Eccleſiæ Decanum & Capitulum;) *militem* appellat, *ſanguine & animi generoſitate præclarum*; at nepotum cuiuſdam Archidiaconi ad quem ſcribit epiſt. 94. quamuis nobilium, faſtum ſuperbiámque acriter reprehendit: *Nepotum veſtrorum*, inquit, *militum faſtuoſam gloriam tolerare non poſſum.* Quos corruptos tamen dolet fuiſſe à commilitonibus, à quibus mores perditos contraxerant quos poſteà deſcribit: *Militaris hodie diſciplina* (inquit) *quam Vegetius, aliíque docuerunt prorſus euanuit, & ſe in quandam delinquendi libertatem, & ſcurrilitatis ſpeciem deformauit; olim ſe iuramenti vinculo milites obligabant, quòd ſtarent pro Republicæ ſtatu, quòd in acie non fugerent, & quòd vitæ propriæ vtilitatem publicam præhaberent; ſed & hodie tyrones enſes ſuos recipiunt de altari, vt profiteantur ſe filios Eccleſiæ, atque ad honorem Sacerdotij, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium accepiſſe. Porro res in contrarium verſa eſt, nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, ſtatim inſurgunt in Chriſtos Domini, & deſæuiunt in patrimonium Crucifixi; ſpoliant & deprædantur ſubiectos Chriſti pauperes, & miſerabiliter atque immiſericorditer affligunt miſeros, vt in doloribus alienis illicitos appetitus & extraordinarias impleant voluptates; qui contra inimicos crucis Chriſti vires ſuas exercere debuerant, potibus & ebrietatibus pugnant, vacant otio, marcent crapula, vitámque degenerem in immunditiis tranſigentes, nomen & officium militiæ dehoneſtant: nihil damnabilius eſt in milite quàm otium, per quod vſus armorum dediſcitur, nutritur puſillanimitas, vires fatiſcunt, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus*

Nota. Ritus creandi militem.

Degeneratio profeſſionis militaris graphicè depicta.

animus occupatur, &c. *Inutilis eſt omnino militiæ nutritus tenerè, & deliciis aſſuetus*, &c. *aptior autem qui laboris patiens, vmbræ negligens, balneorum neſcius, æquè ferens frigoris iniurias & caloris, rudis in cauſis, ſimplex in actibus* &c. *hodie in deliciis nutritur, & tota ad carnis delicias ſe relaxat philoſymbola noſtra, in cute curanda, plus æquo curioſa iuuentus; quod ſi milites noſtros in expeditionem prodire quandoque oporteat*, &c. *credas eos ire ad domũ conuiuij non ad bellum; clypeos deferũt optimè deauratos; prædam potiùs hoſtium cupientes, quàm tertamen ab hoſtibus, & eos referunt (vt ita loquar) virgines & intactos; bella tamen & conflictus equeſtres depingi faciunt in ſellis & clypeis, vt ſe quadam imaginaria viſione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi aut videre non audent.* Non ægrè ferebat Sanctus Bernardus, ſi militum ſtrenuorum animum, ardorem, laborem Clerici imitarentur; cùm militiæ ſit genus ipſa profeſſio Clericalis; ſed quòd genium & mores affectarent atque ſequerentur puſillanimium, inertiúmque militum, qui nihil ſpirant magis quàm quod minùs eis conuenit; detrectant ſiquidem armorum pondus, laboris æſtum, conflictûs periculum: at verò temporis otium, vitæ licentiam, deliciarum copiam, veſtium pompam effuſis affectibus affectantur. *Cùm cuncti ſtatus hominum* (inquit ſup. Pſal. 73.) *aliquid habeant laboris & aliquid voluptatis, Clerici inter hæc nouo quodam artificio diſcernentes totum quod delectat in quolibet elegerunt, & totum quod moleſtat reſpuerunt; à militibus acceperunt ſuperbiæ faſtum, amplam familiam, equorum phaleras & nobiles apparatus. Sed bene cauerunt militaris loricæ pondus*, &c. & alibi: *Miror cuius ordinis ſint noſtri Clerici, nam in congregatione temporalium ſe habent vt laïci, in apparatu nobili vt milites; ſed non laborant vt laïci, neque pugnant vt milites, neque euangelizant vt Clerici*, lib. 3. de Conſid. ad Eugenium cap. 5. Et in Pſal. 78. *Vnde Clericis exuberare exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis Eccleſiæ?* luxus enim Eccleſiaſticorum non in ſolo habitûs exceſſu, ſed ſupellectilis ornatu & epularum lautitia, alióque quovis apparatu ſumptuoſo, & ſuperfluo conſiſtit. Pridem dicebat S. Hieronymus de Clericis calamiſtratis ſplendidè veſtitis, accuratè expolitis, vnguentis delibutis, annulos auro & gemmis fulgidos digitis infixos oſtentantibus, *Tales cùm videris ſponſos dixeris, non Clericos.* Ita & eùm quos videris diſciplinæ impatientes, officij negligentes, otio deditos, deliciarum cupidos, inflatos ſpiritu, de Maiorum imaginibus iactabundos, voce elatos; ſuperbos inceſſu, veſtibus faſtuoſos: perſonatos milites dixetis, non Clericos. Nec enim verè dixeris milires, * quos palam eſt faſtum militum, non animum, non robur, exercitationémque imitari; ſtolam mutare baltheo, tunicam talarem paludamento, ſago rogam, librum enſe, ſtudium aucupio, diuinis præconiis clamoſam venationem, corollam precariam aleis & taxillis. Sed quid lectorem ampliùs moror? agitur hîc de habitu; milites etiam ſtrenui in hoc paſſim excedunt, imò vanæ gloriæ quo tument æſtu, omnis Chriſtianæ modeſtiæ tranſiliunt limites, materiæ potiſſimum pretiô, elegantiâ formæ, coloris ſplendore, artificij nouitate, ornatûs ſumptu & decore; ſi quis igitur Clericus hos affectet exceſſus, moréſque & genium militum eiuſmo-

*Nota pſeudo-Clerici genuinam effigiem.

di contendat æmulari; non Chriſti miles, ſed mundi ſeruus eſſe hoc ipſo euincetur: *Qui enim* (vt ait S. Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte c. 11. tom. 4. *immoderato cultu corporis atque veſtitu, vel cæterarum rerum nitore præfulget, facilè conuincitur rebus ipſis pomparum ſæculi eſſe ſectator.* Nec porrò ſequi quam ſuo Timotheo ſuadet & commendat didaſcalus or- 1. *Tim.* 1. 18.
bis Paulus, *bonam militiam*; ſed inanem militum huius ſæculi gloriam, ſtulto & infelici ambitu aucupari.

CAPVT III.

Arceri quoque Clericum ab omni laïcorum habitûs commercio.

LAICVS, factus Clericus, habitum mutare debet, can. *legem* diſt. 53. Clericus igitur veſtitum laïci minimè perferre poteſt; quamobrem Martinus V. ſummus Pontifex in conſtitutione *de vita & honeſtate Clericorum*, in Concilio Conſtantienſi, cui ipſe præerat, promulgata ſeſſ. 23. grauiter de hoc abuſu queritur, quòd Clerici contemptâ canonum diſciplinâ, laïcis conformari geſtirent ipſo in habitu, quibus prælucere deberent omni exemplo modeſtiæ, & veſtis ordini ſuo congruentis ſacríſque decretis præſcriptæ obſeruantiâ. *Inter cæteros* (inquit) *Prælatorum & Clericorum exceſſus, hoc maximè inoleuit, quod ſpretâ in veſtibus formâ Eccleſiaſticæ honeſtatis plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt laïcis conformari, quódque mente gerunt, habitu confitentur. Vnde præter cætera, quæ circa veſtes, tonſuram & habitus Clericorum, tam in formis, quàm in coloribus; atque comam ſeu capillos, vitámque & honeſtatem Clericorum iura ſtatuunt, quæ nimirum collapſa ſunt, tam in ſæcularibus quàm in regularibus: ſacro approbante Concilio decernimus penitus abolendum, quod in quibuſdam partibus nonnulli Clerici, & perſonæ Eccleſiaſticæ ſæculares & regulares, etiam quod magis execramur Eccleſiarum Prælati, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magna & ſumptuoſa ſuperfluitate veſtes etiam fiſſas retro, & in lateribus cum fodraturis vltra oram excedentibus etiam in fiſſuris deferunt, & cum talibus in Eccleſiis cum ſuperpelliceis ac aliis veſtibus, ad cultum & officium Eccleſiaſticum ordinatis etiam intra Eccleſias ipſas, in quibus beneficiati exiſtunt, non verentur diuinis officiis intereſſe. Hanc veſtium deformitatem in quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis reprobamus, ac vſum talium prohibemus. Contrarium autem facientes, vt tranſgreſſores canonum puniantur.* Plurima longè alia Pontificum decreta, & Conciliorum editas tam generalium ſanctiones ſuperiore libro recenſuimus contra Clericos & Prælatos laïcis geſtientes in habitu aſſimilari, & eorum ſe affectâtes ad morem & genium componere: quas hîc ideò ſuperfluum fore iterretextum arbitramur. Acerbè ſed meritò Saluianus in ſui temporis Clericos inuehitur, *lib. 5. de prouidentia*, qui ſub ſpecie religionis, vitiis ſæcularibus mancipantur, qui ſcilicet poſt veterum flagitiorum probra & crimina, titulô ſanctitatis ſibimet inſcriptô, non conuerſatione aliis, ſed profeſſio-

ne nomen tantùm demutauêre, (vt ſcilicet de laïcis non tam fierent, quàm dicerentur Clerici) non vitam; & ſummam diuini cultûs habitum magis quàm actum exiſtimantes, veſtem tantummodò exuêre, non mentem. Quid dicendum igitur putas de pleriſque huius noſtræ ætatis, qui nec habitum Clerici retinent, nec mores vmquam habuerùnt; at nomine ſolo Clerici, actu & habitu laïci ſunt, & quod propudioſum magis eſt, Clerici videri abhorrent, nihílque magis appetunt, quàm apparere vitæ ſæcularis licentiâ & veſtium nitore ac elegantia non vt laïci ſolùm, ſed (vt Ioannis Sariſberienſis vtar voculis) *curiales & aulici*. Propterea effusè Petrus Bleſenſis eiuſdem Ioannis ſynchronus, eiuſdem ſuæ ætatis vicem deplorat infelicem, epiſt. 57. his elegiacis modulis.

1.

Qui habet aures audiat,
Sub quanta mole criminum
Clerus laboret hodie,
Dum in Chriſto luxuriat;
Nec vult placare Dominum
Per fructus pœnitentiæ,
Sed differt, & induciat,
Falſéque ſibi ſomniat,
Sortis in caſu dubiæ,
Longum viuendi terminum.

2.

Ob nimiam mollitiem,
Sordéſque vitæ varias,
Nulli defertur ordini.
Trahuntur in perniciem,
Per partes & minutias,
Eccleſiarum termini.
Nec habet arca requiem,
Malchus in Chriſti faciem,
Iaſon in vaſa Domini,
Manus extendit impias.

3.

Irreuerenter confluunt
Omnes ad ſacrum ordinem;
Sed hominem hunc veterem
De toto nunquam exuunt;
Nec fœditatis diluunt
Antiquam turpitudinem;
Hi calicis dulcedinem
Dant in amaritudinem
Et in venenum aſpidis;
Ieſúmque magnum ſordidis
Veſtimentis induunt, & polluunt
Teſtamenti ſanguinem.

Et infrà;

Sed in nullo fructuoſa
Clericorum conditio,
Enormi torpet otio,
Profeſſus euangelium
Abit in viam gentium.
Erigimus Dagon in arcæ gloriam,
Aurique color optimus
Conuerſus eſt in ſcoriam.

Hæc aliáque plura nonnihil acriora Petrus Bleſenſis; qui dum queritur pleroſque Clericos *veterem hominem numquam exuere;* profectò ſpectat ad ritum Eccleſiaſticum, quo dum Epiſcopus tyrones creat Clericalis militiæ, his exutis veſte laïca, indit Clericalem, eos monet fore memores, exuuiarum ſæcularium depoſitione, Clericalis autem ſuſceptione habitus, inſinuari ipſos eſſe profeſſos *nouam vitam; expoliare* enim debere *veterem hominem cum actibus ſuis, & nouum induere qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.* Epheſ. 4. Mira res! quòd plerique Clerici nihil magis quàm in aduerſum nituntur, huic ſe conformantes ſæculo tam morum deprauatis affectibus, quàm vanitatis ſæcularis, ipſo in externo habitu, pudenda æmulatione. Nec aduertunt miſeri, ſeipſos maiori omni quæcum-

que alia ipſis contingere vſquam poſſit, afficere contumeliâ; cùm enim ſeſe exuunt Clericali habitu, vt veſtes induant ad mundi genium compoſitas, pœnam illam & dedecus ſibimet irrogant, quo ſcelerati Clerici ob ſua flagitia ſecundùm canones ritúſmque Eccleſiæ, plecti ſolent: cùm enim ob graue aliquod facinus Clericus quiſpiam degradatur, ſolenni more, expoliatur habitu Clericali, & laïco reſtituitur, dicente illi Epiſcopo; *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & noſtrâ, tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis ornatu*, &c. *& velut Clericalis profeſſionis indignum, redigimus te in ſeruitutem, & ignominiam habitus ac ſtatus ſæcularis.*

CAPVT IV.

Modum, figurámque veſtium, quibus laïci gloriantur, Clericis prohiberi.

CARTHAGINENSIS IV. Concilij c. 45. vt in Eccleſia celebris, ita inuiolabiliter vtinam abhinc fuiſſet obſeruatus! *Clericus profeſſionem ſuam, etiam habitu & inceſſu probet.* Non certè opus fuiſſet tot aliorum canonum fulminationibus, quibus ſubinde Concilia & Pontifices aduerſus Clericos *gloriantes in ſuperfluis & habitu peregrino, atque penitus indecenti*, ex omni Chriſtiani orbis parte, quaſi certatim intonuerunt: nec locus Sanctorum querimoniis fuiſſet, quibus coniunctis ſuſpiriis & lacrymis, hanc Clericalis ordinis vanitatem intimis ex præcordiis deplorârunt, quemadmodum ſpeciali inductione toto lib. 1. expreſſa redditur manifeſtum; in qua tamen omiſſum Tiburienſis Synodi (ſub Formoſo Papa, anno Chriſti 895.) canonem 27. ne excidat hîc, quia notatu dignus eſt, referendum cenſuimus; *Vt laïcalibus veſtimentis Clerici non vtantur, id eſt mantello, vel cotto, ſiue cappa, nec pretioſis vel ineptis calceamentis, & aliis nouitatum vanitatibus, ſed religioſo & decenti habitu induti incedant*, mantellum hîc eſt pallium, cottum pro ſago poſitum eſt. Nam & apud Maiores ſi quis indutus eſſet ſago militari, habere dicebatur *vne cotte d'armes*, quamuis nunc veſtem muliebrem, quæ à cinctura defluit ad talos, & toraci iungitur, laxioréſque, vt inceſſus ſit liberior, ſeſe dilatat in ſinus, etiam *cotte ou cottillon*, & eius ſuperior pars, *corps de cotte* apud nos vocitetur. Vetat igitur Clericis hoc Concilium, ſaga, ſeu pallia militaria, aut nimis breuia, quæ Gallica voce etiam *mantella* appellantur: at nunc nominis huius latior eſt acceptio, ſiquidem vulgare iam diſcrimen eſt inter longum & breue, dicimus *Celuy-là porte le manteau long; & celuy-cy le manteau court*, ſeu hic pallio incedit longo inſignis; iſte verò breui indui ſolet; & inualuit vſus vt Clericus notetur, qui breui pallio prodit in publicum amictus; at econtrà, ſi talari veſte, & pallio oblongo ſit indutus, eſſe dicitur in habitu decenti, *en habit decent*, hoc eſt ſuæ profeſſioni congruo. Porrò vt breuia & decurtata nimiùm indumenta prohibet Cleri-

Refertur à Burchardo lib. 2. c. 208. & 209.

cis præfata Synodus, ita eiſdem vetat plus æquo diffuſa & laxa nimis, ad morem & genium muliebris ſuppari & cullulæ, ſeu crocotulæ. Deni-que omnes omnino præcidit à Clerico non ſolùm faſtuoſos habitus, at quicquid etiam à laïcis vſurpatur nouitatis ac vanitatis geniô, ad quem ſi declinauerit Clericus, & ad ſæculum laïca conuerſatione redietit apo-ſtaſiæ notâ inuritur, & canonicæ fit obnoxius vindictæ. *Si poſtmodum*, (inquit illud Concilium in editis canonibus, can.27.) *relicto Clericatus ha-bitu à caſtris dominicis, quibus adſcriptus eſt, profugus & apoſtata elabitur, & ad ſæculum egreditur, ab Epiſcopo canonicè coërceatur, vt ad ſinum matris Ec-cleſiæ reuertatur: quòd ſi in hac indiſciplinatione perduret & comam nutriat, conſtringatur, vt iterum detondeatur, & poſteà nec vxorem accipiat, nec ſacrum ordinem attingat: ſi verò huius Sancti Concilij * reluctauerit definitioni ſecun-dum præſtitutam Calchedonenſis capituli conſtitutionem, anathematizetur.* *Ta-les S. Iſidorus hippocentauris dicit eſſe ſimiles, qui nec equi, nec homines, atque quaſi bruta animalia libertate ac deſiderio ſuo fruuntur.* Non leue certè eſt in Clerico hoc dedecus, vt id videri velit, quod non eſt, & vereatur quod eſt profiteri: non denegant laïci ſtatum ſuum, cur Clerici igitur ſuum ita dedignantur, vt habitu eſſe, & innuere quod ſunt gradu & ordine eru-beſcant? Tempora adeò fuêre circa mores corrupta paulò ante, & aliquá-diu poſt Chriſtianum millenarium, vt præ opum abundantiâ non modò Clerici, ſed etiam Monachi in luxum veſtium, & vſque ad proprij ſche-matis deſpectum abrepti fuiſſe reperiantur; qua de re extant apud S. Ber-nardum non leues querimoniæ: *In hoc* (inquit ſerm. 4. ſuper *Miſſus eſt*) *habitu non iam calor, ſed color requiritur, magiſque cultui veſtium quàm vir-tutum inſiſtitur. Pudet dicere; vincuntur in ſuo ſtudio mulierculæ, quando à Mo-nachis pretium affectatur in veſtibus, non neceſſitate, nec ſaltem forma religio-nis retenta; in habitu ornari, non armari appetunt Chriſti milites; qui dum ſe præparare ad prælium, & contra aëreas poteſtates prætendere paupertatis in-ſigne debuerant, quod vtique aduerſarij valde formidant; in mollitie veſti-mentorum, pacis potiùs prætendentes indicium vltro ſe hoſtibus ſine ſangui-ne tradunt inermes.* Carpit eumdem abuſum S. Bernardi ſynchronus Hu-go à S. Victore de inſtitutione Mon. c.*11.* ac vt reuocet viros præſertim re-gulares ad profeſſionis ſtudium, iis ita demùm conſulit; *Debent amatores religionis opere demonſtrare, quantùm ipſi terrena deſpiciant, non carnẽ quæ mo-ritura eſt, cultu ſuperſtitioſo excolere, ſed pompæ indumentorum, morum ornamen-ta anteferre, veſtimenta plus vilia quàm pretioſa, plus groſſa quàm ſubtilia, plus aſpera quàm mollia, plus fuſca quàm nitida, plus neglecta quàm accuratè compoſita.* Tametſi autem hæc commonefactio ad Clericos regulares, quos inſtruebat ipſe Hugo, ſpecialiter pertineat, ad Clericos etiam qui ſæcula-res nuſquam eſſe debent, ſed verè religioſi & Deum timentes, licèt non adſtricti votis, nec clauſtris incluſi, profectò extendi poteſt, quamuis e-nim in mundo verſentur, tamen de mundo eſſe ipſis non licet, ſed ſimiles eos eſſe decet marinis piſcibus, qui ſalſis aquis immerſi, nihil tamen ſalſu-ginis contrahunt, ſed æquè manent omni ſacrimoniæ expertes, ac ſi aquæ dulcis eſſent fluentis innati & innutriti. Non hinc longè abludit Tertull. ad fidelem quemque Chriſti cultorẽ parænesis, lib. de Corona militis, c.13.

* *reluctatus fuerit*

Ab ipſo incolatu Babylonis illius in Apocalypſi Joannis ſubmouemur nedum à ſuggeſtu. Coronatur & vulgus ex principalium proprietatum exultatione, nunc ex municipalium ſolennitatum proprietate, & eſt omnis publicæ lætitiæ captatrix. Sed tu peregrinus es mundi, ciuis ſupernæ Hierusalem. Noſter, inquit, municipatus eſt in cælis. Habes tuos cenſus, tuos faſtos; nihil tibi cum gaudiis ſæculi; imò contrarium debes; ſæculum enim gaudebit, vos verò lugebitis. Et infrà; *Quid tibi cum flore morituro* (& euanido otnarus ſplendore.) *Habes florem ex virga Ieſſe, ſuper quem tota diuini Spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarceſſibilem, ſempiternum, quem & bonus miles* (qui coronam geſtare in capîte, qua redimiti ſectarores gloriæ huius mundi rriumphando proceſſerant, vanitatis conremptu, veræque feliciraris deſiderio, recuſauerar) *eligendo in cæleſti dignatione, ordinatione profecit.* Murato nomine de nobis Cleticis, res ita geſta dictáque narratur. Rediit ferè Chriſtianorum vulgus ad priſca illa, exoſáque priſcis fidelibus mundanæ vaniratis præſtigia: vix enim apud Ethnicos olim magis luxuria & faſtus, quàm nunc regnat apud eos qui Chriſtiano cenſentur nomine, viguir. Quid hic facit Clerus? meminerir oporrear profeſſionis ſuæ; à qua impræſentiarum ſaltem id exigere licet, quod runc Terrullianus à vulgo Chriſtianorum ranto ardore pieraris, quanra vi rarionis depoſcebar.

Cæterùm minùs hîc præſtitiſſe quàm pollicitus fueram in huius libri titulo eſt fortaſſe quòd nonnullis videar; quandoquidem non ſolùm de mareria Clericalis habitûs, verùm eriam de forma eiuſdem diſſetere darâ operâ præſtirueram. De materia, fateor, dixi fuſiùs quàm de forma, ſed duplex rario in cauſa fuit; prior ſcilicer, quoniam forma veſtiendi huius ætatis hominum ira eſt varia, peregrina, & ſui diſſimilis proprer nouas varieraris arres quæ in dies ſuccreſcunt, vt difficile ſir de ipſa habitûs forma certos vllos modos præſcribere: altera, quia in quinto libro diſſertationis huius, quo habitus diſquiſitum ire ſtatuimus parres, ſigillarim erir de his & earum figuris, modíſque ex inſtiruto tractandum; eapropter curæ pretium mihi fuit iſto loco conrractiùs de his agere, quæ poſteà enucleatiùs, accuratiúſque exponere, res ſingulæ iure ſuo poſtulabunt.

FINIS LIBRI TERTII.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE HABITV CLERICALI LIBER IV.

QVI EST, DE COLORE HABITVS CLERICALIS.

PARS I.

De colorum vſu & delectu, in veſtibus, ornamentis, & ritibus Eccleſiaſticis.

CAPVT PRIMVM.

De colore in genere.

DE colore hîc agere eo modo quo Philoſophi, & humaniorum litterarum profeſſores diſſerunt ac diſceptant, non intendimus: quorum ſi quis hac de re placita ſcire velit, auſpicatò monemus vt Plinium conſulat lib. 3. naturalis hiſtoriæ cap. 6. Ariſtotelem in problematibus, ſect. 10. & lib. de coloribus toto, Plutarchum de placitis lib. 15. Cælium Rhodigin. antiquit. lib. 1. cap. 26. lib. 17. cap. 7. & lib. 26. cap. 16. Dandinum lib. 3. digreſſione 35. & lib. 2. de agonia; Marſilium Ficinum lib. 3. de vita cælitùs comparanda, Caſſaneum in catal. pag. 1. & pag. 12. Aquilonium de opticis lib. 1. Andream Alciatum Emblemate 117. & ibi Claudij Minois ſcholia, alióſque propè innumeros, apud quos de his peruium, & non inane extat promptuarium.

Certè hîc nihil attinet accuratè inſignium illorum auctorum ſcita de coloribus expendere, rationéſque minutim aſſignare & perſequi, quibus tractatores ſinguli pro tuenda ſententia innituntur; cùm hîc quæſtio non vertatur de eſſentia colorum, ſed de vſu; & ne quidem de qualicumque vſu, ſed dumtaxat de eo, qui rebus ſacris & ſacrorum miniſtris, non

tam

tam in ſacris attamen, quàm extra ſacra, dum priuatim agunt ex ſtata diſciplina Eccleſiæ Catholicæ conuenit. Verùm vt ſpecialis hæc ipſa nobis præſtituta tractatio fulcris ſuis non careat, ordinéque congruo progrediatur, paucis imprimis obſeruandum quid ſit color, denique obiter quæ ſint eius proprietates & effectus.

Color ſecundùm Ariſtotelem, eſt * *extremitas perſpicui in corpore terminato*, lib. de ſenſu & ſenſato; vel *paſſio corporis opaci, alteratiua viſus de potentia ad actum.* Secundùm S. Thomam, *eſt obiectum materiale viſus; nam formale eſt lumen.* 2.2. q. 1. 3. c. 1. q. 25. 1. c. Lumen autem facit vt color qui eſt viſibilis in potentia, fiat viſibilis in actu 1. p. q. 61. 3. 3. Pulchrè & præclarè id explicat Cardinalis Cuſanus in Compendio, c. 4. *Conſiderans*, inquit, *ſigna ſenſibilia, quomodo ab obiecto ad ſenſum perueniunt, reperiet res corporales ſplendeſcere actu, aut habitu, actu vt lucida: potentiâ vt colorata; neque aliqua res corporalis penitus eſt expers lucis aut coloris, qui ex luce eſt; non tamen color, niſi luce iuuetur, ſplendorem per viſum noſtrum perceptibilem de ſe mittit.* Et lib. 2. de coniecturis: *Color*, inquit, *eò magis eſt viſibilis, quò luci propinquior; vnde vti flamma, quia in lumine abſorpta per ſe viſibilis eſt, & in eius lumine** alterationes lucis, puta colores, intuemur: ita quidem ſunt conceptus in rationis lumine*, &c. rurſúmque adhuc ſublimiori acumine in libello aureo quem inſcripſit *de Dato Patris luminum* c. 2. *Lumen eſt*, inquit, *quædam forma vniuerſalis omnis eſſe viſibilis, ſcilicet omnis coloris: color enim eſt contracta receptio lucis, & non permiſcetur lux rebus, ſed recipitur deſcenſiuè, ſecundùm gradum aliquem deſcenſionis. Terminatio lucis in perſpicuo, eſt color, ſecundùm vnum modum ruber, ſecundùm alium cæſius; & omne eſſe coloris datur per lucem deſcendentem, vt lux ſit omne quod eſt in omnibus coloribus, cuius natura eſt ſeipſam puriter diffundere ex bonitate ſua. Et quamuis ſeipſam puriter communicando donet, tamen ex varia receptione deſcenſiua eius, varietas colorum exurgit. Nec eſt color lux, ſed eſt lux ſic recepta contractè. Et tali quidem ſimilitudine, vt ſe habet forma lucis ad formam colorum, ſic Deus lux infinita, vt forma vniuerſalis eſſendi, ſe habet ad formas creaturarum.*

Prætermittimus hoc altius philoſophandi genus, quod vir ille doctiſſimus vbi aliàs agit de luce & coloribus, de gratia & gratiæ chariſmatibus diuerſis, pulchrâ quadam ac ſubtili admodum analogiâ perſequitur, vt in lectoris tenuioris acuminis gratiam diſſertatiunculæ huius ſtylum, qui quò aliàs ſublimior, eò & obſcurior foret, temperemus; ſatis eſſe nos plurima quæ in laudem colorum dici poſſent, de eorum excellentia & miris effectibus, hîc paucis complecti. Nobiliſſima certè omnium accidentium ſunt colores, vt pote qui lucis filij, ſolis proſapia & cæleſtis naturæ: enimuerò nihil oculis gratius, nihil iucundius, nihil mirabilius; colores ſiquidem gemmas nobilitant, flores veſtiunt atque diſtinguunt; lapides & metalla inſigniunt & condecorant; colores auium plumas, ouium vellera, ferarum pelles, arborum fructus variant & commendant: colores tabulas, imagines, ſtatuas picturant & animare videntur; colores hominum formas & habitus non ſolùm diſtinguunt, ſed etiam illuſtrãt, facierum efformant ſpecies: colores ipſum cælum exornant; coloribus etiam Iris veſtitur, nubes induuntur. A colore dicitur ſol aureus, luna ar-

* τῷ διαφανοῦς ἐν σώματι ὡρισμένῳ πέρας.

** Nota. *Colores ſunt alterationes lucis, & receptio contracta lucis, & terminatio lucis in perſpicuo.* Vix enim à me ferri poteſt, qui ita ieiunè & inaniter colorem definiuit, vt diceret *colorem eſſe qualitatem in corpore viſibilem*; cur enim hoc de luce coloris fonte, non dixit? Vide lapidum & gemmarum hiſtoriam Anſelmi Boëtij l. 1. c. 15.

gentea, flammea ſydera; denique totum ipſius cæli corpus ab vno colore cæruleum appellatur. Quid quòd à ſpectatore regni cæleſtis, Dei thronus variis referatur pulcherrimis coloribus rutilans; ſupernáque tota ciuitas multiplici fulgida encauſti pigmento, variorum ſcilicet colorum ſplendore decorata. In vnam iridem omnium colorum ſpecies artifex diuinus congeſſit, quam ideò dum ſuſpicit ſapiens, ſtupefactus tanta pulcritudine, hanc erumpit in vocem Eccleſ. 43. *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum; valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo: gyrauit cælum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum*, qui nihil eo ſpecioſius inueniſſe viſus eſt, quo ſolium maieſtatis ſuæ ſedentis in ſplendoribus Sanctorum exornaret. qui conſpexit teſtatur Ioannes: *Ecce ſedes* (inquit Apoc. 4.) *poſita eſt in cælo, & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis, & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Altare Dei cùm floribus ornatum cerneret pridem Fortunatus, non modò odoribus fragrare, at varietate micare ſpecioſiſſima colorum, qui non tantùm prodire ex floribus, at per ipſos flores pugnare inuicem de decore videbantur pacifico conflictu, his ſuauiſſimis modulis occinebat lib. 8. carmine 9. ad Radegundem Reginam, de floribus Paſchali tempore ab ea ſuper altare poſitis,

Frigoris hiberni glacie conſtringitur orbis,
Totáque lux agri flore cadente perit.
Tempore vernali Dominus quo tartara vicit,
Surgit perfectis lætior herba comis.
Inde viri poſtes, & pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roſeo complet odore ſinum.
At vos non vobis, ſed Chriſto fertis odores,
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texiſtis variis altaria feſta coronis,
Pingitur vt filis floribus ara nouis.
Aureus ordo crocis, violis, hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus inde niuet.
Stat phraſino venetus, pugnant & flore colores,
Inque loco pacis herbida bella putes.
Hæc candore placet, rutilo micat illa decore;
Suauiùs hæc redolet; pulchriùs illa rubet.
Sic ſpecie varia florum ſibi germina certant,
Vt color hinc gemmas, thura reuincat odor.
Vos quoque quæ ſtruitis hæc Agnes cum Radegunde,
Floribus æternis veſter anhelet odor.

CAPVT II.

Romanam Rempublicam iamdudum de colorum præſtantia contendiſſe: in hácque certâſſe acies coloribus diſtinctas; quorum propria ſingulis ineſt ſignificatio.

ROMA totius orbis Regina quatuor in ludis aurigantium factiones habuit, diuerſis coloribus diſtinctas, & aduerſis pariter animis repugnantes. Vna erat viridis, quæ phraſina dicebatur, altera cærulea, quæ veneta nominabatur: addita eſt alba altera, quæ viridi; altera verò rubea, quæ cæruleæ adhærebat; quatuor hæ ſacratæ erant 4. elementis, & quatuor anni temporibus; viridis terræ & veri; cærulea aquæ & autumno; rubea igni & æſtati; alba aëri & hyemi. Exarſerunt ſummi ipſi principes in eiuſmodi plus æquo priuatis colorum affectibus propugnandis: Nero ſiquidem & Caligula viridi & albæ factionibus vſque adeò indulſerunt, vt eas probro ducere qui auderet nemo reperiretur: Vitellius aduerſa propenſione cæruleam & rubeam proſequebatur, adeóque veſano hoc pruritu deſipiebat, vt morte mulctaret eum, qui minutum iret iis commendationis quicquam: nec vetus dumtaxat Roma luſit in eiuſmodi deliriis; noua quæ plus æquo ſibi ſapiens ſemper viſa, in nugis eiuſmodi magis multò delirauit; ſiquidem Conſtantinopoli ex hac contentione tanta ac tam fœda coorta eſt animorum tempeſtas, vt triginta hominum millia funditus perirent; imò auctore Paulo Diacono, ab his colorum factionibus atrociſſimum illud ac ciuile bellum (quo aliud haud dici poſſit nequius) fuit excitatum, quod quidem vniuerſam penè plagam Orientalem in commune incendium atque excidium impulerit. Parum eſſet ſi Ethnici, puerili, at nihilominus furioſo æſtu eiuſmodi de coloribus decertâſſent: aliqui fuêre Chriſtiani adeò inſani & infelices, vt ipſos colores traduxerint in ſignum, & pignus capitalis inimicitiæ. Funeſta ſunt bella quæ Anglici narrant ſcriptores, in Britannia ipſa maiori exorta inter Domum Eboracenſem & Lancaſtrienſem de ſummo eius imperio confligentes, quarum aduerſa fuerunt inſignia, *Roſa candida, & rubea:* de quibus legendus Spondanus in continuatione Annalium Eccleſiaſticorum, ſub annum 1454. & 1491. De Gentilitiorum ſcutorum ſymbolis teſſeríſque militaribus latus hîc campus pateret diſſerendi, ſi præfixo ex inſtituto liceret; verùm lubens ab his abſtineo, quorum vſus vbique ſpectabilis, maximè in colorum varietate & differentia elucet, quibus nobilium familiæ auita non ſolùm ſtemmata & trophæa oſtentant, ſed & ab inuicem quaſi notis perſpicuis diſtinguuntur, plerumque non ſine contentione pro ipſorum inſignium, colorúmque & pigmentorum quibus ſcutarij ipſi typi adornantur, mutua dignitate atque præſtantia. nec in ſcutis modò eiuſmodi familiarum illuſtrium teſſerariis, at etiam in veſtibus hæc colorum pugna incaluit; honorarij enim Ephœbi teſ-

ſerarıam domini ſui veſtem paſſim præferunt, coloreeius proprio inſignem, ſymboliſque ſtemmaticis ab aliorum ſignis & hieroglyphicis diſtinctam; de quibus plerique hactenus tractauerunt, at non ita plenè atque accuratè ac tractari poſſet atque debuiſſet.

In Romana Republica celebris iampridem fuit colorum delectus; his enim pro arbitratu priuato promiſcuè vti omnibus fas non erat, ſecundùm dignitates etenim & varias ætates, colorum diuerſitas vſurpabatur. Pueris candidus color attributus erat; quibus cùm rogam virilem induerent, limbus ex purpura ad extremam oram attexebatur. Dignitates hoc etiam diſcrimine diſtinguebantur; Conſuli mera purpura; Prætori data minùs ſplendida, cæteris Magiſtratibus paulò fuſcior, quemadmódum Plutarchus in vita Antonij, & in Auguſto Suetonius litteris prodiderunt. Quid quod non hominibus tantùm, ſed libris quoque colorum adhibitus delectus tam apud Græcos, quàm Latinos, his vt indiciis materia de qua in ſingulis codicibus tractabatur, deſignaretur: ſic Athenæus obſeruat veteres in Bibliothecis celebrioribus ſoliros fuiſſe primum Homeri librum rubeo colore illinire propter cruentas concertationes quæ in eo narrantur: ſecundum verò colore viridi, cæruleo, auſterioréque phraſino, eo quòd eo libro pleræque deſcribantur arduæ periculoſæque nauigationes. Alciatus eleganter colorum vſus, ſingulorúmque proprias ſignificationes ab ipſis etiam veteribus obſeruatas deſignat emblemate 117. hac ſerie:

Index mæſtitiæ eſt pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu tumulis cùm damus inferias.
At ſynceri animi, & mentis ſtola candida puræ:
Hinc ſyndon ſacris linea grata viris.
Nos ſperare docet viridis: ſpes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retro cadit.
Eſt cupidis flauus color, eſt & amantibus aptus,
Et ſcortis, & queis ſpes ſua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus,
Indicit & pueros erubuiſſe pudor.
Cæruleus nautas, & qui cæleſtia vates
Attoniti nimiâ religione petunt.
Vilia ſunt giluis, natiuáque vellere burrhis;
Qualia lignipedes ſtragula habere ſolent.
Quem curæ vrgentes cruciant, vel zelus amoris,
Credidit hic fulua non malè veſte tegi.
Quiſquis ſorte ſua contentus ianthina geſtet,
Fortunæ æquanimis tædia quæque feret.
Vt varia eſt natura coloribus, inque gignendis,
Sic aliis aliud; ſed ſua cuique placent.

CAPVT III.

Eccleſiam tam militantem, quàm triumphantem colorum varietatibus oblectari: quo ſub lemmate perpulchra exhibetur Romani imperij cum Eccleſia Romana collatio, & huius cum ſuperna comparatio.

OPTATI Mileuitani inſigne pronunciatum eſt, lib.3.contra Parmenianum, *Rempublicam non eſſe in Eccleſia, ſed Eccleſiam in Republica:* non quòd hæc illâ potior ſit, vt plerique hoc memorabili pronunciato in vſum ſæculi abutentes, perperàm inde eliciunt; ſed quòd econtrà Eccleſia ſit Republicâ longè dignior atque præſtantior; ad quam vt circumferentia ad centrum, & medium ad finem ipſa Reſpublica referatur. Iuſtus Lipſius alter ætate noſtra Liuius, opus inſigne de magnitudine Romana, ſeu Romani Imperij, labente ſuperiori ſæculo contexuit quatuor diſtinctum libris; quibus copioſè & eleganter diſſerit, (lib. 1.) de ipſius Imperij amplitudine, prouinciis, finibus, copiis, præſidiis circa limites, ac in ipſa vrbe; de copiis in mari, aut fluminibus, de claſſibus variis, earúmque ſedibus, de coloniis, de multitudine Romanorum, & ratione adſciſcendi gentes aut transferendi. (lib. 2.) De priſcis populi Romani vectigalibus, decumis, quintis, ſcriptura, portoriis; de tributis & capitatione; de capitationis modo, & penſo vniuerſorum tributorum: de ærario militari: de metallis, & argenti, auri, aliarúmque rerum fodinis: de Byzantij Imperij opibus; de auro coronario & coronis: de impenſis publicis in militem, Magiſtratus, populum, & de frumentatione; de impenſis in ludum: de effuſis donis principum, maximè Iulij Cæſaris, Auguſti, aliorúmque primi nominis: de priuatorum aliquot opibus. (lib. 3.) Deinde vertens ſe ad opera agit primò de ligneis aut temporariis; ſubinde de diuturnis, & capite omnium Roma, de ſitu eius & magnitudine; de amplitudine ſuburbiorum & hominum in tota Romana multitudine: de ædificiis vrbis & eorum altitudine, decore, ornatu, ſignatim de templo Capitolino: de templo Panthei, Vrbis & Pacis: exhibet inſuper fora Romana deſcripta, & diſtinctè Romanum, Iulium, Auguſtum, Tranſitorium, Vlpium: túmque tractat de balneis, thermis & de roſtris breuiter; poſtmodum de ſtatuis & earum cuſtodela: de viarum magnis operibus, & nominatim de Appia: notat mira aquæductuum, quin etiam cloacarum: tandem agit de Traiani ponte in Danubio; de priuatorum hominum vrbanis aut ruſticis ædibus: ad ſummum concludit, nec famam potuiſſe adæquare multiplici ſuo ore aut lingua Romanam magnitudinem: ſe multò minùs potuiſſe hac indagine quantumvis elaborata: nihil enim in vna vrbe Romani Imperij ſede deſiderari potuiſſe ab hominibus, niſi immortalitatem: quapropter Hormiſdam Ducem regij Perſarum ſanguinis, interrogatum quid de Roma quam perluſtrârat, ſentiret? ſcitè & prudenter re-

ſpondiſſe, *Id tantùm ſibi in tanta magnitudine placuiſſe, quòd didiciſſet, ibi quoque homines mori.*

Ad imitationem tam præclari Lipſiani operis, eodem ferè exeunte ſæculo Thomas Stapletonius, auitæ fidei contra nouatores acerrimus aſſertor, polemicorúmque Theologorum ſui temporis ſummus apex, duos conſcripſit libros de verè admiranda magnitudine Romanæ Eccleſiæ: præfixóque lemmate de mundi imperiis quatuor, Chriſtíque regno (cui hæc omnia ceſſerint) eiúſque primaria ſede. Ex hoc fundamento diſſertationis ſuæ hoc elicit ac præſtituit argumentum, vnius Romanæ Eccleſiæ magnitudinem proprium filij Dei eſſe opus, eiúſque gloriam & maieſtatem demonſtret. Deinde ad particularia deſcendens indicia, agit c. 3. de Romanæ Eccleſiæ amplitudine. cap. 4. oſtendit Romanam Eccleſiam & Catholicam eandem eſſe. cap. 5. Promit quàm fuerit Romani Imperij periodus & duratio breuis. c. 6. Romanæ Eccleſiæ incorruptionem probat ac indicat ex eius fortitudine contra Ethnicas perſecutiones. c. 7. aduersùs perſecutiones hæreſeωn. c. 8. contra ſchiſma Græcorum & domeſticas cruces. tum c. 9. de eius poteſtatis differit plenitudine erga alias Eccleſias. lib. 2. cap. 1. tractat de eiuſdem Eccleſiæ poteſtate in orbis principes etiam creandos. c. 2. de eius ſtudio ad Reges conciliandos. c. 3. de ipſius Eccleſiæ poteſtate ad Reges Eccleſiæ noxios caſtigandos. cap. 4. demonſtrat quantùm Romana ipſa Eccleſia fuerit honorata ab orbis Monarchis. Poſt quas oſtenſiones explicare aggreditur c. 5. Romanæ eiuſdem Eccleſiæ operum magnitudinem, in conuerſione gentium. c. 6. in ſubigendis Chriſti legi mundi imperiis. c. 7. in fide Orientalis Eccleſiæ ſummô ſtudiô conſeruanda. c. 8. in Orientalis imperij dignitate multo cum ſudore defendenda. c. 9. Prætereà exponit eiuſdem Romanæ Eccleſiæ poſt euerſionem Orientalis Imperij, quanta fuerint contra Turcas opera & labores. c. 10. quàm ingens eius munificentia in pios toto orbe laborantes. c. 11. quanta fuerit erga proprios domeſticos. c. 12. in templorum ſumptuoſa ſtructura. c. 13. Ponit ob oculos ſplendorem, magnitudinem & maieſtatem ſupremæ ipſius Eccleſiæ ſacri Senatus; & Patrum eius conſcriptorum oſtendit eminentiam. c. 14. & vltimo, planè euincit ſalutem orbis ab hoc ſacro principatu pendere: tum paucis tam magna complexus breui eiuſmodi epilogo toti ſuæ diſſertationi finem imponit: *Et hæc quidem verè admiranda de Romanæ Eccleſiæ principatu compendiô dixerimus, quale quantúmque illius regnum ſit præ reliquis mundi regnis & imperiis ſufficienter cuique ob oculos poſuerim: aurea illa ſint, argentea, ænea, ferrea; terrena tamen ſunt ac caduca omnia, ideóque ſuæ potentiæ modum habentia, ſuis concluſa limitibus, ſuis temporibus definita; hoc verò noſtrum ortus ſui principium in Deum ipſum auctorem refert, ab eo ſuſcitatum, ſuper petram ædificatum: poteſtas huius, poteſtas diuina, cæleſtis, claues regni cælorum ſortita, poteſtas æternaqua non auferetur, & cuius regnum non corrumpetur; ventorum turbines ac tempeſtatum omnium procellas immota exceptans; langueſcunt itaque alia illa omnia, ſenſímque deficiunt; regnum verò hoc regnum omnium ſæculorum eſt, & dominatio eius in omni generatione & generationem. Nec mirum cùm hæc poteſtas ab ipſo Chriſto ſit; qui aſcendens in cælum apertè profitetur, ſibi datam*

à patre omnem poteſtatem in cœlo & in terra.

Sed præter hanc Eccleſiam viſibilem toto orbe diffuſam, cuius Romana caput eſt matrix & radix: alia eſt inuiſibilis, ſuperna, æterna, in qua rex gloriæ Chriſtus ad dextram virtutis Dei ſedens in cæleſtibus, ſuper omnem principatum & poteſtatem in ſplendoribus Sanctorum regnat *in omnibus primatum tenens* *, ſicut in ipſo conſtant omnia, qui caput eſt corporis non modò Eccleſiæ militantis, quam per ſucceſſorem vicarium ſui in oues amoris, ſemper & vbique paſcit & gubernat: ſed & triumphantis, quam per ſe, ſedens in maieſtate regnis in cæleſtibus regit & illuſtrat; de qua ait ad fideles actu pugnantes, fide beatos, Apoſtolus Heb. 12. *Acceſſiſtis ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cœlis.* Habet inferior cum illa cæleſti eundem vitæ ſpiritum, idem caput, & licèt minor amplitudine, decore, ſplendore, muneribus & donis inferior: tamen eximiam cum illa in ordine & regimine ſtatúſque monarchici forma habet ſimilitudinem ac conformitatem. De qua diuinitùs inditâ ipſi cum cæleſti conuenientiâ, theodidactus Bernardus memoriæ digna verba hæc, gratiæ lumen plenum ſpirantia, ad Eugenium ſcribit de Conſiderat. lib. 3. c. 4. quo ipſius militantis Eccleſiæ ex ipſa cum triumphanti conformitate præcipuam elicit excellentiam; *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terra eſt, exemplar habet è cælo; neque enim filius facere poterit quicquam, niſi quæ viderit patrem facientem; præſertim cùm ei ſub Moyſi nomine dictum ſit; vide omnia facias ſecundùm exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt: viderat hoc qui dicebat, vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo à Deo paratam. Ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic Seraphim & Cherubim, & cæteri quique vſque ad Angelos & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo; ita hîc quoque ſub vno ſummo Pontifice, primates vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Preſbyteri, vel Abbates, & reliqui in hunc modum. non eſt paruipendendum, quòd & Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem.* Plurimæ ſunt autem aliæ analogiæ, quibus militans hæc Eccleſia cum ea quæ triumphum agit in cælis, regnátque cum Chriſto, aſſimilatur; quas cæleſti penicillo expreſſas edidit ſpectatoris ipſius triumphantis Eccleſiæ nobilis diſcipulus Apoſtolicus vir Dionyſius, in diuinis ſuis libris *de Eccleſiaſt. & cæleſti Hierarchia.* Sed tamen inter tot affinitatum inſignia, pleraq; diſſimilitudinis quæ differentiam ſtatus huius, & illius Eccleſiæ ſpectant, rationes intercedunt, quas aquila Patrũ Auguſtinus breui hoc compendio (quo ambas Eccleſias ſub duarum vitarum proprietatibus exponit) complexus eſt, tract. 124. in Ioannem poſt med. *Vna eſt,* inquit, *in fide, altera in ſpecie; vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis; vna in labore, altera in requie; vna in via, altera in patria; vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis; vna declinat à malo, & facit bonum: altera nullum habet à quo declinet malum, & magnum habet quo perfruatur bonum: vna cum hoſte pugnat, altera ſine hoſte regnat; vna ſubuenit indigenti, altera ibi eſt vbi nullum inuenit indigentem; vna flagellatur malis, ne extollatur in bonis; altera tanta plenitudine gratiæ caret omni*

* Col. 1.

Ioan. 5.

Exod. 25.

Apoc. 21.

malo, vt ſine vlla tentatione ſuperbiæ adhæreat ſummo bono.

Condonet, quæſo, mihi benignus Lector hoc πάρεργον. Occurrunt in bonis auctoribus alia paſſim, quibus libens non vtor. digreſſum me fateor nonnihil à recto huius præcapitulationis tramite, ſed non ita diſſitè tamen, vt non peruius ſit rectam in viam tedirus: hunc ab his verbis diuini Pſalmiſtæ aggredior, *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, Pſal. 44. 10. Inquirere hîc primùm oportet quænam ſit illa regina? nam de rege conuenit apud omnes Chriſtum hunc eſſe. Caietanus pleroſque ſecutus magni nominis viros & inſignes interpretes, Eccleſiá militantem hanc eſſe arbitratur, fauétque præfixum verbum, nam *aſtare*, vt pugnans, non vt triumphans, aut adhuc conregnans, *aſſidere* dicitur. Cæterùm mauult Euſebius Eccleſiam triumphantem hîc intelligi, quæ regina ideò dicatur, quòd iam regnet cum ſponſo ſuo: cui ſententiæ id etiam ſuffragatur, quod eſſe dicatur in dextris regis, vbi electi, & glorificati (in ſcriptura) collocari ſolent. Locum puto eſſe ancipitem, & de vtraque Eccleſia tam pugnante quàm triumphante poſſe commodè, & ſine vlla textus violentia explicari. Quo axiomate poſito, quæ verba ſequuntur, *in veſtitu deaurato, circumdata varietate*, arduum non eſt in rem quæ vertitur inflectere. *In veſtitu deaurato*, id eſt ſplendido & fulgidè colorato, nam aurum in ſcripturis ſumitur etiam pro eximio colore, ideóque Thren. 4. 1. *mutatus dicitur color optimus*, veſtis tamen reginæ huius dicitur deaurata, id eſt auro texta, & vndique aureo fulgore rutilans, *circumdata varietate*, id eſt inſertis filis ſericis diſcoloribus, floribúſque ſpecioſiſſimis circumſperſis.

Triumphantem in cælis Eccleſiam aſſiſtentémque Chriſto à dextris eius in veſtitu deaurato, coruſco, varietate gratiſſima decorato, ſpecioſiſſimam apparere Caſſiodorus ait in Angelorum diſtinctis ordinibus diuerſiſque Sanctorum beatorum choris, variis meritis & præmiis micantibus; fulgere auro, argento, gemmis, cocco, purpura. Auro, ſplendore ſcilicet Apoſtolorum; argento, prophetarum: gemmis, virginum; cocco, martyrum; purpura pœnitentium: addi poteſt varietate inſuper eamdem eſſe inſignem, non modò *in ſplendoribus Sanctorum*, qui differunt ab
1. Cor. 15. inuicem eadem in gloria, ſicut in eodem firmamento *ſtella differt à ſtella in claritate*, ſed longè magis in ipſius diuinitatis admirabili maieſtate & gloria, poteſtate, ſapientia, iuſtitia, bonitate, doníſque quæ influit in Angelos, & electos multiplicis gratiæ, luminibus gloriæ, præmiis iuſtitiæ, &c.

Porrò militantem Eccleſiam itidem eſſe circumdatam varietate: cùm vna enim ſit vniuerſalis, plurimæ ſunt particulares Eccleſiæ. Eadem verò vna, ſancta, Catholica, Eccleſia ſpecioſiſſima varietate præſtat, quaſi diſcoloribus induta veſtibus, & *tincta* (Iob 28.) *Indiæ coloribus*; varietate, inquam, quia etſi indiſſolubiliter vnita, mirabiliter nihilominus variegata fulget diuerſitate rituum & cæremoniarum, graduum, ſtatuum, dogmatum, Sacramentorum, meritorum, præmiorum; locorum, perſonarum, ætatum, officiorum, dignitatum, linguarum, morum, miraculorum, & multiplicium donorum, & chariſmatum atque virtutum.

Vnicui-

Vnicuique enim datur manifeſtatio ſpiritus (ait Apoſtolus 1. Cor. 12.) *ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutum; alij prophetia; alij diſcretio ſpirituum; alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum: hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult.*

De varietate partium myſtici corpotis Eccleſiæ cuius caput eſt Chriſtus, Sanctus Bernardus ex eodem Apoſtolo vnitate compactam mirabilem hanc diuerſitatem exponit lib. 3. de Conſiderat. ad Eugenium cap. 4. *Atque hoc corpus*, inquit, *quod tibi ipſe Paulus ſuo verè Apoſtolico figurans eloquio, & capiti conuenientiſſimè aptans totum ex eo compactum perhibet, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundùm operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri, argumentum corporis faciens, in ædificationem ſui, in charitate*; quæ ſcilicet eſt coccus & purpura Eccleſiæ; fides byſſus, ſpes hyacinthus, caſtitas argentum, deuotio aurum, &c.

Sunt qui cenſeant variegari Eccleſiam ipſo in veſtitu, diuerſis videlicet indumenti partibus, enimuerò Chriſtum auteum eius eſſe paludamentum; ornamenta aurium prædicatores; cingulum virgines, & religioſos arctioris vitæ legibus adſtrictos; armillas, ſacrorum dogmatum & rituum expoſitores; calceos, laïcos coniugatos; coronam Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes, &c. addito ipſam variis inſignium rerum titulis in ſcriptuta diuina prædicari: dicitur enim *pulcra vt luna, electa vt ſol, terribiles vt caſtrorum acies ordinata; domus, ciuitas & regnum Dei, columna & firmamentum veritatis, &c.* *Cantic. 6. 9.*

CAPVT IV.

Colores, ornatus Eccleſiæ triumphantis, gemmis & pretioſis lapidibus inſitos eſſe: militantis inhærere floribus.

QVOSDAM colores eſſe factitios, quoſdam verò natiuos experientia docet. de artificioſis ſiue factitiis, ij omnes, qui de tinctura & pictura tractauerunt datâ operâ diſſeruère: qui de natiuis verò, illi qui de gemmis & floribus. Ego verò ex inſtituto hîc nō aggredior de ipſa colorum origine & natura loqui, ſed dumtaxat de eorum vſu & ſignificatione: & ne de iis quidem generatim & profusè, ſed ſtrictim & quantùm ſpectare poteſt ad materiæ rationem quam ediſſerendam ſuſcepimus. Superiori capite igitur inſinuauimus vtramque Eccleſiam tam ſupernam, quàm quæ in terris verſatur, coloribus oblectari, horúmque decorari inſignibus: hîc verò interponendum eſſe reor diſcrimen: ſcrutanti ſiquidem mihi ſcripturas, exploratum euaſit, vtramque Eccleſiam natiuis quidem nitere coloribus, factitiis ſeu artificioſis neglectis (quoniam Deo quicquid fucatum, gratum eſſe non poteſt.) Sed verò triumphantem præferre ſuorum colorum decus in gemmis: militantem in floribus, propria vtrinque ratione.

Obicem mihi ipſo in diſſertatiunculæ huius aditu ponere videtur *Beda venerabilis*, qui ſerm. 18. *de Sanctis*, trophæis regnantis in cælo Eccleſiæ flores aſſignat; *O verè*, inquit, *beata mater Eccleſia, quam hic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, quam inuiolatæ confeſſionis candida induit virginitas. Floribus eius nec roſæ, nec lilia deſunt, certent nunc ſinguli ad vtroſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas.* Et ne de militanti Eccleſia hæc dixiſſe videretur, continuò hæc ſubiungit verba, quibus apertè indicat ſe de triumphante loqui; *in cæleſtibus caſtris*, inquit, *pax & acies habent flores ſuos, quibus milites iſti coronantur.* Verùm cùm vas electionis Paulus aſſerat neminem eo in regno iri coronatum, niſi qui legitimè certauerit; Princeps verò Apoſtolorum Petrus fideles bene functos officio à Chriſto gloriæ Rege, & paſtorum principe recepturos demùm polliceatur *immarceſſibilem coronam* 1. epiſt. 5. hinc, hercle, fit perſpicuum eam non fore contexendam ex floribus, qui nimirum marceſcant & deficiant, at ex gemmis; quæ quòd ſolidæ ſint, innatum conſtanter decus retinent, & viuido ſemper ſplendore fulgores internos radiis erumpentibus, in intuentium oculos eiaculantur. quamobrem diuinus Pſalmographus disertè ait, diuinæ militiæ athletas à cæleſti munerario inſi-
Pſal. 20. 4. gniendos eſſe *corona de lapide pretioſo;* non caduco, labili & fugitiuo ſplendore, quali micant roſæ, quæ citò flaccentes tabeſiunt; hinc illud impiorum Sap. 2. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant, vbique relinquamus ſigna lætitiæ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors, vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reuerſio finis noſtri:* ſicut nec roſæ, cùm emarcuit & decidit.

ARTICVLVS I.

De gemmis & coloribus Eccleſiæ triumphantis.

AT verò in Paradiſo, non eſt florum ſed gemmarum ornatus; quamobrem Propheta Ezechiel improperans Lucifero, inclyto dudùm Angelorum cæleſtium principi, lapſum ſtupendum, infelicémque vicem poſt peccatum; *Tu* (inquit c. 28.) *ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti; omnis lapis pretioſus operimentum tuum; ſardius, topaſius & iaſpis, chryſolitus & onix, & beryllus, ſaphirus & carbunculus & ſmaragdus; aurum opus decoris tui,* &c. *tu Cherub extentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei; in medio lapidum ignitorum ambulâſti; perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te.* Bone Deus! quæ decora, quæ dona, quæ lumina in his inſita ſunt ac parent lapidibus pretioſis! *Sardius* prima eſt gemma, ſubinde impoſita iuſſu Dei rationali Aaron ſummi Sacerdotis, éſtque idem ac rubinus à ſanguineo quem refert rubicundo colore, quo tamen non oculos perſtringit, ſed acuit & roborat. *Topaſius* gemma eſt naturæ ſolaris, cuius ſpeciem aliquando refert aureo ſuo colore: ideóque vt ſol & aurum vitalis inſitum habet fomentum facultatis, ſitímque mitigat, & humidum naturale conſeruat. *Iaſpis* recipit omne genus coloris, quorum ratione diuerſas facultates habet; ſúntque etiam ia-

ſpides qui crucem ſignaculum Domini gerũt impreſſam, fluxum ſanguinis ſiſtunt, veneníque elidunt vires. *Chryſolitus* aureo colore per viridem fulget, noctúque lucet, mitigat iram, fugat mœrorem, excitat lætitiam, morbíſque medetur pleriſque, ſi pulueriſatus admiſceatur vino. *Onix* gemma eſt variis coloribus tincta, albedine nimirum cum fuſco, flauo, lacteo, ſubcæruleo corneóque colore miram varietatem oſtentat, éſtque lapidis huius ſpecies quæ nigredinem præfert albedini intermixtam: ſed quæ ſubcæruleo plus abundat, cæteris præſtat pretio & decore, ſigillis apta & globulis, qui oculo impoſiti puluerulenta, & quæuis alia quæ in oculum inciderunt, ſi hinc inde voluantur, vnà ſecum educunt; igneæ eſt gemma hæc virtutis, ignem enim ex ea excuti, vt ex cote aiunt, ac affrictu ita calefieri, vt ſcintillas euibret. *Berillus* gemma eſt quæ aquæ marinæ colorem refert ex viridi cæruleum, aureos emittens radios, aut ex auro ſcintillas. Fauet hepati iſte lapis, oculorúmque pupillis, quarum & contuſiones minuit, & inflammationes mitigat; inſuper acuendo ingenio prodeſt. *Saphirus* affinis adamanti, gemma eſt pellucida & diaphana, cæruleo vt plurimùm colore; quæ cæruleo colore maris nomen habet, quæ albido fœminæ, magíſque adamanti ſimilis, adeò vt ſi auro includatur vix poſſit dignoſci niſi à perito Gemmario: ideóque vices adamantis ſupplet in ornatu; fluxum hepatis cohibet, cor lætificat & corroborat, cardiacos & melancholicos affectus quoſvis lenit, venenúmque pellit, aliáſque vires medicas habet, quas S. Hieronymus ad c. 19. Ezechielis obſeruat. Oleum ex hoc lapide diſſoluto elici ſolet, quod Chimici eximio eſſe medicamento aduersùs morbos pleroſque graues affirmant. myſticus eſt admodum lapis iſte, & in ſcripturis ſacris in bonum ſignificatum ſemper & vbique inductus; ſempérque acceptus apud Deum, & celebris vſus apud Pontifices; S. Epiphanius memoriæ prodit viſionem quæ Moyſi in monte apparuit, ſaphirino colore fuiſſe ſpectabilem: legem verò quam tunc accepit, in ſaphiro fuiſſe expreſſam; quæ gemma etiamnum eo in pretio eſt, vt poſt adamantem, rubinum, & vnionem quartum obtineat locum. *Carbunculus* gemma eſt quoque illuſtris nominis & ingentis famæ; qui quòd tãti feratur eſſe fulgoris, vt in tenebris inſtar carbonis luceat, inde pyropus à veteribus dictus fuit, ſeu anthrax. variæ ſunt lapidis huius ſpecies, ſunt enim ſirtitę dicti, pinnato fulgore radiantes. carcedonij nigriores aſpectu, ſed qui igne vel ſole excitati purpurei videntur, & flammas contra radios ſolis ſcintillant, atque ſtellulas intus habent ardentes, ſi maſculi ſint: nam fœminei pallidiores ſunt, & maculis albis nitentes; ſunt qui aureis guttis rutilant & ſtellas imitantur. Denique *Smaragdus* in Angeli ornatu cenſetur, quo lapide inter virentes gemmas nullus præſtantior, elegantior & aſpectu iucundior; grato enim ſuo virore (vnde & phraſini tulit quoque nomen) oculorum aciem ita demulcet, animúmque ita recreat, vt herbarum omnium, viridariorúmque amœnitatem longè ſuperet: bonitas huius gemmæ inde exploratur ſi ſoli expoſita viriditatem retineat, nulláque labe vel nubecula offuſcetur: valet contra animalium morſus, & aduerſus epilepſiam. caſtitatis eſt hieroglyphicum, quòd venereos actus illegitimos non fe-

rat, ac ſi peragantur, in pattes diſſiliat. Atque hi ſunt nouem lapides pretioſi, quibus *Cherub ille extentus & protegens* ornarus fuiſſe dicitur ante
*c.28. verſ.14. lapſum ab Ezechiele Propheta. *Cùm enim ſint nouem Angelorum ordines, Luciférque omnium princeps eſſet, quia omnibus ſingulari pulcritudine ac dignitatis honote præeminebat, nouem his lapidibus quibus ſingulotum cælicorum decor ac gloria deſignatur, fuiſſe memoratur opertus; ambulaſſéque dicitur *in medio lapidum ignitorum*, id eſt tot ſplendoribus circumſeptorum ac rutilantium, quot gemmæ iſtæ inſitos ferunt colores, inſitáſque ſibi vires includunt; tametſi enim matetialis hic ornatus in cælo empyreo locum non habeat, cùm beata illa ciuitas,
Apoc. 22. 5. (ait ſpeculator eius Ioannes) non indigeat lumine lunæ neque ſolis; quandoquidem eius lucerna, lampas, ſol & luna, ſit agnus: nihilominus & gemmarum ſplendores, & colotes hanc illuſtrare dicuntur; eo quòd res ipſæ pet hæc ſymbola ſignificatæ, putà virtutes, dotes gloriæ, &c. inibi repetiátur. Sed hîc Rabbi Dauidis excidere nobis nõ debet ſolertia, qui myſticum locum non intelligens, cùm ſub typo Regis Tyri, Lucifer ille arcanis ipſis phraſibus deſignetur, tanquam ad præcipuum ſenſum, referens textum ad littetam, obſeruandum monet Regem Tyri auro & gemmis ſupet omnes principes abundantem iis noctu vſum ad lumen loco candelarum; quod quàm friuolum ſit, & figmentis dignum rabbinicis verbis non eſt opus exprimere. Sagaciùs ait R. Iona ambulâſſe dæmonem reproborum coryphæum intet lapides ignitos, id eſt Seraphim igneos, nunc verò eſſe globis igneis in inferno inuolutum. Ad quem ſenſum accedit Sanctus Gregorius lib. 32. Moral. cap. 18. aliàs 25. *Diabolus in medio* (inquit) *lapidum ignitorum ambulauit, quia inter Angelorum corda charitatis igne ſuccenſa clarus gloria conditionis extitit. Quidnamque non habuit, qui ſignaculum ſimilitudinis Dei fuit?* ſenſum hunc legitimum eſſe non inficiot; verùm alius mihi patet non contemnendus eiuſdem loci intellectus.

Honoratior locus Angeli, eſt altare Dei, tam in terra, (nam *Angelus apparuit Zachariæ, ſtans à dextris altaris incenſi*, Luc. 1.) quàm in cælo, iuxta illud Apoc. 7. *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum Dei.* Porrò altare Dei quod eſt anre thronum eius maieſtatis & gloriæ, carbonibus repletum eſt igniferis. Vnde Ioannes in ſua Apocalypſi cap. 8. *Accepit Angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris;* cui loco affinis eſt ille Iſaiæ cap. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari: & tetigit os meum, & dixit, tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Vbi Latina habet vulgata edirio *calculus*, Hebr. habet *ritſpa*, Græca ἄνθραξ; Sanctus Hieronymus vertit calculum, id eſt lapillum ſiue gemmam; aſſentiuntur Aquila, Theodotion, Symmachus & Septuaginta qui vertunt ἄνθρακα, quod & carbunculum ſignificat & carbonem; præfatúſque maximus Eccleſiæ Doctor, & ſcripturæ interpres Hieronymus epiſt. 43. ad Damaſum, calculum hunc interpretatur carbunculum, qui gemma eſt

flammeo & igneo rutilans colore, aítque altare Dei plenum eſſe eiuſmodi carbunculis; vnde ſenſus patet quo dicitur Lucifer ante lapſum in medio lapidum ignitorum ambulâſſe, id eſt adſtitiſſe throno Dei, fuiſſe propealtare, inceſſiſſe quaſi miniſtrum honorabilem in medio carbunculorum quibus altare ipſum ornatur, feruet, & coruſcat.

Cornelius recens, at doctus Ezechielis interpres, hîc non indignus eſt qui audiatur; *Dico vtrumque* (inquit) *eſſe verum, ſcilicet & calculum (quem ſumptum ex altari admouit Seraphim labiis Iſaiæ) hunc fuiſſe prunam accenſam, & fuiſſe calculum ſiue carbunculum; nam in cæleſti templo & altari vbi hæc vidit Iſaias, omnia pretioſa ſunt, æterna & cæleſtia; ergo carbones eius non ſunt lignei, ſed lapidei, vt ſemper durent. Imò gemmei, quia tales decent Deum; ignis ergo ille nutritur pyropis & carbunculis, carbunculus enim præ omnibus gemmis pretioſiſſimus eſt, nam carbunculus qui ponderat vnam drachmam, ſexaginta millium aureorum æſtimatur, id eſt plus quàm adamantes quatuor eiuſdem ponderis. Et licèt noſter carbunculus ignem noſtrum terreſtrem reſpuat, ita vt ignis eum calefacere non poſſit, vti docent Plinius & Ariſtoteles,*&c.*tamen cæleſtis ille carbunculus cæleſtem illum Dei ignem facilè ſuſcipit. Huic ſententiæ fauet Eccleſia, quæ oratione in ſacro;* Deus qui labia Iſaiæ calculo mundâſti ignito. *Fuit ergo calculus, ſed ignitus.*

Porrò, vt in cælo, altaríque, quod eſt ante thronum Dei, carbunculi, pyropi, gemmæ ſunt; ſic & alij plerique omnes lapides pretioſi: his enim ornari & Dei ſedem, & ciuitatem illam ſupernam, ſponſámque ipſam agni rediuiui, & triumphantis ſpeculator regni cæleſtis paſſim in ſua Apocalypſi inſinuat.

De ſede & Rege cap. 4. *Statim fui* (inquit) *in ſpiritu, & ecce ſedes poſita erat in cælo, & ſuper ſedem ſedens, & ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis, & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ,* &c. *& in conſpectu ſedis tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo.* Cryſtallus apta eſt ſpeculis, & beatitudo conſiſtit in viſione diuina, qua potiuntur Angeli & electi glorificati *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, & in eandem imaginem transformati à claritate in claritatem, tanquam à ſpiritu Domini.* Et quia in ipſo conſpectu gloriæ Domini omnia creata vident tanquam in prima cauſa, & omnis entis fonte; *iris* dicitur eſſe *in circuitu ſedis*, nam iris omnes continet colores. In agro Piſano inueniuntur cryſtalli, iridis colores angulorum repercuſſu imitantes, ob quam cauſam à gemmatiis adamantum inſtar ſcalpuntur, ac berylli nomine tanquam præſtantes gemmæ diuendi ſolent; ſunt autem cryſtalli quatuor genera ſeu ſpecies, prima quæ glaciem refert, & cryſtalli fert montani nomen; ſecunda iris; tertia citrinus; quarta pſeudo-adamas; hæc eſt aliis præſtantior, vt citrinus iridi, & iris ſimplici cryſtallo. Cæterùm valet cryſtallus, ſi ſub febrientis lingua ponitur ad ſedandam ſitim; æſtuantíſque manibus admotus ob frigiditatem qua maximè valet, confert refrigerium. Ex cryſtallo etiam elicitur oleum dulce, quin & ſal quod Chimici in vinum liquefaciunt; in ſaccharum etiam conuertitur aduersùs podagram & ſyncopen efficaciſſimum. In partem itidem mundi muliebris cryſtallus ingreditur, ſpeculis & nodis, globulíſque etiam precatoriis aptari conſueuit; nec modò po- 1. Cor. 18.

culis, cyphis, patinis, lauacris, & aliis pleriſque vaſibus accommodari ſolet; at paſſim perſpicillis, quæ quanto ſint adiumento viſus, experientia docet; abſque hoc enim adminiculo imbecilles oculi, characteres literarum non aſſequuntur, ſed hoc adhibito, non modò approximatur obiectum, & ſpectabilis efficitur, at etiam acuitur obtuſi oculi acies. Cryſtallus igitur ingens quaſi mare vitreum eſſe dicitur *in conſpectu ſedis* maieſtatis Dei; quia ſine lumine gloriæ creatus oculus incapax eſt diuini conſpectus, at hôc adiutus aptus fit omnino diuinæ viſioni contemplandæ.

II. De ciuitate verò, & ſponſa agni idem ſpectator vtriuſque, cap. 21. hunc in modum ſcribit: *Et vnus de ſeptem Angelis*, &c. *locutus eſt mecum dicens, veni & oſtendam tibi ſponſam, vxorem agni, & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem deſcendentem de cælo à Deo, habentem claritatem Dei, & lumen, eius ſimile lapidi pretioſo, tanquam lapidi iaſpidis, ſicut cryſtallum.* Mira res: nam etſi diuerſicolor, opacus lapis eſt iaſpis; & tamen in Sion ſuperna pellucet, & tranſparet vt cryſtallus. ſed in cælo omnia in Dei luce clareſcunt. *Iaſpis* rubicunda ſpecie in Bohemia reperitur rubra, ſanguinea, purpurea variiſque tincta coloribus intermixtis, Coræ etiã in Miſnia inuenitur ſanguineo colore; at à cruore abhorret Ieruſalem cæleſtis, iuxta illud Iſaiæ 9. oraculum, quod in natali agni eius ſponſi legitur, *quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem & cibus ignis.* Iaſpis idcirco ſanguinei coloris ab ornatu cæleſtis Ieruſalem excluditur; ac huius tantùm vſus eſt, de quo Ioannes diſcipulus amoris ſcribit; *& lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi iaſpidis ſicut cryſtallum*; quo nihil candidius, magíſque idcirco diſtans à cruento colore. pergit; *Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide.* Iaſpis non modò conficiundis vaſculis aut globulis, nodíſque aptari poteſt; tanta at mole reperitur, vt magnæ ſtatuæ ex ea poſſint elaborari, proinde & ex eadem conſtrui muri, vnde illud Iſaiæ c. 54. 12. *ponam iaſpidem propugnacula tua: & portas in lapides ſculptos:* Aquila vertit γλυμμάτων, quod verbum *foratarum celatarúmque gemmarum ſenſum ſonat* (ait S. Hieronymus in citatum Iſaiæ locum.) In quibus ſcilicet imagines & emblemata inciſa ſunt; quæ nempe Regis virtutum Chriſti referant victoriæ trophæa, imò & Apoſtolorum & Martyrum athletarum. Huc ſpectat quod præfatus nouæ Ieruſalem deſcriptor ait Ioannes, *eam habere fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni.* Addit; *ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo.* Cæleſte aurum à terreno præſertim in hoc differt, quòd iſtud, etſi fulgidum in ſuperficie, tamen in ipſa mole opacum eſt; at ſupernum aurum eſt diaphanum ſimile vitro mundo. Aurum ſupernæ Ieruſalem eſt vitreum, & vitrum ipſum aureum, quia in oculis & conſpectu Dei omnia ſunt aperta, peruia & pellucida, quemadmodum ait Apoſtolus Heb. 4. *Non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Subiungit S. Ioannes, *& erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide.* Placet iaſpis mirum in modum Architecto ſpecioſæ illius ciuitatis; quamobrem ſæpius fit mentio iaſpidis in hoc ædifi-

cio: *ſtructura eius ex lapide iaſpide;* S. Hieronymus ad Fabiolam de veſte Sacerdotali, iaſpidum multa (inquit) ſunt genera: alius enim eſt ſmaragdi habens ſimilitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodoontis fluminis, & vocatur Grammatras, quo omnia phantaſmata fugari autumant. Alius viridior mari, & tinctus quaſi floribus, hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundiſſimis ſpecubus eius naſci referunt: eſt & alius iaſpis niui & ſpumæ marinorum fluctuum ſimilis, &c. hoc diximus vt vniuerſas gratias ſpirituales in Eccleſiæ propugnaculis cognoſcamus, quas qui habuerit, *vanos timores fugat*, qui quòd à ſuperna Sion procul ſint, ipſa constructa dicitur lapide iaſpide phantaſmatum hoſte. Sed Richardus Victorinus lib. 7. ſup. Apoc. aliter ratiocinatur; *Quæ ciuitatis ſtructura non ex quolibet lapide eſſe*, inquit, *perhibetur, ſed à iaſpide qui vireſcit, quia Chriſtus virorem nobis immarceſſibilis æternitatis* (quæ ideò longè aptiùs gemmâ quàm flore deſignatur) repromittit. Sequitur in textu ſacro, *& fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata*, proinde & omnium colorum tincta decore. Color duplici modo in gemmis viſitur, vel diaphanus ſcilicet vel opacus: opacus color eſt qui lucem recipit non tranſmittit; diaphanus qui tranſmittit; diſtinguitur inſuper color in realem & apparentem; realis in gemmis ſemper eſt, etiam abſente lumine; apparens ex reflexione luminis in gemma naſcitur. Nihil fucatum & apparens tantùm in cælo, apud Deum nihil colorarum tantùm, & in ſola externa ſpecie; quamobrem etſi ex quibuſque lapidibus pretioſis extructa ſit cæleſtis illa ciuitas, dicitur eſſe ſimilis *vitro mundo*, qui vndique tranſparet & coruſcat; nullis ornatur opacis gemmis; at quæ natura tales erant, diaphanæ & pellucidæ vi diuini aſpectus efficiuntur. Quærunt Gemmarij vnde reales colores in gemmis oriantur? communis eſt apud eos ſententia, ab exhalationibus, vel ſpiritibus metallicis, & mineralibus varios iſtos colores gemmis induci, propterea quod metallica, & mineralia colorum varia genera in ſe potentiâ habere videntur, quæ à mouente aliquo in actum deducuntur; videmus ſiquidem ex plumbo ſummam albedinem fieri, ſolo acetô; nigredinem ſummam oleô, ex eadem vſtione flauus miniatus, hyacinthinus, viridis, & ruber elicitur: quemadmodum ex vitriolo, ruber, albus, viridis, niger, cæruleus & flauus, ita vt nullum ferè ſit minerale quod non potentiâ innumeros in ſe colores habeat, ac tandem proferat: alij tamen proximiorem cauſam coloris quærunt, ac volunt, ſalem armoniacum naturæ, qui maximâ copiâ in mineralibus & metallis ac terra inuenitur, colores iſtos varios producere, ac non ſolùm in illis ſed in plantis, eorúmque floribus & omni animalis parte, præterea etiam in gemmis, & lapidibus ac cæteris rebus omnibus colores gignere. Nec hîc tamen opinationum finis; alij enim colores ab elementorum varia commixtione, eorúmque concoctione produci arbitrantur. Alij rurſus colores à primis qualitatibus in materiam deriuant: alij ex varia commixtione albi & nigri, quaſi extremis cæteros oriri aſſerunt, ſicuti ex luce (quam copioſam habet albus) & vmbra (quam refert niger) iridis exemplô varij colores oriuntur. In tanta perſuaſionum ſylua, recto hic tramite inceſſerit qui Deum Opt. max.

Apoc. 21. 18.

dediſſe exiſtimauerit rebus omnibus certas figuras, aut formas extrinſecùs, quibus ab aliis diſcernerentur, certóſque colores quibus ornaten-
1. Cor. 15. tur: *ſtella* (ait Apoſtolus) *differt à ſtella in claritate*· quis hoc diſcrimen ſtellis indidit, niſi ipſe Deus qui ſtellas fecit, eſſéque voluit in ſitu, ma-
Pſal. 146. 4. gnitudine, influxu & claritate diſtinctas; ipſe enim eſt *qui numerat multi-*
Dan. 12. 3. *tudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. At qui vicerint, fulgebunt*, (ait Angelus ad Danielem) *ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et *ſicut ſtellæ diuerſæ erunt* (inquit Apoſtolus) *in claritate.* In cantico diuinæ glorificationis concinit Eccleſia; *Te glorioſus Apoſtolorum chorus. Te Martyrum candidatus laudat exercitus.* Sed quæſo, cur potiùs non dicit: te ſanguine purpuratus Martyrum laudat exercitus, quia fuerunt quidem Martyres in paſſione ſua rubicundi, at iam in gloria ſunt candidi, *vnde hæc mutatio, niſi ex dextera excelſi?* Lauerunt enim ſtolas ſuas beati illi pugiles in ſanguine agni, & ſic eorum veſtes quæ ex fuſo cruore rubentes erant, vt coccinum, ſuper niuem dealbatæ ſunt; ideò valdè appoſitè canit Eccleſia, *Te Martyrum candidatus laudat exercitus*: non dicit candidus qui ſcilicet candorem à ſe habeat, ſed candidatus, quoniam à Dei gratia & Chriſti merito, candor ille, quo nitent tanta in gloria Martyres originaliter emanauit. Cæterùm dilectus Ieſu diſcipulus dum pretioſos receſet lapides quibus Sion cæleſtis decoratur, tres addidit præter nouem illos quos Ezechiel deſignauerat, nempe chryſopraſium, hyacinthum, amethyſtum. *chryſopraſus* idem qui praſius eſt, ſed aureum ſplendorem pari viriditate immixtum habens, grata admodum aſpectu gemma, ipſóque praſio nobilior, & aſpectu amœnior; verùm eaſdem vires habet, inter quas hæc inſignior quòd venenum pati neſciat, hoc enim præſente viriditatem amittit, quam nonniſi lotus recuperat. Affinis eſt hic lapis regno cælorum hac ex proprietate, in id enim, ait Dominus, nihil coinquinatum introibit, & ſiquid aliquando ſordidum, emundari debet, antequam huc introire poſſit. Aptus eſt inſuper hic lapis cælaturæ; quæ facultas quàm electis ſit glorificandis idonea, patet ex dicto Apoſtoli, *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui.* Rom. 8. Et ipſo Chriſti oraculo Apoc. 3. *Qui vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur ampliùs, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem quæ deſcendit de cælo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Iam verò *hyacinthus* à nonnullis licèt inter carbunculos referatur, ſpecialis tamen gemma eſt, quæ ex flauedine rubet, ignéſque flammas quæ partim purpureæ videntur, partim flauæ, vel aureæ imitatur; quidam ſunt tamen ita rubicundi, & ad ſanguinis colorem accedentes, vt carbunculi appareât, alij rubedine croci flaueſcunt; alij qui ſuccini referunt ſpeciem: alij denique qui nihil prorſus habent ex ſerubedinis, planè albi, pellucidi, minoríſque pretij quàm cæteri æſtimantur: de his ſi quis dixerit fundamenta cæleſtis Sion vilioribus gemmis ſubſtrui & ornari, non anxiè refragabor, ab Apoſtolo edoctus ſcilicet, *Infirma mundi Deum eligere, vt confundat fortia, & ignobilia ac contemptibilia mundi elegiſſe, vt ea in quibus mundus gloriatur, deſtrueret.* 1. Cor. 1. huc collineat & illud ep. eiuſdem ad Gal. c. 2. *quales fuerint aliquando mea non intereſt, Deus perſo-*
nam

nã hominis non accipit. quaſi diceret. Erãt viles, facti ſunt pretioſi. Vim hyacinthi Gemmarij in facultate conſtituunt arcendi peſtem, ſi pro amuleto collo appenſus, aut annulo incluſus geſtetur, ad hæc ſomnum conciliare, virtutes cordis tueri. Quæ dotes Apoſtolis optimè Doctoribúſque conueniunt, quorum præcipuum munus & ſtudium fuit, corpus peccati deſtruere, conſcientiis conciliare pacem, gratiæ & veritatis diuinitus infuſæ ſemen in credentium animis tueri. Iam ad amethyſtum nos vocat ordo cæleſtium gemmarum, à gloriæ Dei & Sanctorum contemplatore præſcriptus. *Duodecimum eſt,* inquit, *fundamentum Amethyſtus;* lapis hic eſt præditus colore vini ſubpurpurei, nec abs re, ebrietatem enim prohibet; à qua facultate & colorem mutuatur & nomen, vt Plinius ſcribit lib. 37. cap. 9. Enimuerò τὰ ἀμέθυσα, remedia Græci vocitant, quæ aduerſus ebrietatem adhibentur; fauet Plutarchus, qui libro de poëtis audiendis, gemmam eſſe affirmat, qua vtuntur quidam aduerſus ebrietatem in ſympoſiis. Scitum eſt Apoſtoli 1. Cor. 6. 10. *Ebrioſi regnum Dei non poſſidebunt;* Appoſitè idcirco Amethyſtus gemma ebrietati aduerſa fundamentis cæleſtis Ieruſalem inſeritur, quia eius prorſus obſtruitur ebrioſis aditus, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli, *Regnum Dei non eſt eſca, nec potus, ſed gaudium & pax in Spiritu Sancto;* Amethyſtum vocant Hebræi *achalma*, quod nomen nonnulli ad adamantem referunt; nec abs re; amethyſti enim, præſertim ij quibus in purpura refulget roſeus nitor, durioréſque ſunt cæteris, ſi fuerint arte aliqua dealbati ita propè ad adamantem accedunt, vt vix fucus à peritiſſimis gemmariis deprehendi poſſit, etiam adamante oppoſito, ſi adæquè vtraque gemma auro includatur. Cælum profectò empyreum pœnitentibus plenum eſt, qui ex peccatoribus facti ſunt iuſti, & Angelis ipſis euaſerunt conſimiles, ſecundùm Domini oraculum, Marc. 12. *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo, imò ipſis Angelis æquales,* Luc. 20. Deniq; cæleſtis ciuitatis deſcriptor: *Duodecim eius portæ* (inquit) *duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis,* id eſt vnaquæque margarita, vnam de duodecim portam conſtituebat, & ſingulæ portæ confectæ erant è ſingulis margaritis. Sunt qui iis gemmarum denegent dignitatem, quòd non in terra, ſed in mari (in quo conchæ illarum matres naſcuntur & viuunt) procreentur; admittuntur paſſim tamen, & quidem inſigni loco, nam poſt adamantem & carbunculum, gemmarum obtinent principatum. Chriſtus animas margaritis comparat, ſéque negotiatori eas quærenti & omnia diuendenti, vt eas comparare poſſit; Apoſtolos ſuos conſtituit hominum piſcatores, qui ſcilicet in aquis renaſcuntur ad vitam vitali lauacro recreati. Ferunt Gemmarij margaritas ſeneſcere, lacteúmque ſenſim earum minui ac offuſcari candorem; verumtamen ipſum recuperare ſi columbis deuorandæ præbeantur. Arcanum hinc mihi patere reor. Petro qui dictus eſt Bar-jona, hoc eſt *filius columbæ* ob gemitus teneritudinem & amoris magnitudinem, cælica voce iubetur, *Occide & manduca* immunda quæque animalia, ſibi de ſurſum oblata vt ea deuoraret, ſed vt quid? niſi vt ea tranſmutaret, déque ſerpentina aſtutia & nequitia, transformaret in columbæ eximium candorem ac ſimplicitatem;

[Margin notes: Amethyſti quidam ſunt violacei. — Rom. 14. 17. — Apoc. 21. — Matth. 13. — Matth. 16. Act. 11. 7.]

quæ cura & officium omnibus etiam incumbit, quibus animatum ſalu-ris & ſanctificationis miniſterium creditum eſt; hos decet ſanè Apoſto-
Galat. 4. licum hunc affectum, affatúmque ad animas ſibi commiſſas imitari; *Filioli quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Acutè Richardus à S. Victore explicans illud Apoc. 21. *Et ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, ex ſingulis* (inquit) *margaritis ſingulæ portæ ſunt, quia SS. Apoſtoli in ſemetipſis fide firmi extiterunt, & fulgore iuſtitiæ longè latéque claruerunt. Et quia niſi ipſi SS. Apoſtoli margaritæ eſſent, alios margaritas facere, vel continere non poſſent.* Denique margaritæ etiam vniones nuncupantur, id verò iis tributum paſſim nomen dicitur, quòd rarò ſibi æqualem magnitudine habeant & candore. Sed contrà, vniones ab vniendo dictæ videntur, quia per corollas adunari ſolent, & quoniam corroborant cor quod fons eſt vitæ & ſedes amoris, vitéſque reficiunt & reuocant in vnum; lac denique emendant & augent, quod vincunt etiam natiui candoris ſplendore: ad quem nitorem ſe euectum ire fideles ſuos Dominus ipſe pollicetur Apoc. 3. *Qui vicerit veſtietur veſtimentis albis, & ambulabit mecum in albis quia dignus eſt, & non delebo eum de libro vitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram Angelis eius.* Atque hactenùs pro inſtituto ſupérque ſatis de triumphantis Eccleſiæ gemmis, & coloribus diuino in codice memoratis.

ARTICVLVS II.

De floribus & coloribus militantis Eccleſiæ.

FLORIDVM campum ingredimur, qui perpetuô liliorum vigore amœnus, ſponſæ delicias non ignorat, neque verò etiam ſponſi ſuſpitia, qui nihil præter roſas & lilia diligit, & ſynceræ mentis incorruptionem: en vt ſponſam ad has amœnitates inuitat blanda & amica voce, *Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni. Ecce enim iam hyems tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit,* &c. *vineæ florentes dederunt odorem.* Cant. 2. ſed quomodo tam citò floruerunt, quæ paulò antè vulneratæ ſunt? flores vineæ naſcuntur ex vulnere putationis, & ideò floritio quidem ſubitanea præterque ætatem, quia ſauciatæ ſunt vineæ noſtræ. O nouam ex vulneribus medicinam! quæ moritura videbatur ob ictus, iuueniſcit lætiſſimè vernans, & præcurrit ſibi in augmentis. Quam floridè Amb. l. 9. in Luc. ad c. 20. *Vt vinea dum iugatur erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur; ita plebs ſancta dum ligatur eximitur, dum humiliatur attollitur, dum reciditur coronatur.*

Primus flos Eccleſiæ eſt Ieſus Chriſtus, de quo idem Sanctus Ambroſius præclarè, & eleganter ait lib. de Spiritu Sancto cap. 5. *Virga eſt Maria, flos Mariæ Chriſtus, ſicut ipſe dixit, ego flos campi, & lilium conuallium. Flos odorem ſuum ſucciſus reſeruat, & contritus accumulat, nec auulſus amittit: ita & Dominus Ieſus in illo patibulo crucis, nec auulſus euanuit, nec contritus emarcuit, ſed illa lanceæ punctione ſucciſus, ſpecioſior fuſi cruoris colore vernauit, & mortuus æternæ vitæ munus exhalauit.* Flos fuit in natiuitate, ortus de virgine; id eſt vt ait Iſaias Propheta, *aſcendens de terra ſitien-*

ti ſalutem ſcilicet humani generis, & ipſius floris ex ſe exeuntis expanſionem & clarificationem. Flos in vita, in qua verborum vitæ & gratiæ folia dilatauit, produxit pampinos diuinarum operationum, odores ſalutarium conſiliorum, mandatorum, exemplorum efflauit, iuxta illud, *trahe nos poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Flos in morte, in qua non emarcuit, ſed extremum vitæ ſpiritum patri reddidit, & ſpiritum gratiæ & ſalutis Eccleſiæ ſuæ promeruit. Flos in reſurrectione, in qua exuta mortalitate rediuiuus refloruit, & germen florum omnis virtutis, omníſque ſanctitatis ſemen produxit. In Nazareth conceptus, in vita, morte, & reſurrectione Nazaræus appellatur, id eſt floridus, quia omnium florum gratiæ fuit principium; neque enim ſolùm flos ſpei noſtræ atque iuſtitiæ, ſed & radix eſt Ieſus, de quo propheta ait, *Aſcendet ſicut virgultum, & ſicut radix de terra ſitienti*, id eſt arida, ſpinoſa, *ſed pro eo quod laborauit anima eius, & poſuit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*; excreſcet in proceram & effuſam arborem, à qua innumeri orientur flores ſanctitatis, & benedictionis fruges: ex hac enim turba magna Martyrum, Confeſſorum, Virginum, ex omnibus gentibus & populis & linguis procedent, quorum decore, & odore mundus vniuerſus perfundetur, odoramentáque ſuauiſſima aſcendent in conſpectum Dei, eiúſque altare, thronum & templum gratiſſimo ſuffitu perflabunt, & replebunt ſpecioſiſſimo ſplendore. Nec radix modò, neque virgultum dumtaxat, aut arbor, aut flos, aut fructus Dominus Ieſus, at hortulanus quoque qui in hac ſpecie dilectrici ſuæ Magdalenæ rediuiuus apparuit, vt omnis boni germinis ſe innueret auctorem, & floris cuiuſque ſpecioſi, ac boni fructus agri ſuæ Eccleſiæ militantis præcipuum eſſe cultorem, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 3. *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat: ſed qui incrementum dat Deus.*

Cantic. 1. 3. *Iſa. 53. 2.* *Ioan. 20.*

Immaculata virgo, Dei Genitrix Maria etiam flos eſt ſingularis, atque ab hoc omnium primo, præcipuus Eccleſiaſtici germinis: eius fructus eſt Chriſtus; hinc diuinitus afflata Elizabet lætabunda, & prophetans ad ipſam exclamauit, *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*: ſicut enim ex flore fructus, ita Chriſtus ex virgine naſci voluit. Qua ex analogia Patres, eieſſe conſubſtantialem, proinde verum hominem rectè deducunt, & imprimis Tertullianus de carne Chriſti, & S. Ephrem ſerm. de laudibus Dei matris: quæ ſanè in ſeipſa eximius flos eſt. Hugo de S. Victore Miſcell. 2. lib. 4. tit. 27. ſeptem floris proprietates eſſe notat, ait enim eſſe ſubtilem, (ex puriori enim ſucco plantæ procedit) tenerum, mollem, leuem, odoriferum, pulchrum, vtilem: quæ proprietates adæquatè Beatiſſimæ Virgini conueniunt; ſubtilitas, quia ex puriore ſanguine ſtirpis Ieſſe proceſſit, omnis expers maculæ peccati originalis; teneritudo, propter pium affectum miſericordiæ; mollicies, ex ſpiritu manſuetudinis; leuitas, ex terrenarum rerum contemptu & cæleſtium deſiderio; ſuaueolentia, per odorem intemeratæ puritatis; pulchritudo, ex plenitudine gratiæ, & perfectione ſanctitatis; vtilitas, ex meritorum excellentia, & perenni quod nobis impendit beneficio opitulationis. Sanè ſub diuerſis florum, & arborum nominibus Deiparæ dignitatem at-

Luc. 1.

que præſtantiam Spiritus Sanctus in ſacris Scripturis adumbrauit: ſub balſamo & cinnamomo, propter miram virtutum fragrantiam, Eccleſ. 24. 20. *ſicut cinnamomum, & balſamum aromatizans odorem dedi:* ſub nardo, propter ſingularem humilitatem, Cant. 1. 12. *Nardus mea dedit odorem ſuum:* ſub cedro, propter inſignem mentis incorruptionem, Eccleſ. 24. 17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano;* ſub cypreſſo, ob altitudinem meritorum admirabilem, ibidem, *quaſi cypreſſus in monte Sion:* ſub palma, propter multiplicem de hoſte antiquo victoriam, ibidem 18. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades:* ſed maximè ſub roſa & lilio; nullis enim aliis floribus potuit meliùs comparari. & de roſa quidem ait Spiritus Sanctus Eccleſ. 24. 18. *Quaſi plantatio roſæ in Ierico;* ſiquidem Maria eſt roſa Hiericontina immarceſſibilis, Roſa myſtica, Roſa inquam illa nobiliſſima, quæ de illuſtrium regum ſtirpe progenita, ſuper cælos exaltata, & per orbem vniuerſum dilatata eſt: Roſa illa fragrantiſſima, ad quam apis illa cæleſtis quæ paſcitur inter lilia, & florigeram inhabitat patriam Angelorum aduolauit, cui inſedit, cui adhæſit, ex qua dulcem humanitatis fauum decerpſit: hæc eſt illa roſa cuius pulchritudinem ſol & terra mirantur, cuius odore infirmi ſanantur, morbidi curantur, mortui excitantur. Eleganter de hac myſtica roſa dudum cecinit Sedulius lib. 2.

Et velut è ſpinis mollis roſa ſurgit acutis,
Nil quod lædat habens, matrémque obſcurat honore,
Sic Eua de ſtirpe ſacra veniente Mariâ
Virginis antiquæ facinus noua virgo piauit;
Sicut ſpina roſam, genuit Iudæa Mariam.

Roſam ſalutiferam: enimuerò dolorem ac ſenſum qui ex ſpinarum puncturis accidit, roſa macerata ac vulneri impoſita lenit & ſanat, vt monet Plinius lib. 1. c. 6. applicatio eſt facilis.

Porrò hîc iam plus æquo mihi videor exſpatiari: ſtringo igitur me & paucis dico, roſa eſt flos florum, pyropus hortorum & purpura, odorum zephyrus, aprilis oculus, veris phœnix, naturæ pompa. Pete à S. Cyrillo quid ſit beatiſſima Virgo Deigenitrix? reſpondet *homilia contra Neſtorium*, eſt pretioſa margarita orbis terrarum. Pete à B. Chryſoſtomo, reſpondebit *ſerm. de Deipara*, Eccleſiæ decus, gloria & firmamentum. Pete ab Epiphanio ſiue Epiſcopo, ſiue Preſbytero, gradus enim ordinis hic non refert, reſpondebit *ſerm. de laudibus Virginis*, ea eſt quæ Deo excepto cunctis ſuperior exiſtit, formoſior Cherubim & Seraphim, omníque Angelico exercitu præſtantior.

Porrò ipſam lilio ſponſus in Canticis aſſimilat; *Sicut lilium* (inquit Cant. 2. 2.) *inter ſpinas, ita amica mea inter filias.* Nihil hirſutius ſpina, nihil lilio ſuauius. quidnam obſecro conuenientiæ inter ſpinam & lilium intercedit? non magis igni cum aqua conuenit, quàm lilio cum ſpina. Sermone non opus eſt vbi experientia docet & natura ipſa conuincit: lilium pingit equidem genuinis coloribus Walfridus Strabo in hortulo ad Grimaldum cœnobij S. Galli Abbatem, inſcriptione XIV. hoc ſub modulorum tenore,

Lilia quo verſu candentia, carmine quóve
Ieiunæ macies ſatis efferat arida muſæ?
Quorum candor habet niuei ſimulacra pudoris
Dulcis odor, ſyluas imitatur flore Sabeas,
Non parius candore lapis, non nardus odore,
Lilia noſtra premit; nec non ſi perfidus anguis
Ingenitus collecta dolis ferit ore venena
Peſtifero, cæcum per vulnus ad intima mortem
Cordeferam mittens; piſtillo lilia præſtat
Commacerare graui ſuccóſque haurire phalerno,
Si quod contuſum eſt ſummo liuentis in ore
Ponatur punctim, tum iam dignoſcere vires
Magnificas huiuſce datur medicaminis vltro.
Hæc etiam laxis prodeſt contuſio membris.

Tom. 6. & vlt. antiqua lectionis Henrici Caniſii p. 679. & 680.

Medicam vim quam habet Virgo, omnes qui ad eius opem confugiunt multifariam experiuntur: quamobrem & reor ſuperuacaneum hanc Walfridi præſignatis lilij præconiis minutim, & ad amuſſim exæquare. Oratori Chriſtiano peruium fuerit hæc accuratim expendere & perſequi: breuiter dico præter hanc vim ſalutiferam, Virginem eximiam habere affinitatem cum lilio per candorem incontaminatum puritatis, & odorem ſuauiſſimum ſanctitatis: ſed quò tandem progredimur? eſt hortorum Virgo vterque oculus, & roſa ſcilicet & lilium, candida & rubicunda; candida per virginitatem, rubicunda per charitatem; candida carne, rubicunda mente; candida cultu virturis, rubicunda odio peccati; candida affectuum puritate, rubicunda paſſionum mortificatione; candida in Chriſti conceptione & generatione, rubicunda in eiuſdem paſſione & morte; candida in gratia, tubicunda in gloria; denique eſt lilium & roſa,

O formoſa decens! ô pulchra & candida Virgo,
Qualis nulla fuit, nulláve adeſſe poteſt.
Tu vincis formoſa roſas, tu candida vincis
Lilia, tu vultu vincis & aſtra tuo.
Tu ſuperas ſolis radios, lunæque vigorem,
Luciferi fulgor par nequit eſſe tibi.
O facies laudanda diu, quam numina cæli
Cùm videant ſemper, cernere & vſque iuuat.
Sunt oculi mites, frons læta genæque decoræ,
Os roſeum, hinc nobis gratia quæque venit.

Sed cur hæc omnia, hîc fortè dices? ſiquidem de floribus & coloribus Eccleſiæ militantis huius eſt Articuli prænotatio: Sed quorſum ad Eccleſiam militantem Chriſtus, qui iam in cæleſtibus regnat, ſuper omnia primatum tenens: & Virgo eius genitrix, quæ iam ab ipſo aſſumpta in gloriam ſuper omnes choros Angelorum exalrata triumphat? Verùm cur miraris; ſi Chriſtus deſineret caput eſſe Eccleſiæ militantis, ſtatim ipſa deficeret; ſi Virgo curam fidelium in hac arena pugnantium ſedulam non ageret, ipſiſque ſe monſtraret matrem, plurimi qui eius exemplis

& ſuffragiis ſaluantur, profectò perirent. Canit de ea Eccleſia in eius Conceptionis feſto, ex Eccleſ. 24. *Ego quaſi terebintus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ: ego quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris; & flores mei, fructus honoris & honeſtatis, ego mater pulchræ dilectionis & timoris & agnitionis & ſanctæ ſpei; in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis: tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum, memoria mea in generationes ſæculorum.* Inſigne iſtud dictum eſt S. Hieronymi epiſtola de Clericorum vita, ad Nepotianum; Maria cùm quotidie generet, ſempérque parturiat, incorrupta eſt; procreat enim interceſſione ſancta puróque exemplo, & perenni ſubſidio quotquot virgines in Eccleſia Catholica, cuius ſunt germinis præcipuum decus, in dies oriuntur. Quò ſpectauit Doctor & ipſe virginum Ambroſius lib. 2. de virginibus, vbi de ea inquit; *O quantis illa virginibus occurret,* (in iudicij die) *quantas complexa ad Dominum trahet dicens; hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato ſeruauit pudore:* ſed éſtne virginum lux dumtaxat & typus? numquid non etiam Regina Martyrum, Confeſſorum, & omnis ſortis, ordiniſque electorum, cùm & Sanctorum omnium ipſa regina ſit. Pulchrè & appoſitè præfatus iam S. Ambroſius; *Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium diſciplina ſit. In vna enim virgine ſpecies omnium virtutum emicant;* proinde & omnes florum Eccleſiaſtici germinis renident colores; nam hortus eſt Virgo, & paradiſus deliciarum Dei. Hinc inſignis illa apoſtrophe Chryſippi Preſbyteri Hieroſolymorum ad ipſam beatiſſimam Virginem, *Aue quæ es hortus patris, aue quæ es pratum totius fragrantiæ Spiritus Sancti.*

Sed Eccleſia Chriſti Catholica, in terris adhuc militans, non eſt tantùm flos orbis, ſed florum omnium viridarium, ſelectáque areola aromatum, hortúſque Dei concluſus, in quem defluunt aquæ viuæ omnis gratiæ & virtutis, quæ fluunt impetu de Libano: in Canticis nihil frequentius quàm ſponſi & ſponſæ de huius horti floribus, eorumdémque ſpecie & fragrantia reciprocæ voces; *En dilectus meus loquitur mihi,* (inquit
Cantic. 2. 10. Id. 4. 11. ſponſa) *ſurge propera amica mea & veni, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Fauus diſtillans labia tua ſponſa* (ait ſponſus) *mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris; hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus;* & illa gratulatio ſponſæ ad ipſum, *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia*
Matth. 6. 28. *colligat.* Quænam lilia? ea ſcilicet de quibus ipſemet ſponſus alibi dicit, *videte lilia agri quomodo creſcunt.* Conſiderate, inquam, lilia quæ natiuo ſuo decore omnem Salomonis gloriam facilè antecellunt, vt nihil tam ſplendidum & ſpecioſum induerit vmquam Rex ille magnificus; adeò ſordent omnia, & nihil nitidius nitet, nihil candidius candet, cum illa liliorum munditia comparatum. Sed non ſolùm in hoc horto creſcunt candidiſſima lilia, inter quæ paſcitur ſponſus, at malorum etiam puni-
Cant. 4. 13. corum flores: *Emiſſiones,* inquit, *tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula, &*

cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguentis. Genæ enim ſponſæ *ſunt ſicut areolæ aromatum conſitæ pigmentariis*, pigmentíſque multiplicium colorum quibus renident omnis generis flores mirum in modum decorati. Ibi igitur non tantùm lilium candens ſed rubens, & purpurea roſa, violæ coronariæ, ocelli Damaſceni, miniatuli, candidi, purpurei, &c. & quid non ibi florum odoriferorum, ſpecioſiſſimorum; quot Sanctorum ſtatus & ordines, tot aromatum areolæ, tot florum horteli, tot viridaria ſponſi amœniſſima ſunt, quæ vno illo ingenti campo florigero, ad quem ab Angelo ſe miſſum olim teſtatur Propheta, continentur; *Ibis in campum florum*, inquit, *vbi domus non eſt ædificata, & manducabis ſolùm de floribus campi, & carnem non guſtabis, & vinum non bibes, ſed ſolummodo flores; & profectus ſum*, inquit, *ſicut dixit mihi in campum qui dicitur ardath, & ſedi ibi in floribus, & de herbis agri manducaui, & facta eſt eſca earum mihi in ſaturitatem.* Mira florum virtus! qui germinando non modò aſpectum eximio decore mulcent, odoratum perſuaui fragrantiâ replent, ſed etiam ſatiant vt maturi optimæ cuiuſque ſpeciei fructus, ſitientis Prophetæ & eſurientis appetitum; virent vt herbæ, creſcunt vt plantæ, vernant vt flores, turgent vt gemmæ, vt fructus maturantur, nutriunt vt cibus, ſitim vt potus ſedant meraciores vino, omníque ſolido cibo nutritiâ vi potentiores; in his etiam Propheta requiem inuenit, diſcubuit enim in hoc campo velut in thalamo molliſſimo atque pulcherrimo ſeptem dies. Sanè Eccleſia campus eſt iſte latiſſimus toto quo patet diffuſus orbe; flores qui ibi ſunt piorum animæ, qui vt dilatent folia, ſpargant odores, fructúſque producant, quíque in tempore ſuo cultorum manibus plantantur, & irrigantur Sacramentorum miniſterio, verbíque ſalutis prædicatione; à ſuperno autem fundi Domino rore gratiæ, & inſpirationum afflatu fouentur, aluntur, perficiuntur; hinc oriuntur fructus quibus paſcitur ſponſus, ſponſa nutritur & ornatur, ipſique flores ſuccreſcunt numero, ſpecie & odore; inde vetus ille ritus recèns baptizatos coronandi ſertis, variis ex floribus contextis; ex quo more loquens ad Neophytos Cyrillus Hieroſolymitanus in ſua proto-catecheſi dicebat, *Iam eſt beatitudinis odor in vobis ô illuminati! iam ſpirituales colligitis flores ad plectendas cæleſtes coronas, iam Spiritus Sancti ſpirant fragrantiâ; iam circa porticum regalis palatij fuiſtis, vtinam verò & ab ipſo rege introducamini; flores iam arborum apparuerunt, vtinam & fructus percipiatur!* Qualem Chriſto ſponſo purarum animarum, Cæcilia athleta & ſponſa eius fidelis, iam candidata martyrij, læta & gratulans offerebat: *Domine Ieſu Chriſte, paſtor bone, ſeminator caſti conſilij, ſuſcipe ſeminum fructus quæ in Cæcilia ſeminaſti: Cæcilia famula tua, quaſi apis tibi argumentoſa deſeruit*; mella enim & fauos ex omnium virtutum floribus, caſtitatis & fidei, ſanctæque dilectionis inſtanter conficiebat; nec ſola Chriſto ſeruiebat immaculato corde, ſed fratres, cognatos, affines, ipſúmque ſponſum Valerianum ad eius militiam animabat. Ita & Lucia ſuum excoluerat pectus, vt amœnum Chriſto virginum ſponſo in ſe illi conſereret viridarium; vnde audire ab Agatha iam coronata virgine ſibi apparente meruit; *Lucia per te Syracuſana ciuitas decorabitur*,

4. *Eſd.* 9. 23.

quia iucundum Deo in tua virginitate habitaculum præparaſti. Pulchrè ad hæc Chryſoſtomus hom. 18. ad populum Antiochenum, *Diſce quid ſit ciuitatis dignitas, & tunc manifeſtè ſcies, quòd ſi habitatores ipſam non prodiderint, auferre poterit alius nemo ciuitatis dignitatem, non quòd metropolis ſit, neque habeat ædificiorum magnificentiam & ornatum, neque quòd multas habeat columnas, & porticus, & deambulationes, neque quòd ante alias ciuitates prædicetur, ſed inhabitantium virtus & pietas, hæc eſt dignitas, & ornatus, & tutela ciuitatis.* Sancti Hieronymi in exordio vitæ Sancti Malchi monachi Maronitæ, eſt ſuper hoc inſignis dignáque memoratu perenni ſententia; *ſcribere diſpoſui*, &c. (inquit) *ab aduentu Saluatoris, vſque ad noſtram ætatem, id eſt ab Apoſtolis vſque ad noſtri temporis fecem, quomodo & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit & adulta, perſecutionibus creuerit, martyriis coronata ſit, & poſtquam ad Chriſtianos principes venit, potentiâ quidem & diuitiis maior, ſed virtutibus minor facta ſit.* Magis certè Eccleſia illuſtrata eſt Sanctorum miraculis quàm principum metallis, magis virtutum floribus, & bonorum operum fructibus, quàm mundi opibus inclaruit. Quamobrem prudens ſponſa in Canticis, neglectis diuitiis, & contempto omni ſæculi huius ornatu, enixè dumtaxat petit his ſe circumſpergi floribus, fructibúſque vallari, quibus ſuum oblectari ſponſum, ſibíque decorum non fucatum, ſed verum conciliari nouerat; *Fulcite me* (inquit Cant. 2. 5.) *floribus, ſtipate me malis quia amore langueo.*

Vbi Venus & Cupido, ibi ſemper flores & poma. Claudianus Epithalamio Palladij & Citerinæ, de amorum Dea Cypride,

> *Denſaque ſydereos per gramina fuderat artus*
> *Accliuis florum cumulo.*

& infrà de Cupidinibus qui ſtipabant legentibus mala, quæ Veneri ſingulariter approptiantut;

> *Pars vigiles ludunt, aut per virgulta vagantur,*
> *Scrutantur nidos auium, vel roſcida læti*
> *Mala legunt, domum Veneris.* &c.

Sed profanorum abſint nugamenta. Sanè & pro caſtiſſimarum more nuptiarum cæleſtis ſponſus Dorotheæ ſanctiſſimæ virgini pro ſua fide decertanti in extrema lucta, flores & poma miſit in proxima pignora felicitatis, & piæ petitionis cumulum; cùm enim præclariſſima Martyr in paradiſo ſponſum habere gloriaretur, *Theophilus curiæ aduocatus irridēs, ecce,* inquit, *tu ſponſa Chriſti, mitte mihi de paradiſo ſponſi tui mala, aut roſas; Planè* (inquit illa) *ſic faciam: cùm hæc autem narraret, irridens ſanctæ virginis promiſſionem; ecce puer ante eum cum orario, in quo ferens tria mala magnifica, & tres roſas elegantiſſimas* (rigente hyeme, nam 6. dies Februarij erat) *dixit ei: ecce, ſicut petenti promiſit virgo Dorothea, tranſmiſit hæc tibi de paradiſo ſponſi ſui; tunc Theophilus accipiens, exclamauit voce magna, verè Chriſtus eſt Deus, & non eſt vlla ſimulatio in eo:* extat apud Surium tom. 1. die 6. Februarij. Vtinam & ad nos flores eiuſmodi ſupernus ſponſus pomáque inſimul mitteret, quibus noſtra incredulitas vinceretur, recrearetur ſpiritus, excitaretur animus, germináque virtutum insererentur, ac pij quoque affectus ingenerarentur cordibus noſtris; quibus inquam, mater no-

ſtra

ſtraChriſti Eccleſia lætificaretur, nihil enim magis exoptat quàm iis ſtipari fructibus, hiſque floribus, diuinis ſuis afflatibus decorari; *Fulcite me floribus*, ait, *ſtipate me malis, quia amore langueo.*

Flores in veſtibus elegantioribus depingi apud veteres ipſos ſolennis mos fuit, ornatûs gratiâ, Statius lib. 2. ſyluarum, Epicidio in Glauciam Melioris,

— modò puniceo velabat amictu,
Nunc herbas imitante ſinu, nunc dulce rubenti
Murice.

Pauſanias in Eliacis de Iouis ſtatua lib. 5. *Cui præter alia* (inquit) *pallium erat aureum: in eo cùm diuerſa animalia, tum ex diuerſis florum generibus.* Martianus Cupella lib. 1. de nuptiis Mercurij & Philologiæ; *tamen floridam diſcolorémque veſtem herbida palla contexuerat*, &c. *in qua fruges ſationum larga admodum vbertate ferebantur.* 2. Reg. capite 13. verſ. 18. vbi legimus de Thamare filia Dauidis, quæ induta erat tunica talari, huiuſmodi enim, filiæ Regum virgines vtebantur; Septuaginta vertunt, tunica *intexta fructibus*; & Pſal. 41. quo verſu habet vulgata editio de Regina adſtante à dextris Regis, id eſt Eccleſiâ à dextris Chriſti aſſiſtente *in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* Genebrardus ex autographo monet legendum *varietatibus*, Phrygias enim veſtes (ſubiungit) *varietates noſter interpres appellauit*, quòd variis intertextionibus & ſegmentis diuerſorum colorum eſſent elaboratæ & pictæ; Chaldaïcè vertitur *indumenta diuerſarum figurarum*; Græcè eſt vnica vox ποικιλθῶν, id eſt variegata, variata, puta diuerſis coloribus & figuris ocellorum, ramuſculorum, palmarum, vitium, florum: quale ornamentum altaris erat quod memorat Anaſtaſius à Leone III. Pontifice maximo, Baſilicæ Principis Apoſtolorum oblatum; *Idem beatus Pontifex*, (inquit) *ſuper altare Beati Petri Apoſtoli fecit veſtem cum vite ex auro puriſſimo.* &c. Moris etiam apud veteres fuit flores acu pictos in thalamis nuptialibus, variis colorum texturis, exprimere. Apuleius Fabular. lib. 10. ſub finem: *Et iam thorus genialis, ſcilicet noſter futurus accuratiſſimè diſternebatur lectus, Indica teſtitudine pellucidus, plumea congerie tumidus, veſte ſerica floridus.* Gregorius Nyſſenus hom. 3. in Eccleſiaſten, innuit in iis expreſſas fuiſſe arbores, ramos, folia & fructus producentes: thalamum ſuum porrò, in Canticis, ſponſa floribus variegatum decantat, c. 1. 16. *Ecce*, inquit, *tu pulcher es, dilecte mi & decorus; lectulus noſter floridus, tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* De Eccleſiæ vel conſcientiæ ornatu florido Sanctus Bernardus hunc locum exponit ſerm. 46. ſup. Cantica, *Atque is lectus floridus* (inquit) *demonſtratur cum exemplis & inſtitutis Patrum, tanquam quibuſdam benè olentibus reſperſa floribus fratrum conuerſatio & vita refulget.* Et infrà; *Notandum verò pulchrè omnem Eccleſiæ ſtatum breui vno verſiculo comprehenſum; auctoritatem ſcilicet Prælatorum, Cleri decus, populi diſciplinam, Monachorum quietem: In horum prorſus, cùm rectè ſunt omnia, ſancta mater Eccleſia conſideratione lætatur*, &c. Ornari verò ait lectulum eius cùm floribus bonorum operum decoratur, & virtutum exercitio variari; *Primò*, in-

quit, *emundes conſcientiam ab omni inquinamento, deinde feſtines circumdare tibi flores bonorum quorumque actuum & laudabilium ſtudiorum, atque odoramenta virtutum, id eſt quæcumque ſunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iuſta, quæcumque ſancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; ſiqua laus, ſiqua virtus diſciplinæ.* Hi ſunt flores thalami Eccleſiæ, quibus in pace & gaudio Spiritus ſancti oblectatur, quibus vt ſponſo placeat, exornatur; quibus ipſe ſponſus lætatur.

Actu quoque externo Eccleſia flores colit, eorúmque gaudet ornatu: coronas imponere Neophytis, antiquus fuit Eccleſiæ ritus; confici autem ſolitas ex floribus, ex S. Cyrillo Hieroſolymitano, aliíſque Patribus inſinuauimus lib. 1. Panopliæ Epiſc. c. 3. Baptiſteria etiam adornari floribus conſueuiſſe, dudum demonſtrâſſe aliàs meminimus tom. ſcilicet primo Commentariorum (qui nondum in lucem eſt editus) in Martyrologium Galliæ ad diem 3. Ianuarij. Ex Greg. Turon. lib. 2. hiſt. Franc. c. 31. quo tractat de baptiſmo Clodouei Magni, ſuaueolentis odoribus liquet etiam perfundi conſueuiſſe; *Velis depictis*, inquit, *adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur.* Sed & morem tuliſſe Martyrum lipſanis inſpergi flores, qui vim medicam ex his recipiebant, teſtis eſt S. Auguſtinus, vbi de muliere cæca illuminata meminit florum contactu, qui reliquiis S. Stephani Protomartyris adhibiti fuerant. Altaria itidem ornari floribus & Martyrum ſepulchra, hoc Nepotiani presbyteri indicat elogium quod eius venerabili memoriæ appendit S. Hieronymus in eius Epitaphio, *Hoc idem poſſimus*, inquit, *& de iſto dicere, qui Baſilicas Eccleſiæ, & Martyrum conciliabula diuerſis floribus & arborum comis, vitiúmque pampinis adumbrârit, vt quicquid placebat in Eccleſia tam diſpoſitione quàm viſu, presbyteri laborem & ſtudium teſtaretur.* Pios eiuſmodi homines eſſe viuos Eccleſiæ flores ſanctus ipſe Doctor eleganter inſinuat, dum ipſum Nepotianum febrili ardore decoctum ac emorientem, floribus comparat marceſſentibus, & ſenſim exuentibus narium decorem; *Marceſcebat*, inquit, *proh dolor! flante auſtro lilium, & purpura violæ in pallorem ſenſim migrabat. Tota hunc ciuitas, tota planxit Italia. Corpus terra ſuſcepit, anima Chriſto reddita eſt. Tu nepotem quærebas* (Heliodorum alloquitur) *Eccleſia Sacerdotem. Præceſſit te ſucceſſor tuus; quod tu eras, ille poſt te iudicio omnium merebatur; Atque ita ex vna domo, duplex Pontificatus egreſſa eſt dignitas, dum in vno gratulatio eſt quòd tenuerit; in altero mœror quòd raptus ſit ne teneret.* Et paulò antè; *O miſerabilis humana conditio; & ſine Chriſto, vanum omne quod viuimus! Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni.*

Sic flores ſuos habet Eccleſia in hac vita citò tranſeuntes, morte prohibente eoſdem permanere: periret verò eius gloria niſi his defluêtibus alij naſcerentur. At in cælo non ita. colores qui ibi fulgent in gemmis ſunt, quamobrem decus ſuum retinent, nec algore vllo tabeſcunt, nec ardore exuruntur; ſupernæ Sion hoc priuilegium eſt, quam cum conſpiceret dilectus Ieſu Diſcipulus, *Nouam in cælo, paratam à Deo ſicut ſponſam ornatam viro ſuo*, confeſtim de throno exeuntem hanc vocem audiuit, *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et abſterget Deus*

omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno, Ecce noua facio omnia, id eſt ſemper virentia & florida, numquam marceſcentia, ſed ſemper viuida, ſolida & æterna.

In militante Eccleſia præter illos flores, qui ex gratia & fide viuunt ac nitent rubéntque, donec ad ornatum diuini in cælo tabernaculi, quod Deus fixit & non homo, transferantur, vbi iam non vt flores, ſed vt gẽmæ perenni virore & decore fulgent, aut ſi flores adhuc ſunt, immutabiles ac immarceſſibiles reddũtur, iuxta illud, *SS. tui, Domine, florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te in æternum:* Sunt alterius generis flores, quorum pulchra varietate & varia pulchritudine ipſa Chriſti Eccleſia pugnans in terris decoratur: dona ſcilicet & chariſmata quæ gratiæ gratis datæ à Theologis appellantur; dantur enim gratis à Deo in communem corporis Eccleſiæ vtilitatem; nec tamen his inſignitum hominem per ſe Deo efficiunt gratum, nec de ſalute ſecurum, quia his præditus iiſdem vti & abuti poteſt. quæ dona etſi ad commune Eccleſiæ bonum collata, vſque in finem ſeculi permanſura ſint, tamen in extremo die penitus euacuabuntur; quin & virtutes non modò Morales, ſed & Theologicæ (quoad actum & meritum, non quoad præmium) vna ſola ſuperſtite charitate ceſſabunt, quemadmodum diſertis verbis docet Apoſtolus ſcribens ad Corinthios ep. 1. c. 13. *Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur: cùm enim venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, nunc manent fides, ſpes, charitas, tria hæc; at* quæ *maior horum eſt charitas* vna in æternum permanebit.

Illuſtratur inſuper nunc Eccleſia, vt mundus diuerſis rerum coloribus; ſic & ſacrorum myſteriorum & rituum ſplendida admodum varietate. At in gloria myſteria, cæremoniæ & ritus quilibet Eccleſiaſtici (quibus nunc tanto cum diuini cultus decore, quanto cum animarum fructu celebratur ſacro-ſancta religio) prorſus deficient ceſſante regno gratiæ, & regno gloriæ plenè & perenniter cõſtituto ac manifeſtato. Alto mentis puræ acumine peruidit hoc S. Ambroſius, qui idcirco in fine ſuæ ante diuinam Liturgiam orationis, ſic pro votorum omnium cumulo deprecatur; *Manducat te Angelus Domine ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via tali recreatus viatico.* Et infrà, *Fac vt recto tramite ad tuum regnum perueniam, vbi non in myſteriis ſicut in hoc tempore agitur, ſed facie ad faciem te videbimus cùm tradideris regnum Deo, & patri, & erit Deus omnia in omnibus; tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica, ita vt nec eſuriam, nec ſitiam in æternum.*

Appoſitè verò huc illud retulit Apoſtoli, *tunc erit Deus omnia in omnibus*: quem locum hunc in modum pulchrè ediſſerit in epiſtola ad Amandum S. Hieronymus: *Dominus atque Saluator noſter nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingulis, v.g. in Salomone ſapientia, in Dauide bonitas, in Iob patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus; in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Cùm autem rerum omnium aduenerit finis, tunc omnia in omnibus erit, vt ſinguli Sanctorum omnes virtutes habeant, vt ſit Chriſtus totus in cunctis.* Colores vt ſuprà diximus, nihil

aliud ſunt quàm alterationes lucis, quæ à ſole vt à fonte dimanant: iris eſt omnium ferè colorum congeries, definiríque ſolet reuerberatio radiorum ſolis in nube rorida. Venturus dicitur Dominus ad iudicium inſidens iridi: & S. Ioannes Apoc. 4. 3. vidiſſe ſe refert thronum eius circumdarum inde: circa quem venerabundi adſunt ſeniores contemplanres gloriam Dei & agni; in cuius imaginem & ſimilitudinem transformarosiri beatos docet vas electionis Paulus 2. Cor. 3. 18. *A claritate in claritatem*, inquit, *tanquam à Spiritu Domini.* Igitur diuinas perfectiones in ſe ex-
1. Ioan. 3. cipient, ſimiles illi facti ait S. Ioannes, quia *videbunt eum ſicuti eſt;* ſic ipſe igitur erir omnia in omnibus, quia dona quæ nunc Sancti per partes poſſident, quaſi diſtinctos colores per alterationem lucis ſolis gratię coniunctim in ſe transfuſa per lumen gloriæ recipient, ſimiles iridi effecti, quæ ex reuetberatione radiorum ſolis efformata omnes colores ſuo ſinu complectitur ac diſcolore ſpecie repræſentat. Cæterùm in Eccleſia militanre gratiæ lumen diuerſa dona fidelibus impertiens, eoſdem mira ſed grata varietate charíſmatum, quaſi multicolores efficit; vnde eos admonet Apoſtolorum Primas in communem Eccleſiæ vtilitatem, hac ipſa diuerſitate vti; *Vnuſquiſque* (inquit 1. Pet. 4.) *ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.*

CAPVT V.

In ritibus, ornamentis, & veſtibus ſacris, Eccleſiam Catholicam diuerſis coloribus vti, non ſine myſtica ratione.

H*ABENT mores* (inquit S. Bernardus ſerm. 71. in Cantica) *colores ſuos, habent & odores; odorem in fama, colorem in conſcientia. Colorem operi tuo dat eius bonitas & cordis intentio; odorem modeſtiæ & virtutis exemplum. Iuſtus eſt lilium in ſe candidum, in proximo odoratum; proximo enim famam, nobis debemus conſcientiam.* Nouatores rident in Eccleſia coloribus diſtinctos altarium ornatus, & Sacerdotum habitus quaſi vanæ oſtentarionis ſpectacula: eodem ſcilicet genio ducti quo Pelagiani pridem erant, qui teſte S. Hieronymo lib. 1. contra eoſdem, gloriam veſtium & ornamentorum in Eccleſia reprehendebant, quaſi Deo exoſam, miniméque congruentem puro eius cultui; *Adiungis* (inquit) *gloriam veſtium & ornamentorum Deo eſſe contrariam. Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi tunicam habuero mundiorem? ſi Epiſcopus, Preſbyter, & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſerint?* Nempe hic iam ritus Eccleſiæ non nuperus erat. Verùm de diſtinctione veſtium Cleri à populo in ſacris officiis, Polemici Theologi tractanr contra neotericos ſectatores ex profeſſo. De materia, forma & decore iam nos ſuprà nonnulla annotauimus, aliáſque ex inſtituto in opere videlicet, cui PANOPLIÆ SACERDOTALIS titulus eſt auſpice Chriſto ſumus longè plura obſeruaturi. Hîc de coloris delectu & varie-

tate in Eccleſiaſtico miniſterio diuinóque officio notatum ire paucula, rei huius quam exequimur, ſeries ipſa depoſcit.

Sanè ſi in ritibus & veſtibus ſacris ſuperſtitioſa eſt colorum diſtinctio, ſuperſtitionis huiuſmodi ſeminibus diuini vtriuſque fœderis codex reſperſus eſſet, quandoquidem in vtroque Teſtamento diuinâ auctoritate probatur tam in certis ritibus, colorum aliquot ſpecialis obſeruatio, quàm ipſe diuerſitatis in veſtimento vſus: *Lecto omni mandato legis à Moyſe vniuerſo populo*, (ait ad Hebræos Apoſtolus cap. 9.) *accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit.* Deus ſummi Sacerdotis apparatum præſcribens, iuſſit eidem Moyſi, vt faceret Aaron ſuperhumerale de auro & hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & byſſo retorta, polymito opere, id eſt opere variorum colorum & liciorum: vnde Septuaginta vocant *opus textile variegatoris*; triplici enim colore erat contextum Ephod, videlicet, hyacinthino, coccineo & purpureo (ait S. Hieronymus ad Fabiolam) intermixtis filis aureis. Facete etiam Moyſi præcepit tunicam hyacinthinam; hanc enim diſtingui à linea idem Sanctus Hieronymus elicit ex eo quòd hæc *ketonet*, illa verò *meil* appelletur מעיל בתנת
in autographo Hebræo. Gemmas porrò duodecim inſigi voluit rationali, quæ variis, quibus micabant coloribus, illud mirè condecorabant. Mentis aciem in hanc panopliam reflectens Ieſus Filius Syrach c. 45. Eccleſiaſtici, verſ. 12. ſtolæ & pectoralis hunc in modum deſcribit ac prædicat pulchritudinem. *Stolam* (induit eum) *ſanctam auro, & hyacintho, & purpura, opus textile viri ſapientis, iudicio & veritate præditi: torto cocco, opus artificis, gemmis pretioſis figuratis in ligatura auri, & opere lapidarij ſculptis*; adeóque ſpecioſo ornatu addit emicuiſſe his indutum veſtibus ſummum Sacerdotem, vt colorum varietate, & gemmarum auríque ſplendore, tam illuſtre ornamentum oculorum deſideria ſatiaret, id eſt ſuperaret decore ſuo quicquid oculis ſpecioſum, magnificum atque mirabile ſpectari poſſit. Sed quid hæc ad Chriſti, æterni futurorum bonorum pontificis, in monte Thabor ſuo in pōtificali ornatu apparentis, glorioſum amictum? *Reſplenduit facies eius ſicut Sol*, (ſcribit S. Matthæus cap. 17. 2. *veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Candor iſte ad decorum ſimul & myſterium facit, quamobrem S. Marcus (qui B. Matthæum ſuppleuit) illum amplioribus verbis exaggerat: *Veſtimenta eius* (inquit) *Marc. 9. 2.*
facta ſunt ſplendentia & candida nimis, ſicut nix, qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere. Porro in ipſo cruenti ſui ſacrificij die, non ſine myſticæ ſignificationis arcano duobus illuſtrem coloribus, in illuſoriis veſtibus indutum, Euangeliſtæ diligenti obſeruatione conſignârunt, veſte nimirum alba ab Herode, purpurea autem vel coccinea, à Pilato. Cùm enim Chriſtus eſſet Eccleſiæ *ſponſus ſanguinum*, agnus itidem redemptionis immaculatus, apparere voluit duplici hoc ſpectabilis ſchemate, *candidus & rubicundus*, candidus per innocen- *Cantic. 5. 10.*
tiam, rubicundus per charitatem; candidus vt Pontifex, vt Rex verò purpureus. Quin iam rediuiuus & triumphans à dilecto ſuo Ioanne in gloria bifariam indutus conſpectus eſt, Apoc. 1. & 2. primùm linea veſte,

Digitized by Google

talaríque, zonâ aureâ ad mammillas præcinctus ambulans in medio candelabrorum aureorum: deinde equo inſidens albo, multis diadematibus redimitus, veſtitúſque veſte, vt ſanguine, coccinea, regio planè incedens apparatu: *Exercitus enim qui ſunt in cælo* (ſubiungit ipſemet eius gloriæ ſpectator, Apoc.17.) *ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.* Sed myſtica hæc eſſe Nouatores (non dubito) ibunt exceptum: cæterùm nec inficior: ſed inde palam eſſe dico colorum delectum ad myſteria pertinere, varietatémque colorum in veſtibus, & ritibus myſticis non ſine graui iniuria reprehendi poſſe, quam Deus ipſe tot teſtimoniis probauerit; minimè igitur eius cultum hanc lædere, at potiùs ornare, cùm gratam ſibi eſſe tot ipſe indiciis demonſtrauerit. Et verò ſtatim à naſcente Religione Chriſtiana probatum fuiſſe etiam in Eccleſia hunc vſum, nonniſi imperitis Eccleſiaſticarum rerum eſſe incompertum poteſt. Auctor eſt Euſebius lib. 2. hiſt. Eccleſ. c. 23. poſt Æegeſippum, & S. Epiphanius hæreſ. 78. nec non S. Hieronymus in Catalogo, quòd S. Iacobus Apoſtolus cognomento frater Domini, primus Hieroſolymorũ Epiſcopus candida amictus veſte, ſeu ſyndone, vel lineo (vt ſcribit S. Epiphanius) palliolo, in Sancta Sãctorum ingrediebatur. Quo ductos exemplo ſuccedaneos ſanctæ ciuitatis Pontifices, numquam vſos ſerico indumento, nec laneo, at dumtaxat linea veſte, lib. 6 Panopliæ Epiſcopalis c. 3. quo agitur de Pontificalis, & Leuiticæ tunicæ, ac dalmaticæ antiquitate, ex teſtimonio Cyrilli, in S. Euthymij hiſtoria, vbi mentio fit de Anaſtaſio ſanctæ illius ſedis Patriarcha, memini me feciſſe perſpectum. Non hîc referam S. Stephani tunicam, rubeam proinde ex ſãguinis eius aſperſione, quam Macarius Hieroſolymitanus Præantiſtes cum parte ſanguinis eiuſdem Protomartyris, religioſo munere Helenæ Auguſtæ dedit, ipſa verò Veſuntionem tranſmiſit venerandam, anno 326. quemadmodum ex conſtanti traditione, & Eccleſiaſticorum codicum probatæ notæ monimentis, doctiſſimus Chiffletius part. 2. ſuæ Veſuntionis, ſub S. Hilarij Epiſcopatu inſinuat. Ridet Caluinus in reliquiarum indice, quòd Romæ planeta S. Petri oſtendatur, qua indutus ſacrificium offerre conſueuerat. plus nomen ſacrificij illum quàm planetæ pungit, tamen quòd hæc ſacrificantis ſit ornatus, ne ſacrificâſſe credatur ſanctus hic Apoſtolus, planetam dicere geſtatam fuiſſe à S. Petro ridiculum eſſe affirmat, hac vna ratione fretus, quòd tunc temporis in vſu Eccleſiæ miniſtris non eſſet hoc myſtici indumenti genus. Sed eſt igitur quòd Pauli Apoſtoli teſtimonium deleat ſcribentis ad Timotheum, epiſt. 2. c. 4. 13. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum;* hanc enim veſtem ſelectam fuiſſe, qua in oratione vtebatur, eadem cum illa ſpecie quam caſulam vel planetam vocitamus; eſt doctorum interpretum celebris ſententia, cui non obſcurè Tertullianus fauet lib. de orat. c. 12. hanc eſſe veſtem ſignificans ex nonnullorum placitis, qua Paulus in oratione indui conſueuerat. Porrò ſi geſſit in ſacris penulam, planetam, ſeu caſulam Paulus, quid abſurdi habet, quòd Petrus memoretur geſſiſſe quoque planetam cùm ſacris operaretur? & quidem non modò Romæ, ſed etiam Antiochiæ, vbi primùm ſedit: extat certè de Antiochena, non

ſpernendum monimentum in vita S. Hugonis Cluniacenſis Cœnobiarchæ, ab Hugone Monacho Cluniacenſi eius coætaneo conſcripta, hoc ſub verborum textu: *Pariſiorum Vrbem Sanctus intrauit, vbi ad Eccleſiam Sanctæ Genoueſæ Miſſas celebraturus aſcendit. Quibus expletis acceptâ Petri Apoſtoli planetâ, quæ ab Antiochia olim delata, in præfata Eccleſia ſeruatur: O, inquit, vtinam haberemus ægrotum in quo virtutis Apoſtolicæ caperemus experimentum! quibus relatis, Robertus ſua probitate illis in partibus ſatis notus, ſed diuturno morbo membrorum officio deſtitutus, illuc ſe deferri præcepit quò Sanctum adeſſe cognouit. deponitur debilis ante Sanctum, prece ſupplici quærit ab eo ſuffragium. Pater Hugo miſeretur, tenénſque Apoſtoli planetam Dominum deprecatur: quam ſuper ægrum planetam eleuauit, & cum dulci melodia ait, Petrus Apoſtolus dixit paralytico, Roberte! ſanet te Dominus Ieſus Chriſtus, ſurge & ſterne tibi, qui continuò ſurrexit. In his verbis Rotbertus illico totus conualuit, ſanus egreditur, & gratias egit. Res ipſa notiſſima eſt, fere tota illa ciuitas teſtis eſt, ſuper hoc controuerſia laudabilis eſt exorta: Pariſienſes dicunt quia Petri eſt miraculum, qui per Hugonem Rotbertum ſanauit: Cluniacenſes econtrà aſſerunt quòd Hugoni ſuo factum hoc debeat imputari, qui meritis Petri in nomine Chriſti debilem erexit; vtrorumque cauſam ſuſcipio, pro captu meo vtriſque reſpondeo, fides Domino præſentat affectum, Dominus fidei largitur impenſum, Rotbertus rogauit Hugonem, Hugo Saluatorem; Petrus adſcitus eſt, Saluator operatus eſt.* Tam euidenti igitur Chriſti teſtimonio planetam hanc veram fuiſſe Petri veſtem Sacerdotalem, roti Vrbi regiæ Lutetiæ, quæ in æde Petri (nam hoc ei nomen, cui poſteà obtigit Genoueſæ) hoc eius pignus cum honore ſeruabat, manifeſtè conſtitit. Non vidi hanc planetam Apoſtoli, de colore eius vt quicquam certi decernere valeam; ſi coniecturis tamen niti liceat, ſubpurpuream eſſe reor, ſiquidem eſt in ſupellectili mea libraria vetuſtiſſimus Codex Liturgicus in membrana exaratus iis characteribus & figuris quæ annorum ſexcentorum ad minùs curſum ſuperant, in quo ad diem feſtum Cathedræ S. Petri menſe Februario, ipſe Apoſtolorum Princeps cernitur viuis (vt aiunt) coloramétis depictus, in ſolio pontificali ſedens, Sacerdotali Panoplia ornatus, Clericalíque in vertice corona, caſula verò poderi, ſeu tunicæ talari lineæ ſuperpoſitâ, inſignis, colore non prorſus violaceo, at ſubpurpureo conſpicua, non anguſta quidem, ſed patula, & pleriſque ſupra vtrumque cubitum plicis, & rugis ante pectus, & infrà ad extremum vſque limbum complicata, quæ primam prorſus antiquitatem ſpirat, nonnihiſâ forma poſterioribus temporibus vſurpata diuerſam; vt ſuſpicioni non temerariæ locus ſit, ſchema eiuſmodi non aliunde quàm à vetuſtioribus iconiſmis, verioribúſque picturis Apoſtolicis (quas à maioribus ſummâ diligentiâ obſeruatas Petrus Damiani Cardinalis proprio de his opuſculo aſſeuerat) eſſe deſumptum. De Apoſtolis tranſeamus ad Martyres. Pontius in actis Sancti Cypriani, quibus ſatis patenter eum inſinuat in Epiſcopali habitu eſſe paſſum, in hunc modum ſcribit, *In agro Sexti perductus eſt, & ibi ſe lacerno byrro exſpoliauit.* Byrrum verò fuiſſe Eccleſiaſticum indumentum cenſet Baronius ſub annum 261. numero 90. & ſeqq. Portò Sanctus Auguſtinus ſerm. 2. de communi vi-

ta Clericorum, fuiſſe innuit pretioſiores byrros Epiſcoporum, quàm Clericorum ſimplicium; *Nolo*, inquit, *talia offerat ſanctitas veſtra, quibus ego ſolus quaſi decentiùs vtar: offeratur mihi v.g byrrum pretioſum, fortè decet Epiſcopum, quamuis non deceat Auguſtinum.* Cuius verò coloris fuerit byrrus non ſatis conuenit inter vocabuliſtas tractatores. Si ſcita Feſti ſequimur, *Byrrum*, inquit, *dicebant antiqui quod nunc dicimus rufum;* ſubſcribit Eraſmus, qui byrrum dici à voce Græca πυῤῥὸν, igneum vel flammeum exiſtimauit. Alij Suidam & Rodiginum ſectantes, byrrum haud eſſe Græcum nomen, ſed Latinum arbitrantur, nec ideò ſcribendum per y ſed i noſtrum aſſerunt: & quamuis apud antiquos, flammeos byrros, vel rubri coloris præſertim apud Gallos, & Germanos in vſu fuiſſe fateantur: quoſdam tamen fuiſſe aiunt alterius coloris, Eccleſiæ porrò magis probatos fuiſſe candidos, qualem impoſitum fuiſſe cuidam Neophyto, ſtatim poſt baptiſmum Sanctus Gregorius commemorat lib. 7. Regeſti epiſt. 5. diſſimileſque fuiſſe byrros Eccleſiaſticos à laïcis, non tantùm formâ, ſed & colore, & Epiſcopales à Clericalibus. quos dicunt ab Epiſcopis ipſis, & Clericis, reſpectiuè, non vbilibet geſtari ſolitos, ſed tantùm in Eccleſiis inter diuina celebranda; vulgaribus enim in foro vel aliis locis vſos, formâ tamen à byrris laïcorum diuerſis: qua de re accuratiùs aliquando, ſi cœptis Deus fauerit.

A Sixto Papa & Martyre S. Cypriani contemporaneo miſſus fuit in Galliam S. Peregrinus, qui aratro crucis nouale Antiſſiodorenſe primus ſulcauit & ſeminauit, fuſóque in illuſtri martyrio ſanguine feliciter irrigauit. Seruatur in Dionyſiano regali Monaſterio eò tranſlatum iam olim beatæ eius animæ depoſitum, cum ſacrarum veſtium reliquiis; quarum paucis abhinc diebus particulas aliquot conſpicere mihi, & oſculari felici vice contigit: ſericeæ ſunt, floridæ, odoriferæ, varióque colore contextæ. Sedatis qui diu Eccleſiam vexauerant atris perſecutionum turbinibus, cùm primùm tandiu optata pax rebus Chriſtianis affulgere cœpiſſet, Conſtantino Imperium auſpicante, certatim vbique fideles narrat Euſebius lib. 10. hiſt. Eccleſ. c. 3. contendiſſe deſtructas ſacrarum ædium magnificentiori ſtructura inſtaurare moles, diuinos reſtituere ritus, & ſacrorum myſteriorum ac miniſteriorum decus adaugere. Imprimis Paulinus Epiſcopus Tyrienſis templum ædificauit longè pulcherrimum ad cuius encænia comprouinciales Epiſcopos euocauit: in quorum conuentu à pio eloquentiſſimóque oratore ipſi Paulino dicta eſt inſignis illa panegyris, quam Euſebius ne vmquam in obliuionem veniret, ſeriatim ſuis commentariis intexuit. Marmore, auro, picturis, floribus, cælaturis, omníque decoro adornatum fuiſſe à Paulino, ſummâ pietatis, & ſapientiæ induſtriâ magnificentiſſimum hoc opus, Chriſtianus ille encomiaſtes ſua in oratione prædicat; Paulinum verò, & Patres ſacro in Senatu conſidentes primo in limine orationis, his verbis ſalutat & affatur, quibus in ornatu pontificio interfuiſſe tantæ celebritati palam ſignificat, iſta enim apoſtrophe eos alloquitur: *Amici Dei, & Sacerdotes, qui ſacra talari tunica, cæleſtiſque gloriæ corona, & diuino chriſmate, denique Sacerdotali Sancti Spiritus ſtola decorati eſtis.* Euſeb. lib. 10. cap. 4. hiſt. Eccleſ.

cleſ. Podere igitur quæ linea eſt tunica Sacerdotalis, erant induti, ſtola ſuperiore exornati, & pontificio diademate, tiarâ, cidari, aut mitrâ in vertice inſignes ac venerabiles.

Sedebat hoc tempore in Romana Eccleſia Sanctus Silueſter, qui in Eccleſiarum ſtructura, & ornatu, & veſtium vaſorúmque ſacrorum gloria, rituúmque ac officiorum diuinorum illuſtratione, omnes (poſt Petrum) anteceſſores ſuos admodùm ſuperauit, quemadmodum ex libro Pontificali, geſtíſque eius perſpectum eſt; *Hic conſtituit* (inquit Pontificalis ipſe liber) *non ſolùm vt Diaconi dalmatica vterentur, ſed & palla linoſtima læuam tegerent.* Aras, baptiſteria, Apoſtolorum & Martyrum ſepulchra, aureis, argenteíſque laminis, gemmarum infinitarum ocellis, coronis pretioſis & columnis porphyreticis, baſilicarúmque parietes picturis ſpecioſiſſimis decorauit, tectáque incredibili artificio & pulchritudine exornauit; huius Pontificis mitra Romæ adhuc conſpicitur, in veteri Eccleſia S. Martini in montibus religioſè aſſeruata, quæ viridis eſt coloris, holoſerica non villoſa, phrygianæ artis: cernitur ibidem eiuſdem S. Pontificis calceus holoſericus itidem ac viridi imbutus colore; de quibus ſacris eius exuuiis fuſiùs aliàs diximus in Panoplia Epiſcopali.

Sub Conſtantio Conſtantini filio memoratur ab Ammiano Marcellino, Maras Diaconus tunicâ indutus Tyrienſis operis, quod texturæ erat purpureæ, quæ colore roſeo, quodam immixto nigrore, delibuta erat.

Sub Iuliano Conſtantij nepote ac Chriſti perfido eiuratore claruit S. Gregorius Nazianzenus, qui orat. 5. poſt reditum à fuga, recenſens ritus ſacros, quibus à patre & collegis pontificio initiatus eſt; **Idcirco me*, inquit, *in medium producis & ſuffugienti manum iniicis, ac iuxta te collocas, atque curarum ſimul & coronarum ſocium adſciſcis, idcirco me pontificem vngis ac podere cingis, capitique cidarim imponis.* Erat cidaris faſcia alba, ſpeciéſque diadematis; poderis verò candida tunica, ſcilicet linea Sacerdotalis, ab humeris ad talos vſque diffuſa; tunica tamen alia erat, quam à moriente Nepotiano ſibi legatam fuiſſe in pignus amicitiæ Sanctus Hieronymus in eius Epitaphio commemorat; *Quis crederet* (inquit) *in tali illum tempore noſtræ neceſſitudinis recordari, & luctante anima ſtudiorum ſcire dulcedinem? apprehenſa auunculi manu; hanc, inquit, tunicam qua vtebar in miniſterio Chriſti, mitte dilectiſſimo mihi, ætate patri, fratri collegio: & quicquid à te nepoti debebatur affectus, in illum transfer, quem mecum pariter diligebas; atque in talia verba defecit.* Ad quem locum ſcholiaſtes Marianus, *Tunicam hîc* (ait) *qua ad altare vti Preſbyter in miniſterio Chriſti vtebatur, pro ea quam capſulam** ac planetam vocitamus, intelligit.* Cuius coloris fuerit veſtis illa Sacerdotalis S. Hieronymus non exprimit. At hîc in memoriam reuocare iuuat quod ſuprà ex lib. 1. eiuſdem S. Hieronymi aduerſus Pelagianos notauimus, omnem ordinem Eccleſiaſticum, præcipuè verò Epiſcopum, Preſbyterum, & Diaconum in adminiſtratione ſacrificiorum cum candida veſte proceſſiſſe.

* διὰ τοῦτο εἰς μέσον ἄγεις, καὶ ἀποχωροῦντος λαμβάνῃ, καὶ παρὰ σεαυτὸν καθίζεις· καὶ κοινωνὸν ποιῇ τῶν φροντίδων καὶ τῶν στεφάνων. διὰ τοῦτο χρίεις τὸν ἀρχιερέα, καὶ περιβάλλεις τὸν ποδήρη καὶ περιτίθης τὴν κίδαριν.

** *caſulam*

Hac eadem ætate Sanctus Chryſoſtomus memorat Diaconos mini-

ſtrâſſe ſacris altaribus tunica admodum candida ac ſplendidiſſima indutos, homilia 83. in Matthæum; aureis etiam filis contextas ſtolas in ſacris myſteriis geſſiſſe Antiſtites, vel ex eo conſtat, quod refert Theodoretus de Cyrillo Hieroſolymitano Antiſtite ab Acacio, ob venditam eiuſmodi ſtolam in crimen vocato: *Acacius aiebat* (inquit lib. 2. cap. 27. hiſt. Eccleſ.) *ſacram ſtolam ex aureis filis contextam, quam excellentiſſimus Imperator Conſtantinus ad Eccleſiam Hieroſolymitanam cohoneſtandam Macario illius vrbis Epiſcopo donauerat, vt ea amictus ſacro-ſancti baptiſmatis miniſterium obiret, Cyrillum vendidiſſe*; at cauſam ex charitate profectam malignè Acacius reticebat, quam his exponit verbis Sozomenus lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 24. *Cùm fames agrum Hieroſolymitanum occuparet, multitudo rebus ad victum neceſſariis deſtituta, ad Cyrillum vt pote Epiſcopum opis implorandæ cauſâ confugit. qui, cùm pecuniæ ad eam ſubleuandam non ſuppeterent, theſaurum Eccleſiæ & ſacra aulæa vendidit*; quibus nimirum in ſacris ſolenniis reſurrectionis Dominicæ baſilica conſueuerat exornari.

In baptiſmo Clodouei regis Francorum Proto-chriſtiani Rhemenſem Eccleſiam aulæis variegatis fuiſſe decoratam, ac velis potiſſimùm candidi coloris Gregorius Turonenſis memoriæ prodidit lib. 2. hiſt. Franc. capit. 31. *Nunciantur hæc* (pia ſcilicet Francorum vota, regiſque eorum deſideria Remigio Rhemorum) *Antiſtiti, qui gaudio magno repletus, iuſſit lauacrum præparari. Velis depictis adumbrantur plateæ Eccleſiæ, cortinis albentibus adornantur, baptiſterium componitur, balſama diffunduntur, micant fragrantes odore cerei, totúmque templum baptiſterij, diuino reſpergitur ab odore, talémque ibi gratiam adſtantibus Deus tribuit vt æſtimarent ſe paradiſi odoribus conuocari. Rex ergo popoſcit prior ſe à Pontifice baptizari, procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum.* Moris fuiſſe vetuſtiſſimi, vt recèns baptizatis in ſignum recuperatæ per gratiam Chriſti innocentiæ, veſtis candida imponeretur, nemo eſt eruditorum in Eccleſiaſtica hiſtoria, qui ignoret, luculenter, & accuratè ex SS. etiam Martyrum actis, Pontificum geſtis, Sanctorúmque Patrum teſtimoniis ac ritualium librorum ſyntagmatibus demonſtrat Vicecomes lib. 5. obſeruationum Eccleſiaſticarum de antiquis baptiſmi ritibus ac Cæremoniis capp. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. per totum contextum. Econtrà verò altare & ſedem Epiſcopalem atro velamine viſum eſſe contectum tempore perſecutionis, teſtis eſt Theodorus Lector (infrà citandus) lib. 2. collectaneorum. Praxim verò actu probatam in Conciliis etiam Papa præſidente, ſicut collectæ ſeu orationis congruentis tempori in actionum exordio recitandæ, ita & conuenientis tempori & officio coloris obſeruandi ex Concilio Rhemenſi conſtat à Leone IX. celebrato, & Lugdunenſi à Gregorio X. Quanto verò cum ſtudio & diligentia obſeruati ſint varij colorum vſus in habitibus ſacris, & priuatis Latinorum & Græcorum Patrum, qui Ferrarienſi primùm, deinde Florentino Concilio interfuerunt ſub Eugenio IV. ex eiuſdem Oecumenicæ ſynodi actis ab Andrea de S. Cruce, patritio Romano & Apoſtolici conſiſtorij Aduocato, qui aderat deſcriptis, éxque autographo codice Bibliothecæ Vaticanæ in lucem editis ab Horatio

Iuſtiniano eiuſdem Bibliothecæ cuſtode primario, typis ſacræ Congregationis de fide propaganda an. ſal. 1638. facile fuerit ediſcere. Quamobrẽ hac à relatione eiuſmodi, loco iſto proferenda non inuitus abſtineo.

CAPVT VI.

Eccleſiam Romanam in ſacris ritibus & officiis, miniſtrorúmque diuini muneris veſtibus, non omnibus promiſcuè coloribus conſueuiſſe vti: at quinque dumtaxat ſelegiſſe, nempe album, rubeum, viridem, violaceum, & nigrum: præter quos alios vſurpare non licet, ex myſticorum theorematum præſcripto.

IN limine Miſſalis Romani Rubricæ proſtant generales, quibus quicquid ad ritus venerabilis ſacrificij rectè obſeruandos & exequendos ſpectare poteſt, accuratim præſcribitur; ibi verò eſt titulus ſerie 18. *de coloribus paramentorum;* cuius exordium, generalem hanc regulam præfigit; *Paramenta altaris, Celebrantis & miniſtrorum debent eſſe coloris conuenientis officio & Miſſæ diei, ſecundùm vſum Romanæ Eccleſiæ, quæ quinque coloribus vti conſueuit, albo, rubeo, viridi, violaceo, & nigro.* De quibus ſigillatim hîc quædam ſcitu non indigna, nec aliena prorſus à noſtro præſenti inſtituto exponemus.

ARTICVLVS I.

De albo, ſeu candido colore.

§. 1. *De ipſo candore, & eius myſteriis.*

INTER colores, albus & niger videntur quaſi contrarij, vel potiùs oppoſiti; hic tenebris ſimilis, alter luci: quæ ratio præcipua eſt pro primatu huius coloris; ille enim color (quemadmodum arguit Philoſophus lib. 1. Phyſicorum, & lib. de ſenſu & ſenſibili) eſt nobilior & præſtantior, qui magis vicinus eſt luci: ſed albus vicinior eſt luci, vt non cæcis patet: proinde cæteris antecellit. Sed ſine logicis argutiis plura ſunt prædicamenta, quibus huius coloris excellentia per modum diſcurſus oſtendatur. Quicquid ſanè in natura pulchrum eſt & inſigne, nobile, præſtans & fauſtum, in gratia præcipuum, hoc colore vel indicatur, vel illuſtratur: hic enim decorat, & deſignat ſimul ex elementis aquam, ex planetis lunam, ex facultatibus eloquentiam, ex virtutibus fidem præſertim & caſtitatem, ex gemmis adamantem & margaritam ſeu vnionem; ex ætatibus infantiam, à qua ducit vita primordium: deſignat inſuper fortunam proſperam & ſecundam, hinc apud veteres dies candidi & niuei lapilli felicitatis indices. Eſt prætereà inſigne victoriæ, vnde Angelus rediuiui Chriſti triumphum nuncians *ſtolâ* amictus apparuit *candidâ*, nitidioréque niue. Apud Romanos etiam fuit triumphantium inſigne; puritatis & innocentiæ ſemper, & vbique fuit indicium, hinc albis veſtiti recens

iniriati fideles : cuius ritus habetur etiamnum in octaua Paſchatis, quæ Dominica in *albis* dicitur, patens veſtigium, imò in baptiſmo eo ex more quo Sacerdos imponens infantulo recèns regenerato, loco albæ veſtis, linteum chriſmale, *Accipe* (inquir) *veſtem candidam, ſanctam & immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt habeas vitam æternam:* qui ritus non nuperus eſt, vt ex his conſtat verſiculis Paulini ad Seuerum ep. 12.

Vnde parens ſacro duxit de fonte Sacerdos
Infantes niueos corpore, corde, habitu.

Atque ex eo quod refert Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Franc. cap. 29. de Ignomiro filio primogenito Clodouæi regis in albis defuncto: qua de re cùm vxori Clorhildi quæ infanrulum baptizari fecerat, Rex ſuccenſerer, piè & prudenrer ei Regina reſpondit: *Deo* (inquit) *omnipotenti creatori omnium, gratias ago, qui me non vſquequaque iudicauit indignam, vt de vtero meo genitum, regno ſuo dignaretur adſciſcere; mihi autem dolore huius cauſæ animus non adſtringitur, quia ſcio, in albis ab hoc mundo vocatos, Dei obtutibus nutriendos.* Plaro, quemadmodum Alexander ab Alexandro refert lib. 2. Genialium dierum c. 19. albos colore homines Deo deuotos eſſe cenſebat, & in cultum eius plus cæteris impenſos. Talis erat Petrus dictus Bar-jona filius columbæ, qui inter orandum in mentis exceſſu cælos ſublimi volaru penetrabat & arcana Dei contemplabatur. Columbæ præſertim in Palæſtina lactei niueíque ſunr coloris; orantium idcirco candida menre, puro corde, & vera fide in Canticis, *oculi* dicuntur eſſe *ſicut columbæ, quæ lacte lotæ ſunt, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Candidiſſimis enim Palæſtina abundar columbis, quæ ſacræ aues habebantur; vnde illud Tibulliani Carminis lib. 1. eleg. 8.

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes,
Alba Palæſtino ſancta columba Syro.

In huiuſmodi columbæ ſpecie ſuper Chriſtum Spiritus Sanctus deſcendit; & Pſalmiſta animas electorum, ab ipſa columba quæ ſpiritus eſt ſanctificationis, dealbatas iri prædixit ad modum columbarum, quarum pennæ ita candidæ ſunr, vt argento puriſſimo decoratæ videantur, *Si dormiatis inter medios Cleros, pennæ columbæ deargentatæ,* &c. *dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, niue dealbabuntur in Selmon.* Pſal. 67. 14. 15. ita Apoſtolus dealbatus fuit, qui ex Saulo factus Paulus, de coruo columba præcipuo diuinæ gratiæ munere effectus eſt, de quo Aurelius Prudentius eleganter cecinir in Enchiridio, num. 23. tit. *VAS ELECTIONIS.*

Hic lupus antè rapax veſtitur vellere molli,
Saulus qui fuerat, fit adempto lumine Paulus,
Mox recipit viſum, fit Apoſtolus, ac populorum
Doctor, & ore potens, coruos mutare columbis.

Econtrà luget Hieremias in Threnis cap. 4. quòd Nazaræi Ieruſalem, *qui candidiores fuerant niue, lacte candidiores, mutato colore optimo,* atri, iam ciuirate ſubuerſa, & ſordidi facti ſint, adeò vt ampliùs non cognoſcerentur: *Denigrata eſt ſuper carbones* (inquir) *facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus, aruit & facta eſt quaſi lignum exſiccatum*

ſcilicet & ſemiexuſtum. Verùm Eccleſia lætabunda de Chriſti reſurgentis, & Apoſtolos ſuo felici & optato conſpectu lætificantis triumpho; in communi Apoſtolorum tempore Paſchali occinit; *Candidi facti ſunt Nazaræi eius, allelu-ia: ſplendorem Deo dederunt, allelu-ia; & ſicut lac coagulati ſunt, allelu-ia. Candidiores niue, nitidiores lacte.* neſcio quid viſum Tertulliano, qui Martyribus etiam candorem accommodet vbi vocat *candidam martyrij coronam*, lib. de *corona militis cap.* 1, *num.* 14. cùm tamen Cypriano ſit purpurea. At conciliari vtrque poteſt. In ipſo conflictu effuſo pro Chriſti fide & gloria ſanguine erant Martyres purpurei, at deinde tunicis in ſanguine agni dealbatis, facti ſunt candidi: rubei in pugna, candidi in victoria; in terra cruenti, in cælo lactei. *Datæ ſunt eis* (ait Ioannes Apoc. 6.) *ſingulis ſtolæ albæ, & dictum eſt illis vt requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorum, qui interficiendi ſunt ſicut & illi.* Spem ſalutis, qua animæ piæ hac in vita nutriuntur (nam *ſpe*, ait Apoſtolus Rom. 8. *ſalui facti ſumus*) eas efficere candidatas præfatus Tertullianus cenſet lib. 4. cont. Marcionem cap. 7. vbi de Chriſti diſcipulis à prædicatione reuerſis, & de patratis in eius nomine virtutibus ſibi plus æquo tribuentibus, eleganter ait Dominum *eos non de ſubactione ſpirituum, ſed de candida ſalutis gloriari voluiſſe.* Neminem eruditorum fugit à candida veſte, honorum petitores candidatos dictos fuiſſe, idipſum notat ipſe Tertullianus lib. de idololatria c. 18. *Vnde* (inquit) *& purpurati Regum vocabantur à purpura, ſicut apud nos à toga candida, candidati;* qui enim magiſtratus ambibant togâ candidâ induti ſeſe commendabant populo, hoc cultu integritatem probitatémque ex colore omnium puriſſimo & ſimpliciſſimo ſignificantes. Tertullianus iam ſemel & iterum citatus, idcirco propriè & appoſitè orantes puro corde, & pio ſpiritu, candidóque ore Deum laudantes, Angelorum candidatos appellat: *Proinde & nos Angelorum, ſi meruerimus, candidati,* &c. *iam hinc cæleſtem in Deum vocem* (Sanctus, Sanctus, Sanctus) *officiúmque futuræ claritatis ediſcimus;* ſenſus eſt Angelorum iam ſimilitudinem in nobis Deum orantibus, & glorificantibus ipſo officio pietatis inchoari, perficiendam tandem in gloria, vbi ſicut ipſi candidi & lucidi erimus, dicente Domino, *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo,* Marc. 12. 25. Color veſtis Angelicæ candor eſt, quo nitens Angelus reſurgente Domino, mulieribus de cultu eius corporis piè ſollicitis apparuit, *Viderunt enim iuuenem ſedentem in dextris* (ſepulchri) *coopertum ſtola candida.* Marc. 16. 5. Dicit Matthæus cap. 28. *Erat veſtimentum eius ſicut nix,* quo nitore effulſiſſe Dominum in Transfiguratione ſua, ipſi Euangeliſtæ teſtantur. Ioannes verò eius dilectus poſt aſcenſum glorioſum ſibi eum apparuiſſe refert *veſtitum podere*, id eſt tunica linea, oblonga & candidiſſima. Mos eſt, vt quo Rex oblectatur colore eius domeſtici inſigniantur: vnde Concilium Lateranenſe vltimum edicit de Clericis Papæ, vt à nigro colore diſpenſentur, & pontificio colore vti poſſint, propter ſummam ſedis Apoſtolicæ dignitatem. *Chriſtus* candor lucis æternæ, *& Rex gloriæ amictus eſt lumine ſicut veſtimento*, beatiſſima eius parens Virgo, tota candida, lilio comparatur, *Sicut lilium*, inquit, *inter ſpinas, ſic amica mea inter filias;* vi-

ſa eſt ſubfuſca in terris præ æſtu mœroris & doloris, cuius *gladius eius animam pertranſiuit;* at ex quo ad gloriam euecta eſt, & ſuper choros Angelorum exaltata, reginâque cælorum coronata, tum niueo lacteóque nitore tota excanduit; quamobrem poſt glorificationem animæ & corporis dilectis ſuis cultoribus apparens, veſtibus candidis paſſim conſpecta eſt induta: plurimas eiuſmodi apparitiones in textu Martyrologij noſtri annotauimus; plures in Commentariis notaturi. Paucis abhinc diebus (non ſine auſpicato euentu) meas incidit in manus, *Vita S. Philippi Nerei Congregationis Oratorij fundatoris*, non minùs piè quàm accuratè & eleganter à *P. Bacco Aretino eiuſdem Congregationis Preſbytero* cōſcripta, Romæque edita an. 1645. Superiorum permiſſu: cuius lib. 3. c. 10. viſa perhibetur ad dexteram filij adſtans ipſa ſanctiſſima Virgo virginum, *candidiſſimo amicta velo;* perfectæ ſcilicet gloriæ, lætitiæ & felicitatis inſigni. Ita cæleſti ſponſæ Eccleſiæ triumphanti; ab ipſo eius ſponſo, regnāti in gloria, vt candore æterno colluceat ornata, cōceſſum eſſe, eius paranymphus Chriſti dilectionis diſcipulus, cap. 19. ſuæ reuelationis, verſ. 6. 7. 8. & 14. inſinuat: *Audiui vocem,* inquit, *dicentium Allelu-ia; quoniam regnauit Dominus noſter omnipotens, gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: quia venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti & candido; byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum;* quos duce Chriſto procedentes, ſubiungit, ſe in triumpho vidiſſe, *ſedentes in equis albis, veſtitos byſſino albo & mundo.* At de albo & candido colore in ſeipſo conſiderato, mihi videtur pro inſtituto ſatis. Iam ſupereſt de myſtico eius vſu ab Eccleſia militante ſtatuto tempore ac ſelectis diebus, & certis in ritibus ac cæremoniis vſurpato, paucis dicendum. Monito ante omnia Lectore, hîc non me actum ire de alba Sacerdotali veſte, vel ſuperpelliceo lineo, aut ſupparo, ſeu humerali amiculo: quandoquidem de iis opportuniore loco à nobis diſſerendum erit (ſi Chriſtus dederit) vbi ſcilicet *de ſacris veſtibus Sacerdotum*, quas explicare ex profeſſo, ſigillatímque expendere ſtatuimus, in *Panoplia Sacerdotali*, poſt hanc prælo emittendam, typis mox itidem committenda.

§. 2. *De albi, ſeu candidi coloris vſu, in ritibus, ornamentis, & veſtibus Eccleſiaſticis.*

Albo *colore vtitur Romana Eccleſia, à veſperis Vigiliæ Natiuitatis Domini, vſque ad octauam Epiphaniæ incluſiuè, exceptis feſtis Martyrum, qui infra eam veniunt.* Cuius vſus ſi ratio quæritur, dico primò, nullum eſſe colorem, qui lumini magis conueniat eo colore, qui cæteris plus habet lucis: atqui albus, vt ſuperiùs notatum eſt, plus lucis omnibus aliis participat; proinde deſignādæ luci conuenientior eſt. Chriſtus verò, in quantum Verbum, eſt ſplēdor gloriæ Patris; vt verò Saluator deſideratus cunctis gentibus, tanquam ſol iuſtitiæ oritur ex alto, *lux vera eſt quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* eum igitur decet color candidus cùm ipſe ſit candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula. Inſuper de Chriſto naſcente canit Eccleſia, *Tamquam ſponſus Dominus procedens de tha-*

lamo ſuo; atqui fulcra thalami ſponſi (ſicut ſponſa ait in Cant.) *columnæ ſunt argenteæ* (Cant. 2.) quarum fulgor eſt candor. Præterea, in Natiuitate ſua filius Dei cum natura humana nuptias celebrauit. *At harum nuptiarum* (ait S. Chryſoſtomus in auctatio tom. 5. ſerm. 26.) *thorus eſt virginitas;* cuius candor & nitor immaculatus, proprium eſt indicium. præclarè Leo Magnus ſerm. 1. de Natiuitate Domini, ait omnipotentem Dominum induiſſe naturam humanam, *Mortalitatis quidem noſtræ participem, ſed peccati totius expertem: alienum quippe* (ait) *ab hac natiuitate eſt quod de omnibus legitur, nemo mundus à ſorde, neque infans cuius eſt vita vnius diei ſuper terram; nihil igitur in iſtam ſingularem natiuitatem de carnis concupiſcentia tranſiuit; nihil de peccati lege manauit. Virgo regia Dauidicæ ſtirpis eligitur, quæ ſacro grauidanda fœtu diuinam humanámque prolem priùs conciperet mente quàm corpore. Et ne ſuperni ignara conſilij ad inuſitatos paueret affatus, quod in ea operandum erat à Spiritu Sancto, colloquio diſcit Angelico, nec damnum credit pudoris, Dei genitrix mox futura.* Huc illa collineat Sancti Ambroſij ad Chriſtum natum apoſtrophe, hymno in natiuitate Domini,

Veni Redemptor gentium,
Oſtende partum Virginis;
Miretur omne ſæculum;
Talis decet partus Deum.
Præſepe iam fulget tuum,
Lumênque nox ſpirat nouum,
Quod nulla nox interpolet,
Fidéque iugi luceat. &c.

Accedit quod ait Apoſtolus Epheſ. 1. *Deus elegit nos in Chriſto, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* Sumus igitur nos ſicut litteræ, & characteres expreſſi digito Dei, qui eſt Spiritus Sanctus. Verbum incarnatum eſt liber vitæ, ſeu membrana illa virginalis candida, pura, & immaculata, in quo conſcripti ſumus. pulchrè ad hæc S. Gregorius hom. 8. in Euangelia; *Quid eſt quòd naſcituro Domino mundus deſcribitur, niſi hoc quòd apertè monſtratur, quia ille apparebat in carne, qui electos ſuos adſcriberet in æternitate.* Verùm multæ aliæ poſſent congruentiæ aſſignari, cur Eccleſia in natalis Domini ſolennitate, albo colore vti ſoleat. Sed, cur in Circumciſione? hæc enim feſtiuitas tempore quo candidus adhibetur color in paramentis & veſtibus ſacris, in præſuppoſita regula, includitur, cùm tamen videatur excipienda fuiſſe, illa enim die Chriſtus primum pro nobis effudit cruorem; nihil verò magis affine eſt ſanguineo liquori, quàm color rubeus: cur eo igitur Eccleſia non vtitur in Circumciſionis feſto? Ratio non vna eſt: prima, quòd officium illa die ex primigenio ritu, non fiebat de Circumciſione, at de octaua Natiuitatis Domini; quo etiam nomine in Matutinarum limine prænotatur: & in Miſſali reformato, non ſolùm de Circumciſione, at etiam de octaua Natiuitatis, Miſſæ diei primæ Ianuarij præfixa eſt in-

ſcriptio: accedit quòd feſti huius oratio eſt de Beata Virgine. De qua etiam ſunt Antiphonæ & nonnulla Reſponſoria. Deniq; etſi profundat hac die Chriſtus primum ſanguinem, nó vt victima immolata hoc facit, ſed vt hoſtia immolationi deſtinata, videlicet in ſacrificio crucis. In Natali Martyrum, quo reipſa vitam cum ſanguine profuderunt, pro Chriſti fide & gloria, purpureum ad hoc ſignandum conuenienter Eccleſia adhibet colorem. At in Inuentione, vel Tranſlatione reliquiarum eorumdem, cùm primùm publicæ fidelium venerationi exhibentur, mos veteris Eccleſiæ fuit, in ſignum lætitiæ & honoris, album colorem aſſumere, quemadmodum ex verbis iſtis patet S. Hieronymi ſcribentis ad Iulianum; *Lugubrem veſtem mutaueris, & dedicatio oſſium Martyris, candida tibi veſtimenta reddet.* Circumciſio Domini non fuit eius immolatio, ſed dedicatio dumtaxat, & quaſi deſignatio victimæ ad futurum ſacrificium: lac (quo eum paſcebat Virgo mater, *vbere de cælo pleno*) potiùs quàm ſanguinem illum fudiſſe, octo dierum infantulum, qui dixerit, non vſque adeò à veriſimilitudine aberrabit: lactanti ſanè puero & matri Virgini candor conuenientiſſimus eſt. Cæterùm in Epiphania Domini quòd idem color adhibeatur, prima cauſa fuerit lactea via ſtellæ; ſecunda deſcenſus columbæ ſuper Chriſtum, tertia ſanctificatio aquæ eius contactu facta, cùm in Iordane à Ioanne baptizaretur; &c.

Feria V. in Cœna Domini. Scilicet eo quòd illa die ſacrificium incruentum Dominus ipſe inſtituerit, quamobrem ſic orat Sacerdos iſta die paulò ante conſecrationem; *Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda, quæſumus Domine, vt placatus accipias.* Eodem die Chriſtus ipſe Dominus miſsâ aquâ in peluim, pedes diſcipulorum ſuorum, ſtupendæ humilitatis exemplo, abluit, exterſitque linteo albo quo erat præcinctus: hinc aptus igitur huic diei albus color.

Et Sabbatho Sancto in officio Miſſæ; nempe quia myſterij glorioſæ Reſurrectionis Domini factæ in aurora, celebratio inchoatur. Portò in ipſo die ſolennitatis reſurrectionis Domini, qui color ſit conueniens, apparẽs Angelus piis fœminis venientibus ad ſepulchrum ipſius Domini clarè indicauit ſtolâ candidâ coopertus; rectè id obſeruauit S. Gregorius hom. 21. in Euangelia: *Angelus qui nunciare perennem Chriſti vitam venerat, rectè ſtolâ candidâ coopertus apparuit, quia feſtiuitatis noſtræ gaudia nunciauit; candor enim veſtis, ſplendorem noſtræ denunciat ſolennitatis.* Propterea & in triumphali Aſcenſionis Domini die, illo alta cæli Apoſtolis intuentibus ſubeunte, Angeli duo virili ſpecie, candida inſignes veſte, viſi ſunt, *Ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos* (ait S. Lucas Act. 1.) *in veſtibus albis.* Acutè ad hæc præfatus S. Gregorius hom. 49. in Euangelia, *Chriſto naſcente* non legi candidatos Angelos apparuiſſe, quia in Natiuitate apparuit Deus humilis: in Aſcenſione oſtenſus eſt homo ſublimis. Conſpecti ſunt inſuper hoc fulgentes colore, honoris & lætitiæ gratia; quo ſpectantium mentes ſcilicet illuſtrarent ſimul & exhilararent, ſubnotant Sancti Epiphanius, & Chryſoſtomus, ac Venerabilis Beda. Cæterùm quòd

quòd toto tempore Paſchali color albus ſit in vſu, hinc fit, quòd tempus illud quod excurrit à die Dominicæ Reſurrectionis vſque ad Pentecoſten, ſit tempus lætitiæ, quemadmodum docet Sanctus Auguſtinus tract. 17. in Ioannem; *Cum labore* (inquit) *celebramus Quadrageſimam ante Paſcha; cum lætitia verò, tamquam accepta mercede, Quinquageſimam poſt Paſcha; ſiquidem glorificatio Domini Noſtri Ieſu Chriſti* (ſpéſque omnis noſtra) *ab eius reſurrectione ſumpſit exordium;* (item Sanctus Auguſtinus tract. 104. in Ioann. ſub med.) Ab hac die enim *ruptis mortis vinculis* (eleganter ſubiungit Sanctus Leo ſerm. 2. de Aſcenſione) *infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia tranſiuit in gloriam.* In Concilio generali Lugdunenſi, quo ſub Gregorio X. Græci cum Latinis conuenerunt, extat inſigne monimentum myſtici huius ritus, gerendi in apparatu ſacro albi coloris Paſchali tempore, ita enim legiſſe memini in procemio actorum ſynodalium ipſius Concilij: *Idem Dominus Papa circa horam Miſſæ deſcendens de camera ſua in ipſam Eccleſiam* (maiorem nimirum Sancti Ioannis Lugdunenſis,) *iniuncto priùs per ipſum ſanctiſſimum Patrem quarto die ante ſeſſionem, ſcilicet ſecunda eiuſdem menſis* (Maij) *ieiunio triduano, & ſedibus præparatis in naui ipſius Eccleſiæ per circuitum, præparato ſibi faldiſtorio in choro, conducentibus eum duobus Diaconis Cardinalibus; vt moris eſt, dixit Tertiam & Sextam, quia erat dies ieiunij. Quibus finitis, Subdiaconus venit cum ſandalibus, & calceauit eum, Capellanis dicentibus Pſalmos conſuetos circa ipſum: & eo calceato, & lotis manibus; Diaconus & Subdiaconus more ſolito induerunt eum omnibus veſtimentis albi coloris, quia inter Paſcha & Aſcenſionem erat, & pallio, ſicut ſi eſſet Miſſam celebraturus.* &c. Rubricæ inde igitur habes huius generalis confirmationem, videlicet quòd Romana Eccleſia albo colore vtatur à die Sabbathi Sancti, vſque ad Sabbathum Vigiliæ Pentecoſtes, idque ad Nonam; veſpertinum ſiquidem officium proprium eſt de hac ſolennitate. Additur autem exceptio notabilis, ſcilicet *in officio de tempore*, nam fit ipſo tempore Paſchali de Martyribus eo occurrentibus, quibus color proprius (de quo infrà) omni tempore aſſignatur, quo eorum celebrantur Natalitia Additur *inſuper, præterquàm in Miſſa Litaniarum & Rogationum;* his enim propter abſtinentiæ præceptum, & ſupplicationum officium quod mœſtitiæ quid redolet, color ſpecialis adſcribitur, his ipſis exercitiis magis accommodatus, vt infrà patebit.

Sequitur in rubrica: *In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.* Deus enim lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ; eſt prætereà natura ſimpliciſſimus & actus puriſſimus: eſt perfectiſſimus ſanctitate, glorioſiſſimus maieſtate; & quemadmodum albedo eſt fons omnium colorum, ita Deus principium omnium entium, à quo omnia, in quo omnia, per quem omnia. Singulæ tres perſonæ diuinæ album ſibi colorem in apparitionibus vendicârunt; de Patre ſcribit Daniel Propheta capit. 7. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum quaſi nix, & capilli eius quaſi lana munda.* Filius, fuit à Ioanne dilecto ſuo viſus, *veſtitus podere, & caput eius & capilli* (inquit) *erant*

DDdd

candidi tanquam lana alba, & tanquam nix; quo nitore etiam in ſua transfiguratione cùm nondum eſſet glorificatus, in Prophetarum Moſis & Eliæ, Apoſtolorúmque Petri, Iacobi & ipſius Ioannis conſpectu refulſerunt. Spiritus ſanctus ſuper ipſum corporali ſpecie ſicut columba deſcendit, ſpecioſæ nimirum & candidæ columbæ, nam in Canticis columba ſponſo dilecta, formoſa dicitur, lactea, candida & immaculata. Appoſitè Varro lib. 3. de re ruſtica cap. 7. mitiores & domeſticas columbas ait albo vtplurimum eſſe colore; aggreſte & ſaxatile genus varium & maculoſum: & Columella lib. 8. cap. 8. totus locus & ipſæ columbarum cellæ poliri debent albo tectorio, quoniam eo præcipuè colore *delectatur hoc genus auium.* Requieuit ergo in ſpecie columbæ Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum, eo quòd eſſet *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus,* Heb. 7. 26. Sunt qui ipſum Spiritum Sanctum eſſe cenſeant fluuium illum ſplendidum ſicut cryſtallum, quem conſpexit Ioannes ante thronum, Apoc. 4. procedentem de ſede Dei & agni, Apoc. 2. ſiquidem Spiritus Sanctus à Patre Filióque procedit, & fluuius iſte dicitur fluuius aquæ vitæ. Eſt autem ipſe Spiritus Sanctus fons viuus & viuificans. Atque hæc breuiter obſeruata ſunto de candido colore in cultu trium Diuinarum Perſonarum.

In feſto Corporis Chriſti. Attamen Eccleſia Pariſienſis (cuius ritus & ordinem ante mille annos laudauit Fortunatus) hac in ſolennitate, ab Vrbano IV. inſtituta, vſurpare ſolet rubeum colorem: ſed ſic omnia bene cedunt, cùm Chriſtus ſit in Euchariſtia candidus & rubicundus: candidus ſub ſpecie panis, rubicundus ſub vini ſpecie; candidus vt panis vitæ in Sacramento, rubicundus vt hoſtia ſalutis in ſacrificio; candidus glorioſa immortalitate, rubicundus paſſione, & myſtica mortis commemoratione; candidus nitore puritatis, rubicundus feruore charitatis, &c.

In feſto Transfigurationis Domini. Cauſa eſt perſpicua: nam ipſe in hoc myſterio veſtibus candidis, ſicut nix eſt & lana munda ſpectabilis apparere voluit.

In feſtis Beatæ Mariæ Virginis. Nec abs re, eſt enim Virgo Deigenitrix, totius prototypus puritatis, de qua rectè Sanctus Anſelmus, *decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior nequeat ſub Deo intelligi.* Ideò in Canticis myſtico intellectu rebus aſſimilatur, quæ candore eximio nitent, *lilio* ſcilicet, *columbæ candidæ, lacteæ, immaculatæ; lectulo florido innixo columnis argenteis, fonti puriſſimo, turri eburnea,* &c.

Excipitur in feſto Purificationis Mariæ vſus albi coloris in benedictione Candelarum, quia huic cæremoniæ violaceus color, in ſequenti rubrica, aſſignatur: qui color mixtus eſt. Et verò accenſus cereus in flamma rubet, candet in cera, linóque, cui infuſa hæret. Addi poteſt benedictiones candelarum, aquæ, ſalis, cinerum, ramorum, olei, ad exorciſmos pertinere, quamobrem actus ſunt auctoritatis Sacerdotalis, quibus vis Dæmonum aſtúſque abigitur; cum purpureo igitur ſubfuſco co-

lore fiunt ad indicandam ſacri magiſtratus poteſtatem, & vnà terrorem inimicæ partis.

In feſtis Angelorum. Angelorum (inquit Sophronius in Encomio de Angelis & Archangelis) *eſt magnitudo immenſa, chorus incomparabilis, lætitia inexplicabilis, pompa admirabilis; quæ eos ſanè decet, cùm ſint diuina ſpecula, viua ſimulachra, & imagines diuinæ pulchritudinis.* Quod in ſole radij, in fonte riuuli, hoc ſunt Angeli lucis apud Deum. Virgo ſanctiſſima Richmundis viſionibus Angelorum aſſueta, cùm ab ea quis quęreret quales eſſent effigie Angeli? Reſpondit ſtaturas habere humanas, facies virginibus ſimillimas, genas ad inſtar roſarum rubentes, & reliquis membris contectis veſtibus niue candidioribus: apud Cæſarium lib. 8. c. 7. Auctor eloquentiæ ſacræ Cauſſinus, eleganti artificio veſtem depingit qua paſſim repræſentari ſolent; *Tunica deinde* (inquit) *byſſina eſt, quam ſubtilis denticulati operis limbus circumquaque excurrens, magna veſtit cum dignitate.* Candida veſte pro more apparentes Scriptura Sacra pleriſque locis refert, quę hîc breuitas amica minutim haud ſinit recenſeri, præſertim cùm nec opus ſit, pleriſque iam ſuprà adductis; ſicut in Euangelio Matthæus dat illis ἔνδυμα λευκὸν, c. 28. Marcus cap. 16. στολὴν λευκὴν περιβεβλημένοι, Ioannes verò ἐν λευκοῖς. Quibus tamen abuſus locis Seuerus Antiochenus, ita dudum delirauit, vt Angelis alio vti quàm candido colore, in ſuis apparitionibus, fas non eſſe aſſeueraret, perinde ac ſi eis purpura vti non liceat. Verum eſt quidem candorem placere Angelis, plúſque adhuc in mente quàm in veſte, ideóque ſæpe ſæpius viſos fuiſſe indutos candido & ſplendenti amictu, qui candoris, puritatis, lætitiæ & gloriæ ac dignitatis ſymbolum eſt. Apparuerunt paſſim propterea, vt verbis Leonis Magni vti liceat; *mirabili veſtium candore fulgentes,* ſerm. 2. de Aſcenſione Domini. *Niui enim veſtis Angeli comparatur,* ait Chryſologus ſerm. 74. His de cauſis Eccleſia in feſtis Angelorum album colorem decreuit obſeruandum, quoniam hic color eis acceptiſſimus eſt, eorúmque officiis ac operationibus, titulis ac legationibus Dei ad homines optimè conuenit.

In Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ. Quia vt prædixerat Angelus, *in eius Natiuitate multi gaudebunt;* lætitiæ verò eſt candor in veſtibus indicium. Item eſt color Angelicus: Ioannes porrò etſi naturâ homo, officiô tamen & meritô Angelus fuit; *hic eſt enim de quo ſcriptum eſt,* (ait Dominus Matth. 11. 10.) *Ecce ego mitto Angelum meum qui præparabit viam meam ante te.* Prætereà, albus color ob puritatem qua nitet, omnis maculæ expers eſt, & ideò ſignum proprium ſanctitatis: priuilegium autem fuit Ioannis, vt antè ſanctus eſſet quàm naſceretur iuxta Angeli oraculum, Luc. 1. 15. *Spiritu Sancto replebatur adhuc ex vtero matris ſuæ:* hinc tantus ei inſedit ardor ſeruandi inremerati candoris, vt ſtupens Eccleſia tantæ ſanctitatis prodigium, ipſa in eius Natiuitate eidem venerabunda concinat, *Luc. 1. 14.*

Antra deſerti teneris ſub annis
Ciuium turmas fugiens petiſti,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.
O nimis felix, meritique celſi

DDdd ij

Neſciens labem NIVEI PVDORIS:
Præpotens Martyr, eremique cultor,
Maxime vatum.
Non fuit vaſti ſpatium per orbis
Sanctior quiſquam genitus Ioanne,
Qui nefas ſæcli meruit lauantem
Tingere lymphis.

In principali feſto S. Ioannis Euangeliſtæ, quod celebratur infra octauam Natiuitatis Domini. Hæc tamen non eſt cauſa, cur albus color in hac S. Ioannis feſtiuitate aſſignetur: nam & S. Stephanus & beati Innocentes eodem tempore concurrunt, & tamen in eorum natalitiis non candido, ſed rubeo colore Eccleſia vti ſolet. Ratio igitur propria hæc eſt; quòd incruento exceſſu, dilectus hic Domini diſcipulus, ad ſuperna migrauerit; inſuper vt de eo canit Eccleſia, virgo electus eſt à Domino, atque inter cæteros magis dilectus: cui Chriſtus in cruce matrem virginem, virgini commendauit. Eſt verò candor indicium caſtitatis; vnde paſſim liliis ſponſus virginum ſponſam virginem ſingulis fere verſiculis Canticorum aſſimilat. Addi etiam poteſt Auroram orientis Solis præambulam, via lactea & argenteo decore rutilam miro ſplendore incedere. Non ſolus Ioannes Baptiſta Chriſti prænuncius fuit; at Euangeliſta quoque qui generationem diuinam ſtylo planè Euangelico, ac ſpiritu prorſus diuino enarrauit.

Addit rubrica; *In vtraque Cathedra S. Petri.* Velis candidis olim cathedræ Epiſcopales ornabantur: alluſiſſe huc mihi videtur Pontius Diaconus in relatione Martyrij S. Cypriani, vbi notanter ait; *Sed vbi ad prætorium ventum eſt, nondum procedente Proconſule, ſecretior locus datus eſt; illic cùm poſt iter longum nimio ſudore madidatus ſederet, ſedile autem erat fortuitò linteo tectum, vt & ſub ictu paſſionis Epiſcopatûs honore frueretur.* &c. Mos igitur iam erat ornandi Epiſcopales ſedes velis candidis. Gradatas autem eis abſides, & velatas cathedras eis parari ſolitas, ſuo ſubinde tempore S. Auguſtinus non vno loco meminit, qui ſerm. de Chriſto ambulante ſuper aquas & Petro titubante (eſt in appendice de diuerſis 2. tom. 10. pag. 641.) huc iterum reſpexiſſe videtur, ad vela nihilominus alia quæ nauibus appendi ſolent digreſſus; *Huic ergo antennæ id eſt Chriſti cruci* (inquit) *ſimplex conuerſatio, & pura confeſſio tanquam candentia vela religentur, & hæc vela noſtra fletibus* (non *fluctibus*; vt perperam legitur in editis paſſim exemplaribus) *abluantur, veſtiſque tendatur, vt ſine macula & ruga inueniatur.* Nihil Eccleſia facit ſine cauſa; in Cathedræ Petri veneratione honorari Epiſcopatûs initium, Eccleſiæ fundamentum & Sacerdotale officium docet ſerm. 105. de Sanctis, qui eſt primus de ipſa Petri Cathedra S. idem Auguſtinus: *Neceſſe eſt enim* (ſubnectit) *tantò plus habere Eccleſiam dignitatis, quantò Sacerdotale officium plus honoris:* quid mirum igitur, ſi candido ornatu conſpicua ipſa Eccleſia natalem Cathedræ Sancti Petri celebret, quæ honoris cauſâ Epiſcopales Cathedras inferiorum præſulum, velis candentibus decorare conſueuerat.

In feſto S. Petri ad vincula, quando ſcilicet à vinculis liber & illæſus

abiit, cum luce de tenebris egreſſus, ab Angelo de morte in viam vitæ deductus.

In Conuerſione S. Pauli. Qua ſcilicet de coruo mutatus eſt in columbam, factus nimirum de Saulo Paulus, de lupo agnus, de perſecutore prædicator, de filio iræ, vas electionis & gratiæ.

In feſto omnium Sanctorum. Candor, eſt paradyſi ornatus: Tobiæ ideò votum hoc in ſupremis fuit; *Beatus ero ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Ieruſalem.* Tob. 13. 18. 19. 20. *Portæ Ieruſalem ex ſaphiro & ſmaragdo ædificabantur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius: ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius Allelu-ia cantabitur;* apud Ioannem in Apocalypſi cap. 19. & 21. ſuperna Sion cryſtallo nitere perhibetur; ciues verò eius induti ſunt byſſino mundiſſimo.

In feſtis SS. Pontificum, & Confeſſorum non Pontificum, & Doctorum. Lucidos Confeſſores in epinicio feſti omnium SS. Eccleſia cognominat, in quibus nimirum illa eſt impleta Domini ad diſcipulos ſuos commonitio: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Matth. 5. 16. Doctorum eſt aureola candida, quemadmodum innuit Angelicum vaticinium, Daniel. 12. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Si miſcere liceret ſacra profanis, huc referri poſſet inſigne dictum Plutarchi lib. de Iſide & Oſiride: vbi cauſam diſquirens cur Sacerdotes linteis tantùm veſtibus vterentur, id quidem factum ait quòd immortalibus Diis omnia pura mundáque conueniunt. Optandum fuiſſet equidem vt diſcrimen aliquod interponeretur, inter Confeſſores Eccleſiaſticos, puta Pontifices & Sacerdotes; ac Confeſſores laïcos, in ipſo colore, qui in eorum feſtis vſurpatur. Verùm quæri poſſet, cur à prudente Matre Eccleſia non eſt adhibita in hoc diſtinctio? Tertullianus non dari differentiam dicebat, quando populus in Clerum intumeſcit; *Quum extollimur* (ait de Monog. c. 12.) *& inflamur aduerſus Clerum, tunc omnes vnum ſumus; quum ad peræquationem Sacerdotalis diſciplinæ prouocamur, deponimus infulas.* Anarchiam hanc, Eccleſia quæ à Deo ordinata eſt, non admittit. cur igitur ſacris & laïcis Confeſſoribus eundem attribuit in ritu eorum commemorationis colorem? certè quia ſtatum præſentem non reſpicit, ſed ſtatum æternæ beatitudinis, in quo ampliùs nulli laïci erunt, ſed omnes huius priuilegij participes, quòd omnibus ex æquo Chriſtus quoad futuram vſuram acquiſiuit; *Lauit enim nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & Sacerdotes Deo & patri ſuo.* Apoc. 1. 6.

In feſtis ſanctarum Virginum. *Angelis ſemper eſt cognata virginitas*, ait ſcitè & congruenter S. Chryſologus ſerm. 143. quin ait de ipſis Angelis Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 12. ἁγνείας ἐργάτας, *virginitatis opifices*, quaſi non modò cognati, ſed parentes ſint virginum. Verùm Bleſenſis virgines & cœlibes quaſque animas pias, Angelorum ſorores appellat, eòque vſque progreſſus eſt, vt diceret (quod pleriſque incredibile videbitur) ſupplementum ruinæ Angelicæ ex ſolis caſtis fieri, *cùm Angeli tan-* Serm. 28.

tâ non accedant ad Angelos affinitate. Verùm hoc cùm benigna intelligentia accipi debet: cui momentum affert auctoritate ſua S. Cyprianus lib. de virginitate, de qua ait: *Virginitas eſt ſoror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, poſſeſſio omnium bonorum, quæ tenet in cælo aureolam, & in terra principatum.* Quæris quo fulgeat colore hæc virginum aureola? reſpondeo, vt corona martyrum eſt rubea, ita virginum eſt candida. *Floribus triumphantis Eccleſiæ* (inquit Venerabilis Beda ſerm. 18. de Sanctis) *nec roſæ, nec lilia deſunt. Certant ſinguli ad vtroſque honores ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. In cæleſtibus enim caſtris pax & acies habent flores ſuos, quibus milites Chriſti coronantur.* Sed ecquid igitur Eccleſia delectum non interponit; at promiſcuè decernit album colorem vſurpandum non modò in feſtis ſanctarum Virginum, ſed etiam non virginum? reſpondeo, quoniam plus gratiæ donum, & pœnitentiæ gemitum quàm culpæ labem attendit, vnde canit de Magdalena ſignifera pœnitentium,

In theſauro repoſita
Regis eſt drachma perdita,
Gemmáque luce inclyta
De luto luci reddita.

In Dedicatione, & Conſecratione Eccleſiæ, vel altaris. Ratio fundamentalis huius ritus eſt analogia templi materialis, cum ſpirituali, terreſtríſque Eccleſiæ cum cæleſti; & mundities atque ſanctitudo quæ decet domum Dei. (vt docet Propheta, Pſal. 92.) Quàm verò iam olim fuerit ritus ille celebris, vt in dedicatione & conſecratione Eccleſiæ color albus aſſumeretur, in ſanctificationis myſticæ indicium, patenti monimento eſt quod memoriæ prodidit Sugerius Abbas in lib. *de Conſecratione Eccleſiæ S. Dionyſij facta regnante Ludouico VII. à Samſone Rhemenſi, Hugone Rothomagenſi, Guidone Senonenſi, Theobaldo Cantuarienſi Archiepiſcopis; Gaufredo Carnotenſi, Iosleno Sueßionenſi, Simone Nouiomenſi, Elia Aurelianenſi, Odone Beluacenſi, Hugone Antiſsiodorenſi, Aluiſo Attrebatenſi, Guidone Catalaunenſi, Algaro Conſtantienſi, Roterco Ebroicenſi, Milone Teruanenſi, Manaſſe Meldenſi, Petro Siluanectenſi Epiſcopis, hoc ſcilicet inſignitis ornatu ſacro ac pontificio apparatu. Igitur ſummo mane* (erat autem ſecunda Iunij Dominica, in quam incidebat Natalis Sancti Barnabæ Apoſtoli, 3. idus Iunij) *Archiepiſcopi, Epiſcopi, de proprijs hoſpitijs cum Archidiaconis, & Abbatibus, & alijs honeſtis perſonis, ad Eccleſiam accedentes Epiſcopaliter ſe componebant, & ad dolium pro conſecratione aquarum ſuperiùs inter Sanctorum Martyrum ſepulturas & S. Saluatoris altare, ſatis decenter, ſatis venerabiliter aßiſtebant; videre, & qui aderant, non ſine magna deuotione audiebant tot tantúmque chorum Pontificum VESTIBVS ALBIS decorum, mitris pontificalibus, & circinatis aurifriſiis admodum comatum, paſtores virgas manibus tenere, circumcirca dolium ambire, nomen Domini exorcizando inuocare, tam glorioſos & admirabiles viros æterni ſponſi nuptias tam piè celebrare, vt potiùs chorus cæleſtis, quàm terrenus, opus diuinum quàm humanum tam Regi quàm Nobilitati aßiſtenti videretur apparere.* In baptiſmo Regis Clodouæi, Rhemenſis Eccleſia vt in die Dedicationis albentibus velis & cortinis ornata erat,

teſte Gregorio Turon. lib. 2. c. 31. iam citato, & Hincmato Rhemenſi Archiepiſcopo in vita Sancti Remigij: addit Flodoardus hiſt. Eccleſ. Remenſis lib. 1. c. 13. deficiente chriſmate ſanctum Præſulem diuinam opem implorâſſe; *Et ecce*, inquit, *ſubitò columba, ceu nix aduolat candida, roſtro deferens ampullam cæleſtis doni chriſmate repletam.* Sed vt ad encænia redeamus; eſt in meis manibus Pontificalis liber ad vſum Patiſienſis Eccleſiæ MS. in membrana, tantæ antiquitatis vt 500. annorum eſſe videatut, imaginibus artificiosè, & cum viuis, vt aiunt, colotibus depictis inſignitus: in quo cernere eſt Pontificem myſterium dedicationis operantem, tunica, pluuiali, ſtola, manipulo mitrâque & chitothecis albi coloris, cum fimbriis, circulíſque, & limbis aureis conſpicuum. Certè Cornelij Centurionis diuino iuſſu facta in Eccleſiam cum ſua familia cooptatio, dedicatio fuit gentilitatis, & conſectatio primitiarum eius Chriſtiano cultui. In hac verò quo colore Angelus fuerit indutus, qui rei agendæ nuncius, & primus fuerat adminiſter, ſignatim expreſſit ipſe Cotnelius Petro ad ſe cælitus miſſo, apparitionem Angeli ſibi factam refetens; *Orans*, inquit, *eram hora nona in domo mea: & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait, Corneli, exaudita eſt oratio tua*, &c. *mitte ergo Ioppen & accerſe Simonem, qui cognominatur Petrus*, &c.

Ac in conſecratione ſummi Pontificis. Quo colore vti deceat in hac celebri actione, illa ſignificauit columba candida & manſueta, quæ volitans dudum ſupet caput Fabiani futuri Papæ & Martyris, mirantibus cunctis qui aderant inſedit, ſuóque ſupetno illapſu & placido ſitu, electionem eius à diuino nutu & gratia profectam indicauit, provt commemorat Euſebius lib. 6. hiſt. Eccleſ. cap. 29. *Columbam* (inquit) *ſubitò è ſublimi delapſam capiti ipſius ad imitationem Sancti Spiritus qui in ſpecie columbæ ſupra Seruatorem deſcendit, inſediſſe, atque ita populum cunctum vno ſpiritu percitum ſimul ſumma cum alacritate & animo vno dignum Epiſcopatu proclamâſſe, & incunctanter apprehenſum in ſedem Epiſcopalem collocâſſe*; quæ iam hoc tempore (vt ſuprà obſeruauimus) candidis velis otnari conſueuerat. Sequitur in rubrica, *& in Anniuerſario creationis & coronationis eiuſdem*; quod ſanè conſentaneum rationi, *nam acceſſorium ſequitur naturam principalis*: porrò anniuerſarium creationis aut cotonationis Pontificis ſummi, nihil eſt aliud quàm illius actionis commemoratio, proinde eius conſecutio & appendix, quamobrem ſuæ origini correſpondere debet.

Addit rubrica, *Et electionis & conſecrationis Epiſcopi*: ratio eſt perſpicua, quoniam ſicut in Epiſcopo (aiunt Patres) manifeſtum eſt formam Preſbyteri contineri; ita & in ſummo Pontifice forma eſt expreſſa inferiorum Pontificum. ideóque S. Ambroſius lib. 3. de Sacram. c. 1. typum & formam Romanæ Eccleſiæ ſibi ſequendam, vt archetypum proponebat. Hoc habet Calixtus Papa & Martyr c. *non decere à capite*, &c. diſt. 12. n. 1. & Innocentius I. ep. ad Decentium: idipſúmque religioſæ obſeruationi commendatum in Capitulari Aquiſgran. ediro ſub Carolo Magno c. 80. his verbis legimus. *In memoriam B. Petri Apoſtoli, honoremus Sanctam Romanam Eccleſiam & Apoſtolicam ſedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis*, (*ex hac* enim, ait S. Cyprianus, *vnitas Sacerdotalis exorta eſt*:) *eſ-*

ſe debeat Eccleſiaſticæ magiſtra rationis: non modò ſcilicet in dogmatibus doctrinæ & moribus diſciplinæ, ſed etiam in ſacrorum rituum rheoria & praxi. Qua de re aliàs diſſeruimus.

Item per Octauas prædictorum feſtorum, quæ Octauas habent, quando dicitur Miſſa de Octaua; ratio eſt, quia fieri deber in Octaua ſicut in die. Sequitur *& in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in iis officium ſit de Dominica;* nimirum quòd ipſa Dominica ſit de Octaua, quæ ſequi debet diem ſolémnem principalem. Sed ponit rubrica exceptionem, *Præterquàm in illis Dominicis quibus tributus eſt color violaceus*, quia ſcilicet ſunt Dominicæ Aduétûs, vel ex iis quæ à Septuageſima excurrunt vſque ad Dominicam Palmarum incluſiuè. Sed videtur illa exceptio minùs neceſſaria, quandoquidem in illis Dominicis vix Octauæ fiant, & ſi quæ aguntur, interuenientibus Dominicis non fit officium de Octaua, ſed de Dominica, in qua ad ſummum fit memoria de ipſa Octaua.

In Miſſis votiuis ſupradictorum feſtorum, quocumque tempore dicuntur; eo quòd videlicet Miſſæ illæ non ſunt de tempore, ſed de feſtis vel myſteriis, quibus etiam in externo cultu concordare debent.

Et in Miſſa pro ſponſa. Ratio ex dictis Apoſtoli deſumpta videtur, Heb. 13. 4. *Honorabile eſt connubium in omnibus, & thorus immaculatus;* candor verò eſt honeſtatis & puritatis indicium. Pariſienſis Eccleſia hunc ipſum ſequitur morem, quin ſuo in manuali, ſeu rituali iubet vt Parœcus ante ipſam Miſſæ celebrationem benedicturus futuros coniuges, ad munus hoc peragendum accedat indutus ſuperpelliceô, & ſtolâ albi coloris; vel amictu, albâ, & ſtolâ eiuſdem coloris, ſine manipulo.

Præter has regulas in exordio Miſſalis præſcriptas, aliæ ſunt in Pontificali Romano, de vſu albi ſeu candidi coloris, in nonnullis aliis ritibus, ſcilicet part. 1. tit. *de Confirmandis*, Pontifex infantes, pueros, vel alios confirmare volens ornatus debet eſſe *ſupra rochetum, vel ſupra ſuperpelliceum ſtolâ, pluuiali, & mitra albi coloris.* Tit. *de conferendis ordinibus;* generali regula ſtatuitur, vt Epiſcopus ordines collaturus omnia paramenta Pontificalia accipiat coloris tempori conuenientis; quamobrem in ordinatione quæ fit Sabbatho Sancto, vritur albo colore: at Sabbatho infra octauam Pentecoſtes, rubeo; in quatuor temporibus Aduentus, violaceo. Eadem regula aſſignatur etiam in conſecratione electi in Epiſcopum, quoad conſecrantem Pontificem; tametſi albi coloris ornamenta debere eſſe, rubrica moneat, quæ conſecrando præparantur. Part. 2. Pontificalis, tit. *de benedictione, & impoſitione primi lapidis pro Eccleſia ædificanda: Pontifex aſſumere debet ſtolam, & pluuialem albi coloris* cum mitra ſimplici. Et tit. *de Eccleſiæ dedicatione, ſeu conſecratione*, induat, interdum ſeptem Pſalmi pœnitentiales recitantur, amictum, albam, cingulum, ſtolam & pluuiale albi coloris cum mitra iridem ſimplici, eiuſdémque coloris paramentis Diaconus & Subdiaconus indui debent. Tit. *de Conſecratione altaris* idem color præſcribitur: ſimiliter *in Cœmeterij benedictione;* itidem *in Eccleſiæ & Cœmeterij* reconciliatione. Item *de campanæ benedictione.* Tit. de officio feriæ v. in Cœna Domini, ampulla benedicendi chriſmatis, operiri debet panno ſerico albo. Notanda rubrica ſequens; *Hora competenti*

*petenti Pontifex venit ad Eccleſiam, vbi parat ſe ad Miſſam omnibus pontificalibus ornamentis pretioſis albi coloris. Parant ſe etiam miniſtri Pontificis, & vltra illos duodecim Preſbyteri, ſeptem Diaconi & ſeptem Subdiaconi, Acolythi, & alij neceſſarij omnes veſtibus albi coloris, ordini ſuo congruentibus; quibus omnibus paratis, procedunt ad altare proceſſionaliter.** In ordine reconciliandi apoſtatam vel hæreticum, color albus notatur; item in viſitatione Eccleſiarum, Capellarum, reliquiarum, imaginum, altarium, ſacriſtiæ, &c. notanda quæ ſequuntur; *In benedictione noua Crucis debent eſſe ornamenta rubei coloris. In expulſione publicè pœnitentium violacei coloris.* Item & in *eorum reconciliatione feria 5. in cœna Domini. In ſynodo color rubeus. In degradatione color tempori conueniens.* In ordine abſoluendi publicè excommunicatum, *color violaceus:* tamen *in reconciliatione apoſtatæ color albus.* In receptione Prælati, vel Legati color indifferens, quia ſemper dicitur ornamentis vtendum eſſe pretioſis in viſitatione. *Violacei vel nigri coloris ſtola & pluuiale eſſe debent* circa memoriam & commendationem defunctorum: in exequiis ſummi Pontificis, aſſignatur etiam color niger: at aſſumit Pontifex alba ornamenta in viſitatione ſanctarum reliquiarum, imaginum, altarium, capellarum, ſacriſtiæ, &c.

* Nota. Scioli exſcriptoris culpâ, hîc (vt pluries hac in editione) accidit: quæ ſignaueram in margine: tranſiliiſſe in textū, non ſine aliqua recti ſenſus intercisione.

Cæterùm me veniâ (quæſo) benignus lector dignabitur, ſi has colorum differentias quæ propter rituum varietatem in Pontificalis Romani rubricis aſſignantur, minutim & ſigillatim, ſicut in rubricis Miſſalis fecimus, non expendimus: plurima ſanè menti occurrebant, quæ non contemnenda obſeruatione videbantur, ſed iniecit animo remoram prolixitas, adeò hoc tempore faſtidioſa. Plura ſanè omninò, quàm ab exordio diſſertariunculæ huius propoſueram hoc in ſyntagmate de albi coloris vſu myſtico annotaui; vereor ne fortè nimia; quamobrem ne tædium legentium augeam, perſtrictum ire accuratam hanc indaginem ſatius eſſe, quàm extendere habui perſuaſum.

ARTICVLVS II.

De rubeo colore.

§. 1. *De ipſo colore, & eius arcanis.*

RVBEO colori præcipuum colorum decus eſſe inditum, ex veterum placitis colligi poſſe videtur, qui ignem ex elementis, Martem ex planetis, leonem ex ſignis: ex ætatibus iuuentutem, ex floribus roſam, ex virtutibus caſtitatem & honeſtum pudorem, eo ſignificari volebant. Et de rubore quidem in maxillis præſertim, quod ſit honeſtatis & pudicitiæ indicium, etiam Poëtæ cecinerunt: Ouidius,

Pulchra verecundo ſuffundit ora rubore.

Et Tibullus lib. 3. Eleg. 4. in fabula Daphnis,

Vt iuueni primùm virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

Non minùs eleganter, at magis piè & grauiter S. Gregorius Nazianzenus, orat. aduerſus mulieres. *In fœminis,* inquit, *vnus color amabilis eſt, nimi-*

rum rubor ille quem pudor gignit; & orat. in laudem Gorgonæ Sororis; *vnus illi rubor placebat, quem gignit pudor: vnus candor, quem parit abſtinentia.* Hinc ſponſus in Canticis à genuino & pudico rubore, ſponſæ commendat non ſemel pulchritudinem; *Sicut vitta coccinea*, inquit, *labia tua, ſicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ.* Nullus eſt enim color qui magis commendet cum pudicitia, naturalem pulchritudinem: vnde ipſum diuinum ſponſum eadem ſponſa ſpecioſum prædicat; *Dilectus meus candidus,* inquir, *& rubicundus;* hunc decorem canit etiam Tibullus in ſuo Adoleſcente lib. 3. Eleg. 4.

Et color in niueo colore purpureus.

Et Virgilius in Lauinia,

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor.

Eſt etiam in adoleſcentibus maſculis virtutis argumentum, vnde celebre eſt illud Diogenis dictum ad iuuenem perfuſum rubore ex honeſta verecundia, *Macte fili, huiuſmodi eſt enim ingenuæ virtutis tinctura.* Felix fuit fauſtúſque Philippo Macedoniæ Regi, rubor filij in Romano Senatu repentè exortus, cùm patris publicè ſcelera, ex ſcriptis recitari audiret; ſolo enim pudoris indicio permotus Senatus parenti pepercit, filióque patris crimina libenter condonauit. *Et vade,* inquit, *adoleſcens, dic parenti, rubore tuo ſua ſcelera diluta manere, parcimus eius ſanguini, quem rubore tuo compreſſiſti.*

Attamen peccata & flagitia etiam hoc colore deſignari, Iſaias c. 1. oraculorum ſuorum inſinuat, *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.* Ideò in paſſione ſua Dominus, indutus fuit coccinea chlamyde, & veſte candida, vt ſcilicet innueret ſuâ innocentiâ peccatorum noſtrorum dealbari, quin & deleri cruorem: idcirco & ex transfixo latere cum ſanguine effudit aquam, vt ſanguinis innocentis pretio piacula noſtra expiaret, & aquæ puritate (qua gratia ſanctificans deſignatur) eorum ablueret cruentam labem, & criminalem maculam dilueret.

Sanguis innocens effuſus clamat vindictam; quapropter ait Deus ad fratricidam Cain; *ſanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed tamen Chriſti ſanguis non vltionem, ſed veniam inuocat. *Acceſſiſtis* (inquit Apoſtolus Hebr. 12.) *ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis eius aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel.* Clamat enim miſericordiam, gratiam, & peccatorum remiſſionem; quæ ob Dei læſam maieſtatem, vulneratam culpæ reatu animam, ipſámque labem criminis, & debitam ei pœnam, ſanguini ſacris in Scripturis ſolent comparari. eò ſpectabat Dauid Pſal. 50. dicens *libera me de ſanguinibus*; id eſt à peccatis capitalibus, quæ iram tuam accendunt, & animam præcipitant in interitum & perditionem. Ideò ſuccenſens Deus Iudæis Prophetarum interfectoribus, idolorum cultoribus, & quo non ſcelere infectis, per Iſaiam c. 1. dicebat, *Cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam; manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt,* id eſt ſceleribus & ſordibus exinde contractis. Quò Oſeæ iſtud

collimat c. 4. 2. *ſanguis ſanguinem tetigit;* acutè ſubiungit S. Gregorius lib. 3. Moral. c. 6. *cùm culpa culpam cumulauerit.* Ideò magna meretrix Babylon mater fornicationum & abominationum terræ, *ebria de ſanguine Sanctorum erat circumdata purpura & coccino.* Quaſi effuſo à ſe Sanctorum tincta cruore, Apocalyp. 17. Cæterùm ſanguis erat vetitus Iudæis Leuit. 7. vt à crudelitate, vi, rapina & odio cohiberentur, atque à peccato abhorrere edocerentur, quo nihil fœdius eſt: ideóque panno menſtruatæ comparari ſolet à Prophetis, quo nihil eſt immundius & virulentius. Huiuſmodi in malo ſignificatu, ac vt videtur ſolo, in Scripturis ſacris rubicundus color, quòd cum ſanguine affinitatem habeat reprobatur. Eò etiam illud Iſaiæ cap. 9. ſpectat de Chriſti immaculata natiuitate & pace cum ipſo oritura vaticinium, *Omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem & cibus ignis; paruulus enim natus eſt nobis,* &c. *& vocabitur,* &c. *princeps pacis.* Spirare bellum & cruorem videtur rubeus color; quo eapropter vexilla, galeæ, criſtæ, paludamenta, chlamydes & reliqua militaria inſignia iampridem tingebantur apud Perſas, Græcos, Romanos, Gallos, Hiſpanos, & cæteras ferè orbis nationes; quoniam ſcilicet effuſo cruori rubeus ipſe color germanus eſt. Alexander ab Alexandro lib. 1. Genialium dierum c. 20. Romanis ad militiam proficiſcentibus publicè dari ait conſueuiſſe rubrum paludamentum; quin Aſtis, Cannis, Numidis, Lacedæmoniis & Maſſegetis *in bellum profecturis, ruſſatas & punicas veſtes gerere,* inquit, *moris erat; vt eo argumento vulnera & ſanguis non innoteſceret, confidentiúſque, & ſine pauore dimicarent.* Idem tradit S. Iſidorus lib. 19. orig. c. 22. *Ruſſata,* inquit, *quam Græci phœnicam vocant, reperta eſt à Lacedæmoniis ad celandum coloris ſimilitudine ſanguinem quoties quis in acie vulneraretur, ne contemplanti aduerſario animus augeſceret.* Tunicam ruſſam in pugnæ ſignum fuiſſe haſta extenſam, ibidem ipſemet Iſidorus commemorat. Romanis militibus eadem fuit veſtis in vſu, vnde etiam ruſſati vocabantur; iiſdem micantes proceſſiſſe ad prælium Chaldæas acies, colligūt aliquot ſcrutatores vtriuſque antiquitatis ex illis verbis Prophetæ Nahum c. 2. verſ. 3. *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis,* κόκκος Græcè, inter Latinos coccus, granum rubeus eſt ad pretioſam tincturam Plinio lib. 9. c. 41. ilicis fructum nominat lib. 16. c. 8. paruus eſt vnde naſcitur frutex auctore Dioſcoride lib. 4. c. 45. ſuccinit Theophraſtus lib. 3. de plantarum hiſtoria eum ilici tribuens, eſt namque huius generis puſillum lignum, quod Plinius vbi ſuprà cuſculium appellat; Hiſpani *Coccoio*, granum ex quo fit coccus, apud quos in agro Granatenſi & montibus Marianis prouenit. Aiunt naturalium rerum indagatores omnino idem eſſe lanis rubro tingendis granum coccum Galatarum, cuſculium Luſitanorum, & Arabum kermes, ſeu chermes, vnde deriuatum etiam volunt carmeſinum quod Galli *cramoiſy* vocitant, paulò minùs fulgens quàm coccineum illud, quod ſcarlata dicitur apud nos *eſcarlate.* Narrat quoque Plinius lib. 24. c. 4. hunc colorem ex vermiculo naſci qui dicitur Soleccion, qui non minùs fucandis lanis ſericíſve aptus, quàm granum cocceum; nec in hoc mendax Plinius; nam de illo vermiculo diſtinctè à grano cocceo diuina

quæ falli neſcit, loquitur Scriptura Iſaiæ 1. iam citato verſ. 18. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Præter hanc vnicam peccati cum rubro colore aſſimilationem in Scriptura ſacra, coccus habetur in pretio, coccineúſque color laudatur, & in myſteriis ponitur non rarò: ſic Geneſ. 38. Zares notatur primogenitus in ipſo ortu coccineâ vittâ manui eius alligatâ. Et Ioſue 2. funiculus coccineus feneſtræ appenſus domus Rahab, fuit ei & familiæ eius in pignus fœderis cum populo Dei, & certæ ſalutis ſignum, in medio vrbis Ierichontinæ excidio. Coccinum bis tinctum inſerendum Moyſi præcipitur ſuperhumerali Pontificis cum auro, hyacintho, purpura & byſſo retorta, Exod. 28. Oblatum coccinum à populo cum auro, argento, gemmis, purpura, byſſo, hyacintho in opus tabernaculi, ornatúmque Pontificis, admitti iubetur, vt gratum Deo munus, Exod. 25. In ſacrificio pro emundatione leproſi aſpergi debet ſanguis paſſeris immolati, ſuper leproſum cum ligno cedrino & cocco & hyſſopo, Leuit. 14. 6. In dedicatione veteris Teſtamenti lectô omni mandatô legis à Moyſe vniuerſo populo, accipiens (inquit Apoſtolus ad Heb. 9.) *ſanguinem vitulorum & hircorum cum aqua & lana coccinea & hyſſopo*, ipſum quoque librum, & populum ſimiliter aſperſit. In holocauſto vaccæ rufæ, cuius cinis aſperſus (ait idem Apoſtolus) populum ſanctificabat ad emundationem carnis, præſcripto legis mandatum erat Sacerdoti lignum cedrinum & hyſſopum, coccúmque bis tinctum mittere in flammam, quæ victimam vorabat, Num. 19. Lugens Dauid Saulem & Ionatam, filias Ieruſalem hâc lamentationem lugubri voce canere præcepit, 2. Reg. 1. *Filiæ Iſraël ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta cultui veſtro aurea.* Cùm filius eius Salomon Rex pararet res neceſſarias ad templi Dei ædificium & ornatum, quæſiuit Hyrá Regem Tyriorum vt mitteret ad ſe virum eruditum qui poſſet operari in auro & argento, ære & ferro, *purpura* & byſſo, *coccino*, & hyacintho, &c. 2. Paralip. 2. 7. In Cant. laudat ſponſum diuinum ſponſa ab hoc decore, quòd candore quidem niueo niteat, at ſpecioſo etiam fulgeat rubore. Viciſſim verò ipſe ſponſus eiuſdem ſponſæ miram decantans pulchritudinem; *ſicut vitta coccinea labia tua, ſicut fragmen mali punici ita & genæ tuæ*, ſcilicet non ſtibio pictæ, non purpuriſſa & aliorum medicamentorum artificio infectæ, quemadmodum lib. 3. de arte canit poëta,

Sanguine quæ verò non rubet, arte rubet.

Sed natiuo ornamento, viuido ſcilicet colore rubentes, *ſicut fragmen mali punici*; eſt enim malum punicum extrà purpureum, intus verò rubeum roſeo colore & liquore; mixta tintinabulis aureis in ora tunicæ infimæ Pontificis erant malogranata, per circuitum confecta ex hyacintho, *& purpura & cocco bis tincto.* Eleganter hunc ornatum deſcribit Ioſephus, *Ima*, inquit, *veſtis ornabatur limbo, effigie malorum punicorum diſtincto, à quo & tintinabula aurea ſic dependebant, vt medium eſſet quodcumque malum punicum inter duo tintinabula ſitum, & viciſſim tintinabulum inter duo mala punica.* Per tintinabula Sancti Patres intelligunt doctrinæ ſanæ

prædicationem: per mala punica fidei vnitatem, charitatem, zelum animarum, bonorum operum congeriem, virrutum omnium quibus deber pollere Pontifex complemenrum; *Tanta enim*, ait Sanctus Hieronymus, *debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, vt & greſſus eius, & motus, & vniuerſa vocalia ſint, veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet & ornatu, vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina ſit populorum, abſque tintinabulis enim &* (malogranatorum) *diuerſis coloribus, & gemmis floribúſque virtutum, nec Sancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere.* In extrema ora veſtis Pontificis Leuitici appenſa erant 72. *mala punica coccinea*, totidem habuit Chriſtus diſcipulos, quos per orbem miſit diuino igne ſuccenſos ad filios Dei diſperſos colligendos in vnum. Summus Sacerdos priſci fœderis in limbo tunicæ myſtico rubore charitatis fulgebat: finis enim præcepti eſt dilectio, ad quam lex reuocantur & Prophetæ; at in nouo Teſtamento, non limbus tantùm, ſed habitus totus ſummi Pontificis rubeus eſſe debet, quòd nonniſi ſub lege gratiæ perfecta eſſe potuit chariras, *quæ omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.* Chriſtus *Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech, & futurorum bonorum Pontifex, Epiſcopus animarum, princeps paſtorum*, totus ipſo charitatis ardore efferbuit; quo rubeus plus quàm chlamyde coccinea qua Pilati iuſſu indutus fuir, ex ſudore ſanguineo quo exarſit in procinctu ſuæ paſſionis, effectus eſt. Hinc illud Iſaiæ 63. *Quis eſt ille qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra? iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ; ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum. Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari. Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; calcaui eos in furore meo,* (inimicos, ſcilicet principatus & poteſtates, quos traduxit palam triumphans eos in ſemetipſo) *& conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui.* Acuta fuerat interrogatio, quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? reſpondit Chriſtus ſe Regem eſſe iuſtitiæ, & propugnatorem populi, eiúſque Saluatorem. Vrgent ſolertiùs, dicúntque, ſi es iuſtus & Saluator, quare ergo rubicatas & ſanguine tinctas habes veſtes? Saluatorem enim magis candida, vt pote index innocentiæ & miſericordiæ, gratiæ & gloriæ, quàm rubra & ſanguinea decet veſtis. Ad hæc acutè Chriſtus, etenim quod probro Iudæi duxerunt perfidi, Meſſiam videntes vulneribus conſciſſum, doloribus plenum, leproſo ſimilem, inter iniquos reputatum, morti turpiſſimæ addictum, ludibrio habitum, ironica indutum purpura, denique cruci affixum inter lattones, ſpinis & clauis confixum, rotóque dilaceratum corpore, ipſóque ſanguine ſuo omni ex parte profluēti rubentem: Chriſtus pugnæ, palmæ, victoriæque ſuæ de hoſtibus relatæ atrociſſimis, fine ſpectato ſui certaminis, non mediis, quibus ad id ſeſe accinxit, pulchrè & eleganter adſcribit; ita enim Meſſiam fore rubeum prophetico ſpiritu afflatus iam olim Iacob Patriarcha prædixerat; *Lauabit*, inquir, *in vino ſtolam ſuam* (ſacrificium inſtituens incruentum) *& in ſanguine vuæ pallium ſuum:* cruentum in cruce offerens pro ſalute mundi ſacrificium,

1. Cor. 13.
Pſal. 109.
Heb. 9. 11. &c.

in quo humanitatem ſuam, pallium & velamentum diuinitatis ſui ſanguinis profluuio immerſit. Quamobrem ad quod obiecerant eius ſpectatores, quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? ſcitè & appoſitè reponit; rem ita omnino ſe habere; *Torcular enim calcaui ſolus*, &c. *& conculcaui hoſtes meos in furore meo, aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui*, ſcilicet rubicundo quidem, at immundo ſanguinis impiorum fluore. Chriſtus etiamnum in medio inimicorum ſuorum dominatur; quamobrem ſemper pugnat, vincit & triumphat: hinc celebris illa numiſmatum aureorum Chriſtianiſſimi Francorum Regis inſcriptio; *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.* Vidit illum poſt aſcenſum in gloriam dilectus eius, pugnatoris indutum apparatu, rubeóque paludamento, vndique aſperſo ſanguine inſignem: *Vidi* (inquit Apoc. 19.) *cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur fidelis & verax, & cum iuſtitia iudicat & pugnat; oculi eius ſicut flamma ignis, & in capite eius diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe, & veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei*, &c. *& de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes*, &c. *& ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis: & habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex Regum, & Dominus Dominantium.*

Eccleſia eius ſponſa, quandiu eſt in terris, etiam perenni conflictu pugnat, vnde militans appellatur, de qua ipſe ſponſus, Cant. 6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit ſicut aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Quid videbitis in Sulamite niſi choros caſtrorum?* Aurora eſt, oriens in humilitate; luna in progreſſu, fidei candore & puritate: Sol in curſu perfecto, feruentis charitatis ardore. Sed cur acies ordinata? quid formoſæ fœminæ cum bello? pulchritudini cum armis? quid caſtris, cum choris? at pulchra eſt Eccleſia & caſta, militans & pacifica, candida & rubicũda, ſicut ſuus ſponſus qui vtroque præſtat decore. Non ſatis fuit vni cohorti aut legioni eam æquâſſe, niſi integro exercitui ipſe ſponſus eam comparâſſet, quia ſcilicet habet diuerſos pugnantium ordines inſtructos omni armatura fortium, & ſcientes bellum. In ſitu & nexu ordinum ſtat robur exercitus, & ſpes præcipua belli: quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, & in Eccleſia omnia ſuo ordine conſtant, nec ſine ordine quicquam in ea fit, aut fieri debet. Quàm aptè ordinata ſit Eccleſia Apoſtolus pleriſque docet locis; ex quo Sanctus Bernardus l. 3. de Conſiderat. ad Eugenium Papam cap. 4. ordinem illum ab vno pendentem principio, & ſubordinationem membrorum ſub vno capite, connexionémque eorum inter ſe, pulchrè ac luculenter exponit; quàm pulchra verò ſit & decenter diſpoſita, vario ordinum ſuorum ſtatu & ornatu, præclarè Beda oſtendit ſerm. 18. de Sanctis, hac verborum ſerie; *Sanctorum*, inquit, *triumphis Eccleſia ſancta coronatur: quorum confeſſio, quantò in paſſione fortior, tantò eſt clarior in honore, quia dum creuit pugna, creuit & pugnantium gloria, pérque grauiora tormenta, gratiora fuere & præmia, dúmque Catholica Mater Eccleſia per totum orbem longè latéque diffuſa in ipſo capite ſuo Chri-*

ſto Ieſu edocta, contumelias, cruces & mortem didicit non timere, magis magiſque roborata eſt non reſiſtendo, ſed perferendo. O verè beata mater Eccleſia! quam ſic honor diuinæ dignationis illuminat, quam vincentium glorioſus Martyrum ſanguis exornat, quam inuiolatæ confeſſionis candida induit virginitas! floribus eius nec roſæ, nec lilia deſunt; certent nunc ſinguli ad vtroſque honores, ampliſſimas accipere dignitatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de paſſione purpureas. Nec quia ceſſârunt Martyrum perſecutores, ideò martyria & agones in Eccleſia eſſe deſierunt: *Nemo dicat* (ait Sanctus Auguſtinus ſerm. 150. de tempore) *quòd temporibus noſtris Martyrum certamina eſſe non poſſint, habet enim & pax noſtra Martyres ſuos: nam ſicut frequenter ſuggeſſimus, iracundiam mitigare, libidinem frangere, iuſtitiam cuſtodire, auaritiam contemnere, ſuperbiam humiliare, pars magna martyrij eſt: lectulum noſtri Salomonis non niſi fortes ambiunt:* (Cant. 3.) *aſcenſum eius fecit ipſe purpureum, quia regnum cælorum vim patitur, & illud ſoli violenti rapiunt; nemo enim coronabitur* (ait huius militiæ dux primarius Paulus) *niſi qui legitimè certauerit:* brauium nemo recipiet, niſi qui agonem fortiter peregerit.

Sub Chriſto ſummus huius militiæ dux eſt Pontifex Romanus: qui tam propter ſupremæ dignitatis apicem, quàm ad indicium ſtrenuæ concertationis huius, coccineum gerit veſtimentum: ad quem morem Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis reſpiciens, ad Cadaloum Epiſcopum Parmenſem, qui vi & malis artibus ſeſe in ſummum Pontificatum intruſerat, ſic ſcribit lib. 1. ep. 20. *Habes nunc forſitan mitram,* (ſeu tiaram Papalem) *habes iuxta morem Romani Pontificis rubeam cappam.* * Nec certè hoc dumtaxat tempore vſus rubei eiuſmodi indumenti Romana in Eccleſia cœpit; aſſerit Balſamo Conſtantinum Sancto Silueſtro, & eius ſucceſſoribus contuliſſe omnia ſigna Imperij, tit. 1. de fide cap. 36. & tit. 8. cap. 1. in Nomocanonem Photij. Extat Nouella Iuſtiniani, qua decreuit æquè ac Imperium, Romanam Eccleſiam honeſtari; amictum verò purpureum, ſeu coccineum fuiſſe indicem Imperialis Maieſtatis ex Tacito lib. 2. Eutropio lib. 9. Zozimo lib. 4. vbi de Gratiano Auguſto agit, éxque aliis priſcis auctoribus exploratum eſt, non Ethnicis modò, ſed & Chriſtianis, vt videre eſt ſignatim apud Tertullianum, lib. de Idololat. & de Cor. mil. qui vnus omnium inſtar eſſe poſſit.

*Etiam crucem argenteam ante ſe geſtari feciſſe meminit idem Petrus ep. 21.

§. 2. *De vſu Eccleſiaſtico rubei coloris, tam in habitu quàm ornatu.*

SECTIO I. *De rubeo habitu Romani Pontificis, & Legatorum, ac Cardinalium.*

LEONEM IX. qui ſanctitate iam illuſtris Eccleſiæ præeſſe cœpit anno 1049. purpuram pontificalem geſſiſſe, id eſt cappam rubeam, de qua ſuprà Petrus Cardinalis Oſtienſis, in ipſo ad ſedem B. Petri acceſſu teſtis eſt Otho Friſingenſis Epiſcopus lib. 6. cap. 33. *Ad ſedem Beati Petri* (inquit) *deſtinatus fuerat, cúmque aſſumptâ purpurâ Pontificali per Gallias*

iter ageret, &c. ſubdit monitum ab Hildebrando tum Priore Cluniacenſi de inſignibus Pontificiis minimè vſurpandis ante legitimam electionem, quam Imperialis dumtaxat nominatio præuerterat: depoſuiſſe purpuram, peregrinique aſſumpto habitu, ducto ſecum Hildebrando iter capeſſiſſe: poſtquam verò aduenisſet in vrbem, ipſius Hildebrandi conſilio à Clero & populo pacificè electum, ius & honorem ſummi Pontificatus fuiſſe adeptum. De Victore autem tertio qui Vrbanum II. immediatè anteceſſit refert quæ ſequuntur, Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi lib. 3. c. 65. *Vno igitur animo parique conſenſu captum, inuitum licèt ac renitentem ad Eccleſiam Chriſti Martyris Luciæ perducunt, ibique iuxta morem Eccleſiæ, electo, Victoris nomen imponunt: ſed quoniam hæc omnia vti diximus, contra eius animum fiebant, cappam quidem rubeam induit, albâ verò eum induere numquam potuerunt.* Et cap. 67. *Victus precibus ac ratione ceſſit, electionémque præteritam, crucem ac purpuram reſumendo firmauit.* Et lib. 4. c. 2. de Vrbano eiuſdem Victoris ſucceſſore. *Ab omnibus rapitur, & lanea exuitur veſte, purpuream* (id eſt rubeam vt præmiſſis patet) *induit cappam.*

Legatis Apoſtolicæ ſedis decus purpuræ ſubinde communicatum reperimus: nam Gregorius Logotheta Græcus in Chronico Conſtantinopolitano memoriæ prodidit, anno 1213. miſſum ab Innocentio III. Conſtantinopolim Pelagium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, natione Hiſpanum, ad Græcos cum ſede Apoſtolica reconciliandum, Legationis Apoſtolicæ inſignibus ſpectabilem, vrbem regiam ingreſſum: habuiſſe ſiquidem purpurea talaria, ac veſtimenta, frenáque & ſagum pariter purpurea. Diu anteà, ſicut notauimus lib. 6. Panopliæ Epiſcop. c. 5. Legatos Ioannis VIII. Papæ anno ſalutis 876. præfuiſſe Concilio Pontigonenſi in Gallia, præſente Carolo Caluo Imperatore, *Romano more veſtitos:* cùm eo in Conuentu memorentur Epiſcopi Gallicani, interfuiſſe indutis Eccleſiaſticis veſtimentis. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 5 relato *Cap. antiqua de Priuilegiis*, mentio fit ſpecialis Legatorum vtentium inſignibus Apoſtolicæ dignitatis, vnà cum cruce præferri ſolita Patriarchis, Primatibus & Archiepiſcopis. Marinus Ebolus in formulario litterarum Apoſtolicarum MS. *tempore Innocentij IV. titulum habet proprium *de inſigniis conſuetis Legatorum.* Porrò Innocentius ipſe IV. exiſtens Lugduni in ſynodo generali, Cardinalibus omnibus proprium inſigne conceſſit, ſcilicet vt in equo ſedentes, galerum ſeu capellum rubrum geſtarent, cùm vt eum ordinem nobilitaret, tum vt ſignificaret, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro libertate Eccleſiaſtica, gladio offerre debere, præſertim eo tempore quo ſedes Apoſtolica à Friderico Imperatore vehementiſſimè oppugnabatur. Platina poſterioris huius rationis non meminit: honoris enim dumtaxat augendi causâ collatum ait Cardinalibus ab Innocentio eiuſmodi decus; *Statuit*, inquit, *vt Cardinales equo in publicum vecti galero rubro vterentur, honeſtandi ordinis causâ.* Sed alteram cauſam conſignat Onuphrius in annotationibus ad Platinam; ſic enim ſcribit ad calcem vitæ Innocentij à Platina editæ: *Hic in Vigilia Natalis Domini Lugduni in Concilio generali, duode-*

* In Bibliotheca Vaticana ſeruatur.

duodecim Cardinalibus viris excellentiſſimis creatis, eius ordinis hominibus proprium inſigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus qui eo tempore vixit, in huius Pontificis vita, quo ſignificabatur eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet pro Eccleſiaſtica libertate tuenda, gladio offerre debere, & præſertim eo tempore quo Romana Eccleſia à Friderico II. Imperatore vehementer oppugnabatur; reliqua huius ordinis inſignia poſteriores Pontifices excogitârunt: in his præcipuus fuit Paulus II. Hæc Onuphrius; quem tacito nomine caſtigandum cenſuit Spondanus ſub annum 1224. num. 4. in eo quòd galerum permiſcuerit cum pileo, ſeu birreto; illud autem omnino certum eſt quod Innocentius inſtituit, de galeto ſeu capello intelligendum eſſe, non etiam de pileo ſeu birreto; hoc enim rubrum gerere, conceſſio demum fuit Pauli II. 220. poſthæc annis, videlicet anno 1464. Cardinalis Papienſis qui ſub Paulo viuebat, & eius electioni vnus ſuffragatorum interfuit, rem ita ab eo geſtam vt ipſe vidit, breui compendio denarrat Comment. lib. 2. num. 40. *Cardinalibus qui ſacris induti veſtibus à Prælatis inferiorum ordinum præterquàm loco non cognoſcebantur, vſum mitræ ſericeæ Damaſceni operis rubráque capitia indulſit, quibus ſoli Antiſtites Romani anteà vtebantur: ſubſellia quoque tam ad Senatus quàm ad ſacrificiorum conſeſſum altiùs eleuauit.* Platina qui tum Romæ itidem aderat, & Pauli facta quæ conſpexerat (aliquando etiam ab eo durè habitus) fuſiùs hoc Pauli indultum in gratiam editum Cardinalium deſcribit, additis quibuſdam circumſtantiis non prætereundis; *Publico decreto mandauit propoſitâ pænâ, ne quiſpiam birreta coccinea,* (ita appellant capitis tegmen) *præter Cardinales ferret; quibus etiam primo Pontificatus ſui anno pannum eiuſdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas, dum equitant, ſternerent. Et birretum* (quod Gallicè dicimus *le Bonnet carré*) *& capitium* (le Camail) *ſeu epomidem rubeam ſeu coccineam Cardinalibus, Paulus ſpeciali priuilegio contulit:* præter galerum quod diu antè Innocentius IV. iiſdem conceſſerat. Non extenſum tamen priuilegium vſque ad Cardinales, qui monaſticen olim eſſent profeſſi, ſiue quòd exceptos eos voluerit Pontifex ob inſtituti humilitatem, ab hoc amictûs ſplendore: ſiue quòd ex modeſtia delatum decus admittere recuſârint: quamobrem vſi eiuſmodi inſignibus non erant vſque ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum primum, quo ad inſtantiam Fratris Michaëlis Bonelli Cardinalis Alexandrini Dominicani Pius V. ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex, cuius hic pronepos erat, decreuit vt Cardinales Regulares, qui priùs nonniſi pileis eiuſdem coloris, cuius habitus erat religionis quam profeſſi fuerant, vtebantur, rubris deinceps vti poſſent ac deberent, ſanctione edita die Aprilis 26. & die Dominica 9. Iunij feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ & Octaua eſt Pentecoſtes, in Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum impoſuit capitibus præſentium tunc in curia Cardinalium, quos enumerat nominatim Spondanus tom. 3. Continuationis Annalium Eccleſiaſticorum Baronij anno ſignato n. 12. vbi tamen pileum à galero, vel capellum aut capitium à birreto, quemadmodum in aliis Cardinalibus (vt priùs memorauimus) fecerat, non diſtinguit. De bitro & birreto ruſus nos infrà, proximè ſe-

Digitized by Google

iter ageret, &c. ſubdit monitum ab Hildebrando tum Priore Cluniacenſi de inſignibus Pontificiis minimè vſurpandis ante legitimam electionem, quam Imperialis dumtaxat nominatio præuerterat: depoſuiſſe purpuram, peregriníque aſſumpto habitu, ducto ſecum Hildebrando iter capeſſiſſe: poſtquam verò adueniſſet in vrbem, ipſius Hildebrandi conſilio à Clero & populo pacificè electum, ius & honorem ſummi Pontificatus fuiſſe adeptum. De Victore autem tertio qui Vrbanum II. immediatè anteceſſit refert quæ ſequuntur, Petrus Diaconus in Chronico Caſſinenſi lib. 3. c. 65. *Vno igitur animo parique conſenſu captum, inuitum licèt ac renitentem ad Eccleſiam Chriſti Martyris Luciæ perducunt, ibique iuxta morem Eccleſiæ, electo, Victoris nomen imponunt: ſed quoniam hæc omnia vti diximus, contra eius animum fiebant, cappam quidem rubeam induit, albâ verò eum induere numquam potuerunt.* Et cap. 67. *Victus precibus ac ratione ceſſit, electionémque præteritam, crucem ac purpuram reſumendo firmauit.* Et lib. 4. c. 2. de Vrbano eiuſdem Victoris ſucceſſore. *Ab omnibus rapitur, & laneâ exuitur veſte, purpuream* (id eſt rubeam vt præmiſſis patet) *induit cappam.*

Legatis Apoſtolicæ ſedis decus purpuræ ſubinde communicatum reperimus: nam Gregorius Logotheta Græcus in Chronico Conſtantinopolitano memoriæ prodidit, anno 1213. miſſum ab Innocentio III. Conſtantinopolim Pelagium Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, natione Hiſpanum, ad Græcos cum ſede Apoſtolica reconciliandum, Legationis Apoſtolicæ inſignibus ſpectabilem, vrbem regiam ingreſſum: habuiſſe ſiquidem purpurea talaria, ac veſtimenta, frenáque & ſagum pariter purpurea. Diu anteà, ſicut notauimus lib. 6. Panopliæ Epiſcop. c. 5. Legatos Ioannis VIII. Papæ anno ſalutis 876. præfuiſſe Concilio Pontigonenſi in Gallia, præſente Carolo Caluo Imperatore, *Romano more veſtitos:* cùm eo in Conuentu memorentur Epiſcopi Gallicani, interfuiſſe indutis Eccleſiaſticis veſtimentis. In Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 5. relato *Cap. antiqua de Priuilegiis*, mentio fit ſpecialis Legatorum vtentium inſignibus Apoſtolicæ dignitatis, vnà cum cruce præferri ſolita Patriarchis, Primatibus & Archiepiſcopis. Marinus Ebolus in formulario litterarum Apoſtolicarum MS. *tempore Innocentij IV. titulum habet proprium *de inſigniis conſuetis Legatorum.* Porrò Innocentius ipſe IV. exiſtens Lugduni in ſynodo generali, Cardinalibus omnibus proprium inſigne conceſſit, ſcilicet vt in equo ſedentes, galerum ſeu capellum rubrum geſtarent, cùm vt eum ordinem nobilitaret, tum vt ſignificaret, eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet, pro libertate Eccleſiaſtica, gladio offerre debere, præſertim eo tempore quo ſedes Apoſtolica à Friderico Imperatore vehementiſſimè oppugnabatur. Platina poſterioris huius rationis non meminit: honoris enim dumtaxat augendi causâ collatum ait Cardinalibus ab Innocentio eiuſmodi decus; *Statuit*, inquit, *vt Cardinales equo in publicum vecti galero rubro vterentur, honeſtandi ordinis causâ.* Sed alteram cauſam conſignat Onuphrius in annotationibus ad Platinam; ſic enim ſcribit ad calcem vitæ Innocentij à Platina editæ: *Hic in Vigilia Natalis Domini Lugduni in Concilio generali, duode-*

* In Bibliotheca Vaticana ſeruatur.

duodecim Cardinalibus viris excellentiſſimis creatis , eius ordinis hominibus proprium inſigne pileum rubeum dedit. Auctor Martinus qui eo tempore vixit, in huius Pontificis vita, quo ſignificabatur eos etiam caput ſuum, ſi opus eſſet pro Eccleſiaſtica libertate tuenda, gladio offerre debere, & præſertim eo tempore quo Romana Eccleſia à Friderico II. Imperatore vehementer oppugnabatur; reliqua huius ordinis inſignia poſteriores Pontifices excogitârunt: in his præcipuus fuit Paulus II. Hæc Onuphrius ; quem tacito nomine caſtigandum cenſuit Spondanus ſub annum 1224. num. 4. in eo quòd galerum permiſcuerit cum pileo, ſeu birrero ; illud autem omnino certum eſt quod Innocentius inſtituit, de galero ſeu capello intelligendum eſſe, non etiam de pileo ſeu birrero ; hoc enim rubrum gerere, conceſſio demum fuit Pauli II. 220. poſthæc annis , videlicet anno 1464. Cardinalis Papienſis qui ſub Paulo viuebat , & eius electioni vnus ſuffragatorum interfuit, rem ita abeo geſtam vt ipſe vidit, breui compendio denarrat Comment. lib. 2. num. 40. *Cardinalibus qui ſacris induti veſtibus à Prælatis inferiorum ordinum præterquàm loco non cognoſcebantur, vſum mitræ ſericeæ Damaſceni operis rubráque capitia indulſit, quibus ſoli Antiſtites Romani anteà vtebantur : ſubſellia quoque tam ad Senatus quàm ad ſacrificiorum conſeſſum altiùs eleuauit.* Platina qui tum Romæ itidem aderat, & Pauli facta quæ conſpexerat (aliquando etiam ab eo durè habitus) fuſiùs hoc Pauli indultum in gratiam editum Cardinalium deſcribit , additis quibuſdam circumſtantiis non prætereundis ; *Publico decreto mandauit propoſitâ pænâ , ne quiſpiam birreta coccinea ,* (ita appellant capitis tegmen) *præter Cardinales ferret ; quibus etiam primo Pontificatus ſui anno pannum eiuſdem coloris dono dedit, quo equos vel mulas, dum equitant , ſternerent. Et birretum* (quod Gallicè dicimus *le Bonnet carré*) *& capitium* (le Camail) *ſeu epomidem rubeam ſeu coccineam Cardinalibus, Paulus ſpeciali priuilegio contulit:* præter galerum quod diu antè Innocentius IV. iiſdem conceſſerat. Non extenſum tamen priuilegium vſque ad Cardinales , qui monaſticen olim eſſent profeſſi, ſiue quòd exceptos eos voluerit Pontifex ob inſtituti humilitatem, ab hoc amictûs ſplendore: ſiue quòd ex modeſtia delatum decus admittere recuſârint: quamobrem vſi eiuſmodi inſignibus non erant vſque ad annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum primum , quo ad inſtantiam Fratris Michaëlis Bonelli Cardinalis Alexandrini Dominicani Pius V. ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex, cuius hic pronepos erat, decreuit vt Cardinales Regulares, qui priùs nonniſi pileis eiuſdem coloris , cuius habitus erat religionis quam profeſſi fuerant, vtebantur, rubris deinceps vti poſſent ac deberent, ſanctione edita die Aprilis 26. & die Dominica 9. Iunij feſto Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ & Octaua eſt Pentecoſtes, in Baſilica Sanctorum duodecim Apoſtolorum impoſuit capitibus præſentium tunc in curia Cardinalium, quos enumerat nominatim Spondanus tom. 3. Continuationis Annalium Eccleſiaſticorum Baronij anno ſignato n. 12. vbi tamen pileum à galero, vel capellum aut capitium à birreto, quemadmodum in aliis Cardinalibus (vt priùs memorauimus, fecerat, non diſtinguit. De birro & birreto rurſus nos infrà, proximè ſe-

FFff

quenti libro. Cæterùm ſi Græcis credimus, magnitudinis Romanæ Eccleſię perpetuis æmulis, maximè verò Balſamoni omnium non poſtremo tit. 1. de fide c. 36. *Statuit Conſtantinus licere Papæ Romano iiſdem dignitatibus ſuos honorare Clericos, quibus etiam Imperatorum* (magiſtratus) *qui ſibi ſubſunt, & eſſe ſacram ſynodum, ſicut & Senatum Imperatorium.* Cui indulto acceſſit ſubinde (vt aliàs monuimus l. 6. de Panoplia Epiſcopali c. 5.) nouella Iuſtiniani decernentis, *vt æquè ac Imperium Romana Eccleſia dignitatibus honeſtaretur.* Coccinea portò & purpurea veſtis Romanis Magiſtratibus inſigniotis ordinis propria erat, vnde ſcitè dictum illud Plinij, *Ad purpuram faſces, Romanáſque ſecures viam feciſſe.* Sic verò ad Eccleſiaſticam purpuram agones ptidem & martyria, ſubinde verò ſacra ſtudia, piíque & ſtrenui labores, moréſque ab omni næuo impuritatis vindicati, aditum apetuerunt.

Hìc mihi excidere notulam non patior. Præfati auctores qui datæ Sacerdotibus, ſacríſque Miniſtris primæ Claſſis Romanæ Eccleſiæ purpuræ cauſas ſignârunt: fuiſſe dicunt dignitatis tantæ cohoneſtationem, & paratæ ad necem voluntatis pro libertatis Eccleſiaſticæ (iunctim verò fidei Catholicæ) aſſertione profeſſionem. Verùm Clemens VIII. in litteris munificis, quibus ad nupet à ſe creatum Cardinalem Iacobum Peronium Epiſcopum Ebroïcenſem, Caluinianæ hæreſis, nupet apud Fontébellaquéum in conſpectu Henrici Magni Chriſtianiſſ. Regis totiúſque Francorũ regni, illuſtri conflictu (fruſtra renitente Pleſſiſſio Mornæo) deuictæ & proſtratæ triumphatorẽ, inſignia Cardinalatûs tranſmittit: birretum ipſum rubeum ſeu putputeum inſinuat nõ modò indicem adaucti ſacri honoris, pignúſq; ſui eximij in eum amoris; at inſuper magíſq; præcipuè Dominicæ Paſſionis non obſcurũ monimentum: * *Nuper*, inquit, *cùm de augendo Cardinalium numero cogitaremus, eóſque potiſſimum cuperemus noſtræ ſollicitudinis fieri participes, in quibus ardens ſtudium ineſſet rei Chriſtianæ iuuandæ; tu & noſtro, & chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Regis Chriſtianiſſimi iudicio occurriſti, tantam dignitatem qui videris eſſe promeritum: hac nos de tua virtute adducti opinione, te venerabilium fratrum noſtrorum S.R.E. Cardinalium Collegio adſcripſimus: & nunc inſigne Cardinalatûs, rubrum ſcilicet birretum, QVASI PARTICVLAM ALIQVAM VESTIMENTI REDEMPTORIS NOSTRI, IPSIVS PRETIOSISSIMO CONSPERSAM SANGVINE, munus tibi eo nomine futurum gratiſſimum, mittimus tibi per dilectum filium, Alexandrum Strotium, vnum ex noſtris ſecretioribus Cubiculariis, & nobis certè ob præclaras animi dotes valde charum. Pulcher ad aſpectum coloris, nonnihil fortè ſi te oblectauerit, memineris continuò Dei ſanguine conſtitutam Eccleſiam, noſtro etiam ſanguine, ſi opus fuerit, eſſe tuendam confirmandámque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Iunij, Pontific. noſtri ann. 13.* At hactenùs ſatis de rubeis inſignibus Cardinalium.

* *Extat in collect. negotiat. Card. Peron. p. 250.*

SECTIO II. *De rubro adhibendo colore in ſacris officiis, & paramentis Eccleſiaſticis.*

PONTIFICALE Romanum, ſub tit. *Benedictionis Crucis*, iubet in hoc exequendo ritu ornamenta eſſe rubei coloris; ad commemorandum

ſcilicet Paſſionis Domini in ea peractæ myſterium, fuſíque in ea pretioſi ſanguinis quo redempti ſumus, beneficium recolendum. Quò ſpectat illa oratio, in Pariſienſi officio de ſuſceptione S. Crucis menſe Auguſti vſitata: *Deus qui vnigeniti filij tui D. N. Ieſu Chriſti pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, vt qui ad adorandam viuificam Crucem adueniunt, à peccatorum ſuorum nexibus liberentur. Per eundem D. N. Ieſum Chriſtum.* &c.

Sed maximè verba illa conferunt, quæ promit Pontifex in ſolenni ritu benedictionis nouæ Crucis; orans per modum præfationis Liturgicæ, ſine mitra. *Præſta Deus gloriæ*, &c. *per propitiationem ſanguinis eius, qui ſeipſum dedit redemptionem pro multis, qui ſe hoſtiam pro delictis offerre dignatus eſt, qui exaltatus in ligno crucis ſuæ, principatus & poteſtates humiliauit, qui tecum ſydereo inſidet throno indiſſolubili connexione Spiritus Sancti.* Præſcribit autem Rubrica, vt Pontifex crucem dedicando paratus ſit ſupra rochetum, amictu, ſtolâ, pluuiali rubri coloris, & mitrâ ſimplici; quam deponat tantùm dum fundet myſticas precationes.

In Cœna Domini; Pontifex & Cardinales rubeis veſtibus vtuntur, in lectione Bullæ, & pœnitentium abſolutione: quamuis in aliis Eccleſiis violaceus color aſſignetur in reconciliatione pœnitentium, Epiſcopo & eius Miniſtris. Porrò in Miſſali Romano, de coloribus paramentorum, hæc rubrica extat de vſu rubei coloris, tam in ſacris veſtibus, quàm paramentis obſeruanda.

Rubeo colore vtitur S. R. E. à Vigilia Pentecoſtes in Miſſa, vſque ad Sabbathum ſequens finitâ Nonâ & Miſſâ. Superiùs monuimus, ex elementis ignem colore rubeo deſignari, inde pudicum ruborem qui fulget in genis iuuentutis, igneum princeps Poëtarum appellat:

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor.

Pictum igneo lumine cælum, quando ſol feruet, Eccleſia in ſuis hymnis (videlicet in hymno veſpertino feriæ IV.) modulatur. Et cur rubrum colorem aſſumat in feſto Pentecoſtes, ſatis apertè declarat, dum ipſo in feſto & per Octauas, celebrans Spiritus Sancti diuinum in linguis igneis ſuper Apoſtolos illapſum, hunc in modum concinit:

Ignis vibrante lumine
Linguæ figuram detulit;
Verbis vt eſſent proflui,
Et charitate feruidi.

In Decollatione S. Ioannis Baptiſtæ: propter effuſum ſcilicet ab ipſo præcurſore Domini, pro aſſertione pietatis atque iuſtitiæ, ſanguinem. De quo eleganter S. Ambroſius de Virginibus lib. 3. poſt initium, verſo ad Herodem ſermone: *Intuere*, inquit, *Rex acerbiſſime, tuo ſpectacula digna conuiuio; porrige dexteram, ne quid ſæuitiæ tuæ deſit, vt inter digitos tuos riui defluant ſacri cruoris*, &c. *bibe ſanguinem ſcaturientibus adhuc venis exſecti capitis profluentem.* Parte huius pretioſi ſanguinis ferè adhuc feruentis in Galliam aduecti, purpuratam Eccleſiam Vaſatenſem in Aquitania, hócque ditatam pignore ſancti ipſius Præcurſoris colendæ memoriæ conſe-

cratam, felici patrocinio frui, litteris iam olim prodidit Gregorius Turonenſis lib. *de glor. Martyrum* cap. 12. & c. 14. meminit digiti ipſius Sancti Ioannis Baptiſtæ apud Mauriennam repoſiti, de quo diuino munere tres guttæ puriſſimi ſanguinis effluxerunt, in fauorem trium Antiſtitum, qui ibi ad altare S. Præcurſoris ſupplices ab eo poſtulauerunt, ſibi aliquid eius reliquiarum, in pignus patrocinij, impertiri.

In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli. Non ita cælum ſplendeſcit, quando radios ſol demittit*, (ait Sanctus Chryſoſtomus ſerm. 32. in epiſt. ad Rom. in moral. exhort.) *quemadmodum Roma duos iſtos fulgores, vbique terrarum emittens*, &c. *conſiderate & horrete quale ſpectaculum* (in die Domini) *viſura ſit Roma, Paulum ſcilicet repente ex theca illa cum Petro reſurgentem, in occurſum Domini ſurſum ferri. qualem roſam* (geminam) *Chriſto mittet Roma!* Et ſanè Romam roſeo fulgere decore, ipſorum ſanguine purpuratam; Eccleſia eorum in Natali lætabunda concinit his modulis:

* Οὐχ οὕτως ὁ οὐρανὸς λαμπρὸς, ὅταν ἀφῇ τὰς ἀκτῖνας ὁ ἥλιος, ὡς ἡ Ῥωμαίων πόλις τὰς δύο ταύτας λαμπάδας πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἀφιεῖσα. ἐννοήσατε καὶ φρίξατε οἷον ὄψεται θέαμα Ῥώμη τὸν Παῦλον ἐξαίφνης ἀνιστάμενον ἀπὸ τῆς θήκης ἐκείνης μετὰ Πέτρου, καὶ αἰρόμενον εἰς ἀπάντησιν τοῦ Κυρίου. οἷον ἀποστέλλει τῷ Χριστῷ ῥόδον ἡ Ῥώμη.

Aurea luce, & decore roſeo
Lux lucis, omne perfudiſti ſæculum,
Decorans cælos inclyto martyrio,
Hac ſacra die, quæ dat reis veniam.
O felix Roma, quæ tantorum principum
Es purpurata pretioſo ſanguine;
Non laude tua, ſed ipſorum meritis
Excellis omnem mundi pulchritudinem.

Roſeo igitur rubore, quo in ornatu hac die Eccleſia Catholica fulget, ſanguis ipſorum Apoſtolorum quo conſecrata eſt omnium mater Romana Eccleſia, & fundata ſedes Apoſtolica, deſignatur: quo paramenta dum rubent, illorum martyrium indicant & triumphum, tincturámque illam redolent, quam ex linteis eorum reliquiis appoſitis fluxiſſe dudum S. Gregorius commemorat lib. 3. Reg. Ind. 12. ep. 30. data ad Conſtantiam Auguſtam Mauritij Imperatoris vxorem; *Contigit*, inquit, *vt beatæ recordationis Leonis Papæ temporibus ſicut à maioribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis* (brandeo ſcilicet in pixide appoſito ad ſacratiſſima corpora) *dubitarent, prædictus Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forficibus inciderit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit.*

Et in feſtis aliorum Apoſtolorum; quibus ſcilicet glorioſum agonem pro fide, non ſine purpura ſanguinis peregerunt. Senatores regni cæleſtis Apoſtolos eſſe nemo ignorat, quibus dixit Dominus Matth. 19. 28. *In regeneratione cùm venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Purpura eſt Senatorum ornatus; purpura, inquam, illa coccinea, quâ etiamnum in Gallia ex priuilegio Principis, curiarum ſupremarum iudices inſigniuntur. Id quod Parlamenta apud Regem, hoc apud Chriſtum Regem regum, & Dominum dominantium eſt Apoſtolorum conſeſſus. Memorias eorum igitur dum celebrat Eccleſia triumphales, coccino & purpura ſuas decorat aras, Sacerdotéſque qui ſibi pro patribus filij nati ſunt, fulgenti hoc indumento exornat, quo & Apoſtolorum ſupremam deſignet dignitatem, & fuſi ab eis cruoris pro Chriſti Euangelio refricet memoriam, agonémque il-

lorum pompâ illuſtriori proſequatur. Nec enim neſcia eſt, honorem quem iis defert, in Dominum redundare, quem ſua in morte clarificârunt, ſiquidem vt ait ſcitè Sanctus Hieronymus, *Chriſti triumphus eſt Apoſtolorum victoria.* Cæterùm Walfridus Strabo in poëmatibus carm. 100. præſcripto de Sancto Andrea, eius coronam decantat purpuream:

Nempe vicem Domino ſoluebat calce cruentam,
Dum crucis in patulo ſuſpenſus ſtipite Martyr
Vltima mortalis clauſit ſpiracula vitæ,
Purpureas ſumens Chriſto regente coronas.

Exceptis, principali feſto Sancti Ioannis Euangeliſtæ, poſt Natiuitatem: quia ſcilicet incruenta morte ex hac vita exceſſit, gloriâ potiturus æternâ. accedit quòd virgo electus à Domino, virgo in finem vſque permanſit; filius etiam adoptitius ſanctiſſimæ Virginis Deigenitricis; lacteo igitur candore nitidior, Euangeliſta inſuper & Propheta, cryſtallo lucidior.

In feſto autem ipſius B. Ioannis ante portam Latinam, Romana Eccleſia rubeo vtitur colore, quia nempe etſi perſecutor ſanguinem eius non fuderit, ipſi tamen Ioanni profundendi pro Chriſti teſtimonio totum cruorem non defuerit voluntas; *Affectum enim* (ſcitè ait B. Gregorius homil. 5. in Euangelia) *Chriſtus potiùs penſat quàm cenſum:* quamobrem ſe ipſe Ioannes Martyrem Chriſti palam & apertè, nec ſine iure tanti honoris profitetur Apoc. 1. *Ego Ioannes*, inquit, *frater veſter & particeps in tribulatione, & regno, & patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula quæ appellatur Pathmos, propter Verbum Dei & teſtimonium Ieſu;* quando ſcilicet (vt refert Tertullianus, & ex Tertulliano S. Hieronymus) Romæ miſſus in feruentis olei dolium purior & vegetior exierit quàm intrauerat. At hoc diuina virtute & placitô, non autem intentô tyranni ſæuientis, qui agni huius ſanguinem lupus rapax ſitiebat: vt Nabuchodonozor quondam trium puerorum incendium, quos ardêtem in fornacem odio pietatis iniecerat. In Martyrologio Gallicano plures Chriſti athletas martyrij titulo inſignitos memorauimus, etſi actu non ſint ferociam perſecutorum perpeſſi, Dei ſcilicet nutu, eorum è faucibus erepti; ita 19. Kal. Februarij Martyris titulo & honore Eccleſia colit Catholica B. Felicem Nolanum Preſbyterum, qui poſt acerbas infidelium perſecutiones quieuit in pace.

In Commemoratione S. Pauli; ſed non in Conuerſione, ſiquidem in hac albo colore, rubeo in illa vtitur. ratio perſpicua eſt, enimuerò in Conuerſione tranſiit de cæcitate erroris ad lumen veritatis, de peccato ad veniam, de venia ad gratiam; quum ſcilicet exutâ corui rapacis volucris nigredine, candidam in columbam (manſuetam ſcilicet & pacificam auem) mutatus eſt: de vaſe perditionis factus vas electionis ſingulari diuinæ miſericordiæ beneficio. Cæterùm in Commemoratione, quæ initi eius triumphus inclyti eſt martyrij, proprio purpuratus cruore æternam ad gloriam conſcendit. De Cathedra Sancti Petri ſuprà dictum eſt: de Vinculis dicere ſufficit, ab iis abeſſe cruorem, quia illæſus virtute

diuina ab ipſis ereptus eſt Angeli lucis miniſteriô.

In feſtis Martyrum.

Quos ſaxis, gladiſque, fame, ſiti, frigore, flammâ,
Ereptos terris, iungit ad aſtra fides.

Fortunatus lib. 8. carm. 4.

Aſcenſu enim purpureo, iſti omnes ad regna cæleſtia commigrârunt; illuc ſiquidem cruenro conrenderunt agone,

Mantuanus libro Faſt. 11. die 1. Nouemb.

—— & ornati roſeis venêre coronis.

Quas poſteà in aureas conuerſas, Ioannes in eorum capitibus prope thronum Dei fulgentes cum palmis virentibus in manibus eorum, gratiſſimo ſpectaculo conſpexit, Apoc. 4. & 7.

Excepto feſto SS. Innocentium: cur iſtis Martyribus, obſecro, purpuræ detrahitur decus? nónne incruentus fuit eorum exitus? certè *pro Chriſto infantes occiſi ſunt, ſed ab iniquo rege, lactantes interfecti ſunt: quamobrem ipſum ſequuntur agnum ſine macula; amicti ſtolis albis* (canit Eccleſia in natali eorum officio) *ſequuntur agnum quocumque ierit. Hi enim ſunt qui empti ſunt de terra, & cum mulieribus non ſunt coïnquinati, virgines enim ſunt.* Dices: quare igitur ſubiungit rubrica, *ſi autem in Dominica venerit* (eorum Natalis) *vtitur rubeo?* nimirum, quia augentur Dominico ſplendore. Sed cur ſuperaddit rubrica, *in eius verò Octaua ſemper vtitur rubeo, quocumque die occurrat,* vt ſcilicet vtroque titulo illuſtrentur, martyrij ſcilicet & virginitaris: albo colore qui ipſo in eorum Natali adhibetur, eorum deſignatur puritas; rubróque qui ponitur in Octaua, martyrij dignitas indicatur. Flores ſunt Martyrum, vnde hac eos apoſtrophe, ipſo eorum die Natali compellat Eccleſia:

Reſponſorio 3. 1. Nocturni. & vlt. Reſponſorio 3. Nocturni.

Saluete flores Martyrum,
Quos lucis ipſo in limine
Chriſti inſecutor ſuſtulit,
Ceu turbo naſcentes roſas.

Huc ſpectat & illud S. Auguſtini ſerm. 10. de ſanctis, qui eſt 72. in Appendice; *Qui iure,* inquit, *dicuntur Martyrum flores, quos in medio frigore infidelitatis exortos, velut primas erumpentes Eccleſiæ gemmas quædam perſecutionis pruina decoxit.* Sunt verò flores vt plurimùm candidi, etſi rubei ſint qui inde naſcuntur fructus. Roſæ verò non modò albæ ſunt, ſed & rubeæ, vtroque idcirco Eccleſia colore Innocentium honorat memoriam, quatenùs eorum pariter Innocentiam & paſſionem veneratur.

In feſtis Sanctarum Virginum Martyrum, & Martyrum non Virginum; hinc ſequitur quòd Martyrum laurea illuſtrior ſit virginum aureola; & iure quidem, quia quanto interuallo caſtitatem antecedit charitas, tanto martyrium virginitati præcellit. Virgines aliquæ ſunt fatuæ, quarum oleum in lampade non eſt, ideóque & ignis deficit, quamobrem nuptiis agni excluduntur. At martyres veri nunquam eſſe poſſunt à Chriſti regno extorres: martyrium enim ſine oleo miſericordiæ, & igne charitatis eſſe nequit: ſed tamen eſt ſancta virginitas quoddam martyrium, *habet enim ſeruata pudicitia martyrium ſuum,* ait Sanctus Hieronymus ep. 8. quia *etſi carnis colla ferro non ſubiicimus* (addit Sanctus Gregorius homil. 8.) *ſpirituali tamen gladio carnalia deſideria in mente trucidamus.* Qua ex

ratione etiam rubeus color virginibus ſanctis quæ vim ſibi ferri non paſſæ ſunt, proculdubiò conueniret; cur igitur iis ſolùm quæ ſanguinem in martyrio fuderunt, purpureum decus Eccleſia ſignato ritu attribuit? Certè non alia de cauſa hoc facit, quàm quòd reipſa vitam cum ſanguine profuderunt. Cæteræ autem ſanctæ Virgines, etſi palmam quoque meruerunt, attamen fuerunt incruento coronatæ martyrio.

Cæterùm quod ſequitur in præſenti rubrica de Octauis feſtorum, & Dominicis infra eas Octauas occurrentibus, ac de Miſſis votiuis prædictorum feſtorum: ſatis ſit quod ipſa rubrica ſubnectit, eodem modo agendum eſſe, vt dictum eſt ſuprà de colore albo, ſub quo rationem huius conformitatis Octauarum & Dominicarum, votiuorúmque officiorum cum principali feſto, cuius appendices ſuas aſſignauimus.

Addit demùm hæc rubrica, colore rubeo vtendum *in Miſſa pro eligendo ſummo Pontifice*; ratio huius ritus eſt manifeſta, quia dicitur Miſſa de Sancto Spiritu (vt notatur in Miſſali) *qui eſt ſpiritus ardoris*, fons viuus, *Iſa.* 4. ignis, charitas, & ſpiritalis vnctio; propria tamen Miſſa ad delectum Sacerdotis in ipſo Miſſali ponitur pro eligendo ſummo Pontifice, ſed Euangelium in ea eſt de Spiritu Sancto, cuius gratiam ad felix initium, & ſucceſſum electionis, ſignatis etiam precibus poſtulatur.

ARTICVLVS III.

De viridi colore.

§. 1. *De coloris huius tam naturali, quàm myſtica excellentia.*

EX elementis terra eſt, cui viridis color adſcribitur, è cuius ſinu viror viuidus, natiuúſque procedit. Hunc præ cæteris gratiſſimum eſſe oculis Aquilonius docet lib. 1. de proprietate rerum, ipſáque experientia probat: cui ſubſcribunt pictores, quippe qui feſſis oculis virides colores inducunt, vt reficiantur & extollantur. Eo colore antiqui pueritiam inter ætates indicabant, & vetnum tempus ſignificabant, quod cæteris quantùm præſtat amœnitate & decore, omnes agnoſcunt & fatentur. Hinc diuinus ſponſus in Canticis ſuam ſic alloquitur dilectam: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni, iam enim hyems* *Cant.* 2. *tranſiit, imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Quo genio & ſenſu Eccleſia in triumphali feſto Aſſumptionis glorioſæ Virginis, hos ei modulos inſonat, *Vidi ſpecioſam, ſicut columbam, aſcendentem deſuper riuos aquarum, cuius ineſtimabilis odor erat nimis in veſtimentis eius; & ſicut dies verni, circumdabant eam flores roſarum, & lilia conuallium.* *In offic. Aſſumptionis B. Mariæ, Reſponſorio* 1.

Tellus viridi habitu apud veteres pingebatur, nec abs re: quid enim viſui iucundius? quid gratius, quid pulchrius, quàm herbeſcentis floreſcentíſque terræ viriditas? quid ad hominum animos aucupandos facilius, quin & brutas ipſas animantes expertes rationis? ſiquidem teſte prælaudato Aquilonio, cerui & alia huiuſce generis animalia loca viridia lu-

bentiùs frequentant, ad ripas confluunt, ad prata, ad ſyluas, ad nemora ſuopte ingenio currunt, vnde ſi (ingenioſo ſanè dolo) venatores herbaceis veſtibus induantur, & viridi in ſpecie ſeſe illis oſtendant, ea faciliori negotio venantur. Auget huiuſce coloris excellentiam Lacedæmonium marmor, quod quia viridiſſimum, omnium etiam laudatiſſimum erat, vt obſeruat Plinius lib. 36. c. 7. in inſula Cæa (refert Nicolaus Perottus Epigram. 20. in Martialem) fuiſſe ſub tumulo Hermiæ reguli marmoreum leonem habentem ſmaragdinos oculos adeò viridicantes, vt piſces ſubiecto in gurgite natantes territaret, nec comparebant donec piſcatores ſuam vicem dolentes, oculis illis erutis alios alterius coloris induxerint; vnde infert præfatus auctor, quantùm feræ viridi colore oblectantur, tantùm piſces eodem perterreri. At eſſet igitur cur mare ipſum horrerent & eo excederent, nam mare ipſum præ ſe fert nonnullam viriditatem, vnde color glaucus, Gallicè dicitur *verd de mer*.

Fortunatus lib. 8. carm. 4. inſcripto de virginitate, ſmaragdum ponit primario loco inter myſticas gemmas, quibus ornatas iri coronas ait, quibus in cæleſti gloria virgines à Chriſto caſtarum ſponſo animarum honorabuntur. Et verò ſmaragdus caſtitatis incemeratæ proprium eſt hieroglyphicum (ait Pierius Hierogly. lib. 41. c. de ſmaragdo:) eo quòd penitus frangatur ſiquis eam ſecum habeat, in re venerea committenda. Chronicon Luſitaniæ illuſtre hac de re exemplum commemorat, vbi refert in conceptione Regis Ioannis II. Iſabellæ matri ingentis pretij ſmaragdum quem annulo incluſum geſtabat fractum eſſe. At de hoc lapide eiúſque colore ac virtute ſuperiùs proprio titulo diſſeruimus; ſupplere tamen iuuat ſmaragdum virore ſuo eximio ſpem deſignare non incertam: ideò viſio illa S. Ioannis Apoc. 4. *in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ*, innuebat, totam ſpem noſtram in miſericordia Dei collocandam eſſe. Et aptè quidem ſignum eſt ſpei color viridis, quòd omnia ſpe duce vernent: ſicut cùm vireſcunt ſegetes & arbores, ab eis fructus expectantur. In hominem coniecta ſpes plerumque fallit, ait Ouidius,

Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

At ſpes quæ in Deo eſt, non ita: ea enim eſt de qua ait Apoſtolus Rom. 5. 5. *ſpes autem non confundit*; iterúmque cap. 8. 24. *ſpe ſalui facti ſumus.*

In ſcripturis ſacris coloris huius pleriſque locis gratum Deo decus agnoſcimus. Geneſ. 1. *iuſsit vt germinaret terra herbam virentem*, cap. 8. *columba* in ſignum ceſſati diluuij *attulit Noë ramum oliuæ virentibus folijs*. Leuit. 2. 14. iubet Deus ſibi offerri primitias frugum *de ſpicis adhuc virentibus*. Prouerb. 11. 28. de electis dicitur, *iuſti ſicut virens folium germinabunt:* Luc. 23. Chriſtus patiens ſe comparat ligno vireſcenti: *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Apoc. 9. locuſtis data legitur *poteſtas exedendi quicquid terra producit, præter fœnum virens, atque omne viride;* quod viuentis Deo per gratiam & iuſtitiam animæ peculiare eſt ſignaculum.

Mitra S. Silueſtri Papæ, quæ Romæ ſeruatur in ſacrario veteris Eccle-
ſiæ

ſiæ S. Martini in Montibus eſt viridis coloris holoſerica, non villoſa Phrygianæ artis, in cuius frontali ſuperficie intueri licet Virginem Deiparam regia corona, eáque radioſa redimitam, filium in gremio ſitum, erectum læuâ amplexantem, dexterâ verò oliuæ ramum pacis æternæ ſymbolum ferentem, ſedentem verò venerabili conſpectu duobus Angelis hinc inde ſuper vtramque ſolij extremitatem adſtantibus, & quaſi volitantibus, &c. de quo ornatu Pontificio accuratiùs ſcripſimus lib. 1. Panopliæ Epiſcop. c. 3. & in Appendice pro ritus defenſione Deoſculationis pedum ſummi Pontificis c. 2.

Eiuſdem coloris Metis etiamnum extat Sancti Pirminij Epiſcopi, & Confeſſoris ordinati à Gregorio II. ſacra Dalmatica, diuinæ virtutis operationibus illuſtris; de qua in Martyrologio Gallicano die 5. Nouembris hæc dudum memoriæ conſignauimus: *Eius Dalmatica viridis, quæ adhuc ibi ſeruatur cum ſacro cingulo, in partus doloribus periclitantibus mulieribus conſueuit mederi.*

Cæterùm Archiepiſcoporum proprium eſt inſigne, pileus viridis, in ſymbolum fortè felicioris progreſſus ſcilicet ad galerum coccineum; de quibus inſignibus aliàs, ſi Deus dederit.

§. 2. *De vſu viridis coloris, in Eccleſiæ officiis, ac Clericorum miniſterio, & ornatu.*

VIRIDI *colore vtitur* (S.R.E.) *ab Octaua Epiphaniæ, vſque ad Septuageſimam, & ab Octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum in officio de tempore.* Hoc ſcilicet omni tempore ſpirans, vt vireat Dei gratia in mentibus fidelium, nec marceſcat vmquam in eis affectus virtutis atque iuſtitiæ, ſed vigeat ſemper, & floreat in iis perfectæ puritatis amor, impuritatis horror, & ſyncerææ deuotionis cultus: ſic orat etenim, in hymno veſpertino feriæ 3.

Telluris ingens conditor
Mundi ſolum qui eruens
Pulſis aquæ moleſtiis
Terram dediſti immobilem.
Vt germen aptum proferens,
Fuluis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtúmque gratum redderet.
Mentis peruſtæ vulnera
Munda VIRORE GRATIÆ:
Vt facta fletu diluat,
Motúſque prauos atterat.

Excepta Dominica Trinitatis; in hac enim albo vtitur colore, propter myſticam rationem, in illius coloris ritu vſúque ſuperiùs declarato expreſſam.

Ac exceptis Dominicis infra Octauas occurrentibus, in quibus color Octa-

uarum ſeruatur: exceptis etiam Vigiliis, & quatuor temporibus, vt infrà. Quæ exceptio adeò perſpicua eſt, vt explicatione non indigeat.

Nota. Obſeruare autem hîc operæ pretium eſt, Pariſienſem Eccleſiam proprium in hoc vſu habere morem: conſueuit enim vti viridi colore in feſtis Sanctorum Confeſſorum tam Pontificum quàm aliorum quorumcumque. Vſos verò iamdudum in ſacro apparatu Sanctos Pontifices Confeſſores viridi colore, monimento eſt mitra holoſerica viridis S. Siluestri Papæ; & tunica Pontificalis eiuſdem coloris S. Pitminij Metenſis Epiſcopi; de quibus actum eſt ſuprà.

ARTICVLVS IV.

De colore violaceo.

§. 1. *De dignitate huius coloris tam naturali, quàm myſtica.*

DE colorum mixtione, qui differunt, ex varia eorum commixtione omnis ferè generis colores fieri poſſe exiſtimant. Ex cæruleo enim & flauo (aiunt) fit viridis; ex rubro & cæruleo violaceus; ex miniato & rubro purpureus; ex albo & rubro roſeus; ex albo & cæruleo lacteus; ex miniato flauo rubro, & albo heluus vel giluus; ex flauo & viridi melinus: ex miniato flauo, albo & rubro melinus & cereus; ex albo & melino pallidus; ex miniato & flauo luteus: ex viridi, flauo & albo buxeus; ex rubro flauo & miniato croceus, rufus, fuluus, impluuiatus, pullus & rauus, pro varia portione ſingulorum colorum. Ex diuerſa enim colorum mixtione infiniti alij oriuntur (medij ſcilicet, nam extremi ſunt ſimplices & impermixti) quos enumerare longum eſſet.

Hîc de *violaceo* dumtaxat agendum. A flore dictum nemo neſcit qui *viola* dicitur: qui quidem verno tempore effulgente, primo benigno ſolis aſpectu oriri ſolet; de quo eleganter luſit pridem Fortunatus lib. 8. carm. 8. quod prænotarut *de violis* à ſe tranſmiſſis ad Radegundem, quæ regali pompa deſpecta, regulam S. Cæſarij cum inſigni pietatis & humilitatis exemplo, amplexata fuerat. hanc autem ſuper tranſmiſſo ad ipſam munuſculo faſciculi violarum, his modulis alloquitur;

Tempora ſi ſolito mihi candida lilia ferrent,
Aut ſpecioſa foret ſuaue rubore roſa.
Hæc ego rure legens, aut ceſpite pauperis horti,
Miſiſſem magnis munera parua libens.
Sed quia prima mihi deſunt, vel ſoluo ſecunda,
Profert qui violas, fert & amore roſas.
Inter odoriferas tamen has quas miſimus herbas,
Purpureæ violæ nobile germen habent.
Reſpirant pariter regali murice tinctæ,
Et ſaturat foliis hinc odor, inde color.
Hæc quod vtrumque gerit, pariter habeatis vtraque,
Et ſit mercis odor, flore perenne decus.

Fortunatum, non infortunatum verſificatorem notis illuſtrauit ſacris hiſtoricis & geographicis, Chriſtophorus Brouuerus Societ. Ieſu Preſbyter; ſed ad eiuſmodi carmen de violis nihil prorſus annotauit. Erat tamen cur inquireret nec ineptè, nec inutiliter, cur Fortunatus violas appellaret *pupureas*, & nihilominus *regali murice tinctas* dixerit. Non certè omnis purpura ex murice, ſicut nec vnius eiuſdémq; coloris, aut tincturæ eſt purpura. Murex eſt piſcis marinus ex concharum genere, qui per excellentiam conchylium dicitur; in mediis faucibus candidiſſimam habet venam, quâ exſectâ, pretioſus ille promanat cruor, quo laneæ & ſericæ veſtes tinguntur, colore illo ſplendido, & quaſi intermedio inter rubrum & nigrum. Alius eſt piſcis qui purpura dicitur, verno tempore æquè ac murex piſcatui peruius, ex quo cruor ille ſpecioſus elicitur, vnde præſtantior conficitur purpura. Diſtinctè de iis piſcibus Naturaliſtæ meminerunt. Vnde patet in Ciuili Iure non rectè pro promiſcuis vſurpati. *In l. 1. C. quæres ven. non poſſ.* & *in l. Temperant.* 4. *cod. de veſtib. holobern. l. 11. & l. ſacri affatus* 6. *C. de diuerſ. reſcript.* Porrò quòd diuerſæ ſint coloris purpuræ ſpecies clarè docet apud Plinium Cornelius Nepos. *Me iuuene*, inquit, *violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat*, (id eſt decem aureis) *nec multo poſt rubra Tarentina; huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille* (id eſt centum aureis) *non poterat emi.* Ad quæ verba Octauius Ferrarius lib. 2. de re veſtiaria cap. 6. ita commentatur. *Primis ergo temporibus Prætextarum, nam illæ ab Regibus inuectæ ſunt, & clauorum in tunica, purpura violacea fuit, mox rubra Tarentina; ſic dicta à loco vbi tingebatur; tandem omnium pretioſiſſima Tyria ſucceſſit, quæ à duplici tinctura dibapha dicta. &c. Hanc vegeti coloris fuiſſe, florentiſque maximè ac luminoſi contra vulgarem violaceam obtuſioris ac penè fuſci, docet Plutarchus in Catone, quòd cùm in vniuerſum contrariam moribus ſui temporis inſiſtendam viam ſibi videret, qui mali erant & magnam emendationem deſiderarent: Cùm purpuram*, inquit, *ſaturi coloris & acuto rubore ſplendentem in pretio videret eſſe, ipſe fuſcam & obtuſam gerebat. Eandem fuſcam, & plebeiam appellat Cicero pro Sextio de Piſone; veſtitus aſper, noſtra hac purpura plebeia ac penè fuſca.* Tyriæ & Laconicæ, quæ dibapha erat & bis tincta, color erat roſeus, quodam nigrore delibutus, & vt loquitur Plinius, *nigricantis roſæ colore ſublucens*; cocco ſiquidem Tyrio purpura addebatur, adeò vt *color vnus operiretur alio*, inquit Plinius lib. 9. c. 41. Hodie quoque apud Gallos color ſimplex violaceus differt ab eo qui coccino ſuperinfuſus efficit, *le violet teinct en cramoiſy*. Simplex eſt fuſcior, & ad hunc non ineptè illud Virgilij 4. Georgicon referri poteſt,

—— *violæ ſublucet purpura nigræ.*

Apud veteres igitur erant tres purpuræ ſpecies; purpura triſtior ſubnigricans: deinde violacea viuidior: denique ardenti cocco collucens. Audiendus iterum Plinius, lib. 21. c. 8. *Et de odoratis*, inquit, *coloribus ſatis dictum, in quibus vnguento viciſſe naturam gaudens luxuria, veſtibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commẽdantur.* Hos animaduerto tres eſſe principales, vnum in cocco, qui in roſis micat; gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras Tyrias dibapháſque & Laconicas; alium in amethy-

uarum ſeruatur: exceptis etiam Vigiliis, & quatuor temporibus, vt infrà. Quæ exceptio adeò perſpicua eſt, vt explicatione non indigeat.

Nota. Obſeruare autem hîc operæ pretium eſt, Pariſienſem Eccleſiam proprium in hoc vſu habere morem: conſueuit enim vti viridi colore in feſtis Sanctorum Confeſſorum tam Pontificum quàm aliorum quorumcumque. Vſos verò iamdudum in ſacro apparatu Sanctos Pontifices Confeſſores viridi colore, monimento eſt mitra holoſerica viridis S. Silueſtri Papæ; & tunica Pontificalis eiuſdem coloris S. Pirminij Metenſis Epiſcopi; de quibus actum eſt ſuprà.

ARTICVLVS IV.

De colore violaceo.

§. 1. *De dignitate huius coloris tam naturali, quàm myſtica.*

DE colorum mixtione, qui differunt, ex varia eorum commixtione omnis ferè generis colores fieri poſſe exiſtimant. Ex cæruleo enim & flauo (aiunt) fit viridis; ex rubro & cæruleo violaceus; ex miniato & rubro purpureus; ex albo & rubro roſeus; ex albo & cæruleo lacteus; ex miniato flauo rubro, & albo heluus vel giluus; ex flauo & viridi melinus: ex miniato flauo, albo & rubro melinus & cereus; ex albo & melino pallidus; ex miniato & flauo luteus: ex viridi, flauo & albo buxeus; ex rubro flauo & miniato croceus, rufus, fuluus, impluuiatus, pullus & rauus, pro varia portione ſingulorum colorum. Ex diuerſa enim colorum mixtione infiniti alij oriuntur (medij ſcilicet, nam extremi ſunt ſimplices & impermixti) quos enumerare longum eſſet.

Hîc de *violaceo* dumtaxat agendum. A flore dictum nemo neſcit qui *viola* dicitur: qui quidem verno tempore effulgente, primo benigno ſolis aſpectu oriri ſolet; de quo eleganter luſit pridem Fortunatus lib. 8. carm. 8. quod prænotatur *de violis* à ſe tranſmiſſis ad Radegundem, quæ regali pompa deſpecta, regulam S. Cæſarij cum inſigni pietatis & humilitatis exemplo, amplexata fuerat. hanc autem ſuper tranſmiſſo ad ipſam munuſculo faſciculi violarum, his modulis alloquitur;

Tempora ſi ſolito mihi candida lilia ferrent,
Aut ſpecioſa foret ſuaue rubore roſa.
Hæc ego rure legens, aut ceſpite pauperis horti,
Miſiſſem magnis munera parua libens.
Sed quia prima mihi deſunt, vel ſoluo ſecunda,
Profert qui violas, fert & amore roſas.
Inter odoriferas tamen has quas miſimus herbas,
Purpureæ violæ nobile germen habent.
Reſpirant pariter regali murice tinctæ,
Et ſaturat folijs hinc odor, inde color.
Hæc quod vtrumque gerit, pariter habeatis vtraque,
Et ſit mercis odor, flore perenne decus.

Fortunatum, non infortunatum verſificarorem notis illuſtrauit ſacris hiſtoricis & geographicis, Chriſtophorus Brouuerus Societ. Ieſu Preſbyter; ſed ad eiuſmodi carmen de violis nihil protſus annotauit. Erat tamen cur inquirerer nec ineptè, nec inutiliter, cur Fortunatus violas appellatet *pupureas*, & nihilominus *regali murice tinctas* dixerit. Non certè omnis putpura ex murice, ſicut nec vnius eiuſdémq; coloris, aur tincturæ eſt putpura. Murex eſt piſcis matinus ex concharum genere, qui per excellentiam conchylium dicitur; in mediis faucibus candidiſſimam habet venam, quâ exſectâ, pretioſus ille promanat cruor, quo laneæ & ſericæ veſtes ringuntur, colore illo ſplendido, & quaſi intermedio inter rubrum & nigrum. Alius eſt piſcis qui purpura dicitur, verno tempore æquè ac murex piſcatui peruius, ex quo cruor ille ſpecioſus elicitur, vnde præſtantior conficitur purpura. Diſtinctè de iis piſcibus Naturaliſtæ meminerunt. Vnde patet in Ciuili Iure non rectè pro promiſcuis vſurpari. *In l. 1. C. quæres ven. non poſſ.* & *in l. Temperant. 4. cod. de veſtib. holobern. l. 11. & l. ſacri affatus 6. C. de diuerſ. reſcript.* Porrò quòd diuerſæ ſint coloris purpuræ ſpecies clarè docet apud Plinium Cornelius Nepos. *Me iuuene*, inquir, *violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat*, (id eſt decem aureis) *nec multopòſt rubra Tarentina; huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille* (id eſt centum aureis) *non poterat emi.* Ad quæ verba Octauius Fettarius lib. 2. de re veſtiaria cap. 6. ita commentatur. *Primis ergo temporibus Prætextarum, nam illæ ab Regibus inuectæ ſunt, & clauorum in tunica, purpura violacea fuit, mox rubra Tarentina; ſic dicta à loco vbi tingebatur; tandem omnium pretioſiſſima Tyria ſucceſſit, quæ à duplici tinctura dibapha dicta. &c. Hanc vegeti coloris fuiſſe, florentiſque maximè ac luminoſi contra vulgarem violaceam obtuſioris ac penè fuſci, docet Plutarchus in Catone, quòd cùm in vniuerſum contrariam moribus ſui temporis inſiſtendam viam ſibi videret, qui mali erant & magnam emendationem deſiderarent: Cùm purpuram*, inquit, *ſaturi coloris & acuto rubore ſplendentem in pretio videret eſſe, ipſe fuſcam & obtuſam gerebat. Eandem fuſcam, & plebeiam appellat Cicero pro Sextio de Piſone; veſtitus aſper, noſtra hac purpura plebeia ac penè fuſca.* Tyriæ & Laconicæ, quæ dibapha erat & bis tincta, color erat roſeus, quodam nigrore delibutus, & vt loquitur Plinius, *nigricantis roſæ colore ſublucens;* cocco ſiquidem Tyrio purpura addebatur, adeò vt *color vnus operiretur alio*, inquit Plinius lib. 9. c. 41. Hodie quoque apud Gallos color ſimplex violaceus differt ab eo qui coccino ſuperinfuſus efficit, *le violet teinct en cramoiſy.* Simplex eſt fuſcior, & ad hunc non ineptè illud Virgilij 4. Georgicon referri poteſt,

— *violæ ſublucet purpura nigræ.*

Apud veteres igitur erant rres purpuræ ſpecies; purpura triſtior ſubnigricans: deinde violacea viuidior: denique ardenti cocco collucens. Audiendus iterum Plinius, lib. 21. c. 8. *Et de odoratis*, inquit, *coloribus ſatis dictum, in quibus vnguento viciſſe naturam gaudens luxuria, veſtibus quoque prouocauit eos flores, qui colore commẽdantur.* Hos animaduerro rres eſſe principales, vnum in cocco, qui in roſis micat; gratius nihil traditur aſpectu, & in purpuras Tyrias dibapháſque & Laconicas; alium in amethy-

ſto, qui in viola, & ipſe in purpureum quem ianthinum appellauimus: tertius eſt qui propriè conchylij intelligitur multis modis, vnus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior; alius in malua ad purpuram inclinans; alius in viola ſerotina (hanc Galli non appellant *la violette*, ſed, *la penſée*) conchyliorum vegetiſſimus.

In tota ſacra Scriptura, nuſquam viola flos, nec color violaceus nominatur, ſed ſub aliis vocabulis deſignatur, nempe ſub voculis purpuræ, & amethyſti. Lib. Exodi paſſim, tam in ornatu tabernaculi, quàm apparatu Pontificis purpura diſtinguitur à cocco, proinde hæc non coccinea, neque rubra, ſed violacea erat: vide præſertim c. 21. 26. 28. 35. 36. 38. & 2. Paral. 2. 3. Porrò Amethyſtus qui tertius eſt lapis pretioſus in ornatu Pontificis Exod. 28. Hebraïcè *Achlamuch*, Chaldaïcè *Enegla*, violacei eſt coloris, qui ex mixtione rubri & cærulei coloris emanat, ſculptura facilis, leuitérque flammulas fundit. Differt ab hyacintho quòd fulgor violaceus in hyacintho ſit dilutus, in amethyſto verò ſit micans, ait Plinius l. 37. c. 9. Eſtque violaceus color ita amethyſto ingenitus, vt adulterari nequeat, niſi ſub natiui huius coloris fuco. Anſelmus Boëtius lib. 2. de lapidibus ac gemmis in ſpecie; *Adulteratur* (ait) *amethyſtus colore violaceo maſtice mixto, ac inter duo vitra glutinato, aut vitro eiuſdem coloris inter duas cryſtalli particulas poſito.* Apoc. 21. Amethyſtus duodecimum nouæ Ieruſalem fundamentum eſt; proinde & in conſpectu Dei color violaceus, quo hic lapis micat, gratus & acceptus eſt. Dicunt hunc colorem eſſe modeſtiæ, temperantiæ & humilitatis ſymbolum, quæ quàm ſint dilectæ Deo virtutes, vniuerſa Scriptura ſacra abundè docet, & Patrum monimenta, ac geſta Sanctorum paſſim teſtantur.

Cæruleum colorem, ſeu cyaneum affinem volút eſſe violaceo, qui ex eo permixto cum rubro coaleſcit: eſt verò color cæruleus ſimpliciſſimus ac tenuiſſimus inter omnes, ideo à pictoribus magno pretio habetur. hic aërem ex elementis, Iouem ex planetis, ſaphirum ex gemmis, iuſtitiam ex virtutibus deſignat; per quem etiam aqua, cælum & autumnus ſignificantur. Inter flores Gallica cum eo triumphant lilia: inter gemmas cum illo regnat ſaphirus; inter complexiones cum illo ſanguinea exultat: habetur etiam prò hieroglyphico caſtitatis. in ſaphiro color hic ſacris in Scripturis commendatur, qui lapis ſecundus ponitur tam in pectorali ſummi Pontificis, Exod. 28. quàm in fundamento ciuitatis ſupernæ, Apoc. 21. Quo loco Aretas vult S. Paulum ſignificari, qui dicere ſolebat, *Noſtra conuerſatio in cælis eſt.* Alij S. Andream ſymboli Apoſtolici ſecundum ſuffragatorem, primi Apoſtoli germanum & comparem, in ortu, vocatione, & morte; qui amore cæli & radiis Chriſti (apud eum primus omnium manens) percuſſus, in eius amorem totus exarſit, & terrena omnia proſpera æquè ac aduerſa calcauit, ac in aëtem ſublatus biduò in cruce pendens ſcintillis amoris è præcordiis erumpentibus, Chriſti magiſtri & archetypi ſui gloriam prædicans, circumfuſus cæleſti luce, & lætitià diuinâ plenus migrauit ad gloriæ & honóris immarceſſibilem coronam.

Google

§. 2. *De vſu Eccleſiaſtico violacei coloris, tam in ſacris ritibus; quàm veſtibus, iuxta morem Romanum.*

VIOLACEO *colore vtitur*(Romana Eccleſia) *à prima Dominica Aduentus in primis veſperis, vſque ad Miſſam vigiliæ Natiuitatis Dom. incluſiuè.* Sicut aurora præcurrit diem: ita vernum tempus aperit, & primam hortorum promit amœnitatem, viola primus flos omnium tam odore ſuauis quàm ſpecioſus colore. Aduentus Domini eſt tempus expectationis felicis partus Virginis, quæ vt viola flos humilis ſed purpureus, exiguus ſed iucundo odore fragrans, vernum nobis ſalutis tempus aperuit; vtque aurora conſurgens ſolem iuſtitiæ nobis, gratiæque auctorem tamdiu deſideratum peperit & protulit, ortu regio, virgo puerpera, purpurea humilitate ſumma, puritate incorrupta, donorum gratiæ aromatibus & virtutum odoramentis tota perfuſa: ſaphiro cælum & ſolem ſpiranti perſimilis, cælum colore, ſolem flammulis: colore, inquam, perennis affectus cæleſtium, & flammulis diuini amoris; roris cæleſtis ſpirans Eccleſia toto illo tempore canit: *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Ad verni ſpectat temperiem ros & germen, terræque proferens ſpecioſas violas ſinus floridus. Ideò tempore Aduentûs violaceum aſſumit Eccleſia colorem, quo deſideriorum ſuorum erumpere germen, primúmque florem exſurgere, inſinuet. Sed nato Domino è Virgine incorrupta, lacteum candorem induit, quo ſpei noſtræ florem iam ortum innuat; florem, inquam, illum de quo prædictum erat; *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & ſuper hunc florem requieſcet Spiritus Sanctus.* Rubrica Miſſalis Rom. tit. 18.

Et à Septuageſima, vſque ad Sabbathum Sanctum ante Miſſam incluſiuè in officio de tempore; quia ſcilicet tempus hoc ieiunio dicatum eſt, quo vitia comprimuntur, caro purgatur, abſtrahitur à terrenis anima, & ad cæleſtia erigitur. Quemadmodum igitur coaleſcit ex albo & rubro ac nigro color violaceus, ſic ex carnis mortificatione & ſpiritûs purificatione, ardore deuotionis, & candore innocentiæ, lachrymis pœnitentiæ, & feruore charitatis homo veniæ cupidus ad gratiam & iuſtitiam renouatur; *Iam enim peccator non eſt* (ait S. Hieronymus) *qui iuſtus eſſe cupit;* proinde iam quaſi excuſſo nigrore peccati, ſpe veniæ candidatus fit purpuræ, non coccineæ, qua ſoli cæleſtis Sion induuntur municipes, ſed violaceæ, quæ mitigato decore, non pleno ſplendore fulget, iuxta illud,

—— violæ ſublucet purpura nigræ.

Excepta feria V. in cœna Domini, qua vtitur albo, vt dictum eſt ſuprà; tamen in reconciliatione pœnitentium quæ fit hoc die ſolenni ritu, violaceus color aſſumitur tam ab Antiſtite, quàm eius miniſtris, vt ex Pontificali Romano ſuperiùs notatum eſt. Cauſa proinde ex dictis eſt perſpicua.

Et feria ſexta in Paraſceue, qua vtitur nigro: de quo infrà; illa die tamen Romæ, Cardinales pulla veſte non induuntur, aſſiſtentes Pontifici; at nec rubro, nec violaceo, ſed fuſciori, & qui ad deſiccatæ roſæ pallo-

rem vergit; quo colore amicti etiam ad ſacra prodeunt in die cinerum, & commemoratione generali fidelium defunctorum.

Et benedictione cerei in Sabbatho Sancto, in qua Diaconus illius præfationem dicens ſolus vtitur albo. Præter aliarum benedictionum morem, in quibus vſu communis eſt violaceus color. Cur in iſta verò albus adhibeatur? Paſchalis in cauſa eſt ſolenniras, cuius Diaconus hoc officio defungens, præconium enuntiat: vnde Diaconus ipſum librum accipiens de altari & petens à ſacerdote benedictionem, hanc ſub hac verborum formula accipit: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis, vt dignè & competenter annuncies ſuum Paſchale præconium; In nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.*

Ea autem finita, violaceo, vt priùs. Quia tum leguntur Prophetiæ, quæ ex promiſſorum deſiderio nonnihil mœtoris habent, *ſpes enim, quæ differtur, affligit animam.* Admiſcentur etiam preces quæ pœnitentiam ſpirant, & miſericordiæ poſtulationem.

Item in vigilia Pentecoſtes ante Miſſam à prima Prophetia vſque ad benedictionem fontis incluſiuè. Ratio patet ex dictis; verùm licèt quoad Prophetias ſit euidens ex præmiſſis; quoad benedictionem fontis non ita. Deſcendit enim Spiritus Sanctus ſuper aquas dum Chriſtus baptizaretur, in candidæ ſpecie columbæ, in feſto autem Pentecoſtes in linguis igneis ſuper Apoſtolos ſuum illapſum ſpectabilem fecit. Cur igitur violaceus color? vbi adeſſe deberet vel albus, vel rubeus. Sed verò ipſe violaceus coaleſcit ex vtroque, immixtò etiam aliquoties cæruleo. quamobrem vt medius conuenienter adhibetur, quia vtriuſque myſterij iam fit ſolennis & indiuidua commemoratio, quæ etiam in myſtica formula benedictionis ſpecialiter eſt expreſſa, his verbis ſcilicet: *qui à Ioanne in Iordane in te baptizatus eſt*; illíſque, *deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus Sancti.*

In quatuor temporibus & Vigiliis quæ ieiunantur. Ob præſignatas rationes, in rubrica de tempore Quadrageſimæ. Viola eſt flos non ſolùm pulcher, & ſuaueolens, ſed etiam medicinalis, tantóque (vt aiunt naturalium rerum tractatores) virtuoſior, quantò verſus terram demiſ-
Cap. 26. in Cãt. ſior; Rectè ait Richardus à Sancto Victore, * *humilitatem eſſe locum gratiæ Dei*, adeo vt tantùm in vnoquoque capax ſit diuinæ gratiæ ſanctificantis conceptaculum, quantùm (vt ſic dicam) fuerit humilitate excauatum, & voluntaria inclinatione demiſſum. Repellit ſiquidem
Pſ. 136. elatio Deum, *qui humilia reſpicit & alta à longè cognoſcit.* At vera & ſolida ſanctitas humili acceſſu ad Deum, ac perfecta pro vitæ huius ſtatu adhæſione cum eo continetur.

Exceptis vigilia & quatuor temporibus Pentecoſtes. In quibus, vt ſuprà in rubrica de rubeo colore notatum eſt, color hic ipſe rubeus ſumi debet ob eius affinitatem cum igne, cuius in ſpecie Spiritus Sanctus ſuper Eccleſiam enaſcentem ipſo die Pentecoſtes deſcendit.

In Miſſa Litaniarum in die Sancti Marci. Pro Litaniis Catholicis eximiam edidit defenſionem Thomas Saulius Societ. Ieſu Preſbyter æquè pius ac doctus, in 10. capita digeſtam; cuius 1. caput inſcriptum eſt, de

ipſarum Litaniarum nomine. 2. de antiquitate. 3. de auctore. 4. de vtilitate, 5. de correctotibus, vel potiùs corruptoribus. (Lutheranis ſcilicet, & aliis ſectariis hagiomachis) 6. de ſublata per hæreticos Trinitatis inuocatione. 7. de ſublata Sanctorum inuocatione. 8. de ſublata oratione pro ſummo Pontifice. 9. de ſublata oratione pro fidelibus defunctis. 10. de ſublata oratione pro vera pœnitentia: pro qua tam ipſæ Litaniæ fiunt, quàm collectæ iis aptatæ funduntur; ideò etiam ab ipſis hæreticis ſuppreſſæ. Violaceus color, ex viola flore mutuatur nomen, ex eóque affinitatem ducit, qui vt præmonuimus humilitatis, modeſtiæ, & continentiæ, quibus pœnitentia nititur vt natiuis radicibus, ſymbolum eſt. quòd verò in die S. Marci vſurpari ſoleat *color violaceus*, intellige *in officio proceſſionis tantùm & in Miſſa de Litania*; nam in officio feſti rubeus color ſumi debet, ob commune Euangeliſtarum cum Apoſtolis decus, atque martyrij, quo fulſit S. Marcus, triumphum.

Et Rogationum: quæ ſcilicet Litaniæ ſunt minores; nam quæ fit in feſto Sancti Marci, Litania eſt maior; ratio igitur communis eſt.

In Proceſſionibus, quæ his diebus fiunt; enimuerò ſi occurreret his diebus feſtum duplex vel ſemiduplex, color eius officio conueniens ſumendus eſſet; ſed in proceſſione nihilominus, & Miſſa eiuſdem conſtanter debet color violaceus ob aſſignatas ſuperiùs rationes vſurpari.

In feſto Sanctorum Innocentium: qui ſcilicet primi ſunt Martyrum flores, vt violæ hortorum ſunt, oriente verno tempore, primigena decora.

Quando non venerit in Dominica; de qua exceptione ſuperiùs accuratè dictum eſt.

In Benedictione Candelarum in die Purificationis Beatæ Mariæ. Apum & Virginum celebrem apud Patres comparationem eruditorum in eorum monimentis nemo neſcit: quo ex theoremate de ſeipſa dicebat S. Cæcilia Chriſto ſponſo, *Cæcilia tibi quaſi apis argumentoſa deſeruit:* fauos eliciunt apes ex floribus; ex fauis verò mel & cera conficiuntur; ex cera verò fiunt cerei; qui in Dei altari accenſi lucent: florum primitiæ idcirco cùm violæ ſint, horum colorem Eccleſia in cereorum, & candelarum ſolenni benedictione geſtare conſueuit, quæ fieri ritu ſtatuto ſolet in feſto Purificationis B. Mariæ, Reginæ Virginum, & Chriſti ſolis gratiæ intemeratæ genitricis.

Et in Benedictione Cinerum & Palmarum. Ratio eſt etiam ſuperiùs obſeruata, videlicet ex eo quòd hæ benedictiones non ſine exorciſmis fiunt, quibus tetri ſpiritus dæmonum abiguntur, Sacerdotali miniſterio, quod (vt ſcitè alicubi dicit S. Hieronymus) *omnipotentiæ diuinæ organum eſt*, in ſe quidem, quoad hominem, tenue ac debile, in eo verò qui ſuos confortat miniſtros præualidum & efficaciſſimum.

Et ipſa Dominica in Palmis; qua ſcilicet Chriſtus Rex Iſraël ſalutatur, & in Ieruſalem cultu regio exceptus eſt, ſimul humilis & ſublimis, Deus & homo, ſeruus & Dominus, diues & pauper, hoſtia & Sacerdos, Rex & Pontifex, *purpura igitur & byſſo decorandus.*

Et generaliter in omnibus Proceſſionibus; quæ vt plurimùm, mixtam redolent cum mœrore aliquo lætitiam; vnde illa oratio in iis ſolennis; *Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra aduerſa omnia, tua ſemper protectione muniamur.*

Exceptis proceſſionibus ſanctiſſimi Sacramenti: Albus enim color in his vſitatur, ob notatas congruentias, vbi ſuprà dictum eſt hoc de colore.

Et quæ fiunt in diebus ſolemnibus: nam in his ſumitur color horum titulis conueniens, myſteriorúmque ritibus affinis.

Vel pro gratiarum actione. Tum enim albus color ob lætitiæ ſignum.

In Miſſis de Paſſione Domini; qui purpurea ſcilicet veſte, ſæuam poſt flagellationem, indutus eſt in Pilati prætorio; mortuúſque in cruce, è latere mucrone diro lanceæ transfixo, ſanguinem & aquam pro redemptione & ſanctificatione noſtra effudit: rubor ille ſanguineus & chryſtallinus aquæ candor violaceum illum colorem, quem gerit ſacerdos in myſterij huius commemoratione, tinxit, nobiſque exhibuit iræ Dei coccum antehac ardentiùs fulgentem, mitigatum.

Pro quacumque neceſſitate, pro peccatis, ad tollendum ſchiſma, contra paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, pro infirmis. In his enim omnibus etſi ex miſericordia Dei affulgeat ſpes liberationis; mœror tamen præſentis afflictionis, vel laboris, ſupplices angit & contriſtat.

Cæterùm in Pontificali & Rituali Romano, præſcribitur inſuper obſeruandus violaceus color *in publica excommunicati abſolutione*: quia actus ſcilicet iuriſdictionis eſt. Porro *in viſitatione Eccleſiæ* itidem color violaceus ſumi debet; quo & viſitatoris dignitas (regale eſt enim ſacerdotium,) & bonus odor, quem ſpargere debet in populum deſignatur, iuxta illud Apoſtoli 2. Cor. 2. 14. *Chriſti bonus odor ſumus, in iis qui ſalui fiunt odor vitæ in vitam.*

ARTICVLVS V.

De colore nigro.

§. 1. *De ipſius coloris affectibus, & arcanis.*

COLOR niger præ cæteris pollet virtute: nam cùm ipſe omnes ſuperet & extinguat, à nullo vincitur nec extinguitur; Quo iure omnium præſtantiſſimus dici poteſt. (de coloris huius præſtantia ex Philoſophia naturali differentem legere eſt Anſelmum Boëtium Brugenſem lib. 1. de lapidibus ac gemmis in genere c. 15. quod eſt de gemmarum & lapidum coloribus.) Significat Saturnum ex planetis; diem Veneris ex diebus. (heu diem! in quo, vt verbis Leonis Magni vtamur, ſerm. 8. de paſſione Domini, *obſcuratis luminaribus cæli, & conuerſo in noctem die*, ſol iuſtitiæ Chriſtus in cruce eclipſim vitæ, ſpontaneæ mortis occaſu, pro ſalute mundi perpeſſus eſt: in cuius rei memoria Eccleſia die S. Paraſceues, atris velamentis altaria, nigriſque veſtibus ſacrorum miniſtros, diuina officia non ſine luctu celebrantes, induere conſueuit.) Cæterum color iſte ex metallis

metallis ferrum, ex ætatibus ſenectutem, ex vittutibus prudentiam inſuper deſignat. Imò cùm colores variarum ſcientiarum ſint ſymbola, color iſte in his obtinet ptincipatum, cùm doctoratûs ſit inſigne, qui per pileum nigrum confertur: auget coloris huius æſtimationem melancolicum temperamentum quod ingenium imprimis demonſtrat, vt ex Philoſopho probat Tullius lib. 1. Tuſcul. Inequis indicium eſt inuicti roboris. Habet etiam locum in hominibus. Plato qui ex coloribus phyſiognomiam docuit poſſe elici, pallidos vt cenſuit nimiùm amatores, rubentes iracundos, albos Deo deuotos; ita nigros animoſos & viriles eſſe exiſtimauit, quemadmodum eius ex ſcitis obſeruauit Alexander ab Alexandro, Genialium dierum lib. 2. cap. 19. Aiunt placuiſſe Auguſto admodum hunc colorem, qui ſibi ſtatuas in templis nonniſi ex lapide nigro erigi voluit. Quanti eum fecerit Apelles princeps ille pictorum in virili vultu, inde patet, quòd Alexandrum exprimendo, cùm eius regiam ſpeciem exponere voluiſſet, ſubnigrum eum depinxerit. Nec vitilis porrò animi, at eximiæ corporis venuſtatis iſte ipſe color indicium eſt, ſiquidem nigri oculi, & comæ nigræ imprimis laudantur. Audias Horatium lib. 1. Odarum, Oda 32. qua commendat

Lycium nigris oculis, nigróque
Crine decorum.

Rurſúſque in arte poëtica, vbi canit,

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Quibus titulis ſe ſpecioſam ſponſa prædicar in Canticis, *Nigra ſum*, inquit, *ſed formoſa*. Vbi mellifluus Bernardus ſerm. 25. ſuper Cant. de nigredine & formoſitate ſponſæ, *Nulláne*, inquit, *in his verbis repugnantia eſt?* abſit; propter ſimplices dico, qui inter colorem & formam diſcernere non nouerunt, cùm forma ad compoſitionem pertineat, nigredo color ſit. Non omne denique quod nigrum eſt continuò deforme eſt; nigredo verbi causâ in pupilla non dedecet. Et nigri quidam lapilli in otnamentis placent; & nigri capilli candidis vultibus etiam decorem augent & gratiam; quo nomine ipſa ſponſa dilectum ſuum prædicat ſpecioſum; *Coma eius* (inquit Cant. 5. 11.) *elata ſicut palmarum, nigra ſicut coruus*. Perſtringit idcirco Tertullianus fœminarum laſciuiam, quæ fucara nigredine in oculorum veſtibulis gratiam ſibi conciliabant: *Et illum ipſum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur*, ait lib. 1. de habitu muliebri cap. 2. & de cultu fœminarum cap. 5. *oculos fuligine collinunt*. Et eius imitator Sanctus Cyprianus de diſciplina & habitu virginum; *Oculos*, inquit, *circumducto nigrore fucare docuerunt*. Arnobius lib. 2. contra gentes; *fuligine oculos obumbrant.*

In ſacris Litteris non vbique bonæ ſunt nigti coloris acceptiones; quibuſdam locis ſiquidem adiaphorus eſt illius ſignificarus, vt cùm coloris albi aut nigri oues à variegatis à Iacobo diſtinguuntur; *Separauit in illa die capras & oues & hircos, & arietes varios atque maculoſos; cunctum autem gregem vnicolorem, id eſt albi, & nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum.* Geneſ. 30. 35. 36. Et cùm ait Dominus Matth.

5. 36. *Non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Potrò Leuit. 13. in lepra niger color obſeruandus, vt magis turpis ſignatur; paſſim alibi miſeriæ culpa, & labis peccati indicium eſt, Apoc. 6. ſignum eſt ſtetilitatis & famis ſedens eques ſupet equum nigtum. verſ. 5. & 12. mœroris & triſtitiæ: *Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus.* Apud gentes in myſteriis color niger diis inferis addictus erat, vt albus ſuperis: Qua de re Arnobius in hunc modum ſctibit lib. 7. contta gentes, *Quæ in coloribus ratio eſt, vt meritò his albas, illis atras conueniat, nigerrimáſque mactari? quia ſuperis diis (* inquit *) atque hominum dexteritate pollentibus color lætus acceptus eſt, ac felix hilaritate candoris. At verò diis ſæuis ſedéſque habentibus inferas color fuluus eſt gratior, ac triſtior ſuffectus à fucis.* In diuinis litteris Angeli cælites à Deo in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis, Angeli lucis appellantut, paſſimque apparent in ſtola candida & veſtibus albis, niueo nitore. At verò mali Angeli, inferorum incolæ, *Angeli tenebrarum vocitantur*, atróque colore cùm Dei permiſſu hominibus apparent, amicti conſpici ſolent. Ait Apoſtolus eos ſe ttansfigurare aliquando *in Angelos lucis*, 2. Cot. 11. 14. ſic ille fecit qui S. Martino, vt tefert Sulpitius, appatens in ſplendido ornatu, ſeſe ab illo, quaſi ipſe eſſet Chriſtus, volebat adorari. *Cui Martinus diuino irradiatus afflatu; non ſe,* inquit, *Dominus Ieſus purpuratum, & diademate renitentem venturum eſſe prædixit. Ego Chriſtum, niſi in eo habitu formáque qua paſſus eſt, niſi crucis ſtigmata perferentem veniſſe non credam. Ad hanc vocem teter ille ſpiritus ſtatim vt fumus euanuit.* Fumus aſcendit ex puteo abyſſi, vbi ſcilicet habitant dæmones ignibus æternis addicti, vtque fumi vapor lucem refringit & aërem obumbrat, ac quicquid attingit, putido inquinat nigrore: ſic Diabolus, Angelus tenebrarum, hoſtis lucis, animas quas in peccatum trahit commaculat tetro culpæ reatu. Vnde Nahum Propheta capite ſecundo: *Facies omnium eorum (* ait *) ſicut nigredo ollæ;* ſicut enim electi ſimiles fiunt Angelis, ita reptobi Diabolo ptincipi tenebrarum configurantur: qui de apparitionibus ex profeſſo tractauerunt, obſeruandum monent ſpiritus infetnales fuſco nigróque colore conſuetos ſpectabiles ſe præbere, vt Angelos & beatas mentes candido ſplendore micantes. Quo ex more in Genealogia hæteticorum Sacramentariorum patt. 2. num. 12. pag. 91. obſeruatione dignum cenſuimus, ſuperiori ſæculo dixiſſe Zuinglium, Chriſti in Euchariſtia primarium negatorem, ſeſe nocte quadam edoctum qua arte verba inſtitutionis apertiſſima ad tropos & figuras detorqueret, non porrò aduerriſſe, quo eſſet ſpiritus ille verborum Domini artificioſus deprauator, colore conſpicuus. *Ater enim aut albus fuerit, (*inquit*) non memini;* at profectò ater erat, qui odio lucis apparebat in tenebris, verbáque Teſtamenti Domini clariſſima tropicis interpretationibus obducere, obſcuraréque, iam ſibi deditum Zuinglium Carholicæ fidei corruptorem edocebat. Sed hoc πάρεργον.

Habet cerrè niger color præter ſequiorem hunc vſum laudabiles acceptiones, vt paret ex his quæ ſuperiùs diximus; quibus addi poteſt

in tempore publicæ afflictionis Eccleſiæ, in ſignum mœroris à SS. Patribus vſurpatum, quorum morem hac in re ſecutus memoratur Acatius Conſtantinopolitanus Patriatcha, de quo hæc Theodotus Lector lib. 1. Collectaneorum (tom. 7. Biblioth. SS. PP. p. 618. editionis Patiſ. poſtremæ) litteris prodidit, *Publico edicto Baſiliſcus* (Imperator) *ſynodum illam* (Chalcedonenſem ſcilicet) *reprobari iuſſit; vrſit autem & Acatium, vt idem ipſe faceret, quod tamen obtinere non potuit, quòd cuncta ciuitas vnà cum viris, & mulieribus contra Baſiliſcum in Eccleſia congregarentur, & Acatius ſe ipſum, & ſedem & altare nigris amiciret.* In funeribus etiam geſtatum hunc colorem iam olim etiam apud veteres Græcos, & Romanos, nemo eſt eruditorum qui ignoret, de quo more etiamnum vigenti ſic Alciatus Emblemate 117.

Index mæſtitiæ eſt pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias.

A quo tamen more deflexiſſe iampridem nonnullas gentes oſtendit Tiraquellus ad c. 7. lib. 3. Genialium dierum Alexandri ab Alexandro, qui ipſe lib. 4. c. 20. ex profeſſo diſſerit de diebus atris, quos pro infauſtis olim habitos tam apud Romanos, quàm exteras gentes inſinuat. Cæterùm calculis nigris dudum ſontes damnatos, vt albis abſolutos inſontes ex priſcæ hiſtoriæ monimentis liquidò conſtat. Quò reſpicit illud dictum Domini Apoc. 2. *Vincenti dabo calculum candidum*, in ſignum ſcilicet iuſtificationis, & pignus gloriæ mundique beatitudinis. ater igitur calculus contrariorum eſt ſymbolum. At de nigro ſatis pro ſubiecta materia.

§. 2. *De vſu nigri coloris, in ritibus Eccleſiæ.*

MINVS longè nigro vtitur Romana Eccleſia ſacris in veſtibus & ritibus quàm coloribus cæteris, quamobtem rubrica *de colore paramentorum*, paucis his verbis morem Romanæ Eccleſiæ vtendi ſacris in officiis nigro ipſo colore comprehendit, *Nigro colore vtitur feria ſexta in Paraſceue, & in omnibus officiis & Miſſis defunctorum.* Cur nigro colore vtatur Eccleſia in die S. Paraſceues ſuprà in limine prioris paragraphi explicauimus. Cur autem nigro in officio funeris & Miſſis defunctorum, ſatis ex his liquet quæ ſub oram eiuſdem paragraphi, licèt obiter annotauimus. Si quis plura volet de hoc funebri colore, adeat videátque Claudium Minoem Iuriſconſultum in Commentar. ad Emblemata Alciati, Emblem. 117. iiſque ſubiunctum eiuſdem Minois Appendicem ſpeculetur.

Cæterùm in Pontificali Romano color niger non aſſumitur ab Antiſtite, officio Pontificali fungente, niſi in viſitatione Cœmeterij, in qua tamen eius delectui relinquitur violaceum vel nigrum aſſumere; ſic enim rubrica habet in ordine ad viſitandas Parochias, *Poſthæc Pontifex depoſitâ cappâ induitur amictu, ſtola, pluuiali violacei, vel nigri coloris, & mitra ſimplici, & ſtans cum mitra iuxta altare verſus ad populum incipit Antiphonam*, ſi iniquitates, &c. *deinde cum miniſtris ſeu Capellanis ſuis dicit pſalmum*, *De*

profundis, &c. Sed abſolutè præcipitur vt nigro vtatur colore in exequiis defunctorum, ita enim legitur tit. de officio quod poſt Miſſam ſolennem pro defunctis agitur. *In exequiis ſummi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, Metropolitani, aut Epiſcopi proprij, ſeu Imperatoris, Regis, vel Ducis magni* &c. *Prælatus qui celebrauit* &c. *accipit pluuiale nigrum, & mitram ſimplicem, & quatuor alij Prælati (ſi adſint) accedent ad Sacriſtiam* &c. *Vbi quilibet eorum accipit ſuper rochetum, vel ſi ſit Regularis ſupra ſuperpelliceum amictum, ſtolam, pluuiale nigrum, & mitram ſimplicem, ſi ea uti poſſunt, ſin minùs biretum, & omnes ſic parati accedunt ad Prælatum celebrantem paratum* &c.

PARS II.

De colore, quo licet vti Clericis in habitu priuato.

CAPVT PRIMVM.

An albo vti liceat?

CELEBRIS, S. Hieronymi ſcribentis ad Nepotianum de vita clericorum, ſententia eſt, *veſtes pullas æquè deuita vt candidas, ornatus vt ſordes pari modo fugiendæ ſunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Et verò hoc nomine apud Patres graui reprehenſione dignus habitus eſt Siſinius Nouatianus Epiſcopus, qui candidatus ſemper incedebat, & ſibi, ſuiſque τῶν καθαρῶν hoc eſt purorum, nomen glorioſè vendicabat; iocô tamen vertiſſe eum refert Nicephorus, iacta in ſe propter hoc veſtium decus, dicteria. *Quum* (inquit præfatus hiſtoricus lib. 12. c. 36.) *à quodam, qui Catholicæ Eccleſiæ erat, dicto quòd candidam gereret veſtem, quæ Epiſcopum vt aliena minùs deceret, perſtrictus eſſet; ſtatim dicacitatem in eum retorquens* (ſalibus enim & acutis ac ingenioſis reſponſis aſſuetus erat,) *tibi verò potiùs eſt oſtendendum*, inquit, *vbinam ſcriptum ſit, quòd Epiſcopum pulla veſte vti oporteat. Atque vbi ille cogitabundus (quia quod reſponderet non habebat) ſtaret, ſubintulit ilicò Siſinius, tu quidem oſtendere id non potes, at Salomon me vt id faciam adhortatur, dicens ſint veſtimenta tua ſemper alba. Verùm & Seruator in Euangeliis, candida veſte vſus videtur, qui diſcipulis qui ſecum montem Thabor conſcenderant, Moſen & Eliam candidatos exhibuerit.* Ita Siſinius. verùm in huius dictis plus argutiæ quàm veritatis licet aduertere: neque enim vllibi Euangelia perhibent candidis indutos veſtibus, oſtenſos fuiſſe à Domino ſuis diſcipulis Moyſen & Eliam, ſed ipſius ſolius veſtes, vt niuem candidas apparuiſſe: videlicet per modum actus tranſeuntis, nam peracta transfiguratione ſua, ſtatim de monte deſcendens cum ſuis diſcipulis, prima eius habitus ſpecies, vt

erat antea rediit; quæ candida certè non erat, vt ex iis quæ infrà dicturi ſumus liquidò conſtabit. Quod verò Siſinius afferebat ex Salomone, non ſic habet vt citat; nec enim Salomon ait in autographo, vt *candida*, id eſt alba, quiſque veſtimenta gerat, ſed *munda* & ſordis labíſque expertia. Addi poreſt, non litterali, ſed morali ſenſu hanc Sapientis ſententiam eſſe accipiendam, vt ex contextu patet. Ita enim ait Eccleſ. 9. *Vade ergo & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum, quia Deo placent opera tua: omni tempore ſint veſtimenta tua candida,* (ſeu nitida) *& oleum de capite tuo non deficiat.* Id eſt, ſi tibi puta coram Deo eſt conſcientia, lætus age, interiorisque lætitiæ, quæ iuſti animam ſemper comitatur indicia tam in facie, quàm externa corporis ſpecie, verbóque & inceſſu tuo, perpetim eluceant. Accedit quòd perperam Siſinius dictum de plebe promiſcua, ad Epiſcopum detorquebat: cui ſi competere poſſunt verba ipſa, *omni ſint tempore veſtimenta tua candida*, vt ea ipſe allegat, etiam proximè ſequentia conuenire neceſſum erit, *perfruere vita, cum vxore, quam diligis.* Vxoratus eſſe igitur poterit Epiſcopus, quod nec Græci tulerunt vmquam, nec hodie patiuntur. At ex eiuſmodi narratione intentum habemus, nempe quod mos Eccleſiæ iam tunc non ferebat, candidis veſtibus Epiſcopum ſplendeſcere in priuato habitu. Rectè dicebat S. Bernardus, *Quod pauci faciunt, mirantur omnes.* reprehenſus non fuiſſet Siſinius ab homine Catholico de candido veſtis colore, niſi in eo gerendo notatus fuiſſet ſingularis. Catholicus enim ille hoc coloris genus alienum eſſe ab Epiſcopo aſſerebat, quod nec Siſinius auſus eſt inficiari; quamobrem cùm id negare non poſſet quod omnibus erat perſpectum, ad conſuetos ſales & ludicra deflexit, qua arte nimirum aciem intorti in ſe iaculi ſi non eliderer, eluderet ſaltem, ſeriúmq; monitum ſolueret in cachinnũ. Miror equidem tanti factum hunc hominem, non modò à ſuis Nouatianis, ſed & Epiſcopis Principibúſque & Magiſtratibus Catholicis, quantùm Nicephorus refert; cùm nihil magis abhorreat à grauitate Epiſcopi, ac ſcurrilitas, facetiarúmque argutiæ, quibus impensè hunc deditum commemorat, & epularum deliciis, veſtimentorúmque luxui: ſiquidem vt ipſe ſcribit ibidem Nicephorus, victus eius ratio non adeò frugalis, ſed lætior quodammodo & ſumptuoſior erat, ita vt quibuſdam videretur, eum in hoc ſplendore & deliciis tãtis, pudicitiam & continentiam colere non poſſe. Et veſtitu, inquit, imprimis exquiſito vſus eſt, & bis interdum die vno in balneis publicis lauit, vnde etiam reprehenſus fuit, ſed pro more ſuum deſiſit monitorem; aliquando enim quodam eum percunctante, cuiuſnam gratia cùm eſſet Epiſcopus bis in die lauaret? quia ter inquit non poſſum. Pulchrum ſanè reſponſum, & quod ironicum genium hominis, vt alia quæ Nicephorus enarrat, ſatis proderet. Eſt hîc quòd agnoſcant nouatores noſtri antiquum hæreſis ingenium, quo maximè delectantur, ironiis ſcilicet & facetiis, ſeria quæque aſpergere, ſactáque ipſa acutis, ſed profanis ſarcaſmis atque ſcommatibus, traducere in deriſum. Nec mirum id eſſe familiare hæreticis, à quibus cauendum idcirco ſummoperè diuinus Pſalmographus admonebat, in ipſo ſuorum vaticiniorum exordio; *Beatus* (inquit) *vir, qui non abiit in conſilio impiorum; &*

in via peccatorum non ſtetit , & in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Vertit ex Hebræo S. Hieronymus *in cathedra deriſorum.* Aquilam ſcilicet ſecurus qui vertit ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν, vt meminit S. Ambroſius, *qui nempe* (ait) *irridendo bonos, plurimorum animis operantur errorem, mentéſque corrumpunt.* Quamobrem eorum doctrina ſcitè à Propheta dicitur, *Cathedra peſtilentiæ.*

Non verò extra oleas ſic diuagamur, vt non ſit in promptu rectam in viam redire. Reprehenſum iam olim meminimus Siſinium Nouarianorum ſectariorum Conſtantinopoli Antiſtitem, quòd candidis paſſim veſtibus vteretur, ſcilicet præter cæterorum Epiſcoporum morem; qui forma Cleri ſunt, vt ex typi Epiſcopalis à B. Paulo delineati patet exemplo. Sed hîc quiſpiam fortaſſis maiorem in nobis deſiderabit memoriæ felicitatem: ſuprà enim non vno loco inſinuauimus moris ab initio recepti in Eccleſia fuiſſe, vt Hieroſolymitanus Epiſcopus veſte candida ſemper & vbique inſignis prodiret: quo iure igitur potuit reprehendi Siſinius geſtati in ordinario habitu candidi coloris, quem ſine vlla reprehenſionis nota, geſtatum fuiſſe à Hieroſolymitano Præantiſtite, conſtat à nobis fuiſſe ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ priſcis probatiſque monimentis obſeruatum? verùm mihi memoriæ lapſum ideò impingi non eſt quod iure patiar: ſiquidem exempli huius à me inducti ſemel & iterum, memoria non fugit; ſed nihil reprehenſioni Siſinij prænarratæ, id profectò repugnat: ſingularis enim fuit (vt diſertè monuimus) hic vſus Epiſcopis Hieroſolymitanis, ex S. Iacobi Apoſtoli dicti fratris Domini (cuius ſucceſſores erant) ſeruata ſemper imitatione: is enim numquam laneis, ſed lineis ſemper indumentis, referentibus SS. Epiphanio & Hieronymo, aliiſque probæ notæ teſtibus, vtebatur: cuius & linea ſtola quo decuit honore in ſacrario Eccleſiæ ipſius ſanctæ ciuitatis ſeruata eſt, quo vſque hinc Conſtantinopolim tranſlata fuit. porrò hæc non erat habitus priuatus, ſed ſacer; quo tanto ducti exemplo præſules huius ſedis, conſpicui in monimentum ſanctitatis ſui anteſignani Iacobi Apoſtoli, procedere conſueuerant.

Dices; ſed habitum candidum laudat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 10. inter med. & finem; * *Coloris, inquit, delectans ſuauitas malè habet auidos, eos impellens ad ſtultam lippitudinem; atque eos quidem qui ſunt candidi, & non intùs adulterini, candidis & minimè curioſis ac operoſis veſtibus vti conuenientiſſimum.* Addit, vt ad eius vſum moueat, *ipſum candorem alijs coloribus eſſe ſimpliciorem & paratu faciliorem.* Sed hoc non inficior, imò quia candidæ mentis candor veſtis indicium eſt, huius coloris veſtes geſtari ab Angelis, & Sacerdotibus diuinis fungentibus officiis, ſuprà non ſemel admonuimus. Vetuiſſe porrò ne vllis maculis, & ſordibus inficerentur, profaniſque paterent promiſcuè conſpectibus, & vſibus triuialibus inſeruirent, Stephanum Papam & Martyrem, Myſtas ſacros extra ſacra loca & munera his veſtibus vti, quibus diuinis operari neceſſe erat. Cæterùm quòd à Laïcis non modò viris, ſed & fœminis (iiſq; præſertim) colorem geri candidum Clemens Alexandrinus cupiebat, modeſtiæ ſtudio id quidem peroptabat, quoniam candida veſtis ſine co-

* Τὸ ἐπιτερπὲς τῆς χροιᾶς τοὺς λίχνους αὐτῆς, εἰς τὴν ἀνόητον ὀφθαλμίαν ἐρεθίζον· τοὺς δὲ λευκοὺς, καὶ τοὺς νόθους τῆς ἔνδον, λευκοῖς καὶ ἀπεριέργοις ἁρμοδιώτατον ἐσθῆσι χρῆσθαι.

lorum tinctura artiſque fuco vbique in promptu eſt, ſed maculis eſt obnoxia, nimiſque, ſi nulla labe inquinatur, ſplendida; quamobrem paſſim vſu exoleuit, proptérque nimium nitorem, cuius affectum modeſtia fugit, Sacerdotibus & Clericis (extra ſacra) inepta ac indecens eſt; vt pote qui omnis faſtûs expertes eſſe debent, modeſtiæque in omnibus ſtudioſi, populo cui præſunt Chriſtiano exercitui duces apparere.

Sed inquies ruſus, celebre S. Hieronymi ad Nepotianum de Clericorum vita pronunciatum eſt; *Non abſque amictu lineo incedere, ſed pretium veſtium linearum non habere, laudabile eſt.* Verùm his verbis S. Hieronymus, non de priuato habitu, at ſacro diſſerit, quod vel ex eo patet quod anteà immediatè dixerat, *æquè veſtes pullas ac candidas deuitandas eſſe,* videlicet in priuato vſu; & tamen contra Pelagianos ſcribens lib. 1. diſertè aſſerit Epiſcopum, Preſbyterum, Diaconum, & reliquum Eccleſiaſticum ordinem candida veſte incedere indutos in ſacrificiorum adminiſtratione: quò ſpectat illud Sancti Chryſoſtomi hom. 83. in Matth. ad cap. 6. * *Idcirco vos Deus tanto voluit honore decorare vt hæc diligentiſſimè diſcernatis; hæc eſt dignitas veſtra, hæc ſtabilitas, hæc corona; non quia tunicam induti candidiſſimam per Eccleſiam ambulatis.* Et Concilij VI. Carthaginenſis can. 41. *Vt Diaconus tempore oblationis tantùm vel lectionis alba vtatur;* quo aduerbio *tantùm*, extra ſacra vti ea non licere, palam eſt à Synodo definiri.

* διὰ τοῦτο ὑμᾶς ὁ Θεὸς ἐτίμησε ταύτην τὴν τιμὴν, ἵνα τὰ τοιαῦτα διακρίνητε· τοῦτο ὑμῶν ἡ ἀξία, τοῦτο ἡ ἀσφάλεια, τοῦτο ὁ στέφανος ἅπας· οὐχ ἵνα λευκὸν χιτωνίσκον καὶ ἀποστίλβοντα περιβαλλόμενοι περιίητε.

CAPVT SECVNDVM.

Num rubeo?

IN Concilio Narbonenſi ſub Pelagio II. ſummo Pontifice, imperante Mauritio, Recaredo Gothorum Rege, celebrato à Migetio Archiepiſcopo, & Epiſcopis Galliciæ anno Domini 589. memorabili canone qui omnium primus eſt, veſtimenta purpurea fuerunt diſtrictè prohibita Clericis; ſic verò canon ipſe primus ad verbum habet; *Hoc regulariter definitum eſt vt nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem, vt ſicut eſt deuotio in mente, ita & oſtendatur in corpore; quia purpura maximè laicorum poteſtate præditis debetur, non religioſis. Quod ſi quis non obſeruauerit, velut tranſgreſſorem legis coërcendum.* Et certè Sanctum Ambroſium diu antehac tantò à Sacerdotibus purpuram alienam eſſe dixerat, quantùm regibus (eorúmque magiſtratibus) propriam exiſtimabat. *Purpura* (inquit) *facit Reges, non Sacerdotes.* Verumtamen ad innuendum Eccleſiæ regale Sacerdotium purpura fuit ab ipſis etiam Imperatoribus Romanæ Eccleſiæ omnium principi & apici, vt ſuprà palam fecimus, regalibus reſcriptis communicata. Quàm vetus mos ſit vt Romanus Pontifex ipſius Romanæ & vniuerſalis caput Eccleſiæ, rubeo ſeu coccineo (qui purpuræ primus radius eſt) colore effulgeat, ſuperiùs itidem demonſtrauimus; cuius beneficio idem decus ſacræ purpuræ fuerit Legatis Apoſtolicæ ſedis, & S. R. E. Cardinalibus indultum:

nec tamen inferri poteſt antiquum ius eiuſmodi conceſſione fuiſſe violatum; cùm Concilium Narbonenſe de quo ſuprà, abſolutè purpuræ vſum in veſtibus Clericis non prohibeat, ſed expreſſè cauſam excipiat ex qua Legati & Cardinales inſigniuntur purpureo amictu, quemadmodum ex his patet verbis citati canonis eiuſdem Synodi, *Vt nullus Clericorum veſtimenta purpurea induat, quæ ad iactantiam pertinent mundialem, non religioſam dignitatem.* At verò purpureus ille ornatus, quo Legati Apoſtolici, ac ſummæ ſedis Cardinales, vt Eccleſiæ principatus Senatores, aſſeſſoréſque ſummi Pontificis, & religionis Chriſtianæ cardines illuſtrantur, non ab iis defertur ad ſæcularis pompæ iactantiam, ſed ad ſplendorem Eccleſiæ, & ſacræ commendationem dignitatis, ac honorificationem. Addi poteſt, etſi Synodus illa Narbonenſis abſolutè vetuiſſet vſum purpuræ Clericis, Cardinales & Legatos ſummæ ſedis promiſcuo Cleri nomine in odioſis non cenſeri; nec potuiſſe eiuſmodi Concilium Romanæ Eccleſiæ legem præſcribere, cùm quoties generalia quædam Concilia, abſque ſummi Pontificis auctoritate, & eius Legatorum præſentia & conſenſu id tentârunt, non modò Apoſtolicâ ſedes reclamârit, at eorum etiam ſtatuta reſciderit. Accedit quod eiuſmodi decreto Narbonenſis Concilij, etiamſi fuiſſet generale, (cùm fuerit prouinciale tantùm) potuerit legitimè derogari, ſuperiori auctoritate qua præſtat ſummus Pontifex: deinde contrarius vſus iam olim inualuit (quo canonica ſanctio ſenſim abrogari poteſt) non modò in Romana Eccleſia, ſed & aliis pleriſque Metropolitanis & Cathedralibus, in quibus videmus Cleri Primates, qui dignitates appellantur, ſúntque Eccleſiaſtici Senatûs coryphæi, vtraque pro ſuo delectu purpurâ, ſcilicet non tantùm violaceâ, ſed & coccineâ decorentur: ſub ſuperpelliceo ſcilicet togam vel talarem tunicam rubeam vel violaceam (qua etiam ex indulto Apoſtolico Protonotarij Apoſtolici, vt rubeâ Parlamentarij Senatores Clerici, etiam ex regali priuilegio vti ſolent) deferentes, ſed in ſacris officiis tantùm & in templis, non extrà, niſi in ſolennibus proceſſionibus. Sed hic vſus dempto etiam priuilegio ſpeciali, citato canoni priſci Concilij Narbonenſis neutiquam repugnat, quandoquidem illuſtres iſti Clerici purpuram in veſtitu priuato non deferant, ſed publico ornatu, & hoc quidem non *ad iactantiam mundialem*, vt ipſa Synodus eloquitur, ſed ad ſacræ dignitatis cohoneſtationem. Extra quam vtendi rationem Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. can. 16. pannis indui rubeis expreſſè Clericis prohibuit, vt deducto ſeriatim canonis tenore fuit ſuprà lib. 1. ſub ſæculo XIII. ſpecialiter obſeruatum.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

Vel viridi?

VIRIDEM colorem pariter ac rubeum Eccleſiaſtica diſciplina Clericos deuitare tam in veſtibus, quàm reliquo apparatu ſemper admonuit; cuius regulas ſecuta celebris Synodus Baſilienſis, accedentes ad Concilium Eccleſiaſticos viros, dum ſeruandæ honeſtatis in omnibus, ac modeſtiæ commonefacit, hac exhortatione compellat; *Veſtimentis vtantur prout ſacri Canones ſtatuerunt; abſtineant à coloribus rubeis & viridibus;* Et infrà, *non portent in ſellis, frænis, aut pectoralibus equorum aurum vel argentum, aut ornamenta metalli depicti aut figurati, aut mappas ſericeas, ſeu alia eiuſmodi ſuperfluitatum: & quòd ornamenta equorum ſint vnius coloris non rubei, vel viridis, nec calcaribus deauratis vtantur.* Vide Concil. Toletan. ſub Sixto IV. titulo ſeu capitulo 6. tom. 34. Concil. Reg. edit. p. 37.

Sed cùm color viridis vnus ex quinque ſit, quibus Eccleſia in ſacrorum altarium paramentis, & Eccleſiaſticis veſtibus, iam olim recepto more, vtitur: non abs re quæſierit aliquis, cur in ordinario habitu Clericis prohibeatur, cùm eo non modò fas ſit vti in ſacro, ſed etiam certis temporibus & diebus (vt ex ſuperiùs dictis patet) vſus huius ipſius coloris ſit de præcepto? At meminiſſe hîc oportet in veteri lege Pontificem, Sacerdotes, alióſque Sanctuarij miniſtros alias veſtes geſſiſſe in Tabernaculo; alias extrà, cùm prodirent extra ſacra in publicum conſpectum atque commercium; tum enim priuatas induiſſe veſtes, quæ nihil affinitatis cum diuino miniſterio habebant. Vetuit quoque in legis gratiæ politia, Stephanus Martyr & Pontifex, Sacerdotes & Clericos ſacras veſtes extra Eccleſiaſtica limina, muniáq; deferre; at his prodire in vulgus induros veſtimentis voluit, quæ priuatis vſibus aptarentur, itidémque indicandæ modeſtiæ & honeſtati Clericali conuenirent. Eccleſiaſticæ veſtes, quas aſſumunt cùm ſacris operaturi ſunt, diuini fœderis cum hominibus miniſtri, non tantùm ornatus gratiâ vſurpantur, at etiam myſticæ ſignificationis intuitu: quamobrem iis coloribus ſpectabiles eſſe debent, qui cum feſtis quæ occurrunt, & ritibus qui celebrantur, ac iis quæ recoluntur myſteriis nonnihil conuenientiæ atque affinitatis habent, vt ſuperiori libri huius parte ſub ſingulis colorum ſyntagmatibus demõſtrauimus. Ceſſant hæc verò omnia in priuato Clericorum habitu, quibus ſatis eſt ſi quam profitentur modeſtiam ac honeſtatem, præ ſe ferant, à qua nimius ſplendor, decórque diſſentaneus eſt. Quàm fulgeat rubeus color, neſcio quid igneum ſpirans, quibuſque non cæcis eſt perſpectum. Viridis color, etſi non ita ſit ſplendidus, tamen cùm ex cæruleo & flauo coaleat, plurimùm oculis gratus, nimíſque ipſo aſpectu iucundus eſt: vnde apud noſtrates viridis color viuidior dici ſolet *le verd gay*, veris ſcilicet ſymbolum, & inſigne iuuentutis. At verò Clericorum eſt Chriſti morti-

IIii

ficationem in ſuo corpore portare, ac in moribus ſenectutem ipſo habitu profiteri; quocirca vſus viridis coloris, qui amœnitatis, iuuentutis, & lætitiæ eſt indicium, ipſis in priuato habitu prohibetur.

Prælatis, non neſcio, vſu Eccleſiæ publico conceſſum, vt pileos ſeu capellos geſtent viridis coloris, ſicut galeri rubei proprius Cardinalibus vſus eſt: tum vt inter hos & illos diſcrimen perſpicuum appareat, tum vt à Protonotariis Apoſtolicis, quibus galero quoque vti licet, at ſubpurpureo fuſciori, dignoſci queant Antiſtites, tantùm his inſigniores dignitate, quantùm color viridis fuſcum quemcumque ipſo virore ſuperat.

CAPVT QVARTVM.

Num violaceo?

ARTICVLVS I.

Vbi de colore veſtis Chriſti paucula quidem, at digna notatu ſuggeruntur.

VIx effluxit decennium ex quo R. P. Paulus Sherlogus Societatis Ieſu, Hibernus, Waterfordienſis, ſacræ Theologiæ in Academia Salmaticenſi Profeſſor, & diuinorum librorum in regio Collegio interpres, tres tomos in lucē emiſit cogitationum in Cantica Salomonis ex triplici veſtigatione humana, ſacra, didactica. In tertij quorum exordio, iconem profert D.N. Ieſu Chriſti, aſpectu ſuauiſſimam, cuius tam miræ quàm genuinæ expreſſionis, hanc in adiuncta proximâ paginâ, epigraphe, cauſam aſſignat; *Iconis Domini Saluatoris quam in Chriſtianæ pietatis gratiam ære excudi curauimus* (inquit) *ſi rationem depoſcis, Catholice Lector, noueris Pinciæ in veteri Caſtella vrbis clariſſimæ, floruiſſe per multos annos eximiæ ſanctitudinis celebri cum rumore, & præegregiis argumentis deuotam conſpicuam Virginem* Dominam Marinam de Eſcouar, *quæ hanc vitam cum perenni illa, & beata commutauit anno redemptionis 1633. nona Iunij luce, cùm nouem & ſeptuaginta cum quatuor menſibus numeráſſet annos: venerabilis igitur hæc fœmina, cùm erga Chriſti humanitatem ſacro-ſanctam religioſo arderet ſtudio, exoptabat noſſe quibuſnam vteretur indumentis, quo habitu decentiſſimi ornatus, grauis & perhoneſti dum apud mortales verſatus? tandémque votorum compos facta, quam tibi exhibemus hîc effigiem depingi fecit: vultus quidem nihil commouit, nec enim vel ab antiqua differt pictura, vel ab Epiphanij relatione apud Nicephorum lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 40. vel ab iis quæ alij teſtantur, quorum nos dicta exhibemus veſtigatione 28. num. 17. & 25. veſtigatione 32. num. 10. veſtigat. 37. num. 16. Porrò ornatus ſingularis viſus eſt nonnullis, tum quòd camiſia ex lino adſcribitur, tum quòd calcei pedes integrè velent, tum quòd color & tunicæ & pallij violaceus, tum ob fibulas in humeris, tum ob cingulum, tum denique quòd à Regularium Clericorum veſtitu prorſus non differat; quos ob ſcrupulos, res ad iuſtiſſimum Valliſoletanæ inquiſitionis Tribunal delata eſt, quæ*

doctiſſimorum Theologorum auditis ſententiis cùm nihil venerandæ antiquitati animaduertiſſet diſſonum, indulſit publicè in templorum altaribus collocari, & ab orthodoxis maxima cum obſeruantia coli. Hæc aliáque Paulus Sherlogus de illa imagine veneranda, cuius expreſſio ſequitur, ex primariis exemplaribus elicita.



Specioſus forma præ filijs hominum.

Non huius expendere partes ſingulas exigit ſuſcepti operis ratio. Inhærendum dumtaxat parumper iis, quæ ſubinde idem Theologus ſuggerit pro violacei coloris veſtimentorum Domini aſſertione, eiuſdem tom. 3. veſtigatione 32. p. 306. & 307. quibus has rationes aſſignat in ſuæ munimentum ſententiæ.

Ptima eſt, quia Chriſtus eum veſtis colorem adamauit, quem communiter viri honeſti, & graues ferre ſueuerant inter Palæſtinos; cauebant autem ab atro & candido colore, ſiquidem Iudæi, nonniſi in luctuoſis caſibus, pullos geſtabant amictus, vt perhibet Ioſephus lib. 14. Antiq. cap. 17. alba autem veſte apud eos nonniſi Principes vtebantur, quorum Chriſtus ſemper declinauit faſtum. cùm igitur neque albatus, neque atratus proceſſerit; reſtat vt medio colore ſit vſus. Talem idcirco par eſt veſtium eius vt cenſeamus extitiſſe colorem, qui non leuis exiſtimatur ſicut flauus & viridis, nimiúmque ſanguineus, at qui maturum virum, & vſque in habitum ipſum prudentet modeſtum arguat, qualis cæruleus (non viuidè lucidus) aut violaceus.

Secunda eſt, quia Nonnus poëta ſacer, qui virginem Theologum, hoc eſt Ioannem Euangeliſtam verſibus heroïcis interpretatus eſt, runicam illam Chtiſti inconſutilem, ſuper quam in eius paſſione milites ſortem miſerunt, vinei fuiſſe coloris inſinuat (ita enim air,

Οἴνοπα μὴ σχίζοιμεν ἀληθέα τόνδε χιτῶνα,
Θέσκελον ἀμφιέποντα τύπον ξένον.

Ne findamus hanc vinei coloris veram tunicam, habentem diuinam formam peregrinam;) quibus verbis, *vinei coloris*, alludere videtur Nonnus ad vinum rubrum, cuius multa apud Palæſtinos copia: huius enim rubor triſtior eſt, purpureæque obſcuræ cognatus, quam purpuræ languidioris genuinum violaceum exprimere colorem fusè probat La-Cerda in illud versûs 275. ex Georgic. 4.

— *violæ ſublucet purpura nigræ* &c.

Tertia, eo quòd cingulum Seruatoris fuiſſe eiuſdem coloris cum pallio ipſius & tunica vero perquam ſimile ſit. hoc autem cingulum aut partem eius cerni apud Veſontinos in Sancti Ioannis Euangeliſtæ ſacrario, *& purpurei* eſſe *ſubobſcuri coloris:* quem violaceum haberi monſtrauimus (inquit) refert Ioannes Iacobus Chiffletius, Criſi hiſtorica de linteis ſepulcralibus; ſacrum donum & antiquum à Theodoſio II. miſſum.

Quarta, quoniam conſpicitur in religioſiſſimo Cœnobio venerabilium Patrum Carthuſianorum Sanctæ Mariæ de Arriago Diœceſeos Valliſoleranæ, indumenti Saluatoris noſtri particula, quam Manuel Palæologus huius nominis II. qui Græcis imperabat anno 1400. ad Henricum Caſtellæ Regem, cum diplomate teſtante ex Maiorum rradirione & vetuſtis Chronicis de ſacro-ſancti pignoris veritate conſtare miſit; vbi ait, *dedimus enim ipſi illuſtriſſimo Regi particulam veſtimenti noſtri Redemptoris, quaſi blaui coloris, ex eo ſcilicet veſtimento, cuius fimbriam tangens mulier à fluxu ſanguinis ſanata eſt.* Ita illorum temporum aliquis Græcæ Bullæ interpres: at quiſnam color blauus? ſanè quem cæruleum aut cyaneum, azurinum, lazurinum, aut etiam

lazubium dicimus, &c. vt meritò qui in Hiſpanum ſermonem vertit præfatas litteras Imperatorias, expreſſerit *de color azul.* Notat ſubinde Sherlogus ex Sancta Brigitta *lib. 1. Reuelat. cap.* 31. quòd dum deſcribit pallium Sanctiſſimæ Deiparæ ſibi apparentis, & *mantellum*, inquit, *blaueum de lazuro, ſeu ſereni cæli coloris*; eiuſmodi tranquilli & ſudi ætheris color eſt optimus lazuerus, ſiue azurinus, quo excellunt ſapphiri; idcirco Exod. 24. 10. ſedes Dei dicitur, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cælum cùm ſerenum eſt: vnde azurinus color Gallicè dicitur *le bleu celeſte. Intellexi autem*, inquit, *ab iis qui nominatam particulam veſtimenti Saluatoris diligenter intuiti ſunt, non eſſe vehementem & intenſum azurinum colorem, ſed palleſcentem aliquid & ſubalbidum*, ex quibus ſuſpicor hyacinthini fuiſſe coloris amictum; nam de hyacintho Toſtatus in cap. 25. Exodi, loquens de veſte ſacra q. 5. *colore cæleſti* ait *quaſi azurino.* Et Solinus c. 30. cùm hyacinthum cærulei eſſe coloris dixiſſet, interdum albicantius in aquaticum liqueſcere adiunxit; addidit & violaceo dilui nonnumquam: ergo cùm violacei fuiſſe coloris veſtimenta Domini Saluatoris remur, vocem latè ſignificantem intelligimus, quòd violæ aliæ ſubtriſtem purpuram imitantur: aliæ azurinum palleſcentem & languidiorem; ſunt enim hyacinthi alij albi, alij cærulei, vnde Columella lib. 11. *Nec non vel niueos, vel cæruleos hyacinthos.* Equidem hyacinthi cæruleum colorem eſſe ſatis tritum, & propterea cæleſtem deſignare conuerſationem vulgata Patrum allegoria eſt; vnde Num. 15. præcepit Deus Iudæis, vt in fimbriis palliorum vittas appenderent hyacinthinas, quô indiciô non ſolùm à cæteris nationibus diſtinguerentur, ſed ipſum cæleſtem ſpectantes colorem, aciem mentis ſurſum attollerent: cui ſcopo conducebat non modò fimbrias, ſed totam veſtem eſſe cærulei coloris. Aſſeruatur Valentiæ, Regni eius nominis Metropoli in Hiſpania citeriori, particula tunicæ Redemptoris, quam azurini eſſe coloris ab optimis teſtibus ad me ſcriptum eſt. Hactenus de colore veſtimentorum Chriſti Domini, Sherlogus.

In cuius dictis vt plurimùm acuminis, & variæ eruditionis ſuſpicimus, ita plus deſideramus accurationis ac diligentiæ, quin & ſtabilitatis. In deſcriptione imaginis ipſius Domini Saluatoris disertè ait colorem tunicæ & pallij fuiſſe violaceum; zonam deinde dicit fuiſſe cum pallio & tunica eiuſdem coloris, purpurei ſcilicet ſubobſcuri, quem ipſum aſſerit violaceum eſſe: tum ex Nonno, *vinei;* poſteà vult eſſe azurini; deinde cærulei ſubalbidi; quæ omnia quàm ſibi benè quadrent, & cohæreant inuicem, ipſe viderit; per tempus non vacat ambages eiuſmodi extricare; nec opus eſt, cùm aliàs proprium opuſculum contexuerim de Chriſti Domini habitu, nondum typis editum, ſed aliquando (ſi conceſſerit Dominus) prælo committendum, cum aliis diſſertatiunculis de Sancti Ioannis Baptiſtæ veſtibus, Apoſtolorúmque & diſcipulorum Domini indumentis. Et verò ad tunicam Domini quod pertinet, aſſeruatur Argentoliaci in Agro Pariſienſi ad Sequanam in ſacrario Monaſterij ſanctiſſimæ Deigenitricis: vbi repertam fuiſſe ferè ætate ſua (antehac illic à regibus Chriſtianiſſimis ex dono Cæſarum Orientis repoſitam) Matthæus Paris memoriæ prodidit ſub Hen-

rico II. anno Domini 1156. *In pago* (inquit) *Pariſiacenſi Monaſterio Argentoilo, reuelatione diuina tunica Saluatoris inconſutilis, & ſubconfuſi coloris reperta eſt, quam, ſicut litteræ cum ea repertæ indicabant, mater eius fecerat ei dum adhuc puer eſſet.* Idipſum notat Matthæus Weſtmonaſterienſis in Floribus hiſtoriarum eodem anno. Fauere in hoc, Sherlogo videntur iſti duo ſcriptores, quòd veſtem illam dicant eſſe ſubconfuſi coloris, ſiquidem ſi quæ ſcribit ipſe Sherlogus in vnum colligantur, veſtem Chriſti fuiſſe variorum colorum conſequens erit exiſtimare, cùm violaceam ſubpurpuram, vineam, azurinam, hyacinthinam, ſubalbidam adæquè eſſe velit. At non ex viſu loquitur, ſed ex aliorum relatu, qui non de re vna, eadémque à ſe viſa, ſed diuerſa planè ſuffragia ferunt. Solidius teſtimonium perhibent de colore tunicæ Domini inconſutilis, quæ à tot ſæculis ſeruatur Argentoliaci, quotquot eam propriis oculis conſpexerunt, eſſe enim aſſerunt, vt etiamnum patet viſentibus*, coloris non planè purpurei, aut violacei, ſed roſei ſubfuſcioris, & vt vulgò dicimus *de roſe ſeche*, quem quaſi fumi fuligine cernere eſt inhalatum. Verùm Sherlogus de hac tunica præcisè non loquitur, fieríque poteſt, vt Chriſti pallium non eiuſdem fuerit coloris, cuius tunica illa, imò & altera; duplici etenim indutum fuiſſe Chriſtum præcipui notant Euangelij S. Ioannis interpretes: fieríque prætereà poteſt, vt quæ fragmenta refert in Hiſpania ſeruari, veſtimentorum Domini particulæ ſint, veſtis purpureæ, qua iuſſu Pilati Chriſtus ipſe indutus ac illuſus à militibus fuit. De zona nec dubium, ſemper haud exigi vt eiuſdem ſit coloris cum tunica vel pallio, vnde Apoc. 1. *rediuiuum Dominum conſpexit* B. Ioannes *triumphantem, veſtitum podere*, id eſt talari tunica, linea candidiſſima, vt eſt nix, & nihilominus *præcinctum ad mammillas zona aurea.*

* Mihíque ſub finem mēſis Octobris proximè elapſi, cùm Argēroliaci eſſem inſtitutionis Monaſterij Vrſulinarū monialium gratia, à R.R. Patribus Benedictinis maiori in templo oſtenſa, & ſatis attentè conſiderata apparuit.

ARTICVLVS II.

An competat Clericis quibuſque color violaceus?

SI Chriſtus hoc colore vſus eſt in veſtitu ſuo, vt Sherlogus ſuprà auditus arbitratur, non mirum erit quod Cardinalis Baronius aſſeuerat, iampridem eodem Clericos vſos eſſe priuato in habitu, tom. 4. Annal. ſub anno 393. num. 48. vbi adducto celebri loco S. Hieronymi ad Nepotianum de Clericorum vita & diſciplina, *Veſtes pullas æquè deuita vt candidas*, hæc verba ſubiungit; *Hinc æquè nos admonemur Clericorum habitum nequaquam olim pulli fuiſſe coloris, qui veſtium Monachorum peculiaris erat, nam in Epitaphio Sanctæ Marcellæ, & alia ad Marcellam epiſtola* (22.) *necnon contra Iouinianum, idem non obſcurè ſignificat pulli coloris fuiſſe habitum Monachorum: cùm igitur neque pullus, neque candidus color Clericis congruere videretur, poſſumus intelligere caſtaneum colorem, nec non violaceum in Eccleſia Catholica antiquo vſu receptum, retentúmque vſque hodie ab eis qui familiæ ſunt ſummi Pontificis, necnon ab alumnis Romanæ Eccleſiæ ſeminarij, & aliis, vt omittamus Epiſcopos, illic exceptis, qui ex clauſtralium ordinibus ad eam promoti ſunt dignitatem. Irrepſiſſe autem color niger in Clerum videtur, cùm & monachiſmus in nonnullis Eccleſiis à Clericis receptus eſt, & ex Monachis Epiſcopi creati ſunt; reliquos autem Clericos alio vſos eſſe colore, vt diſtinguerentur à laicis qui incedebant atrati.* Ita Baronius.

Primò, quod caſtaneum colorem Clero fuiſſe dudum in vſu dicit, firmari videtur ex eo quòd Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap. 84. veſtitum eius deſcribens, *Præterea*, inquit, *planeta ſuper dalmaticam caſtanea:* quo colore non tantùm in ſacris vſum, ſed etiam in priuato habitu: & ipſum non ſolùm, ſed & Clericos eius domeſticos, patet ex priſcis picturis, quæ Romæ paſſim, præſertim verò in Monaſterio eiuſdē S. Gregorij, quo ipſe & eius comites caſtanei coloris habitu induti ſunt, conſpiciuntur. Qui hos Monachos fuiſſe volunt, non bene arguunt profectò ex hoc colore, haud ipſum S. Gregorium, vel eius ſocios fuiſſe Monachos ordinis S. Benedicti, qui à proprio colore nigri Monachi nuncupantur; Etenim hoc non ſequitur: nam S. Benedictus in regula ſua, nigrum colorem peculiariter ſuis alumnis non aſſignat, vbi enim de veſtimentis edicit fratrum, c. ſcilicet 55. *De quarum rerum omnium* (veſtiariarum) *colore, aut groſſitudine non cauſentur monachi, ſed quales inueniri poſſunt in prouincia, qua habitant, aut quod viliùs comparari poteſt* &c. Quamobrem natiui lanam coloris his in vſu fuiſſe, ſine tinctura vlla ab initio plerique arbitrantur: quamuis non ita diu poſteà niger ſubintroierit, ita toto ordine paſſim & vbique receptus, vt antiquiſſimus in ipſo ordine, & ferè ipſi innatus à pleriſque exiſtimetur. Fallerentur tamen qui colorem caſtaneum quaſi ſubrufi velleris natiuum, proprium fuiſſe Monachorum ordinis S. Benedicti, ab ordinis ipſius incunabulis ſibi perſuaſum irent; quandoquidem Gordianus Senator Sancti ipſius Gregorij parens ab ipſo Ioanne Diacono perhibeatur citati libri c. 83. caſtaneo fuiſſe colore in veſtitu conſpicuus: *Cuius Gordiani habitus*, inquit, *caſtanei coloris planeta eſt, ſub planeta dalmatica:* vnde ſacris adſcriptus demum cenſetur à nonnullis, at monachus neutiquam.

Secundò, ait Baronius familiarem fuiſſe Clericis iamdudum violaceum colorem. Vtinam ſententiæ ſuæ fulcimenta tantus vir indicâſſet: at quæ dicit non probat. Fateor in antiquis picturis quæ in templis ſuperſunt, Clericos cerni ſuperpelliceis nitidos, tunicis verò talaribus ſubindutos coloris violacei, ac rubei itidem, nuſquam autem viridis, flaui, aut caſtanei, aut etiā nigri. Penes me eſt MS. in membranis vetuſtus Pontificalis liber, ad vſum Eccleſiæ Pariſ. in quo ſub titulo, *ad Clericum faciendum*, cæremoniæ huius Epiſcopalis ad viuū, vt aiunt, ritus exprimitur, in imagine tā genuinis lineamentis quàm viuidis coloribus depicta. Sedet Epiſcopus in faldiſtorio aureo, cappa & caputio coccinei coloris, fodraturis (vt temporis illius mihi vocabulo vti liceat) candidis ſeu pelliceis textis obducto: coram quo genuflexi parent plerique iuuenes Clericatus candidati, quibus militiæ Eccleſiaſticæ teſſeram, videlicet Tonſuram Clericalem, & habitum ſolenni impertit more. ſtola ſuper caputium cappámque rubeam hyacinthina, ab humeris in genua defluenti, decoratur. Non vno autem colore illi adoleſcentes induti patent, nec quouis tamen: at qui primus initiatur ſubter ſuperpelliceum lineum habet talarem tunicam purpurei coloris, non coccinei tamen, ſed roſacei: ſecundus prorſus violacei ſine lineo amictu gerit veſtem: duo ſubinde viſuntur initiandi iuuenes, etiam genuflexi; quorum alter rubeo prorſus fulget veſtitu, eóque

oblongo, ſeu talari; alter roſaceo; qui tertio ſpectatur ordine, violaceo indumento inſignis eſt, collareralem habens roſea veſte itidem prolixa conſpicuum. Viſum mihi haud fore ingratum lectoribus, imaginis illius imitationem, hîc eorum oculis ſubiicere, quam è rei tum geſtæ conſpectu, haud dubium eſt fuiſſe, vt ſe habet, depictam.



Illuſtris locus violacei coloris paſſim à Clericis vſque ad elapſum ſæculum XV. vſurpari in veſtibus, extat in actis Leonis X. Papæ; ex quibus Spondanus factam ab eo ſolenni ritu Cardinalium ſegregum, qui Piſano Conciliabulo contra Iulium II. operam dederant, reſtitutionem referens tom. 2. continuat. Annalium Baronij ſub ann. 1513. n. 10. hunc in modum ſcribit. *Quod verò reſtitutionem Cardinalium Caruajalis & Sanſeuerini ſpectat, fuit illa in hunc modum facta. Cùm noctu, priuato habitu, Romam ingreſſi, & in palatium Vaticanum deducti fuiſſent ſequenti mane die 27. Iunij coram Pontifice in Senatu Cardinalium, Pontificio habitu ſedente, HABITV CLERICORVM SÆCVLARIVM COLORIS VIOLACEI ſe ſiſtentes, infinita hominum multitudine ad ſpectandum concurrente, genibus in terram poſitis, aliam ab illa, quæ in Concilio lecta fuerat, pleniorémque ſchedulam alta voce legerunt, éique propriis manibus ſubſcripſerunt; hócque facto à Pontifice ſolenniter à cenſuris omnibus ac pœnis abſoluti, & communioni Eccleſiæ, dignitati Cardinalatus eodem gradu, & loco quo priùs fuerant,* &c. *pleniſſimè reſtituti, ac purpureis veſtibus Cardinalatus induti, admiſſi ſunt à Pontifice ad oſculum pedis, manus & oris.* Tum igitur adhuc violaceus color habitus Clericorum communis erat.

Ter-

Tertiò, quod addit Baronius, Clericos qui familiæ ſunr ſummi Pontificis, violaceo colore inſigniri: ſic accipi debet vt ſua noſtráque ætate mos iſte ſeruatus inrelligatur, nam non ſic ſemper antehac: id colligo ex Bulla reformationis à Leone X. edita, quæ in Concilio generali Lateranenſi promulgara eſt ſeſſione 9. vbi cùm de colorum modeſtia à Clericis & Preſbyteris ſeruanda, quod honeſtati Eccleſiaſticæ canonibúſque antiquis congruebat, præſcripſiſſet, demum addit: *Hoc vno dumtaxat excepto, quod dicti noſtri, & Romani Pontificis familiares rubei coloris veſtimenta geſtare poſſint, pro decentia & conſuetudine dignitatis Pontificalis.* Verùm ſubinde indultum eiuſmodi antiquatum fuiſſe neceſſum eſt à poſteris Pontificibus, maiotis ſtudiô modeſtiæ, *cùm hodie* (ait Baronius) *ab iis qui familiæ ſunt ſummi Pontificis, necnon ab alumnis Romanæ Eccleſiæ ſeminarij, & aliis veſtimenta geſtentur coloris violacei:* imò ante Leonis X. Pontificatum viguiſſe hunc morem aſſetit ipſe Baronius (qui tamèn Leonis decretum præcitatum non memorat, quia fortè non aduerterat) qui hunc ipſum morem diſertè ait in Eccleſia Catholica antiquo vſu receptum retentúmque vſque hodie: qua de re tamen, fugere me fateor lucida antiquitatis reſtimonia. At de violaceo colore ſatis pro præſenti inſtituto.

CAPVT QVINTVM.

An nigro?

ARTICVLVS I.

Nigrum colorem, etſi quondam inuſitatum Clericis; tandem nihilominus ipſis, non ſolùm inductione nouæ conſuetudinis; at etiam recentioris iuris Eccleſiaſtici auctoritate, fuiſſe appropriatum.

SANCTI Hieronymi toties iam laudata auctoritas ſatis eſſe poteſt ad primæ partis programmatis huius confirmationem, cùm veſtes pullas æquè ac candidas à Clericis deuitandas eſſe diſertè doceat. Nec enim dicere licet S. Hieronymum morem Eccleſiæ ignorâſſe, aut contra illum aliquid Nepotiano (quem vt pater filium inſtiruebat) aliíſque viris Eccleſiaſticis, quos in illo generali documento inſtruebat perſuadere voluiſſe: ſed nec morem iam vbique receptum, & Eccleſiaſticis etiam nonnullis ſanctionibus ſtabilitum, nemo qui ſolem videt, valet abnuere, Clericos ſcilicet pullatis atríſq; veſtibus indutos extra ſacra publicè verſari. Diſquirere igitur dumtaxat ſupereſt, quãdo cœperit, & quas ob cauſas demùm fuerir inuectus color niger in communem Cleri vſum.

Cardinalis Baronius ſuprà auditus, exiſtimat nigrum colorem inductum fuiſſe in Cletum cùm & Monachiſmus in nonnullis Eccleſiis receptus eſt, & ex Monachis Epiſcopi creati ſunt. At ſalua pace & reuerentiâ ranti viri, fateor, quominus in eam opinionem concedere poſſim, inferre mihi nonnullas rationes obicem.

Primò enim color niger in ipſis Monachis, huius non eſt antiquitatis, quæ æquari poſſit religioſi huius inſtituti principio. Præfatus S. Hieronymus in opuſculo de vita S. Pauli Eremitæ, quem principem exiſtimatum Monachiſmi inſinuat, *Contextis*, inquit, *palmarum folijs veſtiebatur:* quo defunčto, *tunicam eius* (ait) *Antonius ſibi vindicauit, quam in ſportarum modum de palmæ folijs ipſe ſibi contexuerat, eáque diebus ſolennibus Paſchæ, & Pentecoſtes ſemper veſtitus eſt.* In Ægypto deinde Monachos dictos Tabennenſiotas, non laneis veſtibus vti conſuetos, at lineis proinde albis, Caſſianus refert lib. 5. de inſtitutis renunciantium c. 10. In vita S. Pachomij legimus collobiis albis paſſim vſos Monachos per Thebaïdem & Ægyptum, non laneis vt ea faciliùs poſſent eluere, eóque candore innocentiam & animi munditiem colere ipſimet admonerentur; quin & Therapeutas Alexandrinos B. Marci diſcipulos, candidatos, ſeu albis indutos Philo eorum ſpectator & laudator lib. *de vita ſupplic.* commeminit. Cùm igitur ab initio Monachi atras veſtes non geſſerint, ab iis non potuit in Clerum ab ipſo religionis exordio hic vſus deriuari.

Secundò, conſtat quidem fuſcum colorem, non nigrum fuiſſe iamdudum ſelectæ vitæ cultoribus familiarem: S. Athanaſius lib. de virginitate docet ſanctimonialem, vt fuſcam veſtem vilémque getat: tunicæ eiuſmodi fuſcioris meminit S. Hieronymus ep. 15. S. Auguſtinus ep. 199. ad Ediciam, inſinuat fuſcam veſtem fuiſſe ſua ætate inſigne continentiam profitentium; tamen ſuis Clericis, quos ſua ſub diſciplina in vita communi dirigebat, dediſſe birrum & lineam tunicam patet ex eius verbis hoc in opere non ſemel citatis; *Nemo det birrum, vel lineam tunicam niſi in commune*; birrum autem hunc fuiſſe candidum contendit Pennotus lib. 1. hiſt. tripartitæ Canonicorum regularium c. 22. §. 8.

Tertiò, nec dubium eſt tamen aliquos fuiſſe Monachos nigro amictos pallio in ipſo perſecutionum feruore, ſic enim apud Surium tom. 11. die 5. Nouembris c. 9. ſcriptor actorum SS. Gallactionis & Epiſtæmi Martyrum qui ſub Decio paſſi ſunt, *Eos qui ſunt pallio nigro induti, dixit ſimiles eſſe Angelis, nimirum qui ſe à mundo ſeparant, & ab his quæ ſunt mundi, & ſeruant virginitatem, & elegerunt habere vitam Chriſto conſimilem.* Tamen in iiſdē actis c. 2. memoratur Honufrius ſanctiſſimus Monachus alba indutus veſte: hácque tempeſtate in Africa non fuiſſe morem etiam Chriſtianis gerendi atras veſtes, niſi in funeribus; S. Cyprianus teſtis eſt libro de mortalitate inter medium & finem, vbi de cohibendo luctu effuſiore in fidelium lue tactorum obitu, pios admonet ex afflatu ſibi factæ diuinæ reuelationis; *Nobis quoque ipſis*, inquit, *minimis & extremis, quoties reuelatum eſt quàm frequenter atque magnificè de Dei dignatione præceptum eſt, vt conteſtarer aſſiduè, & publicè prædicarem fratres noſtros non eſſe lugendos accerſione Dominica de ſæculo liberatos, cùm ſciamus non eos amitti, ſed præmitti,* &c. *deſiderari eos debere, non plangi, nec accipiendas eſſe hîc atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba iam ſumpſerint,* &c.

Quartò, fateor ante annos circiter mille nigrum colorem cœpiſſe eſſe in vſu monaſtices, S. Benedicto auctore: qui etſi nigra indumēta geſtare ſuis aſcetis ipſe dictis non præceperit, provt ex verbis eius regulæ ſuprà no-

tatis conſtat, exemplo tamen præmonſtrauit; eum enim nigro habitu vſum reſtatur Chronicon Caſſinenſe, lib. 4. cap. 115. idémque confirmant Patres Caſſinenſes in declaratione regulæ, verbis eiuſmodi; *Propter hanc cauſam in ſtatu monaſtico varius inoleuit modus & color veſtium; nos autem aſſumpſimus colorem nigrum, beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum ſectantes, qui vt legimus, nigro vſus eſt colore;* rationem huius vſus eximiam aſſignat Petrus Venerabilis ſcribens ad S. Bernardum pro Cluniacenſium ſuorum inſtitutis, *Viſum eſt,* inquit, *magnis patribus illis nigrum huncde quo agitur, colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui conuenire, quibus ſtudiis quia totam monachi vitam inuigilare oportet, decreuerunt, vt color moribus, veſtes virtutibus, quæ poſſent cognatione iungerentur.* Nec modò apud Cluniacenſes conſtanter ſeruatus fuit hic vſus, at per vniuerſum ordinem S. Benedicti inualuit, vnde factum eſt vt in Iure canonico, Clementina, *ne in agro Dominico*, & paſſim apud canonum ſacrorum interpretes, Benedictini Monachi, nigri dicantur, ad propriam à cæteris pleriſque Ordinibus religioſis differentiam.

Hîc porrò ex ſyntagmatibus à nobis præſtitutis dilucidè reſultat, à ſexcentis ferè poſt Chriſti aduentum annis nigrum colorem Monachis communi, & ſolido vſu non fuiſſe, etiam Occidentalibus, proinde nec ab iis (qui vix ante 10. ſæculum eum conſtanter aſſumpſerunt) potuiſſe in Clerum hûc vſque deriuari. An verò ab iis ſaltem poſteà in Clerum defluxerit, ſupereſt diſquirendum.

Ait Baronius, irrepſiſſe in Clerum atrum colorem cùm monachiſmus in nonnullis Eccleſiis receptus eſt, & ex Monachis Epiſcopi creati ſunt. Ne verò hæſitationi ſit locus, alibi ſignat Baronius à quibus, vbi, & quando monachatus in Eccleſias inuectus eſt, atque ſubinde ex Monachis creari cœperint Epiſcopi; ſub annum enim 328. enarrat in Clerum Eccleſiarum introductum fuiſſe à Sancto Athanaſio, & ſubinde idipſum præſtitiſſe in Occidente Euſebium celebrem illum Epiſcopum Vercellenſem, quem alij confeſtim vbique ſunt imitati. At illo tempore, vt præmonſtratum eſt, color niger in ſtabilem communémque vſum monachiſmi nondum receptus fuerat, quamobrem ex monachatu in Clerum non potuit ex tunc irrepere. accedit, quòd ſi tunc irrepere cœperit cùm monachiſmus in Eccleſias Cathedrales introductus eſt, & ex Monachis creati ſunt Epiſcopi; non iam Clerus atratus eſſe cœpit, at qui Monachi erant Eccleſiis præfecti monaſticæ profeſſionis ſchema retinuerunt, cum Monachis, quos in Eccleſias ipſas cooptauêre. Notat porrò idem Baronius ſub annum 970. in Anglia introduci cœpiſſe Monachos in locum Clericorum incontinentium; ex quo elici non poteſt nigrum colorem in Clerum irrepſiſſe; quandoquidem exacto Clero à ſuis ſedibus Monachi ſucceſſerũt, à quibus expulſos Clericos habitum ſuſcepiſſe nonniſi ſomniando dici poteſt. In Gallia pleriſque locis poſt Chriſtianum millenarium expulſi ſunt ex quibuſdam Eccleſiis Canonici qui dicuntur ſæculares, eorũmque in locum, regulares qui vocantur ſuffecti: at hi non atrati erãt neque etiam ſunt, vt color niger ab his in Clerum potuerit diffundi. Certè priori libro per ſæculorum ſpecialem excurſum canones Synodorũ omnium gentium, & Pontificum conſtitutiones, præſertim qui à 600.

annis Eccleſiæ præfuerunt per ſeriem recenſuimus, quibus acerrimæ expoſtulationes fiunt, pœnæque grauiſſimæ aduerſus Clericos ſtatuuntur, qui eò immodeſtiæ proſilierant, vt veſtes rubeas, albas, virides, & verſicolores omnis generis geſtare non vererentur; nec tamē de nigro vt proprio & ſingulari obſeruando colore vſquam admonentur ante ſæculum XV. quo ineunte Leo X. in Bulla reformationis quam in Concilio Lateranenſi à Iulio II. inchoato publicari voluit, etſi modum præfixerit Clericis, circa vſum veſtium, nuſquam tamen circa colorem præſcripſit, vt ab omni alio colore quàm nigro abſtinerent, ſed præcepit tantùm iuxta priores Eccleſiaſticas ſanctiones, vt honeſtis veſtimentis vterentur, & iis ſolummodò quæ ordini ſuo conuenirent. Vetuit porrò dumtaxat ne gererent colores aliquos, qui in iure canonico erant antea quidem Clericis prohibiti, v. g. rubeus, viridis, c. *quoniam. De vita & honeſtate Clericorum* lib. 1. Clement. & ibi gloſſ. *viridibus.* Cæterùm niger, cum aliis aliquot, nimirum bruno, & ſubalbido, ac aliis qui ſine tinctura poſſunt haberi, licitus, at non præceptus erat, Clement. *ne in auro* lib. 3. Clement. tit. 10. qui eſt *de ſtatu monach.* gloſſ. *nigri.* &c. Demum S. Carolus Borromæus in Concilio I. Mediolanenſi anſam omnem vt luxui Clericorum præcideret, primus illis prohibuit alio vllo vti colore quàm *nigro* vel *fuſco; colorúmque varietates,* inquit, *omnino excludentes, nigrum tantùm vel fuſcum colorem in veſtibus adhibeant.* Quem ſecuti Patres Concilij Prouincialis Burdegalenſis anno 1583. celebrati, c. 21. *Veſtes* (inquiunt) *Clericorum ſint talares, neque foris, neque domi veſtimento, aut ornamento vllo ſerico, alteriúſque quàm nigri coloris, niſi causâ dignitatis ſic eis liceat, vllomodò vtantur.* Idem edixit Synodus Aquenſis biennium poſt habita, ſub his verbis; *Veſtes item coloris tantùm nigri ac ſimplicis, ſericis omnibus ornamentis excluſis adhibeant.* Quas ſanctiones Sedes Apoſtolica confirmauit.

At priuſquam vſus nigri coloris his legibus in Eccleſia Occidentali obfirmaretur, vel potiùs ſub præceptum eiuſmodi caderet; in Eccleſia Orientali ſeu Græca inualuerat, etiam in primoribus Prælatis, ſiquidem hæc legiſſe memini part. 2. Act. Concil. Florentini Collat. 1. in diario Actorum curiæ, expreſſo in modum dialogi, inter Andream de Sancta Cruce, Apoſtolici Conſiſtorij Aduocatum, & Ludouicum Pontanum I. V. D. quis habitus Patriarchæ, aliotúmve Archiepiſcoporum fuerat? AND. *Patriarchæ, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum habitum itidem vidimus nigrum* (hic verò priuatus & vſualis habitus erat) *tegmen capiti appoſitum Monachorum more; cappa cæleſtici coloris, rugis albis purpureíſve per tranſuerſum à ſummo vſque deorſum variata* (hic erat ſacer amictus) *ſacrarium quoddam crucis venerabilis ſignum, certáſque Sanctorum reliquias in pectore medio gerentium,* &c. hic mos fuit etiam Latinorum Epiſcoporum antiquus, vt ex iis conſtat quæ de Rothaldo Epiſcopo Sueſſionenſi memoranda ſignauimus, in Panoplia noſtra Epiſcopali lib. 4. *De Cruce pectorali.* LVD. *ſæcularium verò? ſæculares Preſbyteri erant bireto quodam caudato vſque ad veſtis ſummitatem collum tegente, pileo nigro à lateribus circumflexo, ſuprà veſtis talaris nigra manicis anguſtis manûs extremitate longioribus.* Eſt verò quod hîc mirum videatur, ſcilicet Abbates & Monachos non nigro colore, ſed leucophæo inſignes con-

ſediſſe; ita enim interroganti Ludouico, Religioſorum quis fuit ornatus? And. reſpondet: *Abbates & Monachi cappas camelorũ pilis, ſeu griſeâ lanâ confectas, capitis tegmine ab eorum Patriarcha Epiſcopiſve minimè differentes;* ſcilicet quòd omnes Antiſtites iamdiu ſoleant ex Monachis aſſumi ordinis S. Baſilij. Sed cur igitur Patriarcha & Epiſcopi nigro erant habitu; Monachi griſeo? ſanè, ſi vt cenſuit Baronius, Monachi atrum colorem in Clerum transfuderunt, ex quo creati ſunt Epiſcopi, ipſi igitur colorem gerere neceſſe erat, quem in Clerum & Præſules deriuâſſent. At hic econtrà conſpectum eſt, griſeo enim colore erant ſpectabiles Monachi cùm Prælati eſſet nigro fuſcati; non tamen griſeo ex materia quavis, at ex pilis camelorum? ad refricandam ſcilicet memoriam veteris monaſtices, de cuius cultoribus ait ſcriptura, *circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati afflicti, &c. in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ*, Heb. 11. 37. melotem, & pellem caprinam fuiſſe adhuc ſua ætate refert Caſſianus lib. 1. inſt. c. 8. Monachorum inſignia. Nigrum porrò pallium, ſeu fuſcam veſtem Chriſtianæ Philoſophiæ indicium, iampridem, fuiſſe Tertullianus libro huius nominis teſtis eſt, aliiq; priſcorum Theologorum nonnulli. Vide Acta SS. Martyrum Gallactionis, & Epiſtæmi apud Surium die 5. Nouembris. Teſtandæ igitur Epiſcopalis grauitatis gratiâ, ſapientiæq; Chriſtianæ, quorum Epiſcopi primarij didaſcali ſunt: Præſules Græci hunc retinuerunt colorem, quem in publico Eccleſiæ conſeſſu (œcumenico Concilio videlicet) ex quotidiano vſu pertulerunt, ſuperiniecto Epiſcopali apparatu, qui ſic pullo indumento ſupereminebat, vt niger tamen habitus maiori ex parte ſuppoſitus appareret. At de Græcis non vltrà.

ARTICVLVS II.

De nigredinis Eccleſiaſticæ myſtica moralique ſignificatione: & quando Clericis color niger, ſtabili vſu contigit?

QVID mouerit Eccleſiæ vtriuſque Præſides, vt in Clerũ, nigrum colorem, eúmque quaſi proprio & ſingulari more conſtantíq; tandem vſu adſciſcerẽt poſtremis tandem his temporibus, ratio eſſe videtur, ipſa temporum iſtorum funeſta & lugubris conditio. Præclarè S. Amb. l. 5. Comm. in Lucam, c. 7. *Si graue peccatum eſt quod pœnitentiæ lachrymis ipſe lauare non poſſis, fleat pro te mater Eccleſia, quæ pro ſingulis tanquam pro vnicis filiis vidua mater interuenit; compatitur enim quodam ſpirituali dolore naturæ, cùm ſuos liberos lethalibus vitiis ad mortem cernit vrgeri.* Numquam profectò fuit tẽpus quo magis, quàm in iſtis nouiſſimis, filiorum neceſſe habuerit plangere perniciem; antea propriis peccatis tanquam morbis peculiaribus plerique affecti paulatim moriebãtur; ſed exorta poſt ſchiſmatum funeſtos conflictus, exitioſarum quarumcumque hæreſeωn lue, non vnus aut alter vt pridem cadebat: at turmarim populi ac nationes conciderunt, magnáque orbis pars hac tetra peſtilitate infecta corruit, quaſi in ore gladij ad internecionem percuſſa ciuitas, luctuoſo exitio conſepulta. Luget igitur meritò impenſiùs Eccleſia filiorum ſuorum hac abſumptorum tabe, labéque ſerpentis vndique omnis impietatis contagiô, ac hor-

rendorum quorumvis ſcelerum profluuio miſerandos interitus; quamobrem quæ dudum candida, purpurea, virens, florénſque eximio decore veſtimentis iucunditatis induta coruſcabat, tot ſtragibus circumſepta, tot confecta miſeriis mœroribúſque attrira, profuſiſque liquefacta gemitibus pullas veſtes aſſumpſit, Nazaræóſque ſuos anteà candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphiro pulchriores, atratos pullóque amictu denigratos, in ſui luctus ſignificationem, & pœnitentiæ ad quam filios vbique inuitat patens indicium, procedere deinceps voluit, dicens cum veteri Sion deſolata; *Abſtulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, vocauit aduerſum me tempus vt contereret electos meos; idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus eſt à me conſolator conuertens animam meam, facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.* Thren. 1. 15. 16.

Sed ad formandos quoque mores reſpexit Eccleſia, cùm nigrum colorem gerendũ vt proprium in quotidiano vſu, Clericis, extra ſacra indixit. Tropologiam huius coloris licet ex S. Bernardo elicere, qui ſerm. 25. ſup. Cant. verba illa ſponſæ ediſſerens, *nigra ſum, ſed formoſa*; ſimulachrũ animatum huiuſce nigredinis, & formoſitatis in Paulo vaſe electionis nobis imitandum propoſuit; *Vis tibi*, inquit, *denique demonſtrem animam & nigrã pariter & formoſam? Epiſtolæ* (ait) *graues ſunt, ſed præsẽtia corporis infirma, & ſermo contemptibilis. Paulus hîc erat: itáne ô filiæ Ieruſalem de præſentia corporis æſtimatis, & tanquam decolorem deformémque contemnitis, quia cernitis homunculum afflictari in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus plurimis, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter? hæc ſunt quæ denigrant Paulum: pro huiuſmodi Doctor Gentium reputatus inglorius, ignobilis, niger, obſcurus, tanquam denique peripſema huius mundi; enimuerò nónne ipſe eſt qui rapitur in paradiſum, qui vnum, alterúmque perambulans vſque ad tertium ſui puritate penetrat cælum; ô verè pulcherrima anima, quam etſi infirmum inhabitantem corpuſculum pulchritudo cæleſtis admittere non deſpexit, Angelica ſublimitas non reiecit, charitas diuina non repulit: hanc vos dicitis nigram? Nigra eſt, ſed formoſa filiæ Ieruſalem, nigra veſtro, formoſa diuino Angelicóque iudicio; & ſi nigra eſt, forinſecùs eſt, ſibi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicetur, aut ab his qui ſecundùm faciem iudicant: homo ſiquidem videt in facie, Deus autem intuetur cor; propterea etſi nigra foris, ſed intus formoſa, vt ei placeat cui ſe probauit: non enim vobis, quibus ſi adhuc placeret, Chriſti ſeruus non eſſet. Felix nigredo, quæ mentis candorem parit, lumen ſcientiæ, conſcientiæ puritatem.*

Audi denique, quid per Prophetam Deus promittit iſtiuſmodi nigris, quos aut humilitas pœnitentiæ, aut charitatis zelus, tanquam ſolis æſtus decoloráſſe videtur: ſi fuerint (ait) *peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Non planè contemnenda in Sanctis iſta nigredo, quæ candorem operatur internum, & ſedem proinde parat ſapientiæ: candor enim eſt vitæ æternæ ſapientia, vt Sapiens diffinit, & candidam oportet eſſe animam in qua ipſa ſedem elegerit, quòd ſi anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, hauddubiè dixerim animam iuſti eſſe candidam, & fortaſſis iuſtitia ipſa candor eſt; iuſtus autem erat Paulus, cui repoſita fuerat corona iuſtitiæ, candida proinde Pauli anima erat, & ſapientia ſedebat in ea, ita vt ſapientiam loqueretur inter perfectos. &c. Porrò in eo ſapientiæ,*

iuſtitiæque candorem, nigredo illa exterior, de præſentia corporis infirma, de laboribus plurimis, de ieiuniis ac vigiliis multis, aut operabatur, aut promerebatur; ideóque & quod nigrum eſt Pauli, ſpecioſius eſt omni ornatu extrinſeco, omni etiam regio cultu; non comparabitur ei quantalibet pulchritudo carnis, non cutis vtique nitida & arſura, non facies colorata & vicina putredini, non veſtis pretioſa obnoxia vetuſtati, non auri ſpecies, ſplendórque gemmarum, ſeu quæque talia, quæ omnia ſunt ad corruptionem.

Meritò proinde omnis cura Sanctorum, ſpreto ornatu cultúque ſuperfluo exterioris ſui hominis, qui certè corrumpitur, omni ſe diligentia præbet, & occupat excolendo ac decorando interiori illi qui ad imaginem Dei eſt, & renouatur de die in diem. Certi ſunt enim Deo non poſſe eſſe quicquam acceptius imagine ſua, ſi proprio fuerit reſtituta decori: propterea & omnis gloria eorum intus, non foris eſt, hoc eſt non in flore fœni, aut in ore vulgi, ſed in Domino, vnde & dicunt, gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quòd conſcientiæ ſolus ſit arbiter Deus, cui ſoli placere deſiderant, & cui placere, ſola vera & ſumma gloria eſt.

In opuſculo noſtro, *de triplici Velamine*, quod Commentariorum Martyrologij Gallicani rom. 1. inſeruimus, ex priſca Eccleſiæ diſciplina obſeruauimus, virginibus ſacris quod dudum imponebatur flamineum, ſeu velamen conſecratæ Chriſto virginitatis inſigne, fuiſſe nigri coloris, cum crucis figura, quæ ſuper dedicatæ Deo virginis frontem impendebat; monimenti ſcilicet gratiâ oppigneratæ fidei, necnon contemptus ſæculi, humilitatis ſpiritus, mortificationis carnis, & optatæ cum Chriſto ſponſo virginum, ſponſóque ſanguinum configurationis: ad quam contendere præſertim eos oportet, qui (vt piè ſcitéque S. Ambroſius eloquitur) *in altari ſacrificium virginitatis offerunt*, vel iis qui offerunt ſubminiſtrant; imò & qui futuri ſunt in regno Dei Sacerdotes & reges, & agnum ſequentur quocumque ierit. Appoſitè ad huiuſmodi theorema, ac eleganter præfatus theodidactus Bernardus citato ſermone: *At non in ſolo fortaſſis* (inquit) *candore interno, ſed in exteriori quoque nigredine gloriandum, ne quid omnino Sanctis depereat, ſed omnia cooperentur in bonum, non ſolùm igitur in ſpe, ſed & gloriari in tribulationibus, libenter ait gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Optanda infirmitas quæ Chriſti virtute compenſatur; quis dabit mihi non ſolùm infirmari, ſed & deſtitui & deficere à memetipſo vt Domini virtutum virtute ſtabiliar? nam virtus in infirmitate perficitur: denique ait, quando infirmor, tunc fortis ſum & potens. quod cùm ita ſit, pulchrè ſponſa conuertit ſibi ad gloriam, quod ei pro opprobrio ab æmulis intorquetur, non modò formoſam, ſed & nigram ſe eſſe glorians; non enim erubeſcit nigredinem quam nouit præceſſiſſe, & in ſponſo, cui ſimilari quantæ etiam gloriæ eſt? nihil ſibi glorioſius proinde putat quàm Chriſti portare opprobrium.* (Vtinam id piè & cordatè! vtinam ob eius amorem ferant Clerici & Sacerdotes, hoc impuriſſimo ſæculo: ab iis itidem qui quàm maximè Catholici dici volunt, extremo omnium loco, quin & ſummo ludibrio habiti) *vnde vox illa prorſus exultationis & ſalutis. Abſit mihi gloriari niſi in Cruce Domini mei Ieſu Chriſti, grata ignominia crucis, ei qui Crucifixo ingratus non eſt.* Prolixitatis declinandæ causâ, cætera prætereo quæ non minùs ſunt præmiſſis lectione & obſeruatione digna.

Cæterùm ſerm. ſequenti qui ſuper eadem Cantica 26. eſt, pias quaſque animas inſitum quid habere dicit nigredinis, quamdiu ſunt in hac miſeriarum valle: expendens etenim, quæ proximè verba ſuperioribus hæret, *Sicut tabernacula Cedar*, (quod interpretatur tenebræ) *Quid*, ait, *tabernacula, niſi noſtra corpora, in quibus peregrinamur; nec enim habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus, ſed & militamus in iis tanquam in tabernaculis, prorſus violenti ad regnum: militia eſt enim vita hominis* (christiani præſertim) *ſuper terram; & quandiu militamus in hoc corpore, peregrinamur à Domino, id eſt à luce, nam Dominus lux eſt, & quantùm quiſque cum eo non eſt, in tantùm in tenebris eſt, hoc eſt in Cedar. Flebilem proinde vocem illam agnoſcat ſuam; heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* &c. *Eſt inquam hoc corpus tabernaculum & tabernaculum Cedar, quod nimirum animam quaſi obiectu ſui, incircumſcripti luminis interim nunc fraudat aſpectu, nec ſinit omninò videre illud, niſi per ſpeculum quidem & in ænigmate, non autem facie ad faciem. Vidéſne vnde Eccleſiæ nigredo? vnde pulcherrimis quoque animabus nonnulla rubigo inhæſerit? de tabernaculo profectò Cedar, de exercitio laborioſæ militiæ, de diuturnitate miſeri incolatus, de anguſtiis ærumnoſi exilij, de corpore denique fragili & graui, quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem; propterea & cupiunt diſſolui, vt corpore leuatæ Chriſti conuolent in amplexus.* Atque hactenus de coloribus, ſignatimque de morali ac myſtica nigredine.

FINIS LIBRI QVARTI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE

DE HABITV CLERICALI LIBER V.

QVI EST, DE PARTIBVS PRIVATI habitus Clericalis.

PRÆFATIVNCVLA.

DE Clericali habitu qui tyrunculo Eccleſiaſticæ militiæ ab Epiſcopo, cum Tonſura, ſolenni ritu conferrur, ſuprà, videlicer lib. 2. parr. 1. de Tonſura (qua de riribus eius conferendæ rractatur) diſſeruimus cap. 2. art. 2. & 4. Nil igitur hunc ad locum ſpectat de huiuſmodi genere myſtici habitûs inire ſermonem; neque ıtidem de ipſo quotidiano Clericorum veſtiru, quo extra Eccleſiam in ciuili conuerſatione vti ſolenr, quarum ad generalem eius à laïco diſtinctionem, ipſiúſque mareriam, formàm & colorem: quandoquidem ſuperioribus libris abundè de eiuſmodi rebus fuir perrractatum; ſed ſolùm de parribus ſingulis eiuſdem vſualis habirûs, ſpeciatim videlicet, de pileo, galericulo, collari amictu, tunica ralari, zona, pallio, caligis, calceis: ex his ſiquidem Panoplia ciuilis habitûs Clericorum conſtar. Tametſi enim & iiſdem indumentis laïci plerique, præſertim verò Magiſtratus, Senarores, & cæteri Iuriſperiri paſſim vranrur; Clericorum tamen in iis diſcrimen perſpicuum eſſe debet: nec enim iis licet ad genium & morem laïcorum eriam in rebus quæ communis vſus ſunt, ſe componere: vocalia omnia in Sacerdote & Clerico eſſe decet, adeò vt ipſo habiru (non voce ſolùm & actis) modeſtiam reſonent, pietatem & caſtimoniam, quam vel ipſo nomine profirentur. De his igitur partibus veſtimenri Clericalis provt præſcribunt Eccleſiaſticæ ſanctiones, efformandis gerendíſque ab Eccleſiaſticæ profeſſionis cultoribus, ſpecialem aggredimur hoc libro diſſertationem.

CAPVT PRIMVM.

De pileo, capello, & galericulo: obiterque de bireto & ſubbireto, ſiue ſubreticulo.

PILEVS ipſe, ſi vſum potiùs quàm formam ſpectamus, palliolum dici debuiſſet, quod fuit vetus operimentum capitis apud Romanos à toga diſtinctum: qua de cauſa Octauius Ferrarius lib. 1. de re Veſtiaria c. 11. carpit Lipſium eo quòd ſcripſerit in Suetonium de Claudio, *Quòd gladiatorio muneri interfuerit palliolatus, nouo more*, inquit, *cùm debuiſſet prætextatus:* vbi ſubiungit Ferrarius, *Falsò, nam idem & prætextatus fuit & palliolatus;* palliolum enim nihil aliud niſi caput, ad arcendum frigus velabat: nouo igitur more præſedit Claudius, caput palliolo tectus, quo ſola valetudo excuſare eum poterat. Addit verò, palliolis præterea, cucullis, & aliis tegminibus, qui latere volebant, caput obnubebant: ſubnectit tandem *ſolos ægrotos aut molles caput obtexiſſe.* vſui autem iam tunc fuiſſe nihilominus pileum, ſaltem delicatulis & effœminatis ex hoc patet Tranquilli (quod non notauit Ferrarius) in Nerone; *Poſt crepuſculum ſtatim arrepto pileo vel galero popinas inibat.* Galerus verò eſt pileus rotundus, à galeæ ſimilitudine dictus, ſimúlque à pila pileus; (pila eſt columna, & pileus ad modum columnæ capiti vt baſi imponitur.) galeri igitur ſiue pilei apud Veteres vſus fuit; inde Statius lib. 1. Thebaidis,

Et temperat aſtra galero.

Et Iuuenalis Satyra 6.

Flauo crinem abſcondente galero.

Fuiſſe in vſu Sacerdotibus ethnicæ ſuperſtitionis conſtat ex Apuleio, Apol. 1. vbi ait Pontificum galerum, lituum Augurum.

Si mores Hebræorum ſpectemus, inceſſiſſe eos paſſim aperto capite ex ſacris ſcripturis elici poteſt, Cant. 5. ait ſponſus ad dilectam ſuam, verſ. 2. *Aperi mihi amica mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*, ad morem alludens vulgatem in Palæſtina procedendi nudo capite; etenim ſi pileo, galero, vel pallij lancina obuoluto capite cucurriſſet ſponſus rore capillos non habuiſſet madefactos, cincinnóſque humectos. Paſſim in veteri Teſtamento videmus caput operire vel obuelare, mœroris fuiſſe afflictioníſque indicium, 2. Reg. 15. 30. *Dauid aſcendebat cliuum oliuarum* (cùm fugeret à facie Abſalonis) *ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite:* & in tempore ſiccitatis, deficiente aqua Iudæi caput obuelabant, Ierem. 14. verſ. 3. *Maiores miſerunt minores ſuos ad aquam, venerunt ad hauriendum, non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua vacua, confuſi ſunt, & afflicti operuerunt capita ſua.*

Irridet Baruch (cap. 6. verſ. 30.) Babylonicos Sacerdotes, *habentes tunicas ſciſſas & nuda capita;* vtrumque internuncio Moyſis vetuit

Sacerdotibus ſuis Deus Leuit. 10. 6. *Locutúſque eſt Moyſes ad Aaron, & ad Eleazar & Ithamar filios eius; capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere.* Pontifici id verò potiſſimùm prohibetur Leuit. 21. 10. *Pontifex, id eſt Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper caput cuius fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, veſtitúſque eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum non diſcooperiet, veſtimenta non ſcindet.* Vmbram habebat lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem, id eſt perfectam repræſentationem rerum (id eſt diuinorum munerum, gratiarum, chariſmatum, &c.) ait Apoſtolus*: & tamen tantus honor vmbratili illi Pontifici deferebatur, vt nec coram Rege caput diſcooperiret; quin & inferioribus Sacerdotibus vetitum erat nudare caput propter reuerentiam dignitatis. At hodie proh dolor! videmus Sacerdotes, ad quorum preces corpus ſanguíſque Chriſti conficitur, de quibus ait Dominus Luc. 10. *qui vos ſpernit, me ſpernit*, etſi ſint (vt Sancti Hieronymi vtar verbis) omnipotentiæ Chriſti organa, tanquam vilia mancipia, non modò coram principibus & magnatibus, ac iuridicis quibuſque etiam infimorum ſubſelliorum: ſed & ſæculi huius diuitibus, quin & coram mulierculis, nudis capitibus aſſiſtere, ſtantes ſedentibus loqui, ſequi ſupplices; idque vltro pati non ſolùm, ſed ferè exigere homines qui Chriſtiani cenſentur, qui ſe iactant Catholicos Eccleſiæ filios, veræque pietatis non fictitios cultores, proh dolor! etiam Epiſcopos in principum aulis verſari conſpicimus, haud ſecus ac laïcos, infimæque plebis homines, diſcooperto ſacro vertice, aſtare humiles, loqui venerabundos, inque conſeſſibus ſic à laïcis contemni, vt plerique ſint qui de loci prærogatiua dicam eis moueant, vix vlli qui eis ſacro-ſanctæ dignitatis obtentu loco velint cedere, ô tempora! ô mores!

* *Heb.* 10. 1.

Vbinam eſtis piiſſimi principes, Theodoſi & Valentiniane Auguſti? qui zelo ſuccenſi tuendæ Chriſtianæ erga Euangelicum Sacerdotium reuerentiæ, ita dudum Imperiali lege ad Verum Præfectum Prætorij reſcripſiſtis: *Audemus quidem ſermonem facere ſolito plus timore capti de ſanctis & venerabilibus Sacerdotibus* (id eſt Epiſcopis) *& ſecundis Sacerdotibus,* (nempe Preſbyteris) *vel etiam Leuitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra* CAPVT INCLINAT. Et poſt alia; *de obnoxiis verò, ſi qui ambulauerint cum Epiſcopo, vel cum Preſbytero, aut etiam cum Diacono, ſiue in platea, ſiue in agro, ſiue in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci iubemus, quoniam in Sacerdotibus Eccleſia conſtat. Datum 15. Kal. Ianuarias, Theodoſio* XII. *& Valentiniano* III. *Coſſ.*

Vbi tu Carole Magne, Imperator Auguſte Romanorum, ac Francorum Rex Chriſtianiſſime! qui tuis in Capitularibus profitebaris contemptum Sacerdotij ad totius periculum Imperij pertinere, idémque ibi diſtrictè præcipis vt omnes agnoſcant nomen, poteſtatem, vigorem & dignitatem Sacerdotalem, l. 5. c. 163. & c. 70. ita enim è ſublimi ſolio tuo, dilectiſſimis tuis Francis non minùs piè quàm grauiter loquebaris: *Primò neceſſarium iudicauimus omnibus præcipere, vt honorem debitum venerabiliter Epiſcopis abſque vlla ſimulatione aut detractione impendant, iiſque in omnibus vt patribus obediant* &c. *ſi Dei & noſtram gratiam habere voluerint; nam Do-*

minus ait, qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Et alibi: *ſi quis ſcandalizauerit vnũ de puſillis iſtis, id eſt meis diſcipulis & Apoſtolis, quorũ locum Epiſcopi nunc in Eccleſia tenent, melius eſt ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, quàm ſcandalizet vnum de iſtis minimis. Hæc omnia fidelibus admonenda & perpendenda ſunt, ne in hoc, quod abſit, incidant ſcandalum, ſed magis Epiſcopis obediendo non filij perditionis, ſed filij Dei efficiantur, & non cum ſtultis pœnam, ſed cum iuſtis præmia percipiant ſempiterna: nam Epiſcopos & Sacerdotes QVIBVS OMNIS TERRA CAPVT INCLINAT, per quos & noſtrum pollet Imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus.* Similia edici fecit eius filius Ludouicus, re vt nomine Pius in VI. Concilio Pariſienſi c. 11.

Sed alium Ludouicum cognomento Iuſtum, æquè verò pium, ſub quo potiorem vitæ noſtræ partem non ſine ſpeciali Dei beneficio contigit tranſigere, immemoratum, qui immortali bonorum memoriâ digniſſimum ſe præbuit, præterire nefas eſſe reor. Hic Chriſtianiſſimus Rex (in cuius funere* orationem propria in Eccleſia habuimus ann. 1643.) ita Sacerdotum ſacram dignitatem reuerebatur, vt ſe malle, non raró, diceret mori, quàm vel minimo Sacerdoti tantillum quid iniuriæ, vel contemptûs inferre. In obſidione Perpiniacenſi cùm inter armorum ſtrepitus, pietati nihilominùs primam operam daret; contigit vt infra Octauam Pentecoſtes, de ſupplendis pro feſto Sanctiſſimæ Trinitatis Antiphonis, quarum concentus liber non aderat, modulis meditaretur, peritum artis muſices Sacerdotem ex Capellanis ſuis (is ipſe quæ refero mihi equidem enarrauit) ad ſeeuocarit, túmque in conclaue ſecretius, vbi tum ſolus erat, introductum conſuluit (ipſe tamen muſices ſcientiſſimus) de concentûs eiuſmodi ordinatione: neceſſe fuit exarandis notulis Sacerdotis admouete manum, qui cùm ſedente Rege erectus & aperto capite, ſcribere cœpiſſet: *Sede*, inquit, *& operi caput tuum, nec enim pati poſſum niſi cum intimo cordis & animi dolore, Sacerdotes ſtantes, & nudo capite mihi miniſtrare. Tulit quidem mos, neſcio qua adulatione inuectus, vt ſic meo in conſpectu ſacri homines ſe gererent, & in publico quidem id patior inuitus, at in priuato colloquio vbi pro meo arbitrio res agitur, hoc religionis dedecus ſuſtinere non poſſum.* Piè reuerà ac omnino Chriſtianè; quapropter in memoria æterna Rex iſte iuſtus erit, dignus profectò qui in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in maieſtate ſua, filiis dexteræ aggregetur, quibus Rex ipſe Regum dicturus eſt, *Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum vobis*, &c. *quod enim feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Matth. 45.40.

* Eius eſt titulus. *Andr. Du Sauſſay Pariſini S. R. E. Protonotarij, &c. regij Cõcionatoris, & SS. Lupi & Ægidij in vrbe Paſtoris, oratio habita in funere Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſsimi,* &c.

Cæterùm, vt de diuerticulo redeamus in viam: Galerus in tota Scriptura ſacra nuſquam nominatur, nec pileus; vnde in vſu ſaltem vulgari non fuiſſe apud Hebræos facilè colligi poteſt; erat tamen cidaris ſeu mitra, qua minores etiam Sacerdotes ornari Deus Moyſi præcepit: *Filios* (inquit Exod. 29.8.) *eius quoque applicabis, & indues tunicis lineis, cingéſque baltheo; Aaron ſcilicet & liberos eius, & impones eis mitras, erúntque Sacerdotes mihi religione perpetua.* Sed mitra Aaronis, ſeu tiara, aut cidaris, cæterorum Sacerdotum, ob ſupereminentis dignitatis indicium, mitris, longè illu-

ſtrior erat, lamina enim aurea inſuper erat inſignis, in qua Dei nomen adorandum inſculptum erat, cum ſanctitatis titulo ſingulari; propriè attamen non cidarim neque mitram geſtatas fuiſſe à minoribus Sacerdotibus, ſed operimentum capitis, quod pileo breui ſeu capello (vt iam diximus) erat conſimile, ex epiſt. 128. Sancti Hieronymi ad Fabiolam, *de veſte Sacerdotali*, poteſt intelligi: *Octaua* (pars ſcilicet habitus ſummi Sacerdotis) *eſt*, inquit, *lamina aurea, id eſt ſis zahab, in qua ſcriptum eſt nomen Domini Hebraïcis quatuor litteris* י *iod,* ה *he,* ו *vau,* ה *he, quod apud nos ineffabile nuncupatur. Hæc ſuper pileolum lineum, & commune omnium Sacerdotum, in pontifice plus additur, vt in fronte vitta hyacinthina conſtringatur, totámque pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet & protegat.*

Arnoldus Abbas Bonæuallis ſynchronus ac familiaris amicus Sancti Bernardi, libello de 7. verbis Domini in cruce, (habetur tom. 1. Biblioth. SS. PP.) ſcribit ornatum capitis Pontificis promiſcuè à nonnullis vocari galerum vel cidarim, illúmque ita deſcribit: *Sequitur octauus ornatus Pontificis, tiara videlicet, quam etiam nonnulli vocant galerum, vel cidarim; hac etiam minores Sacerdotes vtebantur, erátque byſſina, circumdata coronulâ aureâ opere textili factâ, ſicut hodie Phrygium; mitris noſtrorum Pontificum conſuitur, erátque in modum caſſidis portatilis, aliquantulum verticis cacumen in ſublime excedens, aſtringebatúrque hyacinthinâ capiti vittâ, ne caſu aliquo immolante Pontifice laberetur; at verò ſummi tiara Pontificis excellentior erat, & præter, hæc laminam auream,* &c. *fronti habebat inſertam* &c.

Alcuinus ornatum illum Sacerdotum priſcæ legis pileum etiam exiſtimat lib. de diuinis officiis: *Huiuſmodi veſtis* (inquit) *non habetur in Romana Eccleſia, vel in noſtris regionibus*, (orbis ſcilicet Occidentalis) *non enim moris eſt vt pileati diuina myſteria celebrent.* Quæ verba Alcuini quemadmodum ſano intellectu accipienda ſint, nec obſint mitræ Epiſcopalis vſui antiquo in Latina Eccleſia, dilucidè & accuratè demonſtrauimus Panopliæ Epiſcopalis lib. 1. inſcripto *de Mitra antiquitate*, cap. 2. ſect. 2. Cui ſubiungi debet omiſſus hic inſignis locus hiſtoriæ Iuliani Toletani Archipreſbyteri, de Tharaſia regia puella, Chriſto ſacra, cui cùm vim Abdala intuliſſet, ab Angelo percuſſus interiit. *Venit interea infans Tharaſia*, inquit, *Toletum, & regaliter excipitur ab Archiepiſcopo induto veſtibus Sacerdotalibus, & mitrâ, tunc primùm inuentâ* (ſcilicet quæ diu antè delituerat, vt conſeruaretur, inter Saracenicæ diteptionis motus) *cum Geruntio Epiſcopo Complutenſi, & Iuliano Archidiacono & aliis Miſarabibus & Saracenis. Occurrunt per duas leucas Abdala Rex, & in regia, non procul ab Eccleſia quæ nunc eſt S. Andreæ, excipitur,* &c.

Pileus apud nos, capellus *chapeau*; apud Italicos, *capello* dicitur, ſcilicet à capite cuius eſt tegumentum ſeu vmbraculum, fortè etiam dicitur à cappa; vnde caputium, dicitur Gallicè *chaperon*, quaſi cappæ appendiculum, quòd cappa nimirum totum corpus capiat & inuoluat; capitium verò caput muniat & obnubat. Aldhelmus (ſeu Adelethelmus Sigeberto) primùm Abbas Maildrebenſis in Scotia, poſteà Schireburnenſis apud Saxones Occidentales Epiſcopus, qui ante annos 900. claruit, li-

brum que ſcripſit de laudibus virginitatis; in eo ſimul tunicæ & capitij meminit: capelli autem longè vox eſt recentior. Primum Concilium, in cuius ſanctionibus eam notaui, eſt Concilium Palentinum in Hiſpania celebratum anno 1322. ſub Ioanne XXI. à Guillelmo Epiſcopo Cardinali Sabinenſi Apoſtolicæ ſedis Legato; vbi can. 6. quo de honeſt. & modeſt. Clericorum in habitu agitur, ita ſignatim legimus, *Cùm eos equitare contigerit nullatenus tabardos, ſed cappas & capellos ſuæ dignitati conferant congruentes.* Item in Concilio Toletano Clemente VI. ſedente, celebrato anno 1347. ſub Ægidio Archiepiſcopo & Primate; *Sacro approbante Concilio ſtatuimus cùm nos & Epiſcopi Suffraganei noſtri capellos detulerimus rotundos, & in ſuperiori parte laneos, nullatenus ſericos, cum nigra & non alterius coloris* **foderatura, portemus; qui verò ſecùs facere præſumpſerit, tanquam inobediens & inhoneſtè incedens, mille marabelinorum vſualis monetæ ſummam eo ipſo ſoluere teneatur, quorum tertia pars fabricæ Eccleſiæ ſuæ, alia pars denunciatori, reliqua pars redemptioni captiuorum applicetur.* Sic & in Concilio Saltzburgenſi à Pilgrino Archiepiſcopo, Legato ſedis Apoſtolicæ, coacto anno 1386. capitulari 5. *Quoniam per decentiam habitûs extrinſeci oportet Clericos intrinſecam morum honeſtatem oſtendere, diſtrictè prohibemus, ne aliqui Clerici ſine caputio capitis, bireto, capello, vel pileo cooperti in Eccleſia ſeu aliàs in publico præſumant incedere.* In Concilio Baſileenſi ad viros Eccleſiaſticos data parænesis ita habet: *Nec bireta longa, ſed parua, aut honeſta caputia deferant;* &c. In Concilio prouinc. Narbonenſi habito anno 1551. c. 15. *Neque domum egreſſi in ciuitate, vel in loco quem habitant, conſpiciantur, niſi veſte ſuperiori induti pileo rotundo, & ephestri ſeu caputio.* &c. In Concilio Rhemenſi quod anno 1583. coaluit, ſub tit. de Clericis in genere, ſect. 9. *Galero numquam quidem in templis, in plateis & viis publicis niſi per aëris intemperiem non vtantur.* In Concilio Aquenſi anno 1585. celebrato, tit. de vita & honeſt. Clericorum: *Neque pileis item vtantur niſi valetudinis cauſâ, iiſque ſimplicibus, non ſericis, neque turbinatis, quos tamen in Eccleſiam, & ædes præſertim publicas ingredientes ſtatim dimittant. Biretum autem ſemper gerant in modum crucis conſutum, vt Eccleſiaſticos homines decet.* Atque hactenus ſatis de pileo, galero, & capello, de quo ſuprà vbi de galero ſeu capello rubeo ab Innocentio IV. conceſſo Cardinalibus anno 1244. & iiſdem coccineo bireto collato à Paulo II. anno. 1464.

* *fourrure*

De ſubbireto, aut reticulo, quod vulgò vocant *la calotte*, primus legem tulit S. Carolus in Concilio I. Mediolanenſi ſub titulo de Clericorũ veſtitu & reliqua vitæ moderatione, ſic enim edicit n. 10. *Reticulum aut ſubbiretum, vt vocant, ne ferant, niſi valetudinis cauſâ, & ſine redimiculis;* huius tamen leuioris integumenti capitis vſus videtur ante annos ferè 900. fuiſſe in Orientali Eccleſia, ſi fidem adhibemus Alcuino in hunc modum ſcribenti lib. de diuinis officiis; *Huiuſmodi veſtis* (pileolus ſcilicet Sacerdotalis Hebræorum) *non habetur in Romana Eccleſia, vel in noſtris regionibus, non enim moris eſt vt pileati diuina myſteria celebrent. Apud Græcos autem hoc dicitur, quod pileos* id eſt *cuphias (des coëffes) geſtent in capite dum aſſiſtunt altaribus.*

Hodie galericulus, ſeu vt vocat Sanctus Carolus, ſubbiretum, &

& reticulum, eſt in Europa vſitatiſſimus Sacerdotibus & Clericis, quibus tamen eo vti in ſacrificio non licet, niſi ex ſpeciali indulto, & cum ea reſtrictione, vt nefas ſit illud gerere, à præfatione vſque poſt communionem.

Accipitur autem aliàs galericulus pro capillamento, hoc eſt adulterina, appoſititia & aliena coma, de qua Tranquillus in Nerone; *Galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato & annexo.* Suetonius in Caligula, & huius ſub *capillamenti* nomine meminit; cuius vſus ſemper infamis in Eccleſia habitus eſt, quamobrem nullomodo vmquam licitus fuit Sacerdori aut Clerico.

CAPVT SECVNDVM.

De collari amictu.

RECENTISSIMVS eius vſus eſt, vt patet ex mentionis illius defectu apud auctores tam priſcos, quàm neotericos, antiquíſque picturis etiam ſæcularium hominum. Prodierunt non ita diu Regum Francorum à Pharamundo ad Ludouicum vſque Iuſtum incluſiuè genuinæ effigies ex eorum monumentis, ſigillis, numiſmaribus, priſcíſque imaginibus hactenus in regno conſeruaris expreſſæ, in quibus Carolus VIII. primus cõſpicitur collari lineo modeſtiſſimo, & quali vix nunc etiam Eccleſiaſtici vterenrur moderatiſſimi, inſignis. Nihil tunc id erat niſi ſuperior pars interulæ, ſeu *camiſiæ* circa collum parumper declinata ſeu reuerſa; quamobrem & ea pars quæ manus, & brachij iuncturam circumdat, *renuers* apud nos dici ſolet, ſeu iam tritiori vocabulo *manchette*, ipſum verò collare *rabat*; cùm verò collaris eiuſmodi amictus ſit ita nouus, fruſtra laboraret qui in priſcis Eccleſiaſticis monimentis, maximéque Canonibus editis *de vita & honeſtate Clericorum*, abuſum eius à ſe inuentum iri poſſe compreſſum arbitraretur. Ex quo ramen illud Clerici ex Laïcorum vſu vſurpârunt, modeſtum eius vſum Eccleſia in eis tolerauit, at exceſſum ſtatim ac patuit, cenſuitè veſtigio cohibẽdum. S. Carolus Borromæus, primus fuit qui circa hoc Clericis legem impoſuit, in I. Concilio Mediolanenſi præcitato, tit. *de Clericorum veſtitu* num. 12. his verbis, *Collare quod dicunt, ſimplex ac modicè latum honeſtè reclinetur.* Hũc ſpectat ſanctio Concilij Rhemenſis anni 1583. quæ prohibet Clericis, *criſpatis induſiis vti:* & quæ eodem anno conſedit, ſynodi Prouincialis Burdegalenſis, cap. 21. inſcripto, de vita & moribus Clericorum, *neque camiſiis ad collum, ſiue ad manus criſpis aut elaboratis.* Editæ ſunt anno 1618. Conſtitutiones Parœcialis Eccleſiæ Sanctorum Lupi & Ægidij Pariſienſis, (cuius immeritus licèt, regimen ab annis circiter 24. ſuſtineo) ſtudiô & piâ inſtantiâ deceſſoris mei D. Ludouici de Rumer Doctoris Theologi, Canonicíque Cathedratici, ab Eminentiſſimo Cardinale Domino Henrico de Gondy Pariſienſi Epiſcopo confirmatæ, ita habent num. 9. *Collariis profuſioribus, ad aulicorum ingenium, & morem compoſitis, non vtuntor.* Vide

Concilium Saltzburgenſe ſub Martino V. anno 1420. c. 7. tom. 29. Conciliorum regiæ editionis, p. 701. & 702. vbi de reliquarum veſtium etiam forma decernitur.

CAPVT TERTIVM.

De tunica talari.

TVNICAM dictam à tuendo, quòd dum corpus tegit, tueatur, Varro cenſuit. Apud Romanos ſupponi ea ſolebat togæ, eámque proximè attingebat, breuior tamen exiſtens: ac primùm quidem ſine manicis, inde verò manicata & cincturâ conſtricta, creſcente ſcilicet ignauia & luxu; quapropter Romulus Troianis hoſtibus ignauiam & effœminationem obiiciens, inquit:

Vobis picta croco, & fulgenti murice veſtis
Deſidiæ cordi, iuuat indulgere choreis,
Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Probro ducit præſignatus Varro lib. 1. de vita pop. Rom. *manicatis & talaribus tunicis vti*, talares enim gerere fœminarum erat. Vnde Quintilianus lib. 2. *Cui lati claui ius non erat* (inquit modum præſcribens tunicæ) *ita cingatur, vt tunicæ prioribus oris infra genua paululùm, poſterioribus ad medios poplites vſque perueniant, nam infra mulierum eſſe, ſupra Centurionum:* quamuis quidam antiquitatis non imperiti dicant tunicas eſſe virorum; ſtolas verò mulierum: virorum porrò tunicæ honeſtatis gratiâ etiam gerebantur; quamobrem Romani tunicati ſe exercebant (Cicero pro Cælio) in campeſtribus ludis; pueríſque inhibebant cùm ſe exercerent ludendo, ne tunicas exuerent, vt pote ne detectis virilibus læderent pudicitiam.

Ex Hebræorum libris has veſtium formas tam graues, & humanis vſibus congruentes, morémque adeò pudicum didicerunt, vſurpaŕuntque Græci & Latini, quemadmodum oſtendit Roſinus lib. 5. Antiquitatum Romanarum cap. 35. obſeruauítque iamdudum Tertullianus, tractatu de Pallio paſſim. Sanè cùm Sacerdotum habitum Deus Moyſi præſcriberet, non ſolùm iuſſit vt tunicâ talari lineâ ſtrictâque, quæ arctiùs corpori hæreret, & ad ima vſque deflueret, induerentur; at ne dum ſacris operarentur pudenda parte per agitationem nudari poſſent, voluit vt ſub tunica ipſa talari haberent femoralia, de quibus S. Hieronymus epiſt. 128. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali; *Lineis*, inquit, *fœminalibus quæ vſque ad genua & poplites veniunt, verenda celantur, & ſuperior pars ſub vmbilico vehementer aſtringitur, vt ſi quando expediti mactant victimas, tauros & arietes trahunt, portántque onera, & in officio miniſtrandi ſunt, etiamſi lapſi fuerint, & femora reuelauerint, non pateat quod opertum eſt. Inde & gradus altaris prohibentur fieri, ne inferior populus aſcendentium verenda conſpiciat, vocatúrque lingua Hebræa hoc genus veſtimenti* מכנסי *Michneſe, Græcè* περισκελῆ, *à noſtris fœminalia vel brachæ, vſque ad genua pertingen-*

tingentes. Refert Ioſephus, hæc fœminalia de byſſo retorta, ob fortitudinem ſolere contexi; & poſtquàm inciſa fuerint, acu conſui, non enim poſſe in rela huiuſcemodi fieri. Super hæc imponebatur tunica, de qua idem S. Hieronymus; *Secunda* (veſtis) *tunica eſt ποδήρης, id eſt talaris duplici ſindone, quam & ipſam Ioſephus abyſſinam vocat, apellatúrque* כתנת *chetonet, id eſt χιτὼν, quod Hebræo ſermone in lineam vertitur; hæc adhæret corpori & tam arcta eſt, & ſtrictis manicis, vt nulla omnino in veſte ſit ruga, & vſque ad crura deſcendat. Volo pro legentis facilitate abuti ſermone vulgato: ſolent militantes habere lineas quas camiſias vocant, ſic aptas membris & adſtrictas corporibus, vt expediti ſint vel ad curſum, vel ad prælia, dirigere iacula, tenere clypeum, enſem librare, & quocumque neceſſitas duxerit: ergo & Sacerdotes parati in miniſterium Dei vtantur hac tunica, vt habentes pulchritudinem veſtimentorum, nudorum celeritate diſcurrant,* intemerato videlicet pudore.

Albam huic lineæ talari tunicæ in Eccleſia ſucceſſiſſe aſſerunt rituum ſacrorum priſci interpretes; Alcuinus de diuinis officiis cap. *Quid ſignificent veſtimenta;* Amalarius Fortunatus lib. 2. de Eccleſ. off. cap. 18. inſcripto *de alba;* Rabanus Maurus de ordin. Antiphon. c. 16. cuius titulus eſt, *de podere,* id eſt tunica linea: Walfridus Strabo, lib. vnic. *de exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſt.* c. 24. *de vaſis & veſtibus ſacris:* Yuo Catnotenſis ſerm. in Synodo *de ſignificationibus indumentorum Sacerdotalium,* & alij poſteriores. Sed præter hanc tunicam, ſeu albam, alia fuit Subdiaconorum itidem linea, ſed tenuior & ſtrictior, quam ſubtilis nomine dictam, & albæ ſuperinduci ſolitam, diuerſámque à dalmatica, quæ ornatus eſt Diaconi, lib. 6. Panopliæ Epiſcopalis cap. 6. demonſtrauimus ex S. Gregorij ep. 64. lib. 7. & Honorij Auguſtodunenſis lib. 1. de antiquo Miſſæ ritu c. 229. de veſte Subdiaconorum; at neque de alba, neque de ſuperiori illa tunica Subdiaconi, qua in ſacris tantùm vti licuit, hîc eſt diſſerendi locus, quo agitur de tunica talari non ſacra, ſed vſuali & quotidiana, vſurpari ſolita à viris Eccleſiaſticis in priuato habitu. Certè Euthymius ad Matth. c. 27. tria memorat indumenta Chriſti, ſcilicet tunicam intimam ſeu ſubuculam, veſtem talarem ſeu tunicam inconſutilem, & pallium exterius, quæ tria à Chriſtianæ Philoſophiæ cultoribus geſtari ſolita Tertullianus tractatu de Pallio, aliiſque locis inſinuat, necnon Palladius hiſt. Lauſiacæ c. 149. de Magiſtriano: *Et cùm,* inquit, *ſuis veſtibus induiſſet, tunica, camiſia & chlamyde,* &c.

Et verò colobiis vſos fuiſſe iam olim Clericos, id eſt oblongis tunicis quæ manicis vel carebant, vel inſtructæ erant breuioribus, & ad cubitum præciſis, res eſt in Eccleſiaſticis monimentis perſpicua; ad quam ſpectat illud Anſelmi Decretorum collectoris, quod ex Euſebio (ſed incertum quo) refert: *à Sancto Siluestro, & Preſbyteris eius colobiorum vſus ſumpſit initium, & Marcus ac Iulius & Liberius, ex ordine vſi ſunt;* ſed antiquiores Pontifices, quorum imagines pietate Maiorum ad nos vſque quaſi per manum tranſmiſſæ ſunt & editæ, viſuntur apud Ciaconium, Platinam, Onuphrium, Glaneum; pictuřæque peranti quæ etiamnum in vetuſtis templis Romæ viſuntur tam Pontificum,

quàm Sacerdotum & Clericorum, quæ oblongis, talaribúſque tunicis etiam extra ſacra officia, cùm in quotidiano habitu exprimuntur, inſignes conſpiciúntur.

In Martyrologij Gallicani Commentariis, de Sanctorum qui Cleri lumina extiterunt, nonnullorum profuſis ad pedes vſque veſtimentis, quorum extremæ oræ, vel fimbriarum attactu plerique morbidi ſanitatem receperunt, variis fit locis mentio: ſimile quid refert Gregorius Turonenſis de S. Troiano Epiſcopo Santonenſi lib. *de glor. Confeſſ. c. 59.* Solennis ritus eſt in Clerico faciendo (vt ſuprà lib. 1. part. 1. ac lib. itidem 1. part. 2. fusè demonſtratum eſt) mutatio habitûs: ſæcularis ſcilicet depoſitione, & ſuſceptione, vt dicebant veteres: (Saluianus ad Eccleſiam Catholicam lib. 4. Sidonius ep. 24. lib. 4.) *Habitus ſacri nominis, & Clericæ religionis veſtis.* Differebant autem, vt huius operis aliis locis oſtendimus, materiâ, colore, formâ, cuius non poſtremum diſcrimen erat, quòd ſæcularis ſeu militaris habitus, breuis, pompellicus, variegatus, criſpatus; at verò Clericalis ſimplex, ſubfuſcus vel niger, oblōgus, qui corpus ab humeris vſq; ad pedes obuelaret, honeſtatis & caſtimoniæ tam teſtandæ, quàm tuendæ gratiâ: quamobrem Eccleſiæ Præſides habitus huiuſmodi diſciplinam ſummo ſemper ſtudio in Clericis vindicârunt, variáſque ſanctiones ediderunt aduerſus eos qui ſuæ profeſſionis immemores hanc teſſeram Eccleſiaſticæ militiæ, hoc pudicitiæ Clericalis inſigne deprauare ſæculari faſtu præſumebant. In Decretorum Synodicorum Martini Bracarenſis, qui anno 572. claruit, maximè quo præfuit II. Braarenſi Concilio, Collectione, can. 66. diſertè legitur de Clericis, *ſecundùm Aaron talarem veſtem oportet eos induere, vt ſint in habitu ordinato.* Vnde conſectaneum fit, eos qui talarem tunicam excutiunt, vt breui, ſplendidâ, ſæculari, pompaticâ ſe induant; non eſſe in ſuo ſtatu, ſed inordinato habitu, contra profeſſionis debitum, non ſine ingenti ſcandalo & graui reatu verſari. Si quis tale quid admiſerit pro prima vice iubet Trullana Synodus c. 27. vnâ ſeptimanâ ſegregari. Concilium Lateranenſe ſub Innocentio II. ſi hoc in abuſu perſeuerauerint, Eccleſiaſticis decernit priuari beneficiis, c. 4. Concilium Viennenſe promulgauit conſtitutionem Clementis V. relatam c. 2. tit. *de vita & honeſt. Clericorum*; qua Clerici talarem veſtem & tonſuram publicè geſtare iubentur; ſecùs qui fecerint, nec moniti reſipuerint, beneficiis quæ obtinent, priuantur, redduntúrque ad alia obtinenda inhabiles: lib. 1. huius partis, & prioris quoque partis 1°. plurimas alias recenſuimus tam Pontificum ſanctiones, quàm canones Conciliorum, quibus etiam fulmen anathematis contra Clericos intorquetur in apoſtaſiam habitûs & tonſuræ incidentes; ſed tamen hæ leges canonicæ cum eo moderamine accipiendæ ſunt, ad quod neceſſitatis causâ Sanctus Carolus pro innata pietate ac prudentia, ſuis in Decretis in Concilio I. Mediolanenſi editis, & ſuprà non ſemel laudatis, reuocauit ſub tit. de Clericorum veſtitu, num. 16. *Pallium quod ferraiolum appellant ne ſumant niſi per pluuias; tum verò nec à collo plus duobus digitis emineat, neque eo ſine talari toga & tunica vtantur, veruntamen ſi iter faciendum ſit, illis liceat vti contractiore, & ad iter accommodato, ſed ſimplici & in quo ho-*

neſtas & decorum ordinis elucæat. Quod temperamentum ſecutus Alexander Cauignanus Aquenſis Ptæanriſtes in Prouinciali Synodo, à Sede Apoſtolica oracylo Sixti V. Pontificis maximi confirmata anno 1585. in hunc modum conſtituit, tit. de vita & honeſt. Clericorum : *Veſtes tantùm coloris nigri ac ſimplices, ſericis omnibus ornamentis excluſis, adhibeant, exteriorem quidem talarem, interiorem autem ſaltem vſque ad tibiæ medium, quanquam in ciuitate vtraque talaris eſſe debeat; in itinere verò breuiores permittimus, ſed ne omnino ſupra genua ſint vetamus.*

In Curia Archiepiſcopali Pariſienſi, cui immeritus licèt præfectus ſum, mos iſte laudabilis in viridi obſeruantia, ab antiquo receptus perdutar, vt Clerici etiam forenſes & ruſticani, qui negotij causâ eò veniunt, intra prætorium, ſedenre in rribunali iudice, non admittantur, nec audiantur, niſi tunicâ talari inſignes & tonſurâ, cæteróque externo habitu Clericali conſpicui; quòd ſi Apparitorum oſcitantia vel coniuenriâ in auditorium irrepunt, mox Promoror cauſarum officij, vindex Eccleſiaſticæ diſciplinæ aduerſus eos inſurgit, factúmque Ptætotem publico nomine interpellat, ne tantum dedecus Eccleſiaſtici ordinis inulrum iri patiarur: ſed pro auctoritate iuridica in Clericos tanræ reos temeritaris animaduertat; qui mox officio vtens coram toto conſiſtorio eiuſmodi delinquentes reprehendit, grauitérque obiurgat, atque in eos aliquâ canonicâ pœnâ animaduertit, ſeueriorem vltionem comminando, ſi aliàs Eccleſiaſticis legibus de talari veſte & tonſura Clericali ferenda immorigeri reperianrur.

Parœci Pariſienſes, Eccleſiaſticæ politiæ obſeruantiſſimi, nullos Eccleſiaſticos in gremium Eccleſiæ ſuæ cooptant, qui tonſuræ & habitus Clericalis non cuſtodianr diſciplinam: crimen eſt viro Eccleſiaſtico paſſim in breui habitu per vrbem verſari; de quo ſi quis delatus ac monitus non reſipuerit ex catalogo Sacerdotali expungitur, atque (vt aiunt) *habituationis honore excluditur.* In Parœcia Sanctorum Lupi & Ægidij habentur municipales conſtitutiones, inſtanre M. Ludouico Rumelio Doctore Theologo, deceſſore meo, illius Paſtore, ab eminentiſſimo D. Henrico Cardinale Rerzio, rum Antiſtire Pariſienſi ſancitæ, pro Cleri eiuſdem Parœciæ diſciplina, quarum in hunc modum habet art. 10. *Talarem veſtem & oblongam togam, non detritam, cum raſura habento.*

Sed de tunica ſæculari, quam deponit Clericus vt induat Clericalem, Gillebertus Abbas, conrinuator diſſertationum S. Bernardi ſuper Cantica, præclarè monet (ſerm. 42. ſup. Cant.) ſponſæ verba iſta quàm aptè poſſe inrelligi; *Exſpoliaui me tunica mea, quomodo induar ea? Exuiſti te*, inquit ſponſus, *tunicâ tua, tunicâ carnalis curæ, tunica certè moleſta, & fortè polluta, tunica tua te exuiſti, mea induere. Zelus domus meæ comedat te, ideò iuxta Eſaiam induere pallio zeli; inſta, argue, prædica, obſecra opportunè*, &c. *zelotes ego ſum, tu quoque pro me zelare; otium ſepone paululùm, meis implicare negotiis.* Sic fecit dudum Petrus rorius Cleri ſummus apex, qui cùm audiſſet vocem Domini rediuiui in littore ſtanris, ne appareret in eius conſpectu nudus, *tunica ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare*; neſcit enim tarda molimina gratia Spiritus Sancti; erat Petrus feruenriſſimus Christi diſcipulus, idcircò *Ioan. 21.*

audita Chriſti voce morarum impatiens, quò citiùs ad eius ſe ſiſtat veſtigia, ſéque eius offerat obſequiis, mox ſe in mare dedit, ſed tunica ſuccinctus deuotæ ſeruitutis & honeſtæ diſciplinæ, ſine quâ nefas ac indecorum exiſtimabat ad ipſum Regem gloriæ & Dominum virtutum accedere. At de tunica talari vſualíque à Clerico ſemel ſuſcepta conſtanter deferenda, iterum infrà, libro ſcilicet ſequenti, ac partis huius poſtremo, quo de veſtis Clericalis delatione & deſertione, auxiliante Chriſto, ſumus ex profeſſo dicturi.

CAPVT QVARTVM.

De zona.

DE zona & cinctu tam Græcorum, quàm Romanorum ſolerter & copioſè diſſerit Octauius Ferrarius lib. 1. de re veſtiaria à cap. 12. ad 15. incluſiuè, ſelectæ humaniotis litteraturæ reſeratis ex tota antiquitate monimentis; quamobrem in diſquiſitionem rei huius non mihi enitendum reor; neque lubet etiam per latos campos veteris Teſtamenti, in quibus mores veterum Hebræorum deſcripti patent, exſpatiari, ne ſcilicet volumen iſtud ſatis iam grande, in immenſum excreſcar. Igitur me ſtringam, & Teſtamenti noui pauculis dumtaxat locis immorabor. Zonæ S. Ioannis Baptiſtæ quæ pellicea erat, diſertè duo Euangeliſtæ meminerunt, S. Matth. c. 3. verſ. 4. ait, *Ipſe autem Ioannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos;* Marcus verò c. 1. verſ. 6. *Et erat Ioannes veſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius.* Zonæ Chriſti nulla fit mentio in ſcripturis; nam Ioannis 19. vbi de tunica inconſutili Domini, eiúſque veſtimentis expreſſa fit mentio, nihil legitur de zona; verumtamen Chriſtum more gentis inceſſiſſe veſtitum, nequaquam dubium eſt: Iudæis verò zonam fuiſſe populari in vſu, res eſt ex ſacris codicibus explorata. Nicolaus de Lyra qui ex Iudaïſmo conuerſus ad fidem Chriſtianam, & Ordine Minorum aſſumpto ſcripſit poſtillam in vniuerſa Biblia, non ignarus rerum Hebraïcarum, adeò verum exiſtimauit pro more gentis Chriſtum geſſiſſe zonam, vt putârit ipſius Domini cingulum, funiculum illum extitiſſe quo eiecit vendentes de templo. Sed apud Iſaiam cingulo opponitur funiculus; *Et erit* (inquit ſacer vates c. 3.) *pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus.* Quamobrem Burgenſis rectè Lyranum refutat, quòd quemadmodum cætera Chriſti veſtis erat honeſta & decens ex more patrio, (alioquin ſpolia eius milites prædæ auidi inter ſe non diuiſiſſent) ſic & cingulum. Sanè ſi ex funibus fuiſſet zona Chriſti contexta, id propter ipſum ſingularem vſum Euangeliſtæ obſeruâſſent, ſicut Ioannis pelliceam fuiſſe zonam memoriæ conſignârunt; quandoquidem locus huic notationi (ſi credimus Lyrano) aptiſſimus occurrebat; nam ſi Chriſtus ex cingulo fecit quaſi flagellum, quo domus Dei profanatores expelleret, facile fuiſſet Ioanni Euangeliſtæ dicere: *& cùm feciſſet ex cingulo quaſi flagellum:* at non ſic ille,

ſed diſertè inquit, *cùm feciſſet quaſi flagellum ex funiculis.* c. 2. ad quæ verba prudenter Cardinalis Toletus; *Funiculos* (inquit) *quibus forſan animalia ligata erant, collegit, & in formam flagelli componens, negotiatores omnes ſimul & animalia, boues & oues eiecit.* De Chriſti zona ſuprà meminimus, cuius particulam aſſeruari Veſontione Chiffletius in Criſi hiſtorica de linteis ſepulchralibus Chriſti ſeruatoris, c. 9. his verbis ait: *Cingulum verò Dominicum per Theodoſium* (Imperatorem) *ſeruatur miſſum* (ſaltem pars eius) *in S. Ioannis Euangeliſtæ ſacrario, argentea hierotheca concluſum, palmaris longitudinis, latitudinis pollicaris, Orientalis tecturæ, coloris purpurei ſubobſcuri, cum hoc titulo præfixo, De cingulo Domini.* Petrum verò Apoſtolorum primatem more gentis ſuæ geſſiſſe cingulum ex his verbis Angeli ad eum elicitur, Act. 12. *Præcingere, & calcea te caligas tuas:* conſueuerant enim Iudæi oblongas geſtare veſtes, vt nunc paſſim Orientales, quas cùm quieſcebant ſolutas relinquerent; cùm quid operis itinerísve faciebant, teligarent, & attollerent, vt patet tum exemplo Chriſti lauantis pedes diſcipulorum, *cùm accepiſſet* enim *linteum præcinxit ſe*, Ioann. 13. tum parabolæ quam affert ipſe de lumbis præcingendis, Luc. 12. Petrus Comeſtor in hiſtoria ſcholaſtica, Act. c. 67. Petri cingulum durum fuiſſe, quali nimirum vtebantur Prophetæ & Apoſtoli; ſed vnde hoc collegerit non indicat. Zonæ Pauli mentio inſignis eſt in Actis Apoſtolicis c. 21. vbi in hunc modum eloquitur S. Lucas: *Et cùm moraremur Cæſareæ per dies aliquot, ſuperuenit quidam à Iudæa Propheta nomine Agabus; is cùm veniſſet ad nos tulit zonam Pauli, & alligans ſibi manus & pedes dixit: hæc dicit Spiritus Sanctus, virum cuius eſt zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus gentium.*

Notâſſe verò operæpretium eſt, differre nonnihil balteum à cinctu, & zona: balteus enim eſt cingulum militare, at verò cinctus eſt lata zona, minùs lata eſt ſemicinctium, & vtriſque minima cingulum, nam à cinctu per diminutionem cingulum nominatur. Paulum geſtâſſe ſemicinctia, id eſt ſtrictas zonas, elicitur ex c. 19. Actuum verſ. 12. vbi ſic legitur: *ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores.* Zonas eiuſmodi ſtrictas deferri voluiſſe Dominum à ſuis diſcipulis, colligere eſt ex Matth. c. 10. vbi cùm eos mitteret ad prædicandum: *Nolite*, inquit, *poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris, neque peram in via.* S. Marcus idipſum aliis paululùm verbis expreſſit; *Et præcepit eis*, inquit c. 6. *ne quid tollerent in via, niſi virgam tantùm, non peram, non panem, neque in zona æs.* In zona veteres pecuniam geſtâſſe conſtat, vnde parœmia caſtrenſis, *zonam perdidit*, de illo qui nihil habet nummorum; milites enim quicquid habebant, in zona portabant; porrò non ſolùm milites ferebant nummos in zonis: de Vitellio ait Suetonius, *zona ſe aureorum plena circumdedit;* Ælianus quoque ait, *caupo obſeruauit an hoſpes zonam portaret auro grauem.* Aulus Gellius lib. 15. c. 12. ex oratione quadam Tiberij Gracchi ad populum, *Itaque Quirites, cùm Roma profectus ſum, zonas quas argenti plenas extuli, eas ex prouincia Sardinia inanes retuli.* Græci ſacræ Scripturæ aliquot interpretes, laqueum quo ſe ſuſpendit Iudas, zonam eius exiſtimant; quos ſequitur B.

Bruno (cuius hac ipſa die qua hæc ſcribo felix ad Chriſtum tranſitus recolitur,) *Iudas in zona*, inquit, *loculos portans, veluti zonâ laqueô ſe ſuſpendit*. Prohibet Concilium Nicænum can. 76. *ne Monachi crumenam ad latus ferant*.

Sed qui vetuit diſcipulis ſuis Chriſtus in zona aurum deferre, an exiſtimandus eſt iiſdem conceſſiſſe, vt zonas gererent aureas, argenteas, ſericas? neutiquam profectò. Zona aurea inſigne eſt regni gloriæ, non vallis miſeriæ: hinc Chriſtus rediuiuus & triumphans à Ioanne eius dilecto conſpectus eſt, Apoc. 1. *Veſtitus podere, & præcinctus ad mammillas zonâ aureâ*, & ſeptem Angeli vindices exeuntes de ſuperni templi ſacrario, veſtiri eidem apparuerunt lino mundo & candido, & *præcincti ad pectora zonis aureis*, Apoc. 15. At quandiu hîc in via ſumus, de qua ait Propheta, militia eſt vita hominis ſuper terram, non licet aureis vti cingulis, nec latis zonis, ſed ſtrictis poriúſque duris & obſcuris quàm mollibus & ſplendidis; ſi quidem vt ſcitè Beatus ait Hieronymus, *Tota vita Chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Euangelium viuere velit, nihil aliud niſi crux eſt atque Martyrium*. militis inſigne fuit ſemper cingulum, & exauctoratio, cinguli priuatio. Cùm Clericus itaque in militiæ teſſeram, zonam ſuper talarem tunicam defert, eſt quòd moniti Apoſtoli ad Timotheum recordetur. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, vt milites bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam*, ep. 1. c. 1. verſ. 18. Pariſiis qui cedunt bonis ex Prætoris edicto, zonam deponunt & proiiciunt in vulgus, facti exinde infames & profugi. Cùm exuit ſe Clericali ſchemate vir Eccleſiaſticus pallio oblongo, talari tunica, & zona qua Eccleſiaſticam militiam amplexus eſt; recogitet ſeipſum cingulo priuare, vltróque exauctoratum honore ſacræ militiæ ſuo ipſo facto priuari.

S. Auguſtinus in Pſal. 92. nonnullas differentias affert inter, cingi, accingi, ſuccingi, præcingi; vt primum ſit operaturi, ſecundum pugnaturi, tertium ituri, quartum miniſtraturi, ex phraſi propria ſcripturæ; quas diuerſitates minutim hîc expenſum ire non contendo; nec enim opus eſt, ſi quis enim de iis doceri velit, conſulat Toletum in Lucam c. 12. quo de vario procinctorum, aut cingulorum genere, luculenter tractat accommodatè ad mores.

Cæterùm Macrobij inſigne dictum de Hortenſio hîc prætereundum haud cenſeo, *Virum fuiſſe mollem, qui nimirum in præcinctu omnem decorem poneret*. Caueant Clerici ab hoc puerili pruritu: ſunt enim, qui zonas deferunt quia oportet, ſed non vt decet, ſericas ſcilicet, vel aureas, fibulatas varióque artificiô textas non ad inſigne Clericatûs, ſed ad vanam ſpecioſitatis oſtentationem: ſcire quoque eos iuuat, decorum vnde ſibi parare putant, inde ſibi labem inanis gloriæ inurere. Zona Clericalis eſt militiæ Chriſti teſſera, non ludicrum vanitatis, nec inſigne ſuperbiæ.

CAPVT QVINTVM.

De Pallio Iudaïco, Vulgari, Philoſophico, & Clericali.

DE Pallio Archiepiſcopali, tractatum antehac edidimus tom. 1. de myſticis Galliæ Scriptoribus inſertum, digeſtúmque in capita duodecim; quorum primum eſt de auctore Pallij ipſius Pontificalis; 2. de origine. 3. de materia & forma eiuſdem. 4. de eius tam vocali, quàm myſtica ſignificatione. 5. de petitione. 6. de conceſſione. 7. de eiuſdem auctoritate. 8. de defectu. 9. de ordinario eius vſu. 10. de vſu extraordinario. 11. de multiplicatione. 12. de ſingularitate.

At de Pallio Clericali, agere hîc (non tam fusè) aggredimur; cùm non de cappa ſeu pluuiali hîc ſermo ſit, de quo in Panoplia Sacerdotali, erit auxiliante Chriſto, ex proprio inſtituto diſſerendum; ſed de ſuperiori indumento, quo dum verſantur Clerici extra ſacra limina, priuatim ac familiariter vti ſolent; vocamus autem illud Clericale, vt ab aliis ſecernamus, quandoquidem fuit olim pallium Iudaïcum, deinde pallium Philoſophicum; nunc verò vulgare quod Laïcorum eſt.

1. *Pallium Iudaïcum.*

De Iudaïco expreſſum extat ſcripturæ monimentum Num 15. *Loquere* (ait Dominus) *ad filios Iſrael, & dices ad eos, vt faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in iis vittas hyacinthinas, quas cùm viderint recordentur mandatorum Domini.* Geſtâſſe Chriſtum eiuſmodi pallium cum fimbriis, patet ex hoc S. Lucæ teſtimonio, *Mulier acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus eius ſanguinis*, c.8. A Samaritana cognitum fuiſſe Dominum ex habitu, videlicet fimbriis illis ex pallij inferiori ora dependentibus, S. Chryſoſtomus hom. 30. in Ioan. c. 4. & Sanctus Cyrillus lib. 2. cap. 80. docent. Sanctus Epiphanius hæreſ. 15. pallium illud Iudaïcum quatuor angulos habuiſſe ſcribit, à quibus mala punica pendebant: ſed lex iubebat mala punica à ſummo Sacerdote geſtari in ima ora tunicæ ſuperioris; ad alas verò, ſeu ad angulorum extremitatem pallij vulgaris Iudæorum fimbrias, circumcirca verò filum, vel tæniam ſiue vittam hyacinthinam, nimirum violacei, aut cæleſtis coloris, diſtinctionis gratiâ, vt hoc ſigno à gentilibus dignoſcerentur, ſimúlque admonerentur obſeruationis mandatorum Dei. Serarius Iudæorum habitum, quo etiamnum vtuntur, hunc in modum deſcribit; *Exiguam*, ait, *ſiquidem eos habere veſtem, gentis characterem & inſigne, quæ quadrata ſit, & dorſum pectúſque tegat, à lateribus aperta, vt cilicia quædam eſſe ſolent, ex imis quatuor veſticulæ huius pendere chordulas totidem, in quarum ſingulis nodi quinque, ad quinque Moyſis librorum memoriam.* hactenus Serarius. Sed vbi fimbriæ illæ, & vittæ hyacinthinæ à Deo præceptæ in illo habitu? qui accuratiùs res Iudæorum explorârunt, Iudæos hoc ipſo tempore habere dicunt inter cæteras veſtes vnam ſimilem thoraci, niſi quòd manicis caret, qua vtuntur quotidie in precibus ſuis, eámque vocant *arba canphot*, id eſt quadrangu-

lum, habet enim quatuor alas vel angulos, in quibus pendent *zizioth*, id eſt fila illa retorta, ſiue fimbriæ, quas ipſi vulgò *zotten* nuncupant, dicúntque eas peculiarem habere vim contra malam concupiſcentiam, idque ex eo quod in lege ſuperiùs citata ſubditur: *Nec ſequantur cogitationes ſuas, & oculos per res varias fornicantes;* quare qui inter eos religioſiores, vel ſuperſtitioſiores ſunt, hâc veſte fimbriata ſemper induuntur ſub aliis veſtibus. Addit Sanctus Hieronymus in Matth. cap. 23. Iudæos fimbriis ſuis inſeruiſſe acutiſſimas ſpinas, vt ambulantes per earum punctutam legis diuinæ ſemper admonerentur. Quid iam faciunt Chriſtiani, maximè Clerici, qui aliorum typus & ſpectaculum eſſe debent, quid potiùs facere non deberent, vt lex Dei eorum oculis iugiter obuerſetur? In Oriente tamen hanc pallij ſpeciem, qua vti hodie Iudæos ait Serarius, aliſque, non eſſe in vſu ex 4. lib. Nauigationum & peregrinationum Orientalium Nicolai de Nicolai Delphinalis, Geographi Caroli IX. Galliarum Regis, quo ad viuum, vt aiunt, propriiſque coloribus depinguntur tam virorum, quàm fœminarum habitus & inceſſus, deprehendo; etenim lib. eiuſdem cap. 16. exhibetur negotiator Iudæus eo ſchemate quo induti procedunt mercatores Iudæi Conſtantinopoli, totáque Turco-Græcia. In capite toroſo petaſo inſignis eſt crocei coloris, veſtitur tunicâ ſubpurpureâ paululùm infra genua dependenti, zonâ cinctus viridi, non pallio vtens, ſed tunicâ ſuperiori coloris azurini, antica parte à collo vſque ad imum diuiſâ; clauſâ ab vtroque latere ſtrictis manicis, & à cubito præciſis, in oris circumquaque ſimplici, ſine fimbriis vel limbo, aut vittis hyacinthinis; caligis flauis, rubeis calceis, pannos vendibiles flaui coloris complicatos ſuper brachium dextera exponens manu. Sed hactenus nimis quàm par ſit de Iudaïco veſtimento.

II. *Vulgare.* De pallio Vulgari, quod primùm Græcorum geſtamen erat, ſubinde verò in Africa vſu eſſe cœperat; dubitant plerique docti an idem fuerit quod Philoſophicum; res hîc non poteſt commodè accuratímque explicari, quæ etiamnum in ancipiti manet apud Græcæ & Romanæ antiquitatis ſcrutatores. In Africa vulgare fuit in vſu antequàm philoſophicum ibi prodiret, quemadmodum patet ex hac Tertulliani apoſtrophe ad viros illuſtres Carthaginenſes; *Benè eſt tamen* (ait in ipſo limine ſatyrici quidem, at elegantis libri de pallio) *& vobis habitus olim alter, &c. in viris enim pallij extrinſecus habitus, & ipſe quadrangulus, ab vtroque laterum regeſtus, & ceruicibus circumſtructus in fibulæ morſu humeris adquieſcebat.* Antequàm ipſi ſcilicet Carthaginenſes à Romanis edomiti, non ſicut ipſe Tertullianus amore Chriſtianæ Philoſophiæ fecerat, de toga ad pallium, ſed de Græcanico pallio ad togam Romanam, pudenda adulatione, vel inuerſæ vrnæ infortuniô tranſiiſſent; remanſiſſe tamen ſubiungit pallium vulgare Vticæ, & peculiare iam Carthagini, Æſculapij Sacerdotibus. Non vulgare quidem ſumpſerat, iam hac impietate fœdatum,

III. *Philoſophicum.* Sed *Philoſophicum*, quod vbique Philoſophi in affectus cultúſque ſapientiæ indicium geſtare iampridem conſueuerant. Similem autem habitûs mutationem in nouis Chriſtianis ſubindicat Origenes, apud Euſe-

Euſebium Eccleſ. hiſt. lib. 6. cap. 15. cùm de Heracla dicit, poſito communi indumento, habitum adſumpſiſſe philoſophicum. Antehac verò diu Lucianus, Chriſtianorum morem, ipſo ſcilicet Apoſtolorum ſæculo deriſerat, qui palliati incedebant, horum enim habitum ſic ironicè deſcribit in Philop. *Pallium putre, ſine calceis & tegmine, capite incedens detonsâ comâ:* non quòd nudipedes pergerent Chriſtiani, at quòd non calceis, ſed ſoleis vterentur; nec iidem quòd omnes pallium putre & vſu detritum gererent, ſed quòd non pretioſum nec ſpecioſum: quandoquidem luxus ſæcularis contemptu, & Chriſtianæ ſimplicitatis ſtudio, profitendæque veræ quam colebant, ſapientiæ affectu, hoc tegumentum (quod tunicæ ſuperimponebant) prætuliſſent togæ, faſtus & ambitus inſigni. His ex rationis fundamentis, tranſitus ſui à toga ad pallium, ex quo Chriſto dederat nomen, Tertullianus cauſam tuetur: ſiquidem vt calumniatori ſatisfaciat, qui fortè fortuna ſibi obuiam factus improperando dixerat, *itáne à toga ad pallium?* ac ſi diceret, ab equis ad aſinos? pallij ſimplicitatem & facilitatem commendat, quod etiamſi duplex ſit, in Cratetis, aliorúmque morem philoſophorum, ſolutum, & vnico coniectu corpus operiat, nec artifice ſit opus, qui pridie rugas formet, & inde deducat in tillias; falsè addens, quòd togæ plus læſerint Rempublicam, quàm loricæ; & è contrario pallio nihil aliud curæ ſit, quàm ne curet, vt pote quod nihil foro, nihil curiæ debeat, nulla roſtra præoccupet, nulla prætoria obſeruet, cancellos non adoret, ſubſellia non commendet, iura non conturbet, cauſas non elatret, non iudicet, non militet, non regnet, ſcilicet in hoc mundo, regnum tamen paratum in futuro. Hócque epinicio, quod ſibi impietatis deſertori, fidei Chriſti profeſſori, & cæteris eius cultoribus, ea in cauſa victor, iámque triumphator decantat, Apologiæ ſuæ dicta concludit; *Gaude pallium & exulta; melior iam te Philoſophia dignata eſt, ex quo Chriſtianum veſtire cœpiſti.*

Vtinam, qui ad Eccleſiaſticam ſe conferunt militiam hoc eodem ſpiritu mundo valedicerent, paríque pietatis ardore, abiecta omni vanitate, Clericale pallium non fucatæ ſimplicitatis, ſed condignæ humilitatis inſigne ſuſciperent. In Synodo Epheſina dudum celebrem nomine Antiſtitem depingens Theodoretus; *Homo,* inquit, *vocalis, id eſt voce promptus, fuſca veſte indutus, triſtis incedens, ſtrepitus forenſes declinans, corporis pallorem, quo continens habeatur, aucupans, libris domi vt plurimùm intendens, in oleo & quiete ſecum conuerſans.* Egregia huc vſque ferè hominis pij lineamenta! ſed quæ tota fœdat latens virus: nam continuò ſubiungit, *Denique huiuſmodi qui magis Chriſtianus videretur, quàm eſſet;* ex iis enim infelix iſte diſſimulator erat, de quibus Dominus ait, Matth. 7. *Attendite à falſis Prophetis qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* IV. *Clericale.*

Hîc tamen cauendum eſt ab alio extremo: plus ille Chriſtianus videri volebat, quàm eſſe; at non ſufficit eſſe quidem, ſed non videri, prætextúque fugiendæ vanæ de ſe exiſtimationis, veſtes eas induere, quæ alios affectus, quàm pietas & humilitas Chriſtiana exigit, ipſo externo aſpectu indicant. Appoſitè Sanctus Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini

in monte, c. 2. tom. 4. *Non tamen propterea, inquit, ornatu ſuperfluo debet aſpectus hominum mulcere Chriſtianus,* (cuius exemplar & ſpeculum Clericus quiſque eſſe debet) *quia illum parcum habitum & neceſſarium etiam ſimulatores ſæpe vſurpant, vt incautos decipiant, quia & illæ oues non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.*

Quæ cauſa eſt cur Eccleſia, puram non modò mentem, ſed externum quoque habitum velut mundiriæ internæ indicem in Clericis tantoperè exigit: innumeræ ſunt hac de re ſuperioribus libris adductæ canonicæ ſanctiones, quas hîc retextum ire faſtidioſum foret; vetus eſt adagium, *tunicam pallio propiorem eſſe.* At Eccleſia in Clericis diſcolorem à pallio tunicam non ſinit, nec pallium à tunica difforme, vtrumque æquiparat materiâ, formâ, colore, ſignificatione. Materiâ nam vtrumque non ſericum vult eſſe, ſed laneum; formâ pariter talari, fuſco, vel pullo colore tinctum, vtrumque præcipit deferri: quo indicio, modeſtia qua Clericus præditus eſſe debet, coniunctâque humilitas, ſimplicitas, ſenſuum à terrenis abſtractio, mentis in ſuperna ſpiratio, carnis mortificatio, veráque non fucata pullo ſub pallio latens virtus & pietas, ipſo ſigno externo Clericatûs appareat occurrentium Laïcorum obtutibus conſpicua.

Bone Deus, quot circa pallij vſum Clericis præſcriptæ ſacris Canonibus leges! aliquas at quæſo hîc dumtaxat in memoriam reuocemus: Synodi Sueſſionēſis, ante annos 900. celebratæ, can. 3. eſt: *Ne Clerici habitum laïcorum portent,* id eſt *ſagis aut breuibus palliis non vtantur.* Pariſienſis ſub Odone, *cappas alatas & veſtes inordinatas non deferant, ſine congruo amictu non procedant, ſcilicet cappa vel pallio.* c. 8. art. 13. Eboracenſis ſub Cœleſtino III. Decret. 6. *ſtatuimus vt Clerici qui ab Epiſcopo coronam ſuſceperunt, habeant & tonſuram,* &c. *non in cappis manicatis incedant, ſed in veſtibus ſuo ordini congruis, vt ſicut cæteris dignitate præeminent, ſic pleniùs & formam, & exemplum exhibeant honeſtatis.* Lateranēſis œcumenici ſub Innocentio III. can. 16. *Clauſa deferant indumenta, nimia breuitate, vel longitudine non notanda.* Londinienſis ſub Gregorio IX. *firmiter ſtatuimus præcipiendo,* &c. *vt in menſura decenti veſtes habeant, gerentes in omnibus habitum honeſtatis.* Rauenatenſis III. rubr. 10. *ſtatuimus & mandamus pro honeſtate habitus Clericalis vt veſtimenta ſint eorum talaria,* &c. Rauenatēſis IV. ſub Ioan. XXI. c. 6. *Tabardos* (genus pallij eſt) *ſeu cappas deferant ſuo ordini congruentes.* Toletani Cōcilij eodem ferè tempore habiti, c. 2. *ſtatuimus quòd nullus Clericus ſupertunicale vel tabardum ita longum deferat, quod etſi ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cùm hæc non honeſtas, ſed ſuperfluitas & indecentia cenſeatur. Clericus verò qui contrà fecerit, ſupertunicale ipſum ſeu tabardum ipſo facto amittat. Caueant Clerici ne ferant mantellos ſeu chlamydes cum chordis,* &c. *nimis breues.* Concilij Palentini ann. 1388. rubric. 3. *Veſtem ſuperiorem non virgatam* (ſeu variegatam) *aut bipartitam.* Martini V. in Concilio Conſtantienſi, ſeſſ. 43. decretum promulgatum eſt, *quo Clericos execratur qui ſpretâ in veſtibus formâ Eccleſiaſticæ honeſtatis delectantur eſſe deformes, dum cupiunt laïcis conformari, tam in formis, quàm coloribus veſtium.* Concilij Baſileenſis mandatum eſt ad Clericos, *vt quilibet incedat pudicis oculis,*

cum modeſtia & grauitate, veſtimẽtis vtantur prout ſacri canones ſtatuerunt, abſtineant à coloribus ſplendidis, &c. *veſtimenta deferant talaria.* Leo X. in Bulla reformationis curiæ, in Concilio Lateran. promulgata; *Veſtes*, inquit, *colorum geſtent, qui Clericis à Iure non prohibentur, vſque ad talos ſaltem demiſſas,* &c. Senonenſe Conciliũ ann. 1528. habitum tit. 24. *Veſtes eorum ſint talares non fronciatæ, aut partitæ, nec nimia amplitudine ſuperfluæ, nec plus æquo conſtrictæ, in quibus Clericalis honeſtas & modeſtia, non faſtus & iactantia, vel elationis vitium deprehendatur.* Sacroſanctum Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. graui correptione perſtringit Clericos, qui veſtes publicè laïcales deferre non verentur, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus, hóſque pœnis canonicis præcipit coërceri, iuxta latam à Clemente V. in Concilio Vienn. ſanctionem, quæ incipit, *Quoniam innouando.* Conciliũ Mediolan. I. tit. de Clericor. habitu, att. 14. *Togam*, ait, *quod Mantelletum vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur,* &c. *interior eiuſdem generis ad talos demittatur.* & art. 16. *Pallium quod ferrajolum appellant, non ferant niſi per pluuias,* &c. *neque eo ſine talari toga aut tunica vtantur.* Concilium Narbonenſe coactum ann. 1551. *Decenti*, inquit, *indumento, nempe talari veſte incedant ornati, niſi fortè vrgentia negotia curaturi gradum accelerent; tunc enim ſaltem ad genua demiſſam, æquum eſt eos deferre; præterea quæ in rugas contracta non ſit, neque ſerico, neque bombycino limbo vel aſſuto,* &c. Concilium Rhemenſe ann. 1583. habitum ſub ſyntagmate *de Clericis* in genere, ſect. 8. *Præterea* (ait) *veſte Eccleſiaſtica, eáque talari ac decenti vtantur omnes Clerici, nec ſine illa pallium,* &c. Aquenſe actum anno 1585. vbi de vita & honeſt. Clericorum, *Veſtem exteriorem quidem talarem*, (id eſt pallium oblongum) *interiorem autem* (ſcilicet tunicam) *ſaltem vſque ad tibiæ medium; quanquam talaris in ciuitate vtraque eſſe debeat: in itinere verò breuiorem permittimus, ſed ne omnino ſupra genua vetamus.*

Sed hactenùs de pallio Clericali, tunicæ conformando. Cæterùm in ſactis libris ſumitur pallium pro ſigno, *pudoris*, Geneſ. 24. Iudic. 4. Ruth. 3. *poteſtatis*, 1. Reg. 15. *prophetiæ*, 4. Reg. 2. *virtutis* ibidem; *pietatis*, 3. Reg. 19. *mœroris*, 1. Eſd. 9. *honoris*, Eſth. 8. *zeli*, Iſa. 58. *beatæ ſpei, & perennis lætitiæ ac gloriæ*, Iſa. 61. vbi ait Chriſtus; *Spiritus Domini ad annunciandum manſuetis miſit me, vt conſolarer omnes lugentes,* &c. *darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris*; ſed mali ominis eſt *pallium breue, quòd duos operire non poteſt*, Iſa. 28. éſtque ideò ſymbolum defectus charitatis.

CAPVT VI.

De caligis, & calceis.

TAM de his, quàm illis actum non ita diu à nobis ex profeſſo, nec obiter, lib. 7. Panopliæ Epiſcopalis prænotato de campagis, caligis & ſandaliis Pontificum cap. 1. art. 1. quid ſit calceus? à pag. 405. ad 410. & art. de caligis ab ipſa p. 410. ad 414. ex vtraque antiquitate tam ſacra quàm profana. Quamobrem ne dicta repetere, & vt aiunt, caulem recoquere videamur, ab hac materia diſcutienda iterum abſtinendum cenſemus. Neceſſarium tamen fuit hîc programma eiuſmodi præfigere, quod exigat libelli huius ratio, vt de modeſtia calceatûs Clericalis, ſicut de cæteris virorum Eccleſiaſticorum indumentis ſaltem obiter edisſeram.

Circa vſum caligarum & calceorum, omniſque pedum & tibiarum integumenti, tam Pontifices quàm Concilia ab Eccleſiaſticis viris omnem caueri luxum ſedulò præceperunt; iámque olim varias ſanctiones ediderunt, quibus omnem circa has res exceſſum irent præciſum, decentiámque Clero congruentem commendarent, ſartámque tectam tuerentur. Concilium generale Lateranenſe IV. ſub Innocentio III. can. 16. de Clericorum indumentis, hæc inter alia decernit; *Sotularibus conſutitiis, ſeu roſtratis & calcearibus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus, non vtantur.* Concilium Baſileenſe in admonitione ad Clericos præſignata, quæ extat in Appendice poſt Concilij huius ſeſſiones, pag. 555. *Nullus portet corrigias auri vel argenti ornatum habentes, vel caligas ſolutas* (in margine legitur *ſericeas*) &c. ita & Toletana Synodus ſub Sixto VI. celebrata, tit. 5. *Nec virides veſtes* (inquit) *induere, aut caligas eiuſdem coloris, aut * ſotulares albos vel rubeos, niſi cum nigris deſuper ſotularibus dumtaxat calceare de cætero præſumant*, &c. *prohibemus.*

* *des ſoliers.*

Gliſcentem in ſæculi huius exordio circa hæc pedum indumenta nonnullorum Clericorum exceſſum inſignis ille Cancellarius Pariſienſis Ioannes Gerſon animaduerterat, de quo ita ait, vbi de corruptis Eccleſiaſticorum ſui æui moribus conqueritur; *Quid eſt quod quarumdam Eccleſiarum Canonici calceis roſtrati, veſtibus accurati, abiecto Clericali habitu, militarem aſſumunt?*

Horum tamen faſtum non potuerunt tanti viri voces & gemitus comprimere: excreuit ſubinde; vnde in Synodis poſterioribus, hac de re querelæ grauiores meritò perſonuerunt, pœnaléſque conſtitutiones aduerſus delinquentes editæ, quæ magna ex parte lib. 1. huius partis referuntur; in quibus tamẽ omiſſus eſt Concilij Prouincialis Senonenſis can. 24. quo diſtrictè ſtatuitur, *Ne Clerici lunatis, ſeu cornutis, aut nimis feneſtratis calceis vtantur.* Conſedit iſta Synodus anno ſalutis 1528. S. Carolus in Concilio I. Mediolanenſi, ſuprà ſæpius allegato, titulo de Clericorum veſtitu, & reliqua vitæ moderatione, n. 18. *Calceos*, inquit, *& crepidas ad elegantiam*

non incidant. Ita & Synodus Narbonenſis ſedente Concilio Tridenrino, anno 1551. celebrata, in decreto de Tonſura & habitu Clericali, *Veſtes & caligas*, ait, *gerant integras, non variegatas nec inciſas*, &c. *quæ laïcorum inconſtantiæ & leuitati, quàm Clericorum grauitati magis conueniunt.* Sic & Concilium Prouinciale Rhemenſe ſub Sixto V. habirum, in tit. de Clericis in genere, ſect. 8. *Veſte Eccleſiaſtica eáque talari ac decēti vtantur omnes Clerici, nec ſine illa pallium breue aut longum deferant, aut vmquam procedant in publicum, nec criſpatis induſiis, vel arte ſciſſis calceis diſſolutorum laïcorum perſonas referant.* Et Synodus Aquenſis acta anno 1585. *Caligis non turgidis, neque diſſectis, calceis quoque non inciſis vtantur.* Verùm hactenùs ſatis de modeſtia in caligis & calceis ſeruanda ab Eccleſiaſticis hominibus, ex decretis & legibus canonicæ diſciplinæ.

Cæterùm, ſi quis in calceis documenra quæſierit circa mores & myſticos ſenſus, meminerit,

Primò, voluiſſe Dominum nuncios ſuos calceatos incedere ad præparationem Euangelij pacis, quo ſcilicet expeditiùs verbum ſalutis vbique perueherent, decentiúſque ſuo munere fungerentur, quò ſpectans cum Propheta Apoſtolus, Rom. 10. *Quàm ſpecioſi* (inquit) *pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

Secundò, abſtractos eſſe voluit Clericos Dominus ab affectibus terrenis, quod figuratur in calceis prorſus clauſis versùm terram. hinc eleganter S. Auguſtinus lib. 2. de conſenſu Euangelior. c. 30. citatis ex S. Lucæ Euangelio verbis; *Citò proferte calceamenta in pedes eius*, ſubiungit; *calceamenta in pedes, præparatio eſt euangelizandi ad non tangenda terrena:* Et paulò ſuperiùs, *Chriſtus Dominus figuratè loquens præcepit Apoſtolis, vt ſandaliis eſſent calceati, vt nimirum pes neque tectus eſſet, neque nudus ad terram, id eſt nec occultetur Euangelium, ſed palam prædicetur, neque etiam terrenis commodis innitatur.*

Tertiò, ex corio fiunt calcei; proinde cùm ſint mortuorum animalium exuuiæ, nobis ipſo ſuo aſpectu incutiunt mortis meditationem, & nouiſſimorum memoriam. Facilè calcat omnia ſub pedibus qui ſe nouerit moriturum; & qui nouiſſimorum memor erit non difficilè abhorrebit à peccaro, iuxta illud Eccleſ. c. 7. *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.*

Quartò, ſanctorum Patrum exempla & documenta inſuper calcei inſinuant; præclarè Caſſiodorus ad 7. Cant. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui*, &c. *In calceamentis*, inquit, *ſunt pedes animæ pulchri, quando affectiones conſtringit ſanctorum Patrum exemplis, quibus & à luto & à ſaxis & à ſpinis defenditur, à luto carnalium, à ſaxis ſcandalorum, & à ſpinis tribulationum.* Cuius Caſſiodori veſtigia premēs Honorius Auguſtodunenſis Eccleſiæ Preſbyter & Scholaſticus in expoſitione totius Pſalterij cum Canticis; *Animæ greſſus*, inquit, *ſunt quatuor affectus, concupiſcentia, timor, gaudium, dolor; qui eam ad opera portant, ſicut pedes corpus portant ad loca. Hi pulchri ſunt in calceamentis dum ſecundùm exempla Patrum, virtutes vel vitam æternam concupiſcunt, peccata vel gehennam timent, gaudent de bonis, dolent de malis*, &c.

Plura dici poſſent: ſed ſi quis plura volet, haud difficilè notata repere-

rit Panopliæ noſtræ typis editæ anno ſuperiori, lib. 7. cui titulus eſt *de campagis, & ſandalis Pontificum*, cap. 10. prænotato, *de tropologica ac myſtica Pontificalium ſandaliorum ac compagiorum theoria*, à pag. 451. ad 460.

Exiget fortè quiſpiam in Panoplia hac Clericali Breuiarium: ſiquidem cùm Clericum à planta pedis vſque ad verticem ſuo apparatu inſtruxerimus, videtur nihilominùs in eo deſiderari manuum armatura, codex ſcilicet precum, quibus certare debet quiſquis militiæ noſtræ adſcriptus eſt: ſiquidem verè ait Beatus Ambroſius, *non pugnamus, ſed oramus: arma Sacerdotum lachrymæ ſunt.* At aſſignandi huius adminiculi ſacræ militiæ neutiquam obliti ſumus, enimuerò ſuprà de oratione loco proprio diſſeruimus: fusè verò, & ex inſtituto in noſtro opere *de horis canonicis*, 13. in libros digeſto, at nondum edito; cæterùm excudendo tandem cùm primùm aliquod leuamen tantarum curarum & laborum Deus Opt. Max. pro ſua immenſa bonitate nobis conceſſerit.

FINIS LIBRI QVINTI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Digitized by Google

DE HABITV CLERICALI

LIBER VI.

QVI EST, DE CLERICALIS HABITVS conſtanti vſu, & geſtatione; eiuſdémque iuribus, & honoribus.

PARS I.

De conſtanti vſu, & geſtatione habitûs Clericalis.

CAPVT PRIMVM.

Vocationem ad Clericatum, eſſe donum Dei.

PRÆTER beneficia generalia quibus Deus vniuerſos homines ſibi perpetuo gratitudinis iure & amoris debiro, ac ſeruirutis obſequio deuinxit: vt cùm non eſſent, & in æterno retrò tempore, in tenebris non entis delituiſſent, ſine vita, ſine ſpecie, ſine eſſe, ex nihilo mirabiliter condiderit; quòd ad imaginem ſui formârit; quòd diuinitatis & gloriæ ſuæ capaces fecerit; quòd hunc műdum cum omnibus ſuis opibus, ornamentis & commodis in noſtrum vſum, obſequium & ſolatium fabricârit; quòd cæleſtes ſpiritus in cuſtodes & pædagogos nobis aſſignauerit; quòd ad æternam vitam, & gloriæ ſuæ conſortium nos deſtinauerit, facillimis ad hoc conceſſis adminiculis. Deinde cùm per peccatum à prima illa ſtatus felicitate in æternum exilium lapſi eſſemus, quòd rurſus noſtri miſeratus, ab æterna morte redemerit; quòd ex inimicis filios Dei, hæredéſque conſtituerit; quòd noſtrâ causâ formam ſerui induerit, & noſtræ naturæ infirmitates ſuſceperit; quòd tot tantóſque labores, dolores, contumelias & probra pertulerit; quòd vincula, flagella, ſputa, alapas, coronam ſpineam, clauorum perfoſſionem, denique crucem & mortem cum infinito cruciatu & op-

probrio ſuſtinuerit; nec his contentus immenſum ſuorum meritorum theſaurum nobis ad perpetuam reconciliationem reliquerit; quòd corpus & ſanguinem ſuum in ſacrificium propitiationis, & in alimentum immortalitatis nobis legauerit; quòd tam facilibus, & efficacibus ſalutis remediis (ſacramentis inquam ſaluberrimis) nos inſtruxerit. Et hæc quidem ſunt communia diuinæ bonitatis in nos beneficia.

At præter hæc generalia, alia ſunt particularia, quæ cuilibet, præ innumeris aliis Deus pro ſua immenſa bonitate, & miſericordia largitus eſt; quæ minùs tamen à ſingulis perpendi ſolent, quamuis magni ſint momenti, tam ad diuinæ in nos benignitatis commendationem, quàm propriæ ſalutis aſſecutionem: v. g. quòd à parentibus fidelibus, æuo iſto Chriſtiano ſis natus, inter Catholicos & in fide orthodoxa educatus, quòd ſalutis viam à puero egregiè edoctus, quòd ab hæreſi præſeruatus, quòd à plurimis damnationis periculis ereptus, quòd infinitis miſericordiis in benedictionibus dulcedinis præuentus. O quanta ſe in iis, & aliis eiuſmodi particularibus beneficiis aperit miſericordiæ abyſſus! ô quàm immenſum benignitatis pelagus! quàm incomprehenſibilis charitas! ſuperant iſta & ſingula humanum omne eloquium, omnem ſenſum, omnem æſtimationem, omnem intelligentiam creaturarum omnium.

Porrò beneficium vocationis ad ſtatum Eccleſiaſticum, ipſámque Clericalem initiationem, in iis non poſtremum cenſendum eſt, at ſingulare Dei donum debet, ab iis qui eo præuenti ſunt, exiſtimari. poterat Deus efficere, vt fuiſſes miles, mercator, cauſidicus, iudex, agricola, latomus, faber, & ſic vxori deuinctus, onuſtus liberis, curis obſeſſus, negotiis implicitus, laboribus obnoxius, periculis obiectus, quietis expers, nugis & vanitatibus ſæculi totus immerſus, quinetiam iis forſitan non abſimilis, quorum infelicem vicem dolet Apoſtolus Epheſ. 2. 12. vbi ait, *Eratis illo tempore hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, ſine Chriſto, ſine Deo in hoc mundo.* Sed præuenit te Deus in benedictionibus dulcedinis, vt poneret tandem *ſi certares* vt decet militem Chriſti *bonam militiam*, in capite tuo coronam de lapide pretioſo: nec enim te ſolùm effecit regeneratione Chriſtianum, Catholicum fide, at Clericum inſuper profeſſione eſſe voluit. Attende quæſo, quale donum? *Clericus* (inquit Sanctus Hieronymus in epiſt. ad Nepotianum de Clericorum vita) *interpretetur primò vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe quod dicitur, ſi enim κλῆρος Græcè, ſors Latinè appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt pars Clericorum eſt*, &c.

Sed vnde hoc habes, vt ſis Clericus, proinde vocatus in ſortem Domini, qui ſic te adelegerit in hæredem, vt fieres quoque hæreditas eius: ipſe ſors eſſet tua, & tu eius ſors viciſſim cenſereris? *Eccleſia vniuerſa eſt ſors & hæreditas Chriſti, qui eam acquiſiuit ſanguine ſuo*: ſed huius hæreditatis ſelecta portio, & ſortis pars præcipua Clerus eſt, diuinis vt pote miniſteriis conſecratus. Clericis enim potiori iure quàm priſcis Sacerdotibus & Leuitis Dominus ait, Num. 16. *Audite filij Leui! num parum vobis eſt quod ſeparauerit*

rauerit vos Deus Iſrael ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi & miniſtraretis ei? Quiſnam quæſo Clericorum honoris tam inſigne decus, munus adeò ſanctum à Deo potuit promereri? dicuntur ſors & hæreditas Domini, & in eius ſortem & hæreditatem vocati peculiari modô, ſed quo iure? naſcuntur, vt plurimùm non fiunt hæredes, quis autem laborauit, quis operam dedit, vt huius potiùs quàm illius filius & hæres naſceretur? De generali Chriſtianorum vocatione ait ideò Apoſtolus Coloſſ. 1. *Dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorum; in quo nos ſorte vocati ſumus.* Nemo enim *Epheſ. 1.* gratiam inuocat niſi præuentus à gratia; nemo elegit Deum niſi electus à Deo, nemo diligit, niſi priùs dilectus; auerſos ille conuertit, errantes reuocat, inuenitur à non quærentibus, palam apparet non interrogantibus: quia tamen quod nobis ſors eſt, in Deo prouidentia & prædeſtinatio eſt; proptereà vas electionis ſignanter iungit vtrumque cùm ait, *in quo nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum pro-* *Epheſ. 1. 11.* *poſitum voluntatis eius.* Idipſum de ſpeciali vocatione ad Clericatum vel Sacerdotium, aliqua cum analogia dici poteſt: munus enim eſt gratiæ præuenientis & gratiæ gratis datæ, ſine antecedenti hominis merito, quamobrem hic ſtatus, hæreditas, & ſors Domini dicitur honoris prærogatiuâ ſingulari, quòd ſcilicet ex mero Dei dono cuipiam impertiatur, quaſi ſorte & hæreditate.

De S. Nicetio Archiepiſcopo Treuirenſi rem memoriæ dignam inter pleraſque, litteris commendauit B. Gregorius Turonenſis lib. de vita Patrum cap. 17. quo eius natales & geſta deſcribit; *Sanctus Nicetius Epiſcopus ab ipſo* (inquit) *ortus ſui tempore Clericus deſignatus eſt: nam cùm partus fuiſſet effuſus, omne caput eius, vt eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis nudum quidem cernebatur, in circuitu verò modicorum pilorum ordo apparuit, vt putares ab eiſdem coronam Clerici fuiſſe ſignatam.* Sed à quo Clericus (quæſo) adhuc infans, imò antequàm natus, deſignatus fuit Beatus Nicetius, poſtmodum tantæ ſanctitatis Pontifex? planè id enim hîc quæri poteſt, quemadmodum Fortunatus pridem admiratus eſt S. Martinum ad altare munera diuina conſecrantem, vbi repentino gemmarum fulgore coruſcus apparuit; petit etenim vnde tam ſpecioſas margaritas, pretioſóſque lapides ſibi Sanctus hic Antiſtes tam facilè parauerit, atque tunicam tanto fulgore ſplendidam, fuerit mutuatus, lib. 4. geſtorum Sancti Martini. (idem refert Sulpitius dial. III. c. XIII.)

O Martine decens lapidum velamine compte,
Quàm noua palla tibi, cuius textura coruſcans,
Trama topaſus erat rutilans, & ſtamen iaſpis.
Et tunicæ inſignes, currunt pro vellere gemmæ,
Quæ manus artificis cataclaſtica fila rotauit?
Quis potuit rigidas torquere ad licia gemmas?
Hæc venerando magis poterunt, quàm fando referri.
Quid ſecreta petis, ac in abdita luminis intras?
Eſt homo quod ſtupeas, vbi nectit gratia telas.

Idem artifex coronæ Clericalis Sancti Nicetij, ac gemmatæ tunicæ San-

cti Martini profectò fuit. Dei gratia texuit tunicam illam eximiam S. Martini, & Sancti Nicetij etiam efformauit in eius vtero matris coronam Clericalem: ſcilicet vt eſſet illa indiciô, ipſum ab ortu ſuo ſingulari Dei beneficiô fuiſſe vocatum ad ſtatum Clericalem, déque minimo ſacræ militiæ gradu, cui præuentione diuinâ adſcriptus fuit, ad Sacerdotalem & Pontificiam dignitatem. Non tamen eſt quod ex huius exempli inductione quiſpiam inferat me velle perſuaſum ire, ſolos eos qui externo eiuſmodi ſignaculo à Deo inſigniti ſunt, ad Clericalem profeſſionem diuinitus euocari: pauci & fortè hic vnus ſolus eo indicio in ſuo ortu apparuit ſpeciali quodam priuilegiô ſignatus: at interiori ſignaculô plerique alij ad Clericatum fuere beneficiô diuinæ gratiæ deſtinati; de S. Ambroſio, de S. Nicolao, & ne plures recenſeam, de S. Lupo Archiepiſcopo Senonenſi exempla illuſtria ſunt, quos ab ipſo ortu, vel primâ infantiâ Deus præmonſtrauit Clericali militiæ & Pontificali faſtigio à ſe fuiſſe deſtinatos; nec hos ſolùm dixerim tamen diuina vocatione adlectos in Clerum, qui tam ſplendidis gratiæ præuenientis teſtimoniis non tam deſignati quàm nati ad hunc ſtatum fuiſſe comperiūtur: ſed hos omnes qui legitimis modis, hoc eſt cum diſpoſitionibus ſuperiùs à nobis expreſſis ad Clericatum accedunt, exiſtimare licet diuinæ gratiæ munere, hanc ad profeſſionē ſelectúmque vitæ Chriſtianæ ſtatum fuiſſe vocatos.

Sacerdos celebraturus Miſſam ex Eccleſiæ præſcripto, & Sancti Ambroſij dictamine, Deo imprimis gratias agit, quòd ſingulari æternæ eius bonitatis beneficio ad gradum Sacerdotij fuerit prouectus; *Doce me ſeruum tuum* (inquit) *indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium Sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ.* Quemadmodum igitur Apoſtolatus eſt donū Dei, de quo Apoſtolus gratias referens ait, Rom. 1. *Per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum;* id eſt Apoſtolatum non ſine gratia Dei, ſed per eius ſpecialem gratiā & fauorem; ita & Sacerdotium. Ad hoc autem nemini peruenire licet niſi per ſtatutos gradus inferiorum ordinum, quorum rectè conſcenſorum eſt Sacerdotium in hac vita præmium & apex. Etenim (ſicut pridem ſcripſit S. Auguſtinus adhuc Preſbyter, ad Valerium Epiſcopum ep. 128.) *hoc honore nihil hac in vita præſtantius, & acceptabilius apud homines eſſe poteſt, nihilque etiam apud Deum beatius, ſi eo modô in eo militetur, quo cæleſtis ipſe Imperator iubet: qui enim benè miniſtrauerint* (ait ad Timotheum Apoſtolus 1. ep. 3.) *gradum bonum ſibi acquirent.* Porrò ad hunc gradum aperitur per Clericatum aditus; ſine quo nemini patet ad ſuperiorem gradum progreſſus. Vnde ſequitur quòd Clericatus ipſe ſit Dei donum & inſigne beneficium, quo potiora munera, dignè illo primô vtenti, ab eodem omnis boni auctore & largitore conferuntur.

Scio Domine (ait Propheta Ierem. 10. 23.) *quia non eſt hominis via eius, nec viri eſt vt ambulet & dirigat greſſus ſuos.* Non eſt noſtrûm de ſtatu noſtro & vitæ genere decernere: qui proprio fidit arbitrio, ſe fallit. Multi quidem ſunt Clerici, qui in Clericatū propria auctoritate & temeritate irruerunt; alij qui ſeſe Deo toti committunt, nec Clericalem amplectūtur profeſſionem, niſi Dei explorato nutu ac beneplacito ad hanc

ſe ſenſerint, & piorum prudentiúmque iudiciô cognouerint, euocari. Qui ſeipſos ingerunt, vel in Clericatu pereunt, vel ab eo excidunt infelici diſceſſu. Qui ſententiæ Apoſtoli memores, *Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo*, nonniſi ab eo vocati vel per internam inſpirationem, vel per Eccleſiæ Præſulum iuſſionem, vel per piorum parentum deuotionem & ſollicitudinem ad ſacræ huius militiæ tyrocinium accedunt: auſpicato progreſſu quàm inſigni gratiæ Dei munere, & ſingulari miſericotdiæ beneficiô, eum in ſtatum cooptati fuerint, facilè experiuntur. *Heb. 5. 4.*

CAPVT II.

Dona Dei ex parte principij irreuocabilia eſſe: rectè ſiquidem iis vtenti, à Deo non auferri, nec minui, ſed augeri.

SINE *pœnitentia* (ait Apoſtolus ad Romanos 11. 29.) *ſunt dona & vocatio Dei.* Syrus interpres vertit, Non mutat Deus donum ſuum & vocationem ſuam. Græcus pro, ſine pœnitentia legit ἀμεταμέλητα, impœnitibilia, id eſt, immutabilia ſunt dona & vocatio Dei. Quicquid enim ex Deo eſt, diuinam ſapit & redolet originem. Eſt Deus immutabilis & ſubſtantiâ, & locô, & intelligentiâ & affectu, & omni intrinſeco modo.

Primò, quia eſt purus actus nihil habens admixtum potentialitatis, (vt Theologi loquuntur) cùm potentia imperfectionem dicat, & melius ſit eſſe actu, quàm potentiâ: quicquid autem mutatur eſt aliquo modo in potentia ad id ad quod mutatur.

Secundò, quia eſt omnino ſimplex & expers omnis compoſitionis; in eo autem quod mutatur neceſſariò eſt aliqua compoſitio, dum ſucceſſiuè res eſt ſub diuerſis terminis, vno recedente & altero accedente.

Tertiò, quia eſt infinitus comprehendens in ſe omnem plenitudinem perfectionis: quia immenſus eſt, non poteſt moueri loco; quia eſt infinitus in toto genere perfectionis entis, non poteſt ei fieri vlla acceſſio; complectitur enim omnia, & quidem per eſſentiam, vnde non poteſt quicquam perdere, quia nec ſuam eſſentiam amittere poteſt.

Ad extrà verò licèt multipliciter operetur,

Immotúſque manens, det cuncta moueri, *Boët.*

ſi eius gratiæ dona ſpectemus, certum eſt promiſſa Dei abſoluta, ſemper ſuum conſequi effectum: *Quomodo* (inquit Iſa. 55.) *deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat eam & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.*

Conditionata verò, ex parte Dei etiam ſemper ſuum effectum ſortiuntur; nec enim conditionis defectus à parte Dei procedit, at venit ex parte noſtra.

OOoo ij

Digitized by Google

Quamobrem etſi hanc propoſitionem Apoſtoli: *ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei*, intelligendam cenſeant non infimi ſubſellij interpreres, de vocatione efficaci & abſoluta, quæ effectum ſuum conſequitur, qualis eſt prædeſtinatorum: in genere tamen illa ipſa ſententia Apoſtoli de inefficaci vocatione & gratia vera eſt, quantum eſt ex parte Dei, ſic Deus ex Ægypto vocauit Hebræos, eiſque promiſit fertilitatem terræ Chanaan, ſub conditione, *ſi impleatis legem meam;* Iudæi verò hanc conditionem non ſeruauerunt, vnde poſtmodum Deus reipſa non impleuit ſuam hanc ipſam promiſſionem: ſed quantum eſt ex parte ſua adimpleuit, quia paratus erat dare, & de facto eis dediſſet hanc fertilitatem, ſi ipſi conditione & pactis, id eſt in lege ſua ſteriſſent. Sed de ſublimiori promiſſo loquitur ad Romanos, de ipſis Iudæis verba faciens Apoſtolus; *Horum*, inquit, *eſt adoptio filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, & obſequium & promiſſa;* Rom. 9. 4. Quorſum igitur hæc promiſſa eis non ſunt impleta? quia nimirum pacto non ſteterunt de fide & obſequio & obedientia Deo ſeruanda; *Quid enim ſi quidam illorum non crediderunt? numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuabit? abſit. Eſt enim Deus verax.* Rom. 3. Nec per eum ſtetit quominus ipſi promiſſa ſua conſequerentur, *ſine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio Dei.* Rom. 11. 29.

Pari modo ait S. Petrus (1. ep. 1. 23.) fideles *eſſe renatos non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili* per verbum Dei viui & permanentis in æternum: ſemen illud eſt gratia, quæ quoniam diuina eſt, in ſe quoque ſemper incorruptibilis perſeuerat; at deſinit eſſe in homine regenerato, non virtutis vitalis per ipſam baptiſmi gratiam ei communicatæ defectu, at ipſius hominis culpâ ac reatu, quo quidem non corrumpitur gratia Dei, ſed excluditur, & deſinit eſſe in eo homine, qui pacto non ſtetit cum Deo inito per myſterium ſpiritualis regenerationis.

Pulcher alius locus idem inſinuans extat Apoc. 2. *ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum;* non dicit deſtruam, ſed mouebo; & cui? illi nimirum cui antea dixerat, *Memor eſto vnde excideris, & age pœnitentiam: ſin autem venio tibi*, &c. ita c. 3. minatur coronam non diripere, ſed ei auferre qui parum de ea aſſequenda ſollicitus erat; *Quia modicam*, inquit, *habes virtutem, tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.*

Sed verò munerarius cæleſtis alio ſe prorſus modo erga illos gerit, qui talenta credita felici fœnore multiplicant: qui enim duo acceperunt, & alia duo reddunt; aut pro quinque ſibi commiſſis quinque alia referunt, ab æquo audire retributore promerentur: *Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam.* Neſcit remunerator ſupernus fideli villico minuere quæ habebat, ſed gaudet augere; at deſidioſo tollit quæ fidei commiſſa inutiliter tenuerat; *Auferte ab illo* (inquit Luc. 19.) *mnam, & date illi, qui decem mnas habet? & dixerunt ei: Domine decem mnas habet. Dico autem vobis quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Applicatio facilis eſt de gratiis gratis datis, quibus abutentes priuantur: rectè vtentes cumulantur ampliori cenſu diuinæ munificentiæ: ſicut enim *quando creſcunt dona* (ait Sanctus Gregorius) *rationes creſcunt donorum:* ſic donorum cùm

fœnora creſcunt, etiam multiplicati talenti munera adaugentur. Audiendus meritò Venerabilis Beda lib. 5. expoſitionis in Lucam ſuper c. 19. *Rectè*, inquit, *amittet collatam gratiam quam prædicando aliis communicare neglexit, vt ei augeatur qui inde laborauit,* &c. *ille enim poteſt amittere munus Dei, qui habens non habet, id eſt non vtitur; & in eo augeri, qui habens habet, hoc eſt benè vtitur. Quæ gratiarum mutatio quoniam in hac vita geri ſolet, notandum quòd illud Domini redeuntis examen etiam nunc ex parte celebratum, ſed tunc eſt vniuerſaliter implendum: quotidie enim accepto à patre regno redit, quia peregrinantis interea Eccleſiæ ſtatum conſpicit: quotidie in tanto fidelium numero, huic pecuniam negotiatiuè accommodat; in altero modum conſummati operis examinat; hunc ſcilicet fideliter prudentérque laborantem amplioris gratiæ munere donat; illum deſidias molles, & marcida luxu otia ſectantem, & eo quod dederat priuat. Verùm vniuerſali manifeſtato iudicio, quod dictu quoque terribile eſt, multi qui ad docendum videbantur idonei, ob negligentiæ ſuæ noxam inter indoctos reputabuntur. At alij ſimpliciores fratres,* &c. *ob conuerſationis tamen eximiæ deuotionem, inter Apoſtolicos Doctores præmia ſumma percipient.* Quo ex theoremate ſequitur ſimplicem Clericum in habitu & tonſura gradúque infimo permanentem, dummodò ſua ſit in vocatione fidelis próque modulo creditæ diſpenſationis, fœnora Domino labore ſuo rependat, potiore loco in extremo illo examine recenſendum eo, qui ſublimiori gradu tam officij quàm ſcientiæ præſtans, lucra Domini ſui augere paruipenderit, ſuæque propriæ vtilitatis oblitus, propoſita ſedulo negotiatori ſtrenuóque pugili contempſerit præmia promereri.

CAPVT TERTIVM.

Clericatum eſſe ſtatum.

STADIODROMVS & pugil eſt quiſque Chriſtianus: vnde S. Dionyſius de Eccleſ. Hierarchia c. 7. p. 3. docet eos qui baptizantur oleo inungi quaſi athletas Chriſti, ac conſequenter vocari ad ſacra certamina pro fide & pietate obeunda; hæc eſt pugna communis & generalis militia, ad quam ex æquo omnes Chriſtiani vocati ſunt, nec ſaluari poſſunt, niſi eâ ſtrenuè ac fideliter defungantur; ſiquidem, vt ait Apoſtolus in hoc ſtadio *nemo coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* 2. Timoth. 2. 5.

Atalia eſt peculiaris, quæ ſtatuum diuerſam conditionem reſpicit: de qua idem Apoſtolus 1. Cor. 7. *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo; alius quidem ſic; alius verò ſic.* Alius enim eſt cælebs, alius coniugatus: alius Clericus, alius Laïcus: alius ſæcularis, alius Monachus. Status iſti ſunt dona Dei: ſed dona quæ non ſunt vt dona naturæ, id eſt Dei quatenus naturæ eſt auctor & opifex, qualia ſunt ingenium, iudicium, memoria, bona indoles: neque itidem vt mera dona gratiæ, vt ſunt Theologicæ præſertim virtutes infuſæ à Deo quatenus eſt auctor gratiæ: ſed dona hæc, Dei dona ſunt quidem, quia ab eo ſtatus iſti inſtituti ſunt, &

ad hos arcano eius conſilio vel permiſſu ſigillatim homines vocantur, ſed in quibus tamen ſaluari non poſſunt, niſi gratiæ his conditionibus annexæ cooperentur, & conformiter legibus à Deo cuilibet ſtatui eiuſ-
1. Cor. 7. 7. modi præſcriptis, ſe gerere ſtudeat, *alius ſic, alius verò ſic.*

Nec ſufficit, in profeſſione ſemel legitimè ſuſcepta aliquandiu viuere; ex quo ſtatus eſt, debet qui ad eam ſe vocatum nouerit, in eo ſtare firmiter, eiúſque exequendis officiis, & actibus perſeueranter inſiſtere, pedéque fixo, vt iſta dicam, immorari: lex enim diuina eſt promulgata ab Apoſtolo, *Vnuſquiſque in quo vocatus, in hoc permaneat apud Deum:* 1. Cor. 7. 20. qui in ſe quidem immutabilis eſt, & ſibi hominem vult, quantùm fieri poteſt, aſſimilari, ſuos vult ſequi hominem nutus, & quem cuilibet aſſignauit ſtatum, teneri & obſeruari: *Qui emittit lumen & vadit* (inquit Propheta Baruch 3. 33. 34.) *& vocauit illud, & obedit ei in tremore: ſtellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt adſumus; & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas.* Sic filios lucis ſe agere oportet, & permanere apud Deum: lucere in cuſtodiis ſuis, in ſtatibus & officiis, in quibus diuina diſpoſitione conſtituti ſunt, ſeruire cum lætitia; vocatos, dicere adſumus, & fulgere vnumquemque pro modo & ſtatu ſuo cum iucunditate, in conſpectu eius qui prout voluit, omnibus & ſingulis ſtatum & modum viuendi in hoc ſtadio Chriſtianæ exercitationis præſtituit.

Doctrina eſt S. Thomæ 2. 2. q. 183. paſſim diuerſitatem non modò officiorum & actuum, ſed & ſtatuum neceſſariam eſſe ad Eccleſiæ decorem, dignitatem & vtilitatem: porrò ad ſtatum immobilitatem requiri, in eo quod ad perſonæ conditionem pertineat, art. 1. ad 3. in fine. Porrò Clericatus ſtatus eſt, vt ex toto hoc opere conſtat; debet igitur qui ad eum legitimè vocatus eſt, ſi ſaluus fieri in eo velit, permanere, & ſedulò inſiſtere actibus & affectibus eliciendis, quos idem ſtatus in ſuis profeſſoribus exigit. Quo iure ſic interpellat Apoſtolus Timotheum ſuum, 1. ep. 4. 12. &c. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Dum venio attende lectioni, exhortationi & doctrinæ,* &c. *hæc meditare, in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis.* Et rurſus: *hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee,* &c. *vt milites bonam militiam,* 1. ep. 1. 18. & ep. 2. 2. 4. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. Intellige quæ dico; dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum,* ſi oraueris, ſi laboraueris, ſi ſuſtinueris, vt *ego qui laboro vſque ad vincula, quaſi malè operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum; ideò omnia ſuſtineo propter electos, vt & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Ieſu, cum gloria cæleſti.* Præmium hoc eſt laborum meorum, & tuorum erit, ſi me vt filius patrem, vt Clericus Sacerdotem & Antiſtitem imitatus fueris; *fidelis ſermo, nam ſi commortui ſumus, & conuiuemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus,* &c.

CAPVT QVARTVM.

Teſſeram militiæ Eccleſiaſticæ, Tonſuram ſcilicet & habitum Clericalem, dari ab Eccleſia initiandis per modum rei permanentis: quamobrem ab huius profeſſionis candidatis rectè ſuſcipi non poſſe, niſi cum pacto interpretatiuo perſeuerandi in ipſo Clericali ſtatu.

CLAMABAT (mulier amicta ſole, coronata ſtellis 12. cuius luna eſt ſub pedibus) *in vtero habens & parturiens, & cruciabatur, vt pariat.* Apoc. 12. Quemadmodum enim ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, adiuuando infirmitatem noſtrã (Rom. 8.) vt nos promoueat ad ſalutem: ſic Eccleſia ab eodem ſpiritu inſpirata, & impregnata multiplici fidelium fœtu, filios in vtero habens, eos parere ad ſalutem enixè deſiderat, & vt ſuis quoſque modis pro conditione ad quam vocati ſunt, pariat ad æternitatem, cruciatur materno affectu, perennique enixu eos efformare ad exemplar, cuique diuino nutu præfixum, contendit & laborat incredibili animi anxietate, & cordis feruore.

Clerici ſunt primitiui flores Eccleſiaſtici germinis, illuſtriórque portio gregis Chriſti: quamobrem de iis parturiendis iterum, donec in illis formetur Chriſtus, inſtantiùs eſt ſollicita: vtque nihil magis exoptat quàm idoneos noui æternique Teſtamenti miniſtros parere; ita nec eſt quod contendat enixiùs quàm in ſtatu permanenti tam eximiæ profeſſionis, illos diligenter excultos in omni canonicæ diſciplinæ obſeruantia fixos & ſtabiles continere. Non hæc dico de iis dumtaxat qui maioribus ordinibus ſunt adſcripti; ſiquidem idem ſtudium conſtantis perſeuerantiæ pro gradus cuiuſque & conditionis modulo, etiam in quatuor minoribus inſignitis; quin & tyrunculis inferioris militiæ, Clericis ſcilicet ſimplicis tonſuræ, & gerit in præcordiis, & externis oſtendit indiciis pia mater. *Galat. 4. 19.*

Sanè in ordine de Clerico faciendo, his, quas profundit Epiſcopus tonſuram & habitum conferendo, precibus: quæ vota ſint ſua, Eccleſia manifeſtè demonſtrat. *Oremus* (ait Pontifex Clericos initiaturus) *fratres chariſſimi, D. N. Ieſum Chriſtum pro his famulis ſuis qui ad deponendum comas capitum ſuorum pro eius amore feſtinant, vt donet eis Spiritum Sanctum qui habitum religionis in eis IN PERPETVVM conſeruet.* &c. Et poſtquam tonſuram contulit, rurſus orat, *vt qui comas capitum pro diuino amore depoſuerũt, in Dei dilectione PERPETVO maneant, & ab eo ſine macula in ſempiternum cuſtodiantur.* Sed longè expreſſiùs, cùm iis imponit habitum Clericalem, *Adeſto*, inquit, *Domine ſupplicationibus noſtris, & hos famulos tuos benedicere dignare, quibus in tuo ſancto nomine habitum ſacræ religionis imponimus, vt te largiente, & deuoti in Eccleſia tua perſiſtere, & vitam mereantur percipere æternã.* Et impoſito habitu: *Omnipotens ſempiterne Deus propitiare peccatis no-*

ſtris, & ab omni ſeruitute ſæcularis habitus hos famulos tuos emunda, vt dum ignominiam ſæcularis habitus deponunt, tua SEMPER IN ÆVVM gratia perfruātur. Admonet deinde eos de ipſorum prioris ſtatûs (qui profanus erat) in Eccleſiaſticum mutatione; *Filij chariſſimi*, inquit, *animaduertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia Clericalia ſortiti eſtis;* hortatúque demum vt ſtudeant deinceps honeſto habitu quem induerunt, boníſque moribus atque operibus, quibus hac initiatione obſtringuntur, Deo placere. Vt quid hæc vota, hæc monita, niſi vt in ipſis Clericatûs primitiis doceantur ſe cooptatos ita ex nunc in Clerum eſſe, vt poſtmodum laïci non ſint, nec debeant ad promiſcuam laïcorum turbam degeneri peruerſione reuerti; ſed ſtabiles in ea vocatione perſeuerare cui ſe nunc addictos ire profeſſi ſunt. Hanc eſſe intentionem Eccleſiæ paret ex eius votis & precibus ſuperiùs recitatis. Item ex ritu benedictionis, quem illis impendit, numquam enim Eccleſia benedicit, niſi quod benedictum intendit permanere: iuxta titulum *de ſacramentis non iterandis* 16. apud Gregorium lib. 1. quo nomine ſacramentorum, ſacramentalia ipſa intelligit, vt benedictionem veſtimentorum, altarium, &c. Atcudius lib. 6. c. 8. Græcos hoc nomine inſimulat, quòd tõſuram perpetam iterent. Hinc eſt quòd Clericus etiam degradatus adhuc Clericus dicitur, gloſ. in c. *accedens* 50. diſt. & in cap. *ad abolendam*, verbo *prærogatiuam; de hæret.* & in d. cap. *degradatio*, verbo *priuilegia*. Res eſt igitur permanens tonſura & Clericalis habitus; quibus fit in Eccleſiaſticam profeſſionem adſcriptio; quamobrem ab adſcripto deſeri non poteſt ſine præuaricatione manifeſta. haud dubium etenim quod ſi Eccleſia certò ſciret eiuſmodi cooptatos ſolenni inauguratione in Clerum, deſerturos quam amplexi ſunt militiam, cingulum eis non fuiſſet eiuſdem conceſſura; quod ſi reclamarent, nunquam in album Cleri retuliſſet: dum admittunt igitur ſuam ſub his legibus initiationem, ſeruandis initis cum Eccleſia fœderibus obſtringuntur, ſtandum eſt ſiquidem pactis. Sicut enim pactum contra bonos mores non valet, gloſ. in cap. 1. *de pactis*, & 2. in cap. *etſi neceſſe de donat.* in t. *vir.* & gloſ. 1. in cap. *cùm Clerici de pact.* Ita pacta ſeruanda ſunt quando ſunt licita & honeſta. *Cap. fin. lib. 6. de pact.* multò magis ſi conferunt honori Dei & publicæ vtilitati animarum: in extrauag. *proinde. De ſentent. excom.* l. 6. nec licet contra eiuſmodi pactum venire, can. penult. lib. 10. q. 3. & grauiter peccat qui id infringit cap. 1. & ibi gloſ. 1. de pact. etiam in pacto non expreſſo, ſed tacito & interpretatiuo. Gloſ. 2. in cap. *inclyta* 11. q. 1. & gloſ. penult. in cap. *ſi diligenti, de foro compet.* tacita enim multa tenent, quæ expreſſa non valerent, gloſ. *in generali b.* in extrauag. *excommunicamus, de ſent. excomm.* inter communes.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Canonibus præcipi conſtantem, vt tonſuræ, ſic habitus Clericalis vſum.

TITVLVS hic videtur ingentis voluminis limen aperire; imò potiùs ſyluæ denſiſſimæ patefacere aditum: quoniam ſi quæ hîc præfigitur, ineunda eſſet canonum (quibus conſtans & perennis vſus habitus vt tonſuræ Clericalis præcipitur) diſquiſitio, profectò vnius capitis limitibus quantumvis ſpatioſi, vix etiam per compendium includi poſſet canonicæ eiuſmodi præceptionis contextus. Verùm præuertimus tam anxiæ difficilíque indagini hoc loco exponendæ, quæ iam ſuprà lib. 1. de Tonſura, & lib. 1. de habitu Clericali, non per epitomen, ſed ſeriem ſatis accuratam expreſſa eſt. Quapropter & lectorem faſtidio, & nos inani labore leuandos cenſuimus hac breui, ſed neceſſaria animaduerſione; qua quidem & lemma præfixum aſtruimus, & ſuperuacaneæ repetitionis tædioſam excutimus contentionem.

CAPVT VI.

Pleriſque priuilegiorum titulis ac honoribus, Clericos inſigniri Clericaliter viuentes, & tonſuram perferentes ac habitum, tam ſacro quàm ciuili Iure.

CVM multa ac maxima inter Deum & hominem diſcrimina exiſtant, illud mihi non in poſtremis habendum videtur, quòd Deus quicquid facit, non vlla ſua neceſſitate, aut vtilitate, ſed ſola inductus bonitate facit: homo autem adeò egens & lucri cupidus eſt, vt vix quicquam moliatur, niſi vtilitate primùm, aut neceſſitate ante oculos poſitâ, quæ ſi deſit, iners & plumbeus ferè fit ad omnia quæ agenda ſunt. Cuius ingenium infinita illa bonitas & ſapientia Patris agnoſcens (quæ *omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis* 1. *Timoth.* 2. 4.
venire deſiderat) opulentiſſima laborantibus præmia imponit, cùm ait Luc. 6. *Menſuram bonam & confertam & coagulatam, & ſuperfluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Et ad Corinthios Apoſtolus ep. 1. c. 15. *Itaque*, ait, *fratres eſtote abundantes in omni opere Domini, ſcientes quoniam labor veſter non eſt inanis in Domino;* quam ſententiam idem Dominus per Prophetã Iſa. 45. 19. breuiter confirmat cùm ait, *Non dixi ſemini Iacob: Fruſtra quærite me.* Non certè *fruſtra*, quiſquis enim Deum ſeriò & ſincerè quæſierit, præmia tanta conſequetur, quanta vis nulla orationis explicare vmquam poterit. Tam in veteri quàm noua lege, promiſſa & præmia ſeruientibus Deo proponuntur: ſed longè diuerſa. Piè ac appoſitè S.

Bernardus ait: *In lege graue iugum, & vile præmium: at in Eccleſia iugum ſuaue, & præmium ſublime, ſic enim prouocat quod promittit, vt non terreat quod imponit*, Chriſtus ſcilicet, qui venit vt Propheta prædixerat, Iſa. 40. *Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.* Nec enim ad laborem vocat, quin præmium in promptu offerat: ſcit enim omne opus leue fieri homini, cùm eius præmium cogitatur, & ſpem præmij ſolatium eſſe laboris; humanam ex aduerſo induſtriam in quovis genere virtutis conſeneſcere nullis calcaribus adhibitis, quibus hominum ingenia ad ardua, ſed pulchra excitentur.

Qua ex cauſa Chriſtus, cùm primos ad homines ſuos nuncios, Petrum & Andream fratres deligeret, vocationi ſuæ ad laborem continuò ſubiunxit ſpem non leuis, ſed magnæ & inſolitæ hactenùs mercedis; *Venite poſt me* (inquit Matth. 4.) *faciam vos fieri piſcatores hominum.* Grande munus eſt homines piſcari, cùm ad illud deſcenderit è cælo Dominus. Difficilis ſanè & inuſitata res eſt, homines piſcari, nec viles & pauperes tantùm capere, & reti inuoluere, ſed ipſos Imperatores & Reges, Philoſophos & quoſque mundi huius ſapientes & potentes: hoc enim nihil aliud eſt quàm vniuerſum mundum ſubigere ac triumphare, idque non gladio, non ſceptro, ſed hamo: quinimò non timore, ſed amore, cuius ea vis eſt (ait Alciatus Emblemate 106.)

—— *Vt terræ iura det atque mari.*

Alliciuntur homines ad laborem propoſito vtili, iucundo, ac honeſto bono: ſic Chriſtus diſcipulos ſuos & miniſtros (in quorum vicem Clerici ſuccedunt) ſuum in famulatum pellexit; *Conuentione facta de denario diurno miſit eos in vineam ſuam;* en vtile præmium. *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum:* ecce iucundum. porrò honeſtum hoc eſt, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſraël. Iam enim non dicam vos ſeruos, ſed amicos.* Luc. 22. 29. Ioann. 15. 14.

Eodem edocta Spiritu ſancta mater Eccleſia, mox ac tyrunculos ſacræ militiæ, in album ſuorum pugilum retulit, Clericatúſque inſignia, habitum & tonſuram ſcilicet, ceu militiæ cingulum eis contulit: oraculô Pontificis initiatoris, eiſdem præmia pollicetur, & priuilegia iam ipſis quæſita, ipſo ad Clericatum ingreſſu, denunciat: *Filij chariſſimi animaduertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia Clericalia ſortiti eſtis**. Sed quænam, obſecro, ſunt illa priuilegia? hîc poſſum non immeritò à benigno lectore ſilentij depoſcere veniam: cùm quæſtionis huius, qua par eſt accuratione, diſcutiendæ, vnius huius capitis latitudinem capere non poſſit anguſtia, proprióq; tractatu (cuius titulus eſt, DE PRIVILEGIO CANONICO) copioſè hac de materia diſſerere ab aliquot annis meditemur, iámque etiam operi manum admouerimus, editurі conceptum hac de re fœtum in lucem, ſi quãdoque efformâſſe ſuis abſolutum numeris, & expreſſum quibus conſtare debet lineamentis, Deus pro ſua nobis benignitate conceſſerit. Verùm ne interim verbis paſcere lectorem, aut inani promiſſo illudere videar, in promiſſi pi-

* De iis Ioannes Sariſberienſis lib. 5. Policrat. capit. 5. *Quæ priuilegia* (inquit) *Eccleſiarum locorúmque venerabilium & miniſtrorum ſunt, diuino ſunt & humano iure notiſſima: cùm vel vſu iam liqueat, quòd non poſſint niſi apud iudices Eccleſiaſticos terminari.*

gnus, & feruentioris, quàm iuſti, exactoris aliquantulum lenimentum, proprium huius tractatus complementum, qui aliàs mancus & mutilus videri poſſet; breuem hîc indiculum, nec tamen vmbratilem ſed ſolidum priuilegiorum Clericatûs, ſubiunctum ire operæpretium iudicaui; digeſtis in duas Claſſes compendij huius ſyntagmatibus; quarum prior auctoritates elicitas ex Iure Eccleſiaſtico: poſterior eas, quæ deducuntur ex Ciuili & Regio complectetur.

PARS II.

De iuribus, & honoribus Clericorum deferentium cum Tonſura decenti, habitum Clericalem.

CAPVT PRIMVM.

Sacri iuris referens ſyntagmata, de Clericorum priuilegiis.

NON hîc diſcutio celebrem illam quæſtionem, ex quo iure proceſſerit Clericorum exemptio? quam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Clericis ex profeſſo diſcuſſit cap. 19. oſtendens exemptionem illam eſſe iuris diuini naturalis; & cap. 20. diſſoluens argumenta contraria; ſed ad particularia priuilegiorum capita, non per modum diſputationis, ſed per recenſionis ſpeciem immediatè deuenio, quæ ex Eccleſiaſticis ſanctionibus deſumuntur.

AXIOMA I.

Clerici ab omnibus fidelibus honorandi, adeò vt excommunicatione plectendi ſint eorum contemptores vel irriſores.

§. 1. Ex Concilio Dalmatico, cap. 5. ſub Innocentio III.

CVM terrenarum poteſtatum nunciis ſiue miniſtris honor exhibeatur ab omnibus, multò magis miniſtris Dei honor à Laïcis exhibendus eſt; à quibus eis non ſolùm diuina celebrantur officia, verùm etiam ſacrum baptiſma, & corpus Domini, & pœnitentia & cætera ſacramenta iugiter miniſtrantur.

§. 2. Ex Canonibus Apoſtolorum, c. 56.

SI QVIS Clericum claudum, vel ſurdum, vel eum cui vitioſus eſt inceſſus, irriſerit, ſeparetur.

AXIOMA II.

Clericorum percuſſores anathemate feriuntur.

§. 1. Ex Decretis Eugenij II. Papæ, cap. 8.

DECREVIMVS, vt ſi quis in Clericum, vel in Monachum violentas manus iniecerit, anathemati ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgente periculo, donec Apoſtolico præſentetur aſpectui.

§. 2. Ex præſignato Concilio Dalmatico c. 5.

QVAPROPTER iuxta decretum Domini Innocentij Papæ II. diſtrictiùs inhibemus ne aliquis in perſonam Epiſcopi, Sacerdotis, vel cuiuſlibet Clerici vel religioſi viri violentas manus iniicere præſumat; quicumque autem hoc attentauerit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta præſumptione ſatiſfacturus Apoſtolico ſe conſpectui repræſentet, vel ab eius Legato præſtitâ congruâ ſatisfactione abſolutionis beneficium conſequatur.

§. 3. Ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio Papa II. can. 15.

SI QVIS ſuadente Diabolo huius ſacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere (niſi mortis vrgente periculo) donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat.

Relatus eſt hic canon in ius commune Eccleſiæ, 17. q. 4. c. 29. vbi gloſ. *in Clericum*, addit, *etiam Pſalmiſtam*, qui Clericus dicitur 21. diſtinct. c. *Cleros*. Et in alias quaſvis perſonas Eccleſiaſticas, vt notatum eſt ſuprà. Nec excipiuntur mulieres ab hac pœna; gloſ. ibidem *ſi quis*. Et extrauag. de ſent. excomm. *mulieres*. Eadem q. 4. diſt. 17. refertur aduerſus eiuſmodi percuſſores Decretum Nicolai Papæ directum Thadoni Archiepiſcopo Mediolanenſi c. 23. & Concilij Moguntini ſub Rabano c. 24. & Concilij Triburienſis c. 5. & lib. 6. Capitul. c. 25. & 90. quæ lex tanto vigore apud Maiores ſeruata eſt, vt ſi quis in Clericum manus violentas intuliſſet, CESSVM, id eſt ceſſatio vel interdictio diuinorum officiorum ab Epiſcopo vel eius Officiali, ei loco, in quo reus erat, decerneretur, donec vltio & ſatisfactio Clerico fieret. De quo more meminit Senatuſconſultum Curiæ Toloſanæ latum anno 1316. die 11. Septembris apud Ioannem Gallum in qq. in arreſta Parlam. in 5. part. ſtyli Parlam. q. 393. Adiiciebatur ad execrationem criminis illati in Clericum, ex cõſuetudine quarumdam ciuitatum, vt cum hac ceſſatione vel ſuſpenſione diuini officij, crux, Beatæ Mariæ, & aliorum Sanctorum Imagines in terram deponerentur: fuerunt etiam qui eas ideò per vrticas & ſpinas traherent: qui abuſus poſtmodum prohibitus eſt per Gregorium IX. in Concilio generali Lugdunenſi, c. 2. qui refertur c. *ſi Canonici, de offic. ordinarij*, in

6. c. 1. §. vlt. ſub his verbis: *Ceterùm deteſtabilem abuſum horrendæ indeuotionis illorum, qui crucem, B. Mariæ Virginis, aliorúmque Sanctorum imagines ſeu ſtatuas irreuerenti auſu tractantes, eas ad aggrauationem ceſſationis huiuſmodi proſternunt in terram, & vrticis ſpinîſque ſupponunt, penitus reprobantes, aliquid tale fieri de cætero diſtrictiùs prohibemus. Statuentes vt in eos qui contrà fecerint, vltrix procedat dura ſententia, quæ delinquentes ſic puniat grauiter, quòd alios à ſimilium præſumptione compeſcat.*

Vis porrò canonis, *ſi quis ſuadente Diabolo*, adhuc perdurat & eſt in viridi vſu, adeò vt ſingulis Dominicis publicè in Eccleſia iuxta ipſum canonem denuncientur excommunicati, qui violentas manus in Sacerdotem, & Clericum quemlibet iniiciunt (niſi in caſu inculpatæ tutelæ) dummodò tamen Clericus non fuerit actualiter degradatus, tunc enim perdidit priuilegium Clericale, *gloſ. 2. ad cap. contingit. De ſent. excomm.* aut ſe immiſcuerit enormitatibus dimiſſo Clericali habitu, excidit enim ipſo actu à priuilegio Eccleſiaſtico *. aut dimiſſo Clericali habitu & tonſurâ, poſt trinam admonitionem ſe non correxerit, *gloſ. 1. in c. 2. de Apoſtatis*, &c. Cæteroqui percutiens Clericum etiam excommunicatum, excommunicatus eſt, c. *ſi verè 34. de ſent. excom.* ſed prætermitti hîc non debet ſanctio, quæ exciderat, notabilis.

* *Gloſ. pen. in c. Cùm nec ab homine. De ſent. excom.*

§. 4. Ex Concilio Vienneſi ſub Clemente IV. can. 5.

QVICVMQVE verò perſonam Eccleſiaſticam enormiter violauerit, mutilauerit, vel occiderit, aut captiuauerit, nonniſi per Sedem Apoſtolicam abſoluatur; & illo facto ſi quid tenebat ab Eccleſia, illud perdat, & in vtilitatem Eccleſiæ conuertatur. Adiicientes quòd in illa diœceſi in qua aliquem Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, vel in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum capi contigerit vel captum detineri vſque ad liberationem ipſius, & exhibitionem debitæ ſatisfactionis, ceſſetur generaliter à diuinis; ſimiliter & in illa Parochia, in qua res violenter ablatas capi vel detineri contigerit, vſque ad reſtaurationem congruam à diuinis ceſſetur. Nec modò Eccleſiæ ſatisfieri debet, at Clerico qui iniuriam paſſus eſt, vt conſtat.

§. 5. Ex Concilio Triburienſi, ſub Formoſo Papa, can. 20.

SI QVIS in ſeruos Dei ſæuire præſumpſerit, citetur ab Epiſcopo, & auctoritate canonica conſtringatur, vt eidem Clerico iuſtam & debitam perſoluat compoſitionem.

AXIOMA III.

Clericatûs ingreſſu amouetur ſeruitus.

§. 1. Ex Toletano IX. Concilio ſub Vitaliano Pontifice, can. 11.

QVI ex familiis, Eccleſiæ ſeruituri deuocantur in Clerum, ab Epiſcopis ſuis libertatis neceſſe eſt percipiant donum, & ſi honeſta vitæ claruerint meritis, tunc demum maioribus fungantur officiis.

In formulis veteribus ab illuſtriſſimo D. Hieronymo Bignonio editis, cum formulis Marculphi Monachi, extat ordine VIII. for-

mula ſub titulo *ingenuitas*, quæ vt ait ipſe Dominus Bignonius (cui Gallia vniuerſa & Poſteri multa debent, imò longè plura, vt ſpero, debebunt) exemplum eſt manumiſſionis à Senonenſi quodam Archiepiſcopo factæ, Ludouico Pio imperante, ea ſerie verborum quæ ſequitur.

Formulam ingenuitatis olim etiam apud Hiſpanos vſitatæ ex Conc. I. Toletan. referunt Burchard. lib. 2. c. 30. & Iuo p. 6. c. 131.

*Quoniam ſanctiſſimi Ludouici Imperatoris pietas quam habet in Deum, ea quærere & indagare non ceſſat, quæ Domini potiſſimùm congruant voluntati; quibus quoque religionis honor & deuotio magis ac magis de die in dies creſcat atque proficiat, & ea quæ ad diuinum cultum, & officium ſanctum pertinent, decoris & honeſtatis amplius in diebus eius, quàm priùs habuerunt, accipiant, & cunctis in futurum temporibus, quæ ſecundum Deum ab eodem inuenta, procuratáque ſunt proficiant, & perenni ſtabilitate à ſucceſſoribus eius, & fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ inuiolabiliter in perpetuum conſeruentur, memor ſemper eius quod dicitur, miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & iuſtitiâ firmatur thronus eius, adeò vt veriſſimè, & propemodum ſpecialiter de eo dictum videatur, Beata terra cuius Rex ſapiens eſt. Cui etiam illud non inconuenienter poteſt aptari, quod Dominus de Dauid perhibuit dicens, inueni Dauid ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas. Huiuſmodi itaque ſtudiis, Rex iſte ſapiens & beatus indeſinenter intentus, & Domini ſemper intendens voluntati, cupiens vt præmiſſum eſt, diuinum officium modis omnibus honeſtare, & eos qui Domino Deo ſacrificium ſuper altare ſanctum offerre debent, & corpus & ſanguinem Dominicum precum meditatione conſecrare, & ampliori gratia circumdare; ſtatuit vt Epiſcopi & Abbates, & quicumque Eccleſiaſticis poſſeſſionibus iure Prælati ſunt, ſi aliquos à familia ad Preſbyteratus ordinem promouere velint, priùs eos permiſſu ipſius libertate donent; & ſic tandem ad Sacerdotij gradum digniſſimè ſubuehant. Igitur ego ille minimus ſeruorum Dei famulus, Eccleſiæ Senonicæ Archiepiſcopus, tantâ sereniſſimi Ludouici Auguſti auctoritate, quæ Senonis in * arcibo Eccleſiæ Epiſcopij ſeruatur, fultus: per hunc libellum manumiſſionis te fratrem noſtrum, quem ſimilis conditio hactenus addictum tenuit inter huius Eccleſiæ familiam, quia fratrum teſtimonio, inter quos enutritus es, dignus ad Sacerdotalem honorem ſuſcipiendum prædicaris, cenſeo te atque ſtatum ante ſacri altaris cornu; in conſpectu Sacerdotum & Cleri, & populi aſtantis à præſenti die & deinceps, ab omni iugo ſeruitutis humanæ abſolutum fore, ciuémque Romanum appellari. Ita vt nulli hominum pro ſeruili conditione, quicquam debeas ſeruitij, nec obſequij;* (nota inſignem Sacerdotij dignitatem.) *Nec etiam libertinitatis munus impendere, non mihi nec ſucceſſoribus aut actoribus, quicumque huic præfuerint Eccleſiæ, non iudiciaria præditis poteſtate, ſed ſoli Domino licentiam & facultatem habeas liberè famulandi, diéſque tuos vitámque ipſi dicandi: vt in ipſius Eccleſia proficias ad honorem, & profectum plebis pretioſo ſanguine Chriſti redemptæ, quatenus hanc pro modulo tuo monitis inſtruas, orationibus iuues, exemplis informes, corporis & ſanguinis Dominici conſecratione, propter cuius honorem hanc conſecutus es dignitatem, reficias: vt ſicut ab humana ſeruitute liberatus, per hanc manumiſſionem eſſe cognoſceris, ita per diuinam doceas diabolicæ dominationis iugum euadere plebem, quæ tibi à proprio Pontifice fuerit commiſſa. His quoque ſubnectere placuit Canonicis admoniti conſtitutionibus, vt ſi qua deinceps prædia vel mancipia tui nominis titulô comparaueris, hoc obſeruari ſtudeas, quod in*

* archiuo

eiſdem decretum eſſe cognoueris. Et ſi fortè (quod abſit) à tuo propoſito exorbitaueris, Preſbyteratus gradum (id eſt honorem, non characterem; priuilegium, non ordinem) *canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria ſubſcripſi, & qui ſubſcriberent rogaui.*

Integro hoc toto tenore placuit formulam eiuſmodi iſthic retexere, quæ ad rem præfixam nonnihil conferebat; ſupráque omnes huius claſſis ætatíſque formulas, minùs habeat in ſtylo fæcis, plúſque in verbis & ſenſu lucis exhibeat. Cæterùm non à præſtituto ſyntagmate deſultet: tametſi etenim ſolos Sacerdotes ſpectare videatur, infimos etiam ad Clericos pro ipſorum modulo referri poteſt: ſine quorum gradibus ad Preſbyteratum nemini patet canonicus aditus.

AXIOMA IV.

Ab omni publica actione atque labore Clerici ſunt immunes: itémque à laïcis exactionibus & oneribus.

§. 1. Ex Concilio IV. Toletano, ſub Honorio I. Papa, can. 47.

PRÆCIPIENTE *Domino atque excellentiſſimò Siſenando Rege, id conſtituit ſanctum Concilium, vt omnes ingenui Clerici,* (atqui ſerui nulli eſſe poſſunt, vt ſuprà non ſemel oſtenſum eſt) *pro officio religionis, ab omni publica indictione atque labore habeantur immunes, vt liberi Deo ſeruiant, nulláque præpediti neceſſitate, ab Eccleſiaſticis officiis retrahantur.*

§. 2. Ex titulo de cenſibus 21. lib. 3. Decret. in 6. cap. 4.

QVANQVAM pedagiorum exactiones tam Iure canonico quàm ciuili, regulariter meritò ſint damnatæ, tanto tamen diſtrictiùs ne ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur, prohiberi oportet, quanto ſi fiat, maioris inde tranſgreſſionis reatus incurritur, & offenſa euidentior comprobatur. Cùm igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ ac res ipſarum, non ſolùm iure humano, quinimò & diuino, à ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes, conſtitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, qui ſtatuit Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel ſoluendum talia, pro rebus ſuis propriis, quas non cauſâ negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu tranſmittunt. Volentes propter multorum inſolentiam & abuſum, pœnæ adminiculo adiuuare: adiicimus diſtrictiùs inhibendo (contraria conſuetudine quorumcumq; quæ dicenda eſt corruptela veriùs, non obſtante) vt nec Collegium, nec Vniuerſitas, nec aliqua etiam ſingularis perſona, cuiuſcumque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, à præfatis Eccleſiis aut perſonis, pro perſonis ipſis, aut rebus prædictis, talia exigat, vel extorqueat per ſe, vel per alium, ſuo nomine aut etiam alieno, aut eas ad huiuſmodi perſoluenda compellat. Qui verò contrà fecerint, ſi perſonæ ſingulares fuerint, excommunicationis; ſi autem Collegium, Vniuerſitas, ciuitas, caſtri ſeu loci alterius cuiuſcumque ipſa ciuitas, caſtrum, vel locus, interdicti ſententias ipſo facto incurrant, nec ab excommunicatione eiuſmodi abſolutionem, vel interdicti relaxa-

tionem obtineant, donec exacta reſtituerint, de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter.

Eſt reueta in 6. Decretal. iſta Conſtitutio, ſed quæ ab aliis non diſcrepat, quæ in aliis Decretalium libris eadem de re continentur; quare ne tædium lectori ingetam, non ſeries integras referam, ſed ſummas dumtaxat, cum locis propriis quibus ipſæ cõſtitutiones, ſeu Iuris Eccleſiaſtici ſyntagmata inſeruntur, v. g. quòd Clerici & Eccleſiæ ſint regulatitet immunes ab omnibus impoſitionibus & collectis Laïcorum, c. *non minus, de immunitate Eccleſiaſticorum*, apud Gregorium, lib. 4. tit. 49. n. 2. quod ex Concilio Latetanenſi ſub Alexandro III. c. 19. expreſſum eſt, quo quidem Laïci collectas imponentes Clericis & Eccleſiis, vel vſurpantes eorum iutiſdictionem, ſi moniti non deſiſtunt, ſunt cum ſuis fautoribus excommunicati. Item quòd ipſi Cletici non poſſunt contribuete ad taillias Laïcorum etiam cum auctoritate Diœceſani, etiam per modum doni abſque licentia Papæ, & contrà facientes incurrunt excommunicationem ipſo facto, à qua non abſoluuntur niſi à Papa, & in mortis articulo. cap. *aduerſus* eodem titulo *de immunitate Eccleſiarum*; cui ſuccinit cap. *Clericis*, ſimilis inſcriptionis *de immunit. Eccleſ. in 6.* conſonant hæ conſtitutiones Canoni, *generaliter*, ex lege Leonis Auguſti lib. 1. de Epiſcopis & Clericis l. 40. deſumpto: (quo tamen loco Iuſtiniano tribuitur) in quo canone ſeu ſanctione, Clerici & Monachi nouarum collationum, & ſordidorum munerum immunitatem habere iubentur, conformiter legi Conſtantini, item legi Honorij & Theodoſij in eodem ſignatis. Conſonant & canones 9. & 11. Concilij Saltzburgenſis ſub Vrbano VI. & Concilium Lateranenſe ſeſſ. 9. in qua promulgata eſt Bulla Leonis X. de reformatione, §. *Et cùm à iure tam diuino quàm humano*, &c. quibus omnibus ad cumulum accedit ſacro-ſancti Concilij Tridentini parænetica conſtitutio, quæ ob monitorum grauitatem viſa eſt hoc loco ad ſæcularium hominum mouendum pios in Eccleſiam & Clerum affectus, verbatim inſerenda.

§. 3. Ex Concilio Oecumenico Tridentino ſeſſ. 25. can. 20.

CVPIENS Sancta Synodus Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolùm reſtitui, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcumque impedimentis conſeruari; pariter ea quæ de Eccleſiaſticis perſonis conſtituit, ſæculares quoque principes officij ſui admonendos eſſe cenſuit, confidens eos vt Catholicos, quos Deus Sanctæ fidei Eccleſiæque protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tantùm eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos & ſuperiores Ordines reuerentiam reuocaturos, nec permiſſuros vt Officiales aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, DEI ORDINATIONE, & canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent, ſed vnà cum ipſis Principibus debitam ſacris ſummorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam præſtent. Decernit itaque & præcipit ſacros Canones & Concilia generalia omnia, necnon alias Apoſtolicas ſanctiones, in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores editas,

editas, quæ omnia etiam præſenti Decreto innouat, exactè ab omnibus obſeruari debere. Prætereáq; admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes, & ſingulos cuiuſcumque gradus & dignitatis extiterint, vt quo largiùs bonis temporalibus atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctiùs quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquam Dei præcipua eiúſque patrocinio tecta venerentur, nec ab vllis baronibus, domicellis, rectoribus, aliiſve dominis temporalibus ſeu magiſtratibus, maximéque miniſtris eorum principum lædi patiantur; ſed ſeuerè in eos qui illius libertatem, immunitatem, atque iuriſdictionem impediunt, animaduertant; quibus etiam ipſimet exemplo, ad pietatem, religionem, Eccleſiarúmque protectionem exiſtant, imitantes anteriores optimos religioſóſque principes, qui res Eccleſiæ ſua imprimis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicárunt. Adeóque in ea re quiſque officium ſuum ſedulò præſtet, quo cultus diuinus deuotè exerceri, & Prælati cæterique Clerici in reſidentiis & officiis ſuis quieti & ſine impedimentis cum fructu & ædificatione populi permanere valeant.

AXIOMA V.

Clerici, ipſo Clericatu capaces efficiuntur beneficij Eccleſiaſtici, ſine quo ſignaculo Eccleſiaſticæ militiæ nemo, beneficio nedum poſſidendo, at nec obtinendo idoneus eſſe poteſt.

LAICIS beneficia conferri nequeunt, cap. *cùm adeò, de reſcript.* & ibi gloſ. *nec Clericus,* & cap. *in Eccleſia de inſtitution.* ſed in omnibus beneficiis oportet tempore collationis, vt impetrans ſit Clericus, cap. *ex litteris 6. de tranſact.* apud Gregor. lib. 1. tit. 36. ſed ſufficit quòd Clericus ſit inſignitus primâ tonſurâ, *ibidem.* ſine qua quiſque laïcus eſt. At oportet vt eiuſmodi Clericus ſit ſine vxore, nam qui vxorem duxit etiam per ſimplicia verba de præſenti, ac etiam ſine copula, incapax eſt beneficij. *Extrau. antiquæ, Ioan. XXII.* non ſolùm maioris, id eſt cum animarum cura, ſed & minoris, id eſt ſine cura. Gloſ. *nec ad aliquod,* ibidem. Imò & officij Eccleſiaſtici, puta Officialatus vel alterius, arg. 1. q. 1. c. *ſi quis Epiſcopus,* & quæſt. 3. *ſaluatur, extrau. de ſimon. c. conſulere,* &c. Porrò ſi Clericus coniugatus obtinet beneficium, ſtatim amittit, cap. 1. *de Clericis coniugatis,* quo Alexander III. in hunc modum decernit: *Si qui Clericorum infra Subdiaconatum acceperint vxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas vxores diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis: ſed ſi in Subdiaconatu, & aliis ſuperioribus ordinibus vxores accepiſſe noſcuntur, eos vxores dimittere, & pœnitentiam agere de commiſſo per ſuſpenſionis & excommunicationis ſententiam compellere procuretis.* Idem ſtatuitur *c. quod à te,* &c. quod eiuſdem tituli tertium eſt. Et cap. *diuerſis* ibidem. Cæterùm Clericos beneficium poſſidentes cum habitu Clericali & tonſura incedere iuſſit Sixtus V. cõſtit. 92. §. 2. quæ habetur tom. 2. Bullarij pag. 495. denique de criminibus, ob quæ Clericus beneficio ipſo iure ſine vlla ſententia iudicis priuatur, vide Azorium part. 2. inſt. Moral. lib. 7. de 4. decalogi præcepto cap. 16. eundémque cap. 17. eiuſdem libri de criminibus, ob quæ Beneficiarius iudicis ſententiâ à beneficio amoueri poteſt & debet.

Digitized by Google

AXIOMA VI.

Clericos gaudere priuilegio fori, à proprio Epiſcopo iudicandos eſſe, nec poſſe etiam de crimine coram ſæculari iudice conueniri.

SECTIO I.

§. 1. Ex Pontificali Romano, in fine ordinis, de Clerico faciendo.

DEINDE ſedet eum mitra Pontifex, & alloquitur eos (quibus tonſuram & habitum contulit Clericalem) ſub his verbis: *Filij chariſſimi, animaduertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia Clericalia ſortiti eſtis.*

SECTIO 2. Ex Canonico iure.

§. 2. Cauſa 11. quæſt. 1. can. 1.

NEMO vmquam Epiſcopum apud iudicem ſæcularem, aut alios Clericos, accuſare præſumat.

§. 3. Ibidem can. 2.

Legitur apud Burch. lib. 16. c. 22. *NVLLVS Iudicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum, aut iuniores Eccleſiæ ſine licentia Pontificis diſtringat, aut condemnare præſumat. Quòd ſi fecerit, ab Eccleſia cui iniuriam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum agnoſcat.*

§. 4. Ibidem can. 3.

CLERICVM cuiuſlibet ordinis, abſque Pontificis ſui permiſſu, nullus præſumat ad ſæcularem iudicem attrahere, &c.

§. 5. Ibidem can. 5.

AD ſæcularia iudicia nullus Clericus eſt pertrahendus. Eſt ſumma canonis, cuius ſeries infra referetur ex Cod. Theodoſiano, eſt enim lex Theodoſij & Honorij Impp.

§. 6. Ibidem can. 12.

CHRISTIANIS ſemper gratum debet eſſe, quod ab eorum poſcitur dignitate præſtandum, quia Deo ſeruientibus beneficium negare non conuenit. Silueſter itaque atque Fauſtinianus, qui ſe à cunabulis Clericos confitentur, à Theodora ſe opprimi per violentiam conqueruntur; quia dicunt ſe ingenuos, atque Deo auctore priſtinæ conditionis nexibus abſolutos, in ſortem iterum deterrimæ ſeruitutis addici: & per auctoritatem regiam contra leges publicas cum Clericali cingulo (Nota Clericale cingulum.) *tenerentur adſtricti; per Archidiaconum vrbis Grumentinæ eſſe conuentos; cùm conſtet eum qui cæleſtem militem pulſat, nonniſi eius forum debere ſectari. Et ideò dilecte fili* (ait Gelaſius Papa ad Eſochium Comitem) *depenſo ſalutationis affectu, ſupradictos Clericos tibi commendo,* &c. *ne quid illic aut ſurreptio, aut inimica legibus violentia neceſſitatis imponat.*

§. 7. Ibidem can. ſeq. idem de iiſdem ad Criſpinum & Sabinum Epiſcopos: narratâ ipſorum conquerentium Clericorum expoſtulatione.

ET ideò, fratres chariſſimi, quoniam ſe etiam ab Archidiacono dictæ Eccleſiæ queruntur oppreſſos, qui per eorum abſentiam moderationis iudicium promiſit eos eſſe ſeruaturos; calcatis omnibus rationibus, & contra leges diuinas & publicas pulſatis, forum ſuum putauit auferri; in veſtro iudicio quiſquis ille eſt qui Clericum laceſſit, adueniat; vt Eccleſiæ iura quæ vetuſti principes aſſiduâ ſanctione firmauerunt, impetitis Clericis non negetur.

§. 8. Ibidem can. 15. ex reſcripto Pelagij Papæ ad Benegeſtum defenſorem.

EXPERIENTIÆ tuæ præſenti auctoritate mandamus. Et infrà: *In his verò negotiis in quibus Eccleſiaſtici officij perſona pulſatur; totius ſubmoto pulſationis obſtaculo, ad Epiſcopi vel Preſbyterorum, in loco vbi quæſtio vertitur conſtitutorum, occurrat indifferenter examen.*

§. 9. Idem ſequenti can.

CLERICIS pulſatis, in Epiſcopali iudicio forum competere, Principalium quoque ſanctionum deſignat auctoritas.

§. 10. Ibidem canone 32.

SI qui ex fratribus negotia habeant inter ſe, apud cognitores ſæculi non iudicentur, ſed apud Preſbyteros, quicquid illud eſt dirimatur.

§. 11. Ibidem canone 33.

NVLLVS Clericus, vel Diaconus, vel Preſbyter, propter quamlibet cauſam, intret in curiam, nec ante iudicem ciuilem, cauſam dicere præſumat.

§. 12. Ibidem canone 43.

DE diuerſis ordinibus Eccleſiæ ſeruientibus: Si quis in cauſam criminis incurrerit, & abnuerit iudicium Eccleſiaſticum, debet periclitari. Gloſ. *id eſt deponi.*

§. 13. Ibidem canone 45.

SI QVIS cum Clerico. &c. Et infrà: *In criminalibus cauſis numquam ſine ſcriptura procedere debet. Non aliter autem puniatur Clericus, niſi obnoxius repertus Sacerdotio nudatus fuerit* (id eſt Sacerdotij priuilegio) *ab Epiſcopo ſuo, vel Clericatus honore: ſin autem crimen Eccleſiaſticum eſt, tunc ſecundum canones ab Epiſcopo cauſæ examinatio & pœna procedat: nullam communicationem aliis iudicibus in huiuſmodi cauſis habentibus.* Res non eſt igitur adeò noua, vt in aliis cauſis quæ Rempublicam lædunt, cum ſacro Magiſtratu ſæcularis iudex interueniat.

§. 14. Ibidem canone 49. ex Cap. Hadriani Papæ, num. 40.

IN Clericorum cauſa huiuſmodi forma ſeruetur, ne quemquam eorum ſententia à non ſuo iudice dicta conſtringat.

§. 15. Ex tit. de iudiciis, qui primus eſt lib. 2. Decretal. apud Gregor. ex reſcripto Lucij III. ad Archiepiſc. Strigonienſem.

CLERICI, &c. Et infrà, *cùm Imperator dicat, quòd leges non dedignantur ſacros Canones imitari, in quibus generaliter traditur, vt de omni crimine Clericus debeat coram Eccleſiaſtico iudice conuenire.* (Vide authent. ſtatuimus, c. de Epiſcopis & Clericis.) *Non debet ex hac parte canonibus ex aliqua conſuetudine præiudicium generari.*

§. 16. Eodem tit. paulò ante citatum cap. aliud eſt æquè notabile ſerie 4. ex reſcripto Alexandri III. ad Archiepiſcopum Salernitatum, tenore ſequenti.

AT ſi Clerici coram ſæculari iudice conuenti fuerint, vel confeſſi de crimine non ſunt, propter hoc à ſuo Epiſcopo aliquatenus condemnandi: ſicut enim ſententia à non ſuo iudice lata non tenet, ita nec facta confeſſio coram ipſo. Si verò de criminibus coram Epiſcopo in iure confeſſi ſunt, ſeu legitima probatione conuicti, dummodò ſint talia crimina propter quæ ſuſpendi debeant vel deponi; non immeritò ſuſpendendi ſunt à ſuis ordinibus, vel ab altaris miniſterio perpetuò remouendi.

§. 17. Ex tit. de foro competenti, qui 2. eſt lib. 2. apud Gregor. cap. 2.

NVLLVS iudicum, neque Preſbyterum, neque Diaconum, aut Clericum vllum aut minores Eccleſiæ ſine permiſſione Pontificis per ſe diſtringere aut condemnare præſumat: quod ſi fecerit, ab Eccleſia Dei (cui iniuriam irrogare dignoſcitur) *tamdiu ſit ſequeſtratus, quouſque reatum ſuum cognoſcens emendet.*

§. 18. Ibidem cap. 12. ex reſcripto Innocentij III. ad Archiepiſcopum Piſanum.

SI diligenti, &c. Et infrà, *Reſpondiſti*, &c. *immemor conſtitutionis qua cauetur, pacto priuatorum, iuri publico minimè derogari. Cùm igitur hoc in Mileuitenſi & Carthaginenſi Conciliis ſit ſpecialiter promulgatum, ne Clerici Clericos relicto ſuo Pontifice ad iudicia publica pertrahant, alioquin cauſam perdant, & à communione habeantur extranei; & tam Epiſcopi, quàm Diaconi, ſeu quilibet Clerici in criminali ſeu ciuili negotio, ſi derelicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis ſe purgare voluerint, etiamſi pro eis lata ſit ſententia, locum ſuum amittant, & hoc in criminali actione: in ciuili verò perdant quod euicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere.* Manifeſtè patet quòd non ſolùm inuiti, ſed etiam voluntarij paciſci non poſſunt vt ſæcularia iudicia ſubeant, cùm non ſit beneficium hoc perſonale, cui renunciari valeat, ſed

potiùs toti Collegio Eccleſiaſtico publicè ſit indultum, cui priuato tum pactio derogare non poteſt. Nec iuramentum licitè ſeruari potuit, quod contra canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur. Addi poteſt & caput *Si iudex laïcus 12. de ſententia excomm. in 6.*

§.19. Ex eodem Iure Canonico, tit. de Clericis coniugatis, c. vnico in 6.

CLERICI qui cum vnicis virginibus contraxerunt, ſi tonſuram & veſtes deferant Clericales, priuilegium retineant canonis ab Innocentio Papa II. prædeceſſore noſtro editi, in fauorem totius ordinis Clericalis. Et cùm iuxta Pariſienſe Concilium, nullus Clericus diſtringi aut condemnari debeat à iudice ſæculari, præſenti declaramus edictô, huiuſmodi Clericos coniugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus vel delictis trahi non poſſe criminaliter aut ciuiliter ad iudicium ſæculare; nec ab ipſis iudicibus ſæcularibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecuniariter, (ne per vnam viam concedatur ipſis iudicibus, quod per aliam viam denegatur) vllatenus condemnari. In cæteris autem, vel niſi, vt præmittitur, tonſuram vel veſtes deferant Clericales, etiam in præmiſſis eos gaudere nolumus priuilegio Clericali.

In Clericis dũtaxat qui tonſuram & habitum deferunt Clericalẽ, priuilegium canonis vim habete.

§. 2. Ex Conciliis.

SECTIO 1. Ex Concilio Nicæno can. 42. eorum, quos ex Arabico tranſtulit in Latinum Franciſcus Turianus.

SI QVIS ex Clero aut ex Monachis lapſus fuerit in aliquod peccatum, & vocatus à Congregatione, vt videatur cauſa eius, & purget peccatum ſuum, dato primùm tempore ad veniendum, non venerit, vocatúſque iterum & tertiò obſtinatè non ſe ſiſtat, eiiciatur de medio eorum, vt meritus eſt, & inſuper deponatur; & qui contradixerit, Synodus eum excommunicat.

SECTIO 2. Can. 78. de lapſis Sacerdotibus & Clericis.

SI QVIS Sacerdos, &c. & infrà, *alij verò ex Clero & Monachi*, &c. *ſi huiuſmodi peccatum commiſerint, fiet de eis iudicium, vt eorum iudici*, &c. *viſum fuerit*, &c. *& non debet qui eis præeſt, & iudex imponere grauem pœnitentiam, quæ noceat, neque leuem, ne currant ad peccatum, & eorum damnatio creſcat*, &c.

Eiuſdem Nicæni Concilij canonem citat Innocentius I. ad Victricium Rorhomagenſem Epiſcopum, c. 3. *Vt inter Clericos & laïcos cauſæ exortæ ab Epiſcopis audiantur*, & refertur illa citatio Innocentij, 17. q. 1. c. *ſi quæ cauſa*. Notatúrque in margine minori *Concil. Nicæni can. 5.* ſed cum hac animaduerſiuncula, abeſt à nonnullis Conciliorum editionibus. Verùm huius notulæ auctor debuerat editiones ſignare in quibus canon huiuſmodi legitur, quamuis alioquin Innocentij I. auctoritas conciliandæ eiuſmodi citationi fidei ſufficere videatur.

SECTIO 3. Ex Synodo Romana ſub Silueſtro can. 14.

NEMO Clericum quemlibet in publico examinare præſumat, niſi in Eccleſia. Ita recitatur hic canon (cum aliquot præcedentibus verbis) 17. q. 1. cap.

teſtimonium, &c. At in editis Conciliis, etiam nouiſſimæ editionis regiæ Pariſienſis, canon iſte in Concilio II. Romano ſub Siluestro legitur ſerie 15. ſolido tenore, quo eum expreſſimus, reſectis his prioribus verbis, ſcilicet: *Teſtimonium Clerici aduerſus Laïcum nemo recipiat;* ex quibus conſertus eſt can. 14. qui tamen vocum inuerſionem paſſus videtur; eſſet enim concinnior ſenſus ſi ita ſcriberetur, *teſtimonium Laïci aduerſus Clericum nemo recipiat.* Et ſequens contextus antecedẽti meliùs cohæreret, *Non enim Clericum quemlibet* (quilibet) *in publico examinat, niſi in Eccleſia*, id eſt in Eccleſiæ iudicio. Sic autem reuerà legendum eſſe, & propterea textum apud Gratianum, & Conciliorum Codices corrigendum poſteà didici ex Hadriani Papæ capitulis Agilramno datis Caroli Magni miſſo anno 781. & ex Græcis & Latinis canonibus collectis, ita enim ibi habetur cap. 73. *Teſtimonium Laïci aduerſus Clericum nemo ſuſcipiat.* & 74. can. *Nemo enim Clericum quemlibet in publico examinare præſumat, niſi in Eccleſia.*

SECTIO 4. Ex Concilio IV. Carthaginenſi can. 45.

Diſt. 42. Clerici profeſſionem. *CLERICVS profeſſionem ſuam & in habitu & in inceſſu probet: & nec veſtibus nec calceamentis decorem quærat.*

Quo ſtatu ſe gerens, Epiſcopi ſubmittitur iudicio: à quo tamen ſi ſe grauatum putauerit, poterit non ad ſæcularia tribunalia, ſed ad Metropolitani iudicium recurrere. Vnde eiuſdem Concilij can. 76. ita habet: *Clericus qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem iniuſtam putat, recurrat ad Synodum.* qui canon in Ius commune relatus eſt 11. q. 3. can. *Clerici qui*, &c.

SECTIO 5. Ex Concilio I. Toletano, vt citatur apud Burchardum lib. 1. cap. 28. & Iuonem pag. 6. cap. 129. ſub Anaſtaſio I.

INSTRVENDI ſunt præterea Laïci, vt ſciant quòd nullatenùs alio loco manumittere proprios poſſunt ſeruos, quos Dominicis caſtris aggregari decreuerunt, niſi in ſacro-ſancta Eccleſia, ordine ſuprà notato. (in canone eiuſdem Synodi cuius exordium eſt, *debent autem.* apud ipſum Burch. l. 2. c. 27. & Iuon. p. 6. c. 128.) *Quomodo enim Clerici extra Eccleſiam libertatem conſequi poſſunt, qui à lege mundana extranei ſunt? & quibus interdicitur, ne ad ſæculare iudicium procedant, quomodo ſæculari iudicio à iugo ſeruitutis abſoluuntur? ſed fortaſſe dicet aliquis, Clericus fieri non permittitur, niſi ante ſuſceptum Clericatus officium, ingenuitatis dignitate potiatur? Reuerà verum dicit, & ideò quòd infirmari vel vituperari poteſt, præcaueri debet.*

SECTIO 6. Ex Concilio Mileuitano, vt ab Innocentio III. citatur in cap. *ſi diligenti*, extrauag. *de foro compet.* & refertur in cod. Iuris canonici 11. q. 1. c. 42. Porrò totidem recitatur verbis in Conc. III. Toletano c. 13.

INOLITA præſumptio vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt Clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad iudicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus hoc de cætero non præſumi. Si quis hoc præſumpſerit facere, conuentum & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.

SECTIO 7. Ex Concilio Africano, ſub Cœleſtino I. Pontif. ean. 71. qui extat etiam in Concil. Mileuit. can. 19.

PLACVIT, vt qui ab Imperatore cognitionem publicorum negotiorum petierit, honore proprio priuetur; ſi autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulârit, nihil ei obſit.

SECTIO 8. Ex Oecumenica Synodo Chalcedonenſi, canon. 8.

CLERICI in Parochiis, Monaſteriis, aut Martyriis conſtituti, ſub poteſtate ſint eius, qui in ea ciuitate eſt Epiſcopus, ſecundùm traditionem Sanctorum Patrum, &c.

Et canon. 9. cuius titulus eſt. *Si Clericus contra alium cauſam habeat, ante Epiſcopum ſuum examinetur.*

SECTIO 9. Ex Concilio Arelatenſi II. ſub Leone I. ean. 31.

SI QVIS Clericorum religionis negotia, vel ſpirituales cauſas ad ſæcularia patrocinia, relictâ Synodô tranſire præſumpſerit, excommunicatione omnium ac deteſtatione dignus habeatur. Simili modo ſi cauſa inter Clericos orta fuerit, ne inuito Epiſcopo ad ſæculares iudices deferatur, ſed Epiſcoporum iudiciô terminetur.

SECTIO 10. Ex Concilio Andegauenſi, ſub Leone I. can. 1.

PRIMVM, vt contra Epiſcopale iudicium, Clericis non liceat proſilire; neque inconſultis Sacerdotibus ſæcularia iudicia expetere: ſed nec de loco vno in alium, ſine Epiſcopi permiſſu tranſire.

SECTIO 11. Ex Concilio II. Vaſenſi, ſub eodem Leone, can. 5.

SI QVIS Epiſcopi ſui ſententiæ non acquieſcit, accurrat ad Synodum.

SECTIO 12. Ex Concilio Venetico, ſub Hilario Papa, ean. 9.

CLERICIS, niſi ex permiſſu Epiſcoporum ſuorum, ſæcularia iudicia adire non liceat. Si quis fortaſſis Epiſcopi ſui iudicium cœperit habere ſuſpectum, &c. *aliorum Epiſcoporum audientiam, non ſæcularium poteſtatum debebit ambire; aliter à communione habeatur alienus.*

SECTIO 13. Ex Concilio I. Matiſconenſi, ſub Pelagio II. Pontifice. can. 7.

VT nullus Clericus de qualibet cauſa, extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui, à ſæculari iudicio iniuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur, &c.

SECTIO 14. can. 8.

VT nullus Clericus ad iudicem ſæcularem quemcumque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modô præſumat: ſed omne negotium Clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in Preſbyterorum, aut Archidiaconi præſentiâ finiatur: quòd ſi quicumque Clericus hoc implere diſtulerit,

Digitized by Google

ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat; ſin certè honoratior, triginta dierum concluſione mulctetur.

SECTIO 15. Ex Concilio Matiſconenſi, ſub eodem Pelagio II. Clotatio II. Francorum Rege, can. 9.

Nota Epiſcopalis audientia quàm antiqua.

LICET reuerentiſſimi canones atque ſacratiſſimæ leges de Epiſcopali audientia IPSO PENE CHRISTIANITATIS PRINCIPIO ſententiâ protulerint: tamen quoniã eadem poſtpoſita, humana in Sacerdotes Dei graſſetur temeritas, ita vt de atriis venerabilium Eccleſiarum violenter abſtractos ergaſtulis publicis addicant. Cenſemus vt Epiſcopum nullus ſæcularium faſcibus præditus iure ſuo contumaciter & perperam agens, de ſancta Eccleſia cui præeſt trahere audeat. Sed ſi quid contentionis aduerſus Epiſcopum potentior perſona habuerit, pergat ad Metropolitanum Epiſcopum, & ei cauſas alleget, & ipſius ſit poteſtatis, honorabiliter Epiſcopum de quo agitur euocare, & in eius præſentia accuſatori reſpondeat, & oppoſitas ei actiones extricet. Quòd ſi talis fuerit immanitas cauſæ, vt eam ſolus Metropolitanus definire non valeat, aduocet ſecum vnum vel duos Coëpiſcopos: quòd ſi & ipſis dubietas fuerit, Conciliabulum definito die & tempore inſtituant, in quo vniuerſa ritè collecta fraternitas Coëpiſcopi ſui cauſas diſcutiat, & pro merito aut iuſtificet, aut culpet. Nefas eſt enim vt illius manibus Epiſcopus aut iuſſione de Eccleſia trahatur, pro quo Deum ſemper exorat, & cui inuocato nomine Domini ad ſaluationem corporis animæque ſæpè porrexit. Hoc enim decretum à nobis præfixum, qui fuerit audacter tranſgreſſus, tam ipſe quàm omnes qui ei conſenſerint, vſque ad generale Concilium anathemate de Eccleſia ſeparentur.

SECTIO 16. Ex eodem Concilio, can. 10.

QVOD de Epiſcopis cenſuimus, obtinet & in Clero, vt neque Preſbyter, neque Diaconus, neque Subdiaconus de Eccleſiis trahantur, aut iniuriam aliquam inſcio Epiſcopo eorum patiantur: ſed quicquid quis aduerſus eos habuerit in notitiam Epiſcopi proprij perducat, & ipſe cauſam iuſtitiâ præeunte diſcutiens, animo Clericos accuſantis ſatisfaciat.

SECTIO 17. Ex Concilio Agathenſi, ſub Symmacho Papa, can. 32.

CLERICVS ne quemquam præſumat apud ſæcularem iudicem Epiſcopo non permittente pulſare: ſed ſi pulſatus fuerit reſpondeat, non proponat, nec audeat criminale negotium in iudicio ſæculari proponere. Si quis verò ſæcularium per calumniam Eccleſiam aut Clericum fatigare tentauerit, & victus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus & à Catholicorum communione, niſi dignè pœnituerit, arceatur.

SECTIO 18. Ex Aurelianenſi Concilio III. ſub Siluerio Papa, & Childeberto Rege, can. 20.

• SI QVIS Clericorum circa ſe aut diſtrictionem aut tractationem Epiſcopi ſui putat iniuſtam, iuxta antiquas conſtitutiones, recurrat ad Synodum.

SECTIO

SECTIO 19. Ex Concilio Moguntiaco ſub Carolo Magno, can. 22.

DE Clericis vagis, ſeu de acephalis, id eſt de his qui ſunt ſine capite, neque in ſeruitio Domini noſtri (Imp.) neque ſub Epiſcopo, neque ſub Abbate, ſed ſine canonica vel regulari vita degentes, vt in lib. officiorum (S. Iſidori) 2. capitulo 3. de iis dicitur; hos neque inter laïcos ſæcularium officiorum ſtudia, neque inter Clericos religio tenet diuina; ſed ſolutos atque oberrantes ſola turpis vita complectitur & vaga: quiſque dum nullum metuunt, explendæ voluptatis ſuæ licentiam ſectantur, quaſi animalia bruta libertate ac deſiderio ſuo feruntur, habentes ſignum religionis, (Tonſuram ſcilicet vel habitum) *nō religionis officium; hippocentauris ſimiles, nec equi nec homines. Tales omninò, vbicumque inuenti fuerint, præcipimus vt Epiſcopi ſine vlla mora ſub cuſtodia conſtringant canonicâ, & nullatenus eos amplius ita errabundos & vagos ſecundùm deſideria voluptatum ſuarum viuere permittant. Sin autem Epiſcopis ſuis canonicè obedire noluerint, tunc omnino ſub vinculis conſtringantur vſque ad Synodum, vt ibi eis indicetur, vtrum ad iudicium Domini noſtri,* (Imperat.) *aut ad iſtam magnam Synodum adferantur ſub cuſtodia publica.*

SECTIO 20. can. 24.

DE Clericis adeuntibus Imperatorem hoc placet modis omnibus obſeruare, quod in eis de ſacris canonibus conſtitutum eſt.

SECTIO 21. can. 31.

VT vnuſquiſque Epiſcopus in ſua Parochia diligenter Preſbyteros, vel Clericos inquirat, vnde ſint; & ſi aliquem fugitiuum inuenerit, ad ſuum Epiſcopum redire faciat.

SECTIO 22. Ex Concilio Meldenſi, ſub Carolo Caluo; vt poſſit Epiſcopus inuocare auxilium brachij ſæcularis, c. 71.

VT auctoritatem ſigillo regio roboratam more tractatoriæ Chriſtianiſſimus princeps ſingulis donet Epiſcopis, quam quiſque Epiſcoporum penes ſe habeat, vt quando eis neceſſe fuerit, per eandem auctoritatem Reipublicæ miniſtros conueniant, vt ipſi in quibuſcumque ciuili indiguerint adiutorio, Reipublicæ miniſtris concurrentibus, ſacrum imò diuinum poſſint ritè peragere miniſterium. Nota Implorationẽ brachij ſæcularis.

SECTIO 23.

Ex Capitulis ab Heraldo Turonenſi Metropolita, anno 858. excerptis, ex Corpore ſanctorum Canonum, cap. *6.*

VT nec Clerici, nec Monachi ad ſæcularia negotia tranſeant. Et cap. 7. *vt ſi Clerici aut Monachi inter ſe habent negotia, apud Epiſcopum finiantur, & non apud ſæculares; ſin, aliàs excommunicentur.*

SECTIO 25. cap. 8.

VT nullus Laïcorum quemquam Clericorum abſque permiſſu Epiſcopi compellat ad cauſas ire ad publicum, & qui fecerit donec corrigat, ab Eccleſiæ ſocietate pellatur.

SECTIO 26. Ex Canonibus collectis ab Iſaac Epiſcopo Lingonenſi, tit. 11. cap. 22.

VT nullus iudex, neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum, aut iuniorem Eccleſiæ (id intellige de pueris, qui ad Clericatum in ſeminario Eccleſiæ inſtituebantur) *ſine conſcientia Pontificis, per ſe diſtringat, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia cui iniuriam fecit, quam irrogare dignoſcitur, tamdiu ſit ſequeſtratus, donec reatum ſuum cognoſcat, & emendet.*

SECTIO 27. Ex Canonibus datis ſub Edgaro Rege Angliæ anno 967. c. 7.

DOCEMVS etiam vt inter Sacerdotes non ſint lites, ſiue iurgia, nec ad arbitrium ſæcularium deferantur, ſed vel à paribus ſiue ſint compoſita, vel ſi opus fuerit, ad Epiſcopum promoueantor.

SECTIO 28. Ex Concilio, quod generale dicunt, Ænhamenſi ſub Ætheraldo Angliæ Rege, anno 1009. celebrato; canone 9.

ECCLESIÆ itaque per ſingula loca ædificatæ in Domini ſubſidio cunctipotentis, necnon & Regis terreni, cunctæque plebis Catholicæ tuitione ſemper perſiſtant, nec quiſquam pro quopiam commercio iugo ſeruitij ſuam ſubiugans Eccleſiam, venditor efficiatur Eccleſiarum: ſed in Chriſti ſeruitute leniſſima ſemper permaneant: neque Sacerdotes & Miniſtri Deo ibidem fideliter ſeruientes abſque Pontificis conſilio inde expellantur, nec Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ decimis vel aliis poſſeſſionibus priuentur.

SECTIO 29. Ex Concilio Coyacenſi in Hiſpania habito, anno 1050. ſub Leone IX. ſummo Pontifice, & Ferdinando Rege Caſtellæ, can. 3.

TERTIO autem titulo ſtatuimus vt omnes Eccleſiæ & Clerici ſint ſub iure Epiſcopi ſui: nec poteſtatem aliquam habeant ſuper Eccleſias & Clericos Laïci.

SECTIO 30. Ex Concilio Romano habito ſub Nicolao Papa, anno 1059. can. 10.

VT cuiuſlibet ordinis Clericos Laïci non iudicent, nec de Eccleſiis eiiciant.

SECTIO 31. Ex Conſtitutionibus, quas Legati Sedis Apoſtolicæ Mediolanenſibus obſeruandas præſcripſerunt, ſub Pontificatu Alexandri II. anno Domini 1067.

INTEGRVM quoque habeat (Mediolanenſis Antiſtes) *in omnem ſuum*

Clerum canonicè iudicandi ac diſtringendi poteſtatem, tam in ciuitate quàm extra, per omnes plebes & capellas, vt dum Clerici fuerint à ſæcularis iudicij infeſtatione ſecuri, in diuina ſeruitute & canonum auctoritate conſiſtant quieti, & Archiepiſcopo ſuo obediant deuoti.

SECTIO 31. Ex Concilio Rhemenſi, cui præfuit Eugenius III. ann. 1148. c. 5.

DECERNIMVS etiam vt Laïci Eccleſiaſtica terminare negotia non præſumant: & Epiſcopi, Abbates, Archidiaconi, & alij Eccleſiarum Prælati de negotiis Eccleſiaſticis, vel de aliis quæ ſpiritualia eſſe noſcuntur, aliquorum Laïcorum iudicio non diſponant, nec propter eorum prohibitionem Eccleſiaſticam dimittant iuſtitiam exercere.

Sub Alexandro III. incidit Sancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis celebris illa concertatio pro immunitate Eccleſiaſtica, pro qua tuenda martyrio coronatus, diuinæ clarificationis ſplendoribus poſt glorioſum agonem emicuit. Hiſtoria eſt notiſſima; quamobrem eius relatione minimè hîc opus eſſe exiſtimaui.

SECTIO 32. Ex Concilio Lateranenſi III. ſub eodem Alexandro Pontifice celebrato, anno 1179. can. 19.

NON minùs pro peccato eorum qui faciunt, quàm pro illorum detrimento qui ſuſtinent, graue nimis eſſe dignoſcitur, quod in diuerſis partibus mundi rectores & conſules ciuitatum, necnon & alij qui poteſtatem habere videntur, tot Eccleſiis onera frequenter imponunt, & ita grauibus eas crebríſque exactionibus premunt, vt deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quàm ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam non habebat; ille quidem (Geneſ. 47.) omnibus aliis ſeruituti ſubiectis, Sacerdotes ſuos & eorum poſſeſſiones in priſtina libertate dimiſit; iſti verò, vniuerſa ferè onera ſuis imponunt Eccleſiis, vt illud eis quod Ieremias deplorat, competere videatur, Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo; *ſiue quidem foſſata, ſiue expeditiones, ſiue alia quælibet ſibi arbitrentur agenda, de bonis Eccleſiarum, Clericorum & pauperum Chriſti vſibus deputatis, cuncta ferè volunt compilari; iuriſdictionem etiam & AVCTORITATEM EPISCOPORVM, & aliorum Prælatorum ita euacuant, vt nihil poteſtatis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe.* Super quo *dolendum eſt pro Eccleſiis: dolendum etiam nihilominus & pro ipſis, qui timorem Dei, & Eccleſiaſtici ordinis reuerentiam videntur penitus abieciſſe: quocirca ſub anathematis diſtrictione ſancimus, ne de cætero talia præſumant attentare,* &c. *Thren. 1.*

SECTIO 33. In Appendice præfati Concilij Lateranenſis, ſub tit. de depoſitione Clericorum, & de diſpenſatione circa eoſdem facta, cap. 3. ita prænotatur.

CONFESSIO ſuper crimine coram iudice ſæculari facta, Clerico non præiudicat: nec ſi aliquis pro ſuis exceſſibus ſit depoſitus (non degradatus) *ſæculari iudici eſt tradendus.*

SECTIO 34. Ex Concilio Dalmatico, ſub Innocentio III. anno 1199. c. 5.

SIMILITER ſub excommunicatione prohibemus, ne aliquis Laïcus Clericum ad peregrina iudicia trahere præſumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cuiuſlibet alterius iudicij. Si autem Clericus peccauerit, ab Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel etiam Prælato ſuo, aut Romano Pontifice, ſi neceſſe fuerit, iudicetur; non enim pertinet ad Laïcum, Clericum iudicare.

SECTIO 35. Ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. ann. 1215. c. 7.

IRREFRAGABILI conſtitutione ſancimus, vt Eccleſiarum Prælati ad corrigendum ſubditorum exceſſum, maximè Clericorum, & reformandum mores prudenter & diligenter intendant, ne ſanguis (id eſt perditio) *eorum de ſuis manibus requiratur; vt autem correctionis, & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus vt executionem ipſorum nulla conſuetudo vel appellatio valeat impedire, niſi formam exceſſerint in talibus obſeruandam.*

SECTIO 36. Can. 42.

SICVT volumus vt iura Clericorum non vſurpent Laici, ita velle debemus ne Clerici ſibi iura vendicent Laïcorum; quocirca vniuerſis Clericis interdicimus ne quis prætextu Eccleſiaſticæ libertatis ſuam de cætero iuriſdictionem extendat in præiudicium iuſtitiæ ſæcularis, ſed contentus exiſtat conſtitutionibus ſcriptis & conſuetudinibus hactenùs approbatis; vt quæ ſunt Cæſaris reddantur Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo rectâ diſtributione reddantur.

SECTIO 37. Can. 44.

CVM Laïcis quantumvis religioſis, diſponendi de rebus Eccleſiaſticis nulla ſit attributa poteſtas, &c. *quæ ad aſſertionem pertineat Eccleſiaſticæ immunitatis aduerſus temerarios Laïcorum exceſſus.*

Quò etiam ſpectat canon 46. qui incipit; *Aduerſus Conſules,* &c.

SECTIO 38. Ex Concilio Oxonienſi, in Anglia habito anno 1222. Honorio III. ſedente, capitul. 1.

AVCTORITATE Dei Patris, & Beatæ Virginis & omnium Sanctorum, & præſentis Concilij, excommunicauimus omnes illos qui malitioſè Eccleſias ſuo iure priuare præſumunt, aut per malitiam, & contra iuſtitiam libertates earumdem infringere vel perturbare contendunt, &c. *& qui claues Eccleſiæ contemnunt.*

Duæ Synodi habitæ ſunt Prouinciæ Rhemenſis apud Sanctum Quintinum ſub Henrico Archiepiſcopo tempore Gregorij IX. ſcilicet anno 1231. quo poſterior continuata fuit apud Compendium, deinde apud Siluanectum, contra Officiarios Sancti Ludouici Regis, Eccleſiæ iura inuadentes; quarum Synodorum cùm in Conciliorum collectionibus mentio non extaret, illas in Additione ad Summam Conciliorum

nuper edita recenſuit M. Ludouicus Bail, Theologus Pariſienſis, ac Propœnitentiarius, vir eximiæ pietatis ac doctrinæ. Item aliud Concilium apud Sanctum Quintinum itidem habitum anno 1239. propter libertates Eccleſiæ, aduerſus Nicolaum de Rumigniaco, & Hugonem de Griſagonella, qui Thomam de Bellomanſo Præpoſitum Eccleſiæ Rhemenſis carcere incluſum iniuriis opprimebant, iuráque ac libertates ſacræ politiæ hac viri Eccleſiaſtica dignitate præſtantis, inſuper & ſpectatâ eruditione conſpicui, impiâ vexatione diſcerpebant, aduerſus quorum ſacrilegam temeritatem Synodus ipſa Prouincialis ſententiam huiuſmodi pronunciauit. *Placuit moneri ſacrilegos vti cùm primùm carceratum exſoluant, & iniuriam emenda expient; reluctatíque Concilij monitioni cenſurâ Eccleſiaſticâ caſtigentur, & familia eorum omnis interdicto ſubiiciatur.*

SECTIO 39. Ex Concilio Viennenſi in Auſtria ſub Guidone Cardinale, & Legato Clementis Papæ IV. anno 1267. can. 4.

ITEM cùm in pleriſque locis quorumdam Laïcorum iniquitas inualuerit. Et infrà, *Adiicientes vt ſingulis annis in Synodo illi qui Clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut aliàs manus in ipſos iniiciunt violentas, excommunicati denuncientur*, &c.

Canon 5. itidem pertinet ad Eccleſiaſticarum perſonarum tutelam & reuerentiam.

SECTIO 40. Ex can. 9.

ITEM ordinamus atque ſtatuimus, vt Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ tam ſæculares, quàm regulares, Prælatorum ſuorum correctiones legitimas cum debita humilitate ſuſcipiant, & ſi qui ex eis hac occaſione contra ſuos correctores auxilium brachij ſæcularis inuocauerint, vel Potentum preces armatas impetrauerint, vel impetratis vti præſumpſerint, à ſuis beneficiis deponantur.

SECTIO 41. Ex Concilio Oecumenico Lugdunenſi II. ſub Gregorio Papa X. celebrato, anno 1274. Canon. 25. cuius titulus eſt, *De Eccleſiarum immunitate.*

DECET domum Dei ſanctitudo, &c. Et infrà; *Ceſſent in illis* (ſacris locis) *Vniuerſitatum, & ſocietatum quarumlibet conſilia, coitiones, & publica parlamenta*, &c. *Omnis in eis ſæcularium iudiciorum ſtrepitus conquieſcat; nulla inibi cauſa per Laïcos criminalis maximè agitetur. ſint loca eadem à Laïcorum cognitionibus aliena*, &c. *proceſſus iudicum ſæcularium ac ſpecialiter ſententiæ prolatæ in eiſdem locis omni careant robore firmitatis.*

Hæc ſacra illa Synodus conſentaneum iuſtitiæ ac pietati reputans, vt ſicut perſonis Eccleſiaſticis, ita & locis ſacris à laïca cognitione & manu canonicis legibus immunitas attributa pari diſtrictione vindicetur.

SECTIO 42. Can. 31. & 32. *De ſententia excommunicationis.*

QVICVMQVE pro eo quòd in Barones, Nobiles, Bailliuos vel quoſlibet miniſtros eorum, aut quoſcumque alios, excommunicationis, ſuſpenſionis, ſeu interdicti ſententia fuerit promulgata; licentiam alicui conceſſerit occidendi, capiendi, ſeu aliàs in perſonis, aut bonis ſuis, vel ſuorum grauandi, eos qui tales ſentẽtias protulerunt, ſiue quorum ſunt occaſione prolatæ, vel eaſdem ſententias obſeruantes, ſeu taliter excommunicatis communicare nolentes, niſi licentiam ipſam, re integrâ reuocauerint, vel ſi ad bonorum captionem occaſione ipſius licentiæ ſit proceſſum, niſi bona ipſa ſint intra octo dierum ſpatium reſtituta, aut ſatiſfactio pro ipſis impenſa, in excommunicationis ſententiam incidant ipſo facto, &c. *qui autem in eadem ſententia perſeuerauerint duorum menſium ſpatio, ex tunc ab ea non poſſint, niſi per Sedem Apoſtolicam beneficium abſolutionis obtinere.*

SECTIO 43. *Ex Concilio Saltzburgenſi ſub Gregorio X. anno 1274. can. 22.*

EDICTVM Guidonis Cardinalis & Legati, contra captores Præſulum & Canonicorum innouatur.

Et graui interminatione, can. 24. vtitur Synodus aduerſus violatores Eccleſiaſticæ libertatis, & vexatores Eccleſiarum.

SECTIO 44. *Ex Concilio Saltzburgenſi habito anno 1281. Martino Papa II. ſedente.*

CAN. 13. animaduertitur contra eos, qui violentas manus in Clericos iniiciunt.

Can. 14. contra locorum ſacrorum profanatores.

Can. 15. aduerſus bonorum direptores decedentium Clericorum.

At can. 16. quàm dira fuerit tunc furentium Laïcorum in Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas incitatio, luctuoſis his vocibus ſanctæ Synodi apertè ſignificatur.

Item reminiſcens Moyſi ſerui Domini, qui hoſtes populi ſui non ferro pugnando, ſed prece orando deiecit, ſtatuimus vt per præſentis anni decurſum in inſtanti aduentu Domini inchoandum in ſingulis Cathedralibus, Conuentualibus, & Parochialibus Eccleſiis, Pſalmus, Domine quid multiplicati ſunt, &c. *cum oratione Dominica, & verſu, Fiat pax in virtute tua*, &c. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis: & Collecta, Deus à quo ſancta deſideria*, &c. *Clericus prouolutis in terram genibus, & erectis in cælum cordibus, in Miſſa poſt tertium Agnus Dei, dicat: Quatenus dominus noſter Ieſus Chriſtus Rex pacificus, ſedatis tribulationibus & Eccleſiarum perſecutoribus, & inuaſoribus humiliatis, pacem in populo ſuo multiplicatis interceſſoribus largiatur.* Nota diligenter.

SECTIO 45. Ex Concilio Herbipolenſi ſub Honorio IV. anno 1287. can. 36.

PERSONAS omnes quacumque dignitate, & ſtatûs præeminentiâ præſul-

gentes Vniuerſitates ciuitatum & locorum, ac Conſules eorumdem, qui vt nullus conqueratur coram Eccleſiaſtico iudice prohibent, ac ſtatuta condunt contra Clerum, ſeu Clericos, & Eccleſiaſticam libertatem: hâc edictô perpetuô pœnâ volumus puniri, videlicet, quòd perſonæ talia de cætero committentes modô quolibet excommunicationis, & Vniuerſitates interdicti ſubeant ſententias ipſo facto.

SECTIO 47. Ex Concilio Rauenâtenſi IV. ſub Ioanne XX. Papa, anno ſal. 1317. habito, Can. ſeu rubrica 18.

SÆCVLARES poteſtates, ſeu rectores vel iudices quorumcumque locorum prouinciæ Rauennatis, qui Clericos per ipſos ſeu ipſorum familias cum armis, vel aliàs exceſſiſſe, & maximè in habitu Clericali repertos, detentos retinent, & ad Diœceſanum Epiſcopum remittere denegant requiſiti; ſeu qui Clericos ipſos ſi eoſdem remitti per eos fortè contigerit, in ſcandalum & opprobrium ordinis Clericalis tubis præcedentibus & tubantibus, armis apud ipſos inuentis ad eorum collum appenſis, & cum multitudine armatorum, ſeu aliàs inhoneſtè ad eundem tranſmittunt Epiſcopum: declaramus præſentis auctoritate Concilij excommunicationis vinculo innodatos, & eorum ſententias, & proceſſus per ipſos ſeu auctoritate ipſorum latos, & factos ex tunc cenſemus inualidos, donec ſatisfactione præſtita, à prædicta excommunicationis ſententia per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

SECTIO 48. Ex Concilio Gallicano Pariſiis acto tempore Ioannis Papæ XXII. ſcilicet anno 1329. Philippo Valeſio Rege Francorum.

PRO tuendis Cleri priuilegiis, & Eccleſiæ libertatibus ac iuriſdictione, nihil ex eo decerpendum hîc cenſuimus, eo quòd Conuentus illius actorum ſeries hac de re breuiter ſuo loco ſit inferiùs expreſſa.

SECTIO 49. Ex Concilio Saltzburgenſi ſub Martino V. anno Domini 1420. habito, can. 35.

CAPTIVANTES, ſeu captiuos detinentes Clericos & perſonas Eccleſiaſticas, ſi infra octo dies poſtquam requiſiti fuerint, eos non relaxauerint, omnibus Dominicis, & feſtiuis diebus per Prælatos & rectores Eccleſiarum, in quarum limitibus eiuſmodi captiuantes aut detinentes commorantur, & perſonæ huiuſmodi Eccleſiaſticæ fuerint captiuatæ, aut in quibus captiuæ retinentur, excommunicati publicè denuncientur; & nihilominus vbi huiuſmodi Eccleſiaſticæ perſonæ captæ detinentur, Clerici hoc ſcientes ceſſare debent à diuinis. Contrarium facientes excommunicati ſunt ipſo facto.

SECTIO 50. Canon. 55.

VNIVERSITATES ciuitatum, & locorum prohibentes vt nullus conqueratur coram Eccleſiaſtico iudice, aut ſtatuta concedentes contra Clerum & Eccleſiaſticam libertatem, interdicti: ſingulares verò perſonæ talia committentes, quacumque dignitate præfulgeant excommunicationis ſententias ipſo facto incurrant.

SECTIO 51. can. 56.

TRAHENTES Clericos & Eccleſiaſticas perſonas coram iudice ſæculari; necnon Eccleſiaſticæ perſonæ conuentæ ſponte coram talibus iudicibus iudicialiter reſpondent, excommunicati ſunt ipſo facto. Nota.

SECTIO 52. can. 57.

IUDICES ſæculares qui perſonas Eccleſiaſticas ad iudicia ſua ſæcularia euocare aut trahere in ipſorum contumaciam, ipſis non comparentibus, Eccleſiaſtica bona inuadenda decernere præſumpſerint, excommunicati ſint ipſo facto. Et quotiens Laicus cuiuſcumque dignitatis exiſtat, Eccleſiaſticam perſonam ad iudicium ſæculare trahere aut iudicare præſumpſerit, tamdiu in territorio trahentis & iudicantis ceſſetur à diuinis donec ſatisfecerint parti tractæ, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere. Nota diligenter.

SECTIO 53. can. 58.

INVALIDA & iniqua eſt conſuetudo, qua iudices ſæculares trahere conantur perſonas Eccleſiaſticas ad iudicium ſæculare; etiam ſuper bonis Eccleſiaſticis. Et contrà facientes excommunicati ſunt ipſo facto, & eorum proceſſus, & omnia inde ſecuta nullius ſint momenti.

SECTIO 54. Ex Concilio Friburgenſi, ſub Eugenio IV. ann. 1440. can. 3.

QUIA priuilegium fori Eccleſiæ eſt immediatè à iure diuino; quod quidem nec conſenſus nec tolerantia excuſare poteſt, animarum periculis prouidere volentes, ſtatuimus, & vniuerſis Chriſti fidelibus noſtræ Diœceſis diſtrictè præcipiendo inhibemus, ne quemquam Clericum aut perſonam Eccleſiaſticam, Capitulum, aut Collegium quodcumque ad iudicium forenſe trahant; iudicibus quoque forenſibus ne quemquam eorumdem coram ſe experiri cogant, alioquin tam actor, quàm iudex ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant. In qua ipſos & ipſorum plebanos, dum in ſcriptis legitimè requiſiti fuerint, ſimiliter ſub eadem excommunicationis pœna volumus illicò excommunicatos publicè denuntiari, numquam ad abſolutionis beneficium admittendos, donec parti læſæ ſuper iniuriis & expenſis totaliter irrogatis caueant, vel ſatisfaciant competenter, ſecundùm æſtimationem & declarationem legitimas coram nobis, vel iudice Eccleſiæ noſtræ ritè faciendas: ſaluâ nihilominus exactione pœnarum in conſtitutionibus aliis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam, & in Concilio Prouinciali promulgatarum. Nota.

SECTIO 55.

Ex Concilio Tridentino Oecumenico, ſuprà retulimus paræneticam ad Principes & Magiſtratus exhortationem pro Cleri immunitatibus, Eccleſiæque iuribus conſeruandis, ſeſſ. 25. can. 20. quam ideò ſuperfluum foret hîc retexere.

Poſt Tridentinum Concilium, in Gallia Prouinciales Synodi plurimæ celebratæ ſunt: in quibus frequentes auditæ ſunt de immunitatibus Eccleſiaſticis violatis, Clerîque exemptionibus & priuilegiis paſſim imminutis,

minutis, & in dies magis magíſque impetitis, & ferè attritis protſúſque abolitis pet exceſſus quorumdam ſæcularium iudicum, querimoniæ, ac gemitus: quos quia hîc referre non modò tædioſum, ſed & luctuoſum foret, ab eiuſmodi abſtinemus minùs grata, quàm tamen ſuperflua relatione.

Specimen at verò ſummæ moderationis adhibitæ in eiuſmodi expoſtulationibus Synodicis hîc ſubiunctum ire, non inane viſum operæpretium eſt, decerptum ex Concilio Toloſano celebrato ab Eminentiſſimo Fráciſco Cardinale de Ioyoſa nuncupato, tituli ſanctiſſimæ Trinitatis in Pincio monte, & Archiepiſcopo Toloſano, cum ſuis Coëpiſcopis anno 1590. ſi quidem titulo *de iuriſdictione, & iudiciali foro Epiſcopi*, can. 2. 4. partis Synodus illa prouincialis eloquitur in hunc modum.

I. *Nec ille, qui in rebus omnibus tantoperè commendatur ordo, nec optandus Eccleſiæ ſplendor intactus conſeruari poteſt, niſi ſua Laïcis, ſua quoque Eccleſiaſticis iura remaneant: nec demum ſine æterna animarum perditione, quæ à Chriſto ipſo, legéque antiquiſſima libertatem ſortita eſt Eccleſiæ iuriſdictio violari poteſt, ſacra ſacris, alia aliis ſunt committenda. Nos itaque Eccleſiæ dignitati, & eorum, qui imprudentes forſan eam comminuunt, ſaluti conſulere volentes, ea omnia & ſingula quæ ex ſacris Canonibus, generalibus Conciliis, Apoſtolicíſque aliis conſtitutionibus, œcumenica illa Laterani, Tridentíque Concilia in Eccleſiaſticarum perſonarum gratiam religioſiſſimè ſanxerunt, in eos omnes qui iuriſdictionem Eccleſiaſticam obiectis auocamentis impediunt, aut occupant, quíque Eccleſiaſticos in ſuo iure interpellant, promulgamus, diligenter animaduertenda proponimus.*

II. *Quæ vel priuata, vel publica perſona, quæve Societas, Collegium, aut Vniuerſitas, bona mobilia, ſeu immobilia, iura ſiue perpetua, ſiue temporalia, iuriſdictiones, honores, ius aut eligendi, aut conferendi aliquam Eccleſiam aut præbendam: locum, reditum vel ad Cathedralium Eccleſiarum capitula, vel ad religioſorum, aut mendicantium, aut monachorum, aut monialium monaſteria, vel denique ad Archiepiſcopi, & ſuffraganeorum menſam quauis ratione, titulóve pertinentia in totum vel in partem vſurpârit, interturbârit, occupauerit, inuaſerit, violenta poſſeſſione detinuerit, vel etiam iuſtos poſſeſſores exturbârit, vel fructuum perceptione, etiam percipiendi iure ſpoliârit, excommunicatione, ſi ſingularis perſona fuerit; ſi Societas Eccleſiaſtica, interdicto ſe teneri nôrit; à quibus, niſi præuia ſatisfactione, abſolui non poſſint.*

III. *Qui de cauſis Eccleſiaſticis ad Archiepiſcopi Comprouincialiúmve forum pertinentibus cognoſcere iudicaréve præſumpſerint, excommunicationem ipſo facto incurrant.*

IV. *Qui contra præmiſſa vel ſingula, re, iuſſu, conſilio, vel etiam conſenſu fecerint, aut aggreſſi fuerint, iiſdem excommunicationis interdictíque pœnis ſubiiciantur.*

V. *Prouinciæ noſtræ ſacris etiam initiatos Clericos, in cauſis criminalibus & ciuilibus, mixtíſque abſque ordinarij petita nedum conceſſa venia paſſim coram iudicibus Laicis, ſacramento rogatos, aut mulctis irrogatis, aut ſequeſtratione fructuum coactos, aut quod durum magis eſt, liberè & ſpontè teſtimonium ferre non ſine ſumma diſplicentia audiuimus. Huic morbo, qua poſ-*

ſumus diligentiâ occurrere cupientes, Clericos etiam in cauſis ciuilibus, quibus aut aliter veritas haberi non poſſit, aut illorum teſtimonium neceſſarium ſit, à ſolo Epiſcopo ſacramento adigi poſſe hac Synodo declaramus.

Nota. VI. *Qui Clericali habitu incedentes, tonſurâ conſpicui, clericalitérque viuentes, & alicui Eccleſiæ de mandato Epiſcopi inſeruientes, aut beneficium Eccleſiaſticum obtinentes, licèt minimè ſacris initiati Clerici, Laïcorum Iudicum iuſſionibus, mulctis, fructuúmque ſequeſtrationibus parentes in cauſa qualibet criminali, ciuili aut mixta, non obtenta Epiſcopi proprij, ex cauſa tantùm graui iuxta ſanctiones canonicas, gratiſque concedenda licentia, coram his teſtimonium poſthac dixerint, excommunicentur. Quam tamen licentiam non concedant Epiſcopi, in iis cauſis criminalibus, in quibus eſt infligenda pœna ſanguinis, aut mutilatio membri.*

Succinit non diſſonâ voce *Narbonenſe Concilium* itidem Prouinciale anno 1609. cui præfuit Ludouicus Archiepiſcopus & Primas, Prouinciæque Antiſtites adfuerunt: ita enim decernit illa Synodus, titulo *de foro Eccleſ.* cap. 42.

Dignitatem ſacri ordinis commendans Deus, inhibuit ſæcularibus tangere vnctos ſuos, qui in ſortem Domini vocati, illorum pars Deus eſt, illis hæreditatem ſuam redditurus: nec propterea vnctionem ſacram perditorum, ſi qui tales forent, aſilum & anchoram eſſe voluit, qua muniti ſontes, impuniti manerent: ſed eos ſacros à ſacris iudicari præcepit, & Eccleſiaſticam iuriſdictionem à ſæculari ſeiunxit.

Non ſe immiſceant igitur Magiſtratus ſæculares rebus Eccleſiaſticis, neque iudicium perſonarum aut rerum Eccleſiaſticarum arrogent, ne quod ſuum non eſt appetentes, quod ſuum etiam eſt, iuſtô Dei iudicio perdant: interim iuxta ſacrorum canonum conſtitutiones, ſi quod hortamur non egerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant.

Cæterùm hac non tam prolixa, quàm graui & ardua Conciliorum inductione præmiſſa, eſt quod cum Sancto Auguſtino lib. *de peccat. meritis & remiſſ.* non inconuenienter ſubiungamus; hæc nos omnia non ideò commemorâſſe, quòd ſingulis ſententiis tanquam canonica auctoritate nitamur: ſed vt appareat, ab initio vſque ad præſens tempus, quo Eccleſiæ libertas, auctoritas, & dignitas Clericalis, longè magis quàm antehac temerata fuit, tantâ fuiſſe conſtantiâ apud Eccleſiæ fidem cuſtoditum. Catena hæc enim aurea, quam ex ſactis Eccleſiæ conſeſſibus, oraculíſque texuimus, eius in rem quam aſſerimus, perennem innuit conſenſum; cui non parere eſt perire, non obedire eſt obire; dicente Domino, *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* *Mat.* 18. 17.

CAPVT II.

Syntagmata Iuris ciuilis & regiorum Pragmaticorum referens, de Clericorum priuilegiis.

DISPOSVERAT olim Sanctus Hieronymus ſcribere vniuerſalem Eccleſiæ hiſtoriam, ab aduentu Saluatoris vſque ad eam ætatem qua viuebat; id eſt *ab Apoſtolis*, inquir, *vſque ad noſtri temporis fæcem: quomodo, & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta, perſecutionibus creuerit, martyriis coronata ſit; & poſtquam ad Chriſtianos principes venit, potentia quidem & diuitiis maior, ſed virtutibus minor facta ſit?* Vtinam quod maximus hic Eccleſiæ Doctor diſpoſuerat, ad effectum perduxiſſet; promptuarium ſanè locupletiſſimum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in eius opere haberemus, eóque longè vberius & accuratius quod Euſebius compilauit: verùm per ætatem iam prouectiorem, & continuos qui ingruebant labores, votis ſuis beatus ille vir ſatisfacere non potuit, ſolúmque deſiderium poſteris reliquit ſuæ tam eximiæ pollicitationis: non tamen huius propoſiti conſideratione verba hæc eius recenſui, ſed Principum occaſione, qui Eccleſiam (vt ait) potentiâ & opibus (ex quo cœperunt Chriſtiani eſſe) prouexerunt. *In exordio vitæ Malchi Monachi.*

Prædixerat hoc Euangelicus Propheta, vbi ait; *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt; & erunt reges nutritij tui,* (Hebraïcè *omenim*, educatores, œconomi, curatores, protectores) *& reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent: & ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.* Implendum ſiquidem hoc oraculum diuinum in Eccleſia poſt atros perſecutionum acerbiſſimarum turbines Rex ipſe gloriæ Chriſtus per Angelum ſuum loquens dilecto ſuo Ioanni ſignificat Apoc. 3. *Seruaſti verbum meum, & non negaſti nomen meum:* quid verò putas idcirco tibi retribuam? *Ecce faciam illos* (inimicos ſcilicet tuos) *vt veniant & adorent ante pedes tuos, & ſcient quia ego dilexi te, quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ.* Quò ſpectaſſe videtur Sanctus Remigius Apoſtolus Francorum, cùm venientem ad lauacrum ſalutis Clodouæum ſuſciperet: *Procedit nouus Conſtantinus ad lauacrum;* (ait Gregorius Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 31.) *cui ingreſſo ad baptiſmum Sanctus Dei ſic infit,* &c. *Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendiſti, incende quod adoráſti.* *Iſai. 49. 22.*

Sanè quo tempore ſæculi poteſtates in Chriſti Eccleſiam ſæuiebant, potiſſimùm ſui furoris impetum exercebant in Clericos, quibus, vt columnis ipſa Chriſtiana religio maximè nitebatur. *Cùm furor gentilium poteſtatum* (inquit Leo Magnus ſerm. in Natali S. Laurentij) *in electiſſima quæque Chriſti membra ſæuiret, præcipuè eos qui ordinis erant Sacerdotalis, im-*

petebat. Hoc furore feruente Clerici omnes iuſſi ſunt anno 237. à Maximiano Thrace occidi: à Diocletiano autem dato reſcripto ad Prouinciarum Præfectos anno 302. in vincula coniici, & pœnis vltimis ſubiici. Æquum igitur erat, vt qui *pondus diei & æſtus portauerant*, ſpirante rebus Chriſtianis iam benigniore aurâ, potiori ſolatio recrearentur; & qui ſunt præcipua corporis Eccleſiæ membra, ab ipſis ſæculi Principibus, qui eos tamdiu vexauerant, exciperentur ſpeciali fauoris & honoris ſignificatione, quorum iam facti fuerunt in Chriſto parentes, diuinæ regenerationis ſalutari officio.

Matth. 20.

Conſtantinus primus fuit, qui publicè eiurato impio numinum cultu, Chriſti crucem veneratus legémque amplexus eſt; is verò cùm primùm Eccleſiæ nomen dedit, Clerum proſequi cœpit pleriſque amoris ſui reuerentiæque filialis teſtimoniis; reſcripſit ſiquidem pro Clericorum à muneribus immunitate pius Princeps, eo tenore qui ſequitur.

SYNTAGMA I.
Ex Cæſarum legibus.

§. 1. *Reſcriptum Conſtantini Magni ad Anelinum Africæ Proconſulem, ab Euſebio recitatum lib. 10. c. 7. hiſt. Eccleſ. quo Clericos eximi iubet ab omnibus publicis muneribus.*

SALVE Aneline, nobiſcum primis obſeruande. Quoniam multis argumentis conſtat Religionem in qua ſumus, & perfectus cultus ſacro-ſanctæ & cæleſti Dei potentiæ debitus omninò conſiſtit, neglectam ac contemptam magna pericula attuliſſe, eandémque ſanctè, & auguſtè obſeruatam, tum maximam Romano nomini ac ſplendori proſperitatem, tum eximiam omnibus hominum rebus felicitatem, diuinâ beneficentiâ illud largiente apportâſſe: viſum eſt, vt illi homines, qui debita cum ſanctimonia, & aſſidua diuinæ legis obſeruatione ſua miniſteria huic diuinæ religioni excolendæ impertiunt, Aneline honoratiſſime, pro laboribus ſuis digna præmia reportent. Quare eos qui in prouincia tuæ fidei concredita Eccleſia Catholica cui Cæcilianus præeſt, huic ſanctæ religioni ſedulò inſeruiunt (quos Clericos nominare ſolent,) ab omnibus omnino communibus & ciuilibus rerum publicarum miniſteriis immunes & ſolutos volo, vt nullo modo per errorem, vel per ſacrilegam & profanam prolapſionem, quæ in huiuſmodi negotiis accidere ſolent, à cultu diuinæ Maieſtati debito abſtrahantur, ſed abſque vlla moleſtia propriæ legi obſequium præſtent: qui quidem cùm ſacrum numen ſummo honore & veneratione proſequantur, incredibile eſt quantum Reipublicæ adiumenti videantur allaturi. Vale Aneline venerande.

Inſignis eiuſdem DECLARATIO, de ſacro-ſancta Epiſcoporum iudiciali poteſtate: indignóque Donatiſtarum auſu, qui ab Epiſcopali conſeſſu ad ipſum Imperatorem appellauerant, anno 313.

CONSTANTINVS AVGVSTVS, EPISCOPIS CATHOLICIS.

ÆTERNA, religioſa & incomprehenſibilis Dei noſtri gratia nequaquam per-

mittit humanam conditionem diutiùs in tenebris oberrare. &c. *Habeo quippe cognitum multis exemplis: hæc eadem ex me ipſo metior, fuerunt enim in me primitus quæ iuſtitia carere videbantur, nec vllam putabam videre ſupernam potentiam,* &c. *ſed Deus omnipotens in cælis per ſæcula reſidens tribuit quod non merebar. Certò iam neque didici, neque enumerari poſſunt ea quæ cæleſti ſua in me famulum ſuum beneuolentiâ conceſſit, ſanctiſſimi Antiſtites Chriſti Saluatoris,* &c. *gaudeo igitur equidem ſpecialiter, gaudeo quòd tandem habitâ iuſtiſſimâ diiudicatione eos ad meliorem ſpem fortunámque reuocâſtis quos malignitas diaboli videbatur à præclariſſima luce legis Catholicæ miſerabili ſua perſuaſione auertiſſe* (& infrà commemoratâ ipſorum Donatiſtarum de iudicio Epiſcopali impiâ ad ſe reclamatione ſubiungit) *Quotiens à me iam ipſo improbiſſimis aditionibus ſuis ſunt condigna reſponſione oppreſſi;* (appellationem enim, quam ægrè tulerat, à ſe non ſemel repulerat) *qui vtique, ſi hoc ante oculos habere voluiſſent, minimè hoc ipſum interpoſuiſſent; meum iudicium poſtulant, qui ipſe iudicium Chriſti expecto; dico enim* (*vt ſe veritas habet*) *Sacerdotum iudicium ità debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens iudicet. Nihil enim licet his aliud ſentire, vel aliud iudicare, niſi quod Chriſti magiſteriô ſunt edocti. Quid igitur ſentiunt maligni homines, officia* (*vt verè dixi*) *diaboli? perquirunt ſæcularia, relinquentes cæleſtia; ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt. Equidem gentes minora interdum iudicia refugientes, vbi iuſtitia deprehendi poteſt, magis ad maiora iudicia, auctoritate interpoſita, ad appellationem ſe conferre ſunt ſolitæ; Quid hi detractatores legis, qui renuentes cæleſte iudicium, meum putauerunt poſtulandum, ſic ſenſere de Chriſto Saluatore,* &c.

Prodierunt ex munere Petri Pithœi, Iuriſconſulti Pariſienſis clariſſimi, opera Petri Morini, doctis omnibus notiſſimi, à quo accepiſſe apographum ſe Baronius fatetur, ſub annum 313. num. 31. & ſeqq. tom. 3.

§. 2. Theodoſij *Auguſti &* Valentiniani *Cæſaris, vt priuilegia Eccleſiis ſeruentur, & Clerici ad ſæculares iudices non trahantur*, CONSTITVTIO *directa ad Armatium virum illuſtrem Præfectum Prætorio Galliarum anno Chriſti* 425. *Extat cod. Theod. de Epiſcop. Eccleſiis & Clericis lib.* 47.

I. P*RIVILEGIA Eccleſiarum, vel Clericorum omnium, quæ ſæculo noſtro Tyrannus inuiderat, pronâ deuotione reuocamus* (renouamus) : *ſcilicet vt quicquid à diuis principibus ſinguli quique Antiſtites impetrârunt, iugi ſolidata æternitate ſeruetur: nec cuiuſpiam audeat titillare præſumptionem in quo nos nobis magis præſtitum confitemur.*

II. *Clericos etiam, quos indiſcretim ad ſæculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali audientiæ reſeruamus. Fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio: inluſtris auctoritas tua omni æuo manſura, quæ iuſſimus in prouincias miſſa notitiam præcipiet etiam ſub pœna ſacrilegij cuſtodiri ſpecialiter id inluſtribus comprehenſiua præceptis, vt in omnibus circa Eccleſiaſtica priuilegia veterum principum ſtatuta ſeruentur.*

Ad quam conſtitutionem extat memoratu digna Iacobi Sirmondi

Societ. Ieſu Theologi quocumque ſol lucet percelebris, eiuſmodi notatio. In optimo & antiquo codice Eccleſiæ Lugdunenſis, in quo poſt Synodos Gallicanas, adiectæ ad finem ſunt integræ diuerſorum Principum conſtitutiones 16. de rebus Eccleſiaſticis, ductô ab iis tribus initiô *; quæ iam editæ ſunt ad calcem Cod. Theodoſiani, huic Valentiniani Cæſaris conſtitutioni quæ ſexta ordine numeratur, titulus argumenti loco eſt eiuſmodi: *Non licere Clericos iudicio publico litigare, & omnes hæreticos debere de ciuitatibus proiici: Et Chriſtianos ſeruos non debere Iudæis ſeruire, & Iudæos non debere militare.* Hactenùs doctiſſimus Sirmondus.

* Duas ex iis duntaxat, quia ad ré quæ vertitur faciunt, exſcripſimus: reliquas verò tres (nam quinque ad calcem tom. 4. Conc. regiæ edit. adſcribuntur) de induſtria prætermiſimus.

§. 3.

Arcadij, Theodoſij, & Valentiniani Augg. ſanctio, pro Clericis.

CONTINVA *lege ſancimus, vt nullus Epiſcoporum vel eorum qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ad iudicia ſiue ordinariorum, ſiue extraordinariorum iudicum pertrahatur. Habent illi ſuos iudices, nec quicquam his publicis eſt commune cum legibus.* Refertur 11. q. 1. c. 5. ex Cod. Theodoſ. l. 16. tit. de Epiſc. audientia.

§. 4.

Iuſtiniani Imperatoris.

IVSTINIANVS Imperator, cuius ſanè in iure ſumma eſt (quamuis omnium litterarum rudis) auctoritas, eo quòd codicem Imperialium conſtitutionum ſuo nomine promulgârit: priuilegium quidem fori Eccleſiaſtici honorare videri voluit, vt patet tit. 6. *Authenticorum Nouell. 123. de ſanctiſſimis Epiſcopis, & Deo amabilibus, & reuerendiſſimis Clericis & Monachis cap. 8. ſed neque. & c. 10. vt Archiepiſcopi & Patriarchæ. & cap. 21. vt Clerici apud proprium conueniantur Epiſcopum.* Nihilominus quia hoc in opere cudendo vſus eſt præcipuis architectis malæ notæ, Triboniano ſcilicet Quæſtore ethnico & impio, & Ioanne Patricio, impio quoque & perfido, aliiſque omnibus (vt Procopius de eo memoriæ prodidit lib. 1. de bello Perſico) ſceleribus inquinato: proindéque ambobus erga ſanctam Religionem, & Dei Eccleſiam peſſimè affectis: eorum malignis conſiliis impulſus, immunitati Eccleſiaſticæ ac iudiciali iuriſdictioni Epiſcoporum, Clericorúmque dignitati graue vulnus inflixit: ſanxit ſiquidem conſtitutione ſua, Nouella 83. *Vt Clerici quidem debeant ab Epiſcopo ſub quo ſunt, conueniri, & ex non ſcripto & celeriter Epiſcopus ferre ſententiam: ſed ſi cauſæ natura ſit talis propter quam Epiſcopus decidere non poſſit, quia fortè infirmitate grauatur; tunc iudices ſæculares poſſunt adiri, & hoc in cauſis merè ciuilibus. In criminalibus verò Iudex ciuilis cognoſcet, & in Prouincia Præſes: & ſi Clericus pœnâ ſit dignus, per Epiſcopum Sacerdotali dignitate ſpoliabitur: de Eccleſiaſticis verò criminibus ſolus Epiſcopus debet cognoſcere.* Quæ mera ludificatio eſt, nam quòd Clericus à ſolo Epiſcopo pro criminibus

Eccleſiaſticis iudicari poſſit, hoc non priuilegium dici poteſt; quandoquidem Laïcorum quoque in criminibus Eccleſiaſticis æquè ac Clericorum ſit iudex ex inſtitutione diuina, quam Princeps nullus poteſt abrogare vel imminuere, iubente Chriſto: *Dic Eccleſiæ: Quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram:* &c. vnde Petrus Apoſtolorũ princeps pro ſacrilegio Ananiam & Saphiram iudicauit, Act.5.& Paulus ad Corinthios ſcribit ep. 1. 4. 21. *Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. Quid? vultis in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* Virga iſta paternè ferit, pœníſque Eccleſiaſticis & ſpiritualibus (quæ tantò grauiores ſunt, quantùm anima, quam afficiunt, corpore ipſo præſtat.) Hinc in iure Eccleſiaſtico tituli, *De pœnitentiis & remiſſionibus. De pœnis. De interdicto. De ſententia excommunicationis*, &c. de quibus & ſimilibus vas ipſe electionis indifferenter ad omnes tam Laïcos, quàm Clericos ſcribens, *Arma* (inquit 2. Cor. 10. 4. &c.) *militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei: & in captiuitatem redigentes intellectum omnem in obſequium fidei Chriſti: & in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Matth.18.&16.

De hac poteſtate, hócque iuridico Tribunali Eccleſiaſtico olim S. Gregorius Nazianzenus oratione ad ciues Nazianzenos graui timore perculſos, & Præfectum iraſcentem: *Quid igitur dicitis?* (ait orat. 17. tom. 1. p. 271.) *aut quid inter nos conuenit, an me liberè loquentem æquo animo feretis? non vos quoque imperio meo ac throno lex Chriſti ſubiicit? Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam perfectius & præſtantius; niſi verò æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmittere, & cæleſtia terrenis cedere.* Ne verò ſolam plebem iis alloqui verbis eum putes, ſtatim ad ipſum Præfectum admonitionis ſuæ conuertit ſermonem: *Sed non dubito* (inquit) *quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, vt pote ſacri mei gregis ouis ſacra, magníque paſtoris alumna, rectéque iam olim à ſpiritu ducta & inſtituta, ſanctæque & beatæ Trinitatis lumine æquè ac nos ipſi* (quoad fidem nimirùm) *colluſtrata. Proinde breuis mihi ad te oratio erit.* Qua ex apoſtrophe tam ſacrorum noui æterníque Teſtamenti oraculorum auctoritate ſuffultâ, quàm Patrum conſonâ adſtipularione, perenníque Eccleſiæ traditione ſummorum Pontificum decretis, Conciliorúmque Canonibus totius orbis reuerentiâ conſecratis obſignata, ſole magis perſpicuum euadit, Chriſtianos omnes tam Laïcos, quàm Clericos in foro quidem interiori obnoxios cenſuræ tribunalis Eccleſiaſtici eſſe: in foro porrò exteriori vtroſque etiam iuriſdictioni Epiſcopali ſubiacere, quoad pœnas canonicas & ſpirituales, quibus animaduerti ius poſtulat ab Epiſcopis aduerſus quoſcumque in ſacra munia delinquentes.

Proinde Iuſtiniani Nouellam illuſoriam eſſe, qua Epiſcopis criminum Eccleſiaſticorum noritiam, quoad Clericorum dumtaxat exceſſus attribuit, facile eſt deprehendere; quandoquidem non à Cæſare, ſed à Deo ſacri Eccleſiæ Præſides auctoritatem habeant, non quidem de iis qui foris ſunt, ſed de iis omnibus qui in gremio ſunt matris Ec-

cleſiæ, iudicandi, abſque vllo ſexus, ætatis & condirionis delectu. Nec minori ironia, quàm iniuria Epiſcopis concedit ſolam iuriſdictionem in Clericos quoad Eccleſiaſticos rearus, per quos leuiores inrelligit, quandoquidem ex eo fit perſpectum quòd grauiora ſcelera ciuilibus vult eſſe iudicibus reſeruara. Arenim Apoſtolus plenam Epiſcopo in Preſbyrerum, & conſequenrer in inferiores Clericos iuriſdictionem aſſignat: *Accuſationem aduerſus Preſbyterum noli recipere* (air ad Timorheum ep. 1.5. 19.) *niſi ſub duobus aut tribus teſtibus:* vbi manifeſtum eſt grauiora delicta non excipi, at maximè intelligi, cùm abſurdum ſit pro leuioribus delictis iuridicum proceſſum aduerſus virum veneranda dignitare prædirum inſtituere. Quamobrem, vt iniuſta, ſic futilis, & inanis fuit illa Iuſtiniani conſtirutio: à qua vſu moréque communi ſubinde diſceſſum eſt.

Candidè id faterur vir illuſtris C. Bretius nunc Conſiſtorianus Comes, olim verò generalis Aduocatus Regis in ſupremo Senatu Pariſienſi, in deciſionibus ſuis forenſibus lib. 1. deciſ. 13. qua tres aſſignar caſus in quibus Clericus in fori præſcriptione non auditur, nec ad ſacræ iuriſdictionis remitritur conſeſſum: quorum 1. eſt, *crimen læſæ maieſtatis.* 2. *cùm Clericus habitu Clericali depoſito defert militarem, in quo, vel alio ab Eccleſiaſtica profeßione abhorrenti fuiſſet reus ſceleris deprehenſus.* 3. *cùm Clericus iam ſemel, & iterum ad Eccleſiaſticum iudicem vigore ſui priuilegij obtentúque dignitatis remiſſus, poſtea in eadem crimina tertia vice relapſus eſt; quo caſu ſeſe præſtiterit deinceps remißione ad Eccleſiaſticum iudicem, omníque indulgentia prorſus indignum.* His exceptis caſibus, relictum eſt Eccleſiæ aliorum omnium iudicium, atque à diſtinctione illa Nouellæ Iuſtiniani, vltro diſceſſum eſt, præſertim poſt editam Bullam auream Nicetæ Imperaroris Orientis (quis fuerir iſte Nicetas, ſi quæris? certè in Catalogo Imperarorum Conſtantinopolitanorum non apparet, At alius à Cæſare Nicetas non poruit imperialem conſtitutionem edicere.) & ſummorum Pontificum Conſtituriones, qui eam ſecuti ſunt, in cap. *at ſi Clerici, de iudic.* quo nihil actum noui, ſed prior ordo dumtaxar poſtliminio repetitur, quo Eccleſia vti cœpit cùm primùm ſuperatis ethnicorum perſecutionibus, ac impiis dæmonum cultus ſuperſtitionibus excifis, & ſepultis longè latéque in orbe triumphans, pacis oliuam delatam cæleſtis columbæ munere, victrice dexrra circumtulir.

Cærerùm Iuſtinianus, cuius Nouellæ occaſione in hoc ſumus diuerriculum digreſſi, ſe in pleriſque aliis beneuolum Clericis exhibuir; vr cùm Preſbyreros, & Clericos edixir non poſſe cogi ad munera perſonalia, & ſæcularia negoria c. 6. Nouellæ præſignatæ cap. 19. vr omnes Clerici res ſuas in ſua poreſtare habeanr, adeò vt eas donare & de iis teſtari poſſint, & aliis quæ in eius codice paſſim occurrunr erga Eccleſiaſticum ordinem pij affectus, & obſeruantiæ teſtimoniis.

Alij ſubinde Orientis Cæſares, priuilegia Clericorum non ſolùm variis pragmaricis obfirmârunt, at ampliârūr pleriſque titulis, quos hîc ſeriatim exequi non ſinir breuis huius indaginis præſcriprio. Videre poterir curioſus rei huius ſcrutator Libros Baſilicorum, olim à Baſilio Macedone Græcorum Auguſto collectorum ex ſuorum prædeceſſorum pragmaticis,

cis, nupérque typis excuſorum Pariſiis operâ & ſtudio V. C. Caroli Annibalis Fabroti Anteceſſorum Aquiſextienſium Decani, qui Latinè vertit, & Græcè edidit ex Regis Chriſtianiſſimi Bibliotheca; præſertim verò perlegere lib. 3. cuius titulus 1. eſt, *De Epiſcopis & Clericis, & priuilegiis eorum*, in 58. ſanctiones digeſtus.

SYNTAGMA II.

Ex Regum Chriſtianiſſimorum ſanctionibus.

IAM verò Chriſtianiſſimorum Regum, breui quidem compendiô, at non ſine aliquo elogio ingenitæ ab ipſa ſtirpe pietatis in Dei miniſtros, Eccleſiæ Patres & ſacræ militiæ tyrunculos, recenſenda ſunt à nobis pragmatica benefica; quibus veterum Auguſtorum religioſæ in Eccleſiam obſeruantiæ meritis non impares, at nonnihil etiam eo in ſtudio feruentiores fuiſſe profectò reperiuntur.

A *Clodoueo* igitur *Magno* hunc indiculum auſpicamur: qui Chriſto primus omnium Gentis noſtræ Regum, ex quo ſibi Gallias vendicârunt, regium nomen & ſceptrum conſecrauit.

§. 1.

Ex Clodouei Regis Epiſtola ad Epiſcopos ſcripta, poſt Bellum Gothicum, de captiuis Clericis Epiſcoporum arbitriô & teſtimonio relaxandis: quin & Laïcis etiam ad eorum petitionem dimittendis: necnon de Eccleſiarum, & ſacrarum eis perſonarum immunitate & tutela, ann. 507.

DOMINIS SANCTIS, ET APOSTOLICA SEDE DIGNISSIMIS EPISCOPIS, CHLOTHOVECHVS, (*id eſt Clodoueus*) REX.

ENVNCIANTE famâ quid actum fuerit, vel præceptum omni exercitui noſtro, priuſquam in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudinem veſtram præterire non potuit. In primo quoque de miniſterio Eccleſiarum omnium præcepimus vt nullus ad ſubripiendum in aliquo conaretur, neque de Sanctimonialibus neque de viduis, quæ in religione Domini eſſe probarentur. Simili conditione, & de Clericis vel filiis ſupradictorum, tam Clericorum quàm viduarum, qui cum illis in domo ipſorum conſiſtere videbantur. Idem & de ſeruis Eccleſiarum, quos de Eccleſiis tractos per Epiſcoporum ſacramenta conſtiterit præceptum eſt obſeruare, vt nullus ex ipſis aliquam violentiam vel damnum pateretur. Quod ita ad integrum eſt cognoſcendum, vt ex his ſupradictis, ſi aliquis vim captiuitatis pertuliſſet ſiue in Eccleſia ſiue extra Eccleſiam, omninò, ſine aliqua dilatione reddendos eſſe præcipiamus. De Laïcis poſteà obiter agitur, & demum explicit regium reſcriptum hac honorifica clauſula; *Orate pro me Domini ſancti, & Apoſtolica Sede digniſſimi Papæ.*

Auctor fuit idem Rex piiſſimus conciliandæ 1. Synodi Aurelianenſis,

cuius titulos præſcripſit de rebus à Patribus pertractandis. Horum ſic quartus ſerie prænotatur, *De ordinatione Clericorum*, &c.

De ordinationibus Clericorum id obſeruandum eſſe decreuimus, vt nullus ſecularium ad Clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis iuſſione, aut cum iudicis voluntate: ita vt filij Clericorum, id eſt patrum, auorum, aut proauorum, quos ſupradicto ordine parentum conſtat obſeruationi ſubiunctos, in Epiſcoporum poteſtate ac diſtrictione conſiſtant.

Ex hoc canone & præcepto Regis de Clericatu, quod extat lib. 1. Formularum Marculphi Monachi n. 19. inferunt nonnulli adeò fuiſſe ſub noſtris regibus primæ ſtirpis Eccleſiá preſſam arctis anguſtiis, vt ne quidem ad Clericum ſimplicem faciendum mouere poſſet digitos, niſi regia iuſſio & licentia acceſſiſſet. Quibus facilè concedi poteſt hunc quidem fuiſſe illius morem temporis, vt initiando Clerico Regis requireretur aſſenſus, quòd nimirum poſt initiationem Rex iure ſuo in illum ſe eiuſmodi pacto quaſi abdicaret; tum enim vſus non ferebat, vt etiam propter atrociora crimina Clerici plectendi morte ſæculari curiæ traderentur; at detrudebantur dumtaxat in monaſterium pœnitentiam acturi pro reatu admiſſo vſque in vitæ exitum, prout patet ex hoc canone 50. Concilij Agathenſis ſub ipſo Clodoueo celebrati; *Si Epiſcopus, Preſbyter, aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus in monaſterio retrudatur, & ibi quandiu vixerit, Laïcam tantummodò communionem accipiat.* Refertur diſt. 2. *ſi Epiſcopus, Presbyter*, &c. Porrò pari fermè priuilegiô cæteri Clerici donantur, can. 51. eiuſdem Concilij hoc tenore: *Si quis Clericus furtum Eccleſiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.* Plectebantur etiam pœnâ canonicâ Clerici qui ad ſæculares iudices confugiebant, & iudices qui eis patrocinium impertiebantur, ſic enim decernit ipſa Synodus Agathenſis can. 8. *Id etiam placuit vt Clericus ſi relicto officio ſuo, propter diſtrictionem ad ſæcularem confugerit; & is ad quem recurrit ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem de Eccleſia communione pellatur.*

Immunitas, data à Clodoueo Rege Clericis & bonis Eccleſiaſticis, qua ipſe regali munificentiâ, & Chriſtiana pietate ſacris locis contulerat.

Ex Concilio I. Aurelianenſi, canon. 5.

DE oblationibus, vel agris, quos Dominus noſter Rex Eccleſiis ſuo munere conferre dignatus eſt, vel adhuc non habentibus Deo inſpirante contulerit; ipſorum agrorum vel Clericorum immunitate conceſſa, id eſſe iuſtiſſimum definimus, vt in reparationibus Eccleſiarum, alimoniis Sacerdotum & pauperum, vel redemptionibus captiuorum, quicquid Deus dare in fructibus dignatus fuerit, expendatur, & Clerici ad adiutorium operis Eccleſiaſtici conſtringantur, &c.

Flodoardus hiſtoriæ Eccleſiæ Rhemenſis c. 14. poſſeſſiones recenſet, quas piiſſimus ipſe Rex Clodoueus S. Remigio dedit, vt iis Rhemenſem, reliquáſque Franciæ Eccleſias per diuerſas prouincias dotaret.

§. 2.

Ex Childeberti I. placitis.

IMMVNITAS à ſeruitute, obtentu Clericatûs, ſeu Eccleſiaſtici miniſterij conceſſa: quòd minimè reuocanda ſit, Concilium V. Aurelianenſe ſub Childeberto Rege I. Clodouei filio, congregatum, can. 7. decernit hoc tenore.

DE MANVMISSIS IN ECCLESIA. *Et quiá plurimorum ſuggeſtione comperimus eos qui in Eccleſia iuxta patrioticam conſuetudinem à ſeruitio fuerint abſoluti, pro libito quorumcumque iterum ad ſeruitium reuocari impium eſſe tractauimus, vt quod in Eccleſia Dei conſideratione à vinculo ſeruitutis abſoluitur, irritum habeatur; ideò pietatis causâ omnium conſilio placuit obſeruandum, vt quæcumque mancipia ab ingenuis dominis ſeruitute laxantur, in ea libertate maneant quam tunc à dominis perceperint. Huiuſmodi quoque libertas à quocumque pulſata fuerit, cum iuſtitia ab Eccleſiis defendatur, præter eas culpas, pro quibus leges collatas ſeruis reuocare iuſſerunt libertates.*

In limine autem Synodi, Patres auſpiciis præfati Regis ſe coactos, & quod de diſciplina Eccleſiaſtica ſancituri ſunt, decreturos apertè fatentur; *Igitur*, inquiunt, *cùm clementiſſimus princeps, triumphorum titulis inuictiſſimus domnus Childebertus Rex, pro amore ſacræ fidei & ſtatu religionis, in Aurelianenſi vrbe congregâſſet in vnum Sacerdotes Domini, cupiens ex ore Patrum audire quod ſacrum eſt.* Prænotâſſe verò ſignanter titulos ſubindicant, quemadmodum videlicet pater eius Clodoueus fecerat in Synodo 1. Aurelianenſi, in cuius præliminari ad ipſum epiſtola Patres ita teſtantur: *Quia tanta ad Religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, vt Sacerdotalis mentis affectu de rebus neceſſariis tractaturos in vnum colligi iuſſeritis, ſecundùm voluntatis veſtræ conſultationem & titulos quos dediſtis, ea qua nobis viſum eſt definitione reſpondimus*, &c.

Porrò circa immunitatem adſcriptorum in Clerum ab omni iugo ſeruitutis, iuſtitia, prudentia, & moderatio Patrum Concilij V. Aurelianenſis, quos ſuper hoc Childebertus quoque conſuluit, eſt meritò attendenda, in hunc ſiquidem modum, de ſeruo alieno, id eſt qui ex Eccleſiæ non fuerit mancipiis, in Clericum non ordinando, pronunciant can. 6.

Vt ſeruum, qui libertatem à dominis propriis non acceperit, aut etiam iam libertum, nullus Epiſcoporum abſque eius tamen voluntate cuius aut ſeruus eſt, aut eum abſoluiſſe dignoſcitur, Clericum audeat ordinare. Quòd ſi quiſquam fecerit, is qui ordinatus eſt, à domino reuocetur, & ille qui eſt collator ordinis, ſi ſciens feciſſe probatur, ſex menſibus miſſas tantùm facere non præſumat. Si verò ſæcularium ſeruus eſſe conuincitur, ei qui ordinatus eſt benedictione ſeruata, honeſtum ordini domino ſuo impendat obſequium. Quòd ſi ſæcularis dominus ampliùs eum voluerit inclinare vt ſacro ordini inferre videatur iniuriam, duos ſeruos ſicut antiqui canones habent, Epiſcopus qui eum ordinauit, domino ſæculari reſtituat; Et Epiſcopus eum quem ordinauit, ad Eccleſiam ſuam reuocandi habeat poteſtatem.*

* Nota ſæcularium nomine Patres intelligere non Clericos extra clauſtra viuentes, ſed laïcos.

§. 3.

Ex conſtitutione generali Chlotarij Regis I. Chlodouei filij.

I. *SI iudex aliquem contra legem iniuſtè damnauerit in noſtra abſentia, ab Epiſcopis caſtigetur, vt quod perperè iudicauit, verſatim meliùs diſcuſſione habitâ emendare procuret.*

II. *Sanctimoniales nullus ſibi in coniugium audeat ſociare.*

III. *Vt oblationes defunctorum Eccleſiis deputatæ nullorum competitionibus auferantur, præſenti conſtitutione præſtamus.*

IV. *Agraria, paſcuaria, vel decimas porcorum Eccleſiæ pro fidei noſtræ deuotione concedimus, ita vt actor aut decimator in rebus Eccleſiæ nullus accedat.*

V. *Eccleſiæ, vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui aui vel genitoris aut germani noſtri immunitatem meruerunt.*

VI. *Quæcumque Eccleſiæ vel Clericis, aut quibuſlibet perſonis à glorioſæ memoriæ præfatis principibus munificentiæ largitate conlata ſunt, omni firmitate perdurent.*

VII. *Quicquid Eccleſia, Clerici, vel Prouinciales noſtri, intercedente tamen iuſto poſſeſſionis initio, per 30. annos inconcuſſo iure poſſediſſe probantur, in eorum ditione res poſſeſſa permaneat; nec actio tantis æuis ſepulta, vlteriùs contra legum ordinem ſub aliqua repetitione conſurgae, poſſeſſione in poſſeſſoris iure ſine dubio permanente.*

§. 4.

Ex edicto Chlotarij II. in Concilio V. Pariſienſi promulgato, congruenter canonibus in illa Synodo conſtitutis.

DEFINITIONIS *noſtræ eſt, vt Canonum ſtatuta in omnibus conſeruentur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum eſt, vel dehinc perpetualiter obſeruetur.*

I. *Ita vt Epiſcopo decedente, in loco ipſius qui à Metropolitano ordinari debet, cum prouincialibus à Clero & populo eligatur, & ſi perſona condigna fuerit per ordinationem* (id eſt conſenſum) *principis, ordinetur*, &c.

II. *Vt nullus Epiſcopus ſe viuente eligat ſucceſſorem*, &c.

III. *Itémque vt nullus viuente Epiſcopo adoptare locum eius præſumat*, &c.

IV. *Siquis Clericus quolibet honore munitus, contempto Epiſcopo ſuo, vel prætermiſſo, ad Principem aut ad potentiores quaſque perſonas ambulare, vel ſibi patrocinium elegerit expetendum, non recipiatur, præter, ſi pro venia videtur expetere, & ſi pro qualibet cauſa Principem expetierit, & cum ipſius Principis epiſtola ad Epiſcopum ſuum fuerit reuerſus, excuſatus recipiatur.*

V. *Is qui ipſum poſt admonitionem Pontificis ſui retinere præſumpſerit, ſancta communione priuetur.*

VI. *Vt nullus iudicum de quolibet ordine Clericos de ciuilibus cauſis præter criminalia negotia * per ſe diſtringere aut damnare præſumat, niſi conuin-*

*Hæc diſtinctio ex Nouell. 83. Iuſtiniani deſumpta eſt, quæ vt antiquo iuri derogabat, ita poſtmodum cómuni vtriuſque poteſtatis conſenſu, & generali more Chriſtianorum abrogata eſt, vt ex eorum legibus & moribus patet & conſtat eruditis; cæterùm Pippinus Rex hoc corrigi fecit.

citur manifeſtus : Excepto Presbytero & Diacono (videlicet propter eminentem poſt Epiſcopum horum ordinum in Eccleſia dignitatem ;) *Qui verò* (Cletici) *conuicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones diſtringantur, & cum Pontificibus examinentur.*

VII. *Quòd ſi cauſa inter perſonam publicam & homines Eccleſiæ ſteterit, pariter ab vtraque parte Præpoſiti Eccleſiarum, & Iudex publicus in audientia publica poſiti eam debeant iudicare.*

VIII. *Libertos quorumcumque ingenuorum, à Sacerdotibus iuxta textus chartarum ingenuitatis ſuæ defenſandos, nec abſque præſentia Epiſcopi, aut Præpoſiti Eccleſiæ* (id eſt iuridici Magiſtratus, quem Ius canonicum Iudicem ordinarium : vſus iam communis, ex ipſo tamen iure itidem delibatus, Officialem vocitant) *eſſe iudicandos, vel ad publicum reuocandos.*

§. 5.

Ex Capitulari Pippini Regis promulgato in Metenſi Conuentu.

CAP. II. De Eccleſiaſticis viris.

DE Eccleſiaſticis verò qui ſupradicta facinora commiſerint, ſi bona perſona fuerit (id eſt Clericus honoratus, ſeu ſuperioris gradus) *perdat honorem ſuum : Minores verò* (Clerici) *vapulentur, aut in carcerem recludantur.*

CAP. IV. De immunitatibus conſeruandis.

Vt emunitates conſeruatæ ſint.

Ex Reſponſis Stephani II. Papæ, anno 754.

Quæ cùm in Francia eſſet in Cariſiaco villa, Britanniaco Monaſterio, ad varia interrogata dedit, de quibus fuerat interrogatus ex parte, vt videtur, Pippini Regis, & Præſulum Procerúmque Francorum.

CAP. XVI. De Preſbyteris & Diaconis accuſatis, reliquíſque Clericis.

De Presbyteris, vel Diaconibus accuſatis in Concilio Carthaginenſi, XX. *cap. ita continetur; Si autem Presbyteri aut Diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis locis, cum proprio Epiſcopo, legitimo numero collegarum, quos ab eodem accuſati petierint, id eſt vnà ſecum in Presbyteri* VI. *in Diaconi* III. *ipſorum cauſam diſcutiant, eadem dierum & delationum, & diſcuſſionis perſonarum inter accuſatores & eos qui accuſantur, formâ ſeruatâ. Reliquorum autem Clericorum cauſas ſolus Epiſcopus loci cognoſcat & finiat.*

Ex CAP. XVIII.

Vt nullus Clericus aut Monachus comam laxare præſumat, aut anathema ſit.

Ex Capitulis editis in Concilio Vernenſi ex voto Pippini Regis, anno 755.

In Prælocutione, Patres inſtante Rege Pippino iubentéque ſe fatentur congregatos; *Suffecerant quidem priſcorum Patrum regula ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ, rectiſſimaque norma ad mortalium correctionem prolatæ, ſi earum ſanctiſſima iura perſeueráſſent illæſa: ſed quia emergentibus cauſis quibuſdam congruis, temporéque inquieto ſuperueniente, contigit nonnulla ex hac rei negligentiá faciente fuiſſe intermiſſa. Ideóque glorioſiſſimus, atque Deo religioſus, illuſter vir Pippinus Rex Francorum vniuerſos penè Galliarum Epiſcopos aggregari fecit ad Concilium Verno palatio publico, recuperare aliquantiſper cupiens inſtituta canonica. Et quia facultas non ſuppetit ad integrum, tamen aliqua ex parte vult eſſe correctum, quod Eccleſiæ Dei valde cognoſcitur eſſe contrarium.*

CAN. XI. Vt Clerici omnes ſub manu viuant Epiſcopi, &c.

De illis hominibus qui dicunt quod ſe propter Deum tonſuráſſent, &c. & nec ſub manu Epiſcopi ſunt, nec in monaſterio regulariter viuunt, placuit vt in monaſterio ſint ſub ordine regulari, aut ſub manu Epiſcopi, ſub ordine canonico. Et ſi aliter fecerint, & correcti ab Epiſcopo ſuo ſe emendare noluerint, excommunicentur. Et de ancillis Dei velatis eadem forma ſeruetur.

CAN. XII. Vt Clerici ab Eccleſiis ſuis ad alias non migrent, &c.

Clericos in Eccleſia militantes, ſicut iam conſtitutum eſt, non licere in alterius ciuitatis Eccleſia, vel in poteſtate Laïcorum militare.

CAN. XVI.

Vt Clerici conductores non ſint, hoc eſt vt non habeant actiones ſæculares, niſi pro cauſa Eccleſiarum, orphanorum, vel viduarum, ordinante Epiſcopo ſuo vel Abbate.

CAN. XVIII. Vt Clerici publica iudicia ſine iuſſu Epiſcopi non petant.

Vt nullus Clericus ad iudicia Laïcorum publica veniat, niſi per iuſſionem Concil. III. Carthag. c. 9. *Epiſcopi ſui vel Abbatis, iuxta Canones Carthaginenſes can. 9. vbi ſcriptum eſt, Qui relicto Eccleſiaſtico iudicio publicis iudiciis ſe purgare voluerit, etiamſi pro illo prolata fuerit ſententia, locum ſuum amittat; hoc in criminali iudicio: in ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere voluerit.* &c. *De vniuerſa enim Eccleſia malè ſentit, qui de iudicio ſæculari poſcit auxilium,* &c. & *maximè ne in talibus cauſis, inquietudinem Domino Regi faciat.*

CAN. XIX. Vt Eccleſiarum immunitates illibatæ ſeruentur.

Vt omnes immunitates in vniuerſis Eccleſiis conſeruatæ ſint.

Digitized by Google

§. 6.

Ex Caroli Magni Capitularibus.

CAROLVS Pippini filius, eiúſque non magis regni, quàm pietatis hæres, titulis Regni & Imperij, nomina *deuoti Eccleſiæ defenſoris, humiliſque adiutoris* tanquam longè illuſtriora antetulit, virtute prænominatus magnus, merito verò maximus, at filiali in Eccleſiam affectu omnium qui ante ipſum fuerunt, Regum & Cæſarum piiſſimus. Titulos illos religioſiſſimos quos præſignauimus aſſumpſit primùm, in ipſo exordio Capitularis Aquiſgranenſis editi ann. 789. in quo abundè teſtatus eſt, quo honore matrem Eccleſiam, eiúſque Antiſtites & Sacerdotes omnéſque miniſtros, & Clericos proſequebatur, vt vel ex inſcriptionibus patet eiuſdem Capitularis ſingulorum capitum:

CAP. I. De his vitandis qui ab Epiſcopo proprio excommunicati ſunt.

CAP. II. De Ordinandis.

CAP. III. De Clericis fugitiuis & peregrinis.

CAP. VII. De his, qui à Synodo, vel à ſuo Epiſcopo damnati ſunt.

CAP. VIII. De ſuffraganeis Epiſcopis.

CAP. IX. De Corepiſcopis.

CAP. XII. De cura Epiſcoporum.

Vt Epiſcopus eius Eccleſiæ curam habeat, ad quam ordinatus eſt.

CAP. XIII. De Prouincialibus Epiſcopis.

CAP. XIV. De Monachis & Clericis.

CAP. XXI. De Epiſcopis ordinandis vel quibuſlibet in Clero.

CAP. XXII. Iterum de Monachis & Clericis, & Presbyteris.

Vt nec Monachi, nec Clerici, nec Preſbyteri in ſæcularia negotia tranſeant.

CAP. XXIII. De ſtabilitate Epiſcoporum & Clericorum.

CAP. XXV. De Preſbyteris abſolutè non ordinandis.

CAP. XXVI. De propoſito Monachorum & Clericorum.

CAP. XXVII. De Monachis qui ad Clericatum prouehuntur.

CAP. XXVIII. De negotio Clericorum inter ſe.

Vt ſi Clerici inter ſe negotium aliquod habuerint, à ſuo Epiſcopo iudicentur, non à ſæcularibus. Nota.

CAP. XXXVII. De ſubiectione Preſbyterorum.

Vt nullus Preſbyter contra ſuum Epiſcopum ſuperbire audeat.

CAP. XXXVIII. De Clericis Eccleſiaſtici ordinis, & iudiciis Eccleſiaſticis.

Vt Clerici Eccleſiaſtici ordinis ſi culpam incurrerint, apud Eccleſiaſticos iudicentur, non apud ſæculares. Nota.

Item placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, ſeu Clericorum, cùm in Eccleſia ei fuerit crimen inſtitutum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi relicto Eccleſiaſtico iudicio, publicis iudiciis purgari voluerit, etiamſi pro ipſo prolata fuerit ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione: in ciuili verò perdat quod euicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.

Hoc etiam placuit, vt à quibuſcumque iudicibus Eccleſiaſticis, ad alios iudices

Appellatio à iudicibus Eccleſiaſticis ad alios iudices Eccleſiaſticos referri debet, quorũ eſt maior auctoritas.

Eccleſiaſticos vbi eſt maior auctoritas, fuerit prouocatum, non eis obſit quorum fuerit ſoluta ſententia, ſi conuinci non potuerint, vel inimico animo iudicâſſe, vel aliqua cupiditate aut gratiâ deprauatos, &c.

CAP. XLIV. De iudicibus à Metropolitano probatis.

Vt probati à Metropolitano iudices non ſpernantur.

A iudicibus autem quos communis conſenſus elegerit, non liceat prouocare: & quiſquis probatus fuerit per contumaciam nolle obtemperare iudicibus, cùm hoc primæ Sedis Epiſcopo fuerit probatum, det litteras vt nemo ei communicet Epiſcoporum, donec obtemperet.

CAP. XLV. Vt vilium perſonarum teſtimonia aduerſus Clericum non recipiantur: & ſi in vno crimine probatio defecerit, ad cætera accuſator non admittatur.

Vt viles perſonæ non habeant poteſtatem accuſandi, &c.

Quotieſcumque Clericis ab accuſatoribus multa crimina obiiciuntur, & vnum ex ipſis, de quo priùs egerit, probare non valuerit, ad cætera iam non admittatur.

CAP. LXXIII. De Clericatu: vt Clerici regantur ab Epiſcopo, ſicut Monachi ab Abbate.

Similiter, qui ad Clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, & volumus vt illi canonicè, ſecundum ſuam regulam omnimodis viuant, & Epiſcopus eorum regat vitam, ſicut Abbas Monachorum.

Ex Concilio Francofordienſi c. 6. vt Epiſcopi iuſtitias faciant in ſuis Parochiis.

Statutum eſt à Domino Rege, & Sancta Synodo, vt Epiſcopi iuſtitias faciant in ſuis Parochiis: ſi non obedierit aliqua perſona Epiſcopo ſuo, de Abbatibus, Presbyteris, Diaconibus, Subdiaconibus, Monachis & cæteris Clericis, &c. *veniant ad Metropolitanum ſuum, & ille iudicet cauſam cum ſuffraganeis ſuis.*

Ex eodem Concilio cap. 24. de Clericis & Monachis.

Vt in ſuo propoſito permaneant.

Cap. 39. de iudicio Preſbyteri in crimine deprehenſi.

Si Presbyter in criminali opere fuerit deprehenſus, ad Epiſcopum ſuum ducatur, & ſecundùm canonicam inſtitutionem diſtringatur. Et ſi fortè negare voluerit, & accuſator comprobationem dare non potuerit, tunc ad vniuerſale Concilium (ſcilicet prouinciæ, non autem totius Eccleſiæ Catholicæ) *illorum ratio deferatur.*

In ſelectis Capitulis apud Sirmondum tom. 2.

EDICTVM CAROLI MAGNI ad Iudices, aut Comites (anno 800.) vt Sacerdotes non iudicent, ſed remittant ad proprios Epiſcopos, quorum honorem & poteſtatem non minuant, ſed ſeruent in omnibus illibatam. Nec Clericos inſtituere præſumant in Eccleſiis abſque auctoritate Epiſcopi.

CAROLVS, gratiâ Dei, Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum, dilectis Comitibus ſeu Iudicibus & vaſſis noſtris, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Miſſis noſtris & Agentibus. Cognoſcat vtilitas (Vniuerſitas) *veſtra, quia reſonuit in auribus noſtris quorumdam præſumptio non modica, quòd non ita obtemperetis Pontificibus noſtris, ſeu Sacerdotibus, quemadmodum canonum, & legum continet auctoritas, ita vt Presbyteros, neſcio qua temeritate, præſen-*

præſentari Epiſcopo denegetis. Inſuper & aliorum Clericos vſurpare non pertimeſcatis, & abſque Epiſcopi volũtate in veſtras Eccleſias mittere audeatis, necnon & veſtris miniſteriis Pontifices noſtros talem poteſtatem habere permittatis, qualem rectitudo Eccleſiaſtica docet, &c. *quapropter nos vnà cum conſenſu Epiſcoporum noſtrorum, Abbatum, necnon aliorum Sacerdotum, hæc inſtituta partibus noſtris direximus. Præcipientes enim iubemus, vt nullus quilibet ex fidelibus noſtris à minimo ad maximum, in iis quæ ad Deum pertinent, Epiſcopo ſuo inobediens parere* (id eſt apparere) *audeat, de ſupradictis Capitulis, ſeu aliis eruditionibus ad illorum miniſteria pertinentibus, ſed cum bona voluntate & omni manſuetudinis ſubiectione, vnuſquiſque Sacerdoti ſuo propter Deum & pacis ſtudium obtemperare ſtudeat. Si quis autem* &c. *contradicere præſumpſerit, ſciat ſe proculdubiò, niſi ſe citò correxerit, in conſpectu noſtro exinde ducere rationes. Et vt has litteras certiùs credatis, de annulo noſtro ſubteriùs decreuimus roborare.*

Ex eodem Edicto cap. 2. Quòd non ſolùm Epiſcopis, ſed Preſbyteris ſit à Laïcis obediendum; aliàs regnum & pacem publicam periclitari; reóſque habendos violatæ fidelitatis erga Regem, qui illis, in iis quæ ad Deum ſunt, fuerint inobedientes.

Volumus atque præcipimus, vt omnes ſuis Sacerdotibus, tam maioris ordinis, quàm & inferioris, à minimo vſque ad maximum, vt ſummo Deo, cuius vice in Eccleſia legatione funguntur, obedientes exiſtant: nam nullo pacto agnoſcere qualiter nobis fideles exiſtere poſſunt, qui Deo infideles, & ſuis Sacerdotibus inobedientes apparuerint: aut qualiter nobis obedientes, noſtriſque miniſtris & Legatis obtemperantes erunt, qui illis in cauſis Dei & Eccleſiarum vtilitatibus non obtemperant. &c. *De quibus dictum eſt: Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei,* &c. *His ergo fulti oraculis, iubemus vt omnes eis pro viribus ad eorum peragenda miniſteria, & ad malos & peccatores homines diſtringendos, ſummoperè obedientes exiſtant. Qui autem in his, quod abſit! aut negligentes, eiſque inobedientes fuerint inuenti, ſciant ſe, nec in noſtro imperio honores retinere, LICET ETIAM FILII NOSTRI FVERINT, nec in palatio locum, neque nobiſcum aut cum noſtris ſocietatem aut communionem vllam habere; ſed magis ſub magna diſtrictione & ariditate pœnas luent. In his namque omnium noſtrorum fidelium volumus agnoſcere fidem ac beneuolentiam: quoniam ſi hæc fideliter & vtiliter impleuerint, tunc Deo & nobis fideles erunt; ſi autem, quod abſit! ſecus egerint, tunc non ſolùm infideles, ſed etiam infames atque reprobi manifeſtè apparentes notabuntur, eorúmque domus publicabuntur, & ipſi exiliabuntur.*

Ex iiſdem ſelectis Capitulis. Titul. 2. Vt Epiſcopi, & Preſbyteri ad bella non pergant, nec cæteri ſerui Dei (id eſt quicumque Clerici): ex voto & ſupplicatione populi.

CAROLVS gratiâ Dei Rex, Regnique Francorum Rector, & deuotus ſanctæ Dei Eccleſiæ defenſor atque adiutor in omnibus. Apoſtolicæ Sedis hortatu, omniúmque fidelium noſtrorum, & maximè Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum conſultu, ſeruis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hoſtem pergere, omnino prohibemus; niſi illis tantummodò, qui propter diuinum miniſterium, Miſſarum ſcilicet ſolemnia adimplenda, & Sãctorum patrocinia portanda, ad hoc electi ſunt; id eſt vnum vel duos Epiſcopos, cum Capellanis Preſbyteris princeps ſecum habeat, & vnuſquiſque Præfectus

vnum Preſbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam poſſit.

Ex Libro VI. *Capitularium.*

Cap. cxlviii. Vt Clerici, qui arma præſumpſerint, in Monaſterium ad agendam pœnitentiam rradantur.

Vt Clerici, qui in quacumque ſeditione arma volentes præſumpſerint, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu in Monaſterio pœnitentiæ contradantur.

Ex eodem Libro VI. *Capit.*

Cap. cii. De Priuilegiis Eccleſiarum, & Clericorum non corrumpendis.

Vt priuilegia, quæ Eccleſiis & Clericis ab Anteceſſoribus noſtris, vel nobis, conceſſa ſunt, ſemper maneant incorrupta.

Cap. cix. De iiſdem: & de Clericis ſæculari iudicio nequaquam ſubiiciendis.

Nota. *Qvæcvmqve à ſingulis Regibus circa ſacro-ſanctas Eccleſias ſunt conſtituta, vel ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrârunt, ſub pœna * ſacrilegij, iugi ſolidata æternitate ſeruentur.*

Clerici etiam, non ſæcularibus iudicibus, ſed Epiſcopali audientiæ reſeruentur; fas enim non eſt vt diuini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.

Cap. cx. De iiſdem.

Vt priuilegia, quæ Eccleſiis, & Clericis à ſingulis Regibus, vel Epiſcopis cæteriſque Rectoribus ſunt conceſſa, ſemper maneant incorrupta.

Cap. cxii. Idem ibidem.

Cap. cxiii. Quòd ſacrilegium ſit, Eccleſiæ aliquid auferre, aut Sacerdotibus vel miniſtris, aut ipſo ſancto cultui, locóque iniuriam inferre.

Si qvis in hoc genus ſacrilegij proruperit, vt in Eccleſias earúmque res irruens Sacerdotibus & miniſtris vel ipſo (ipſi) cultui locóque aliquid, quod non oportet, iniuriæ inferat, diuini cultus iniuriam in conuictos, ſeu confeſſos reos capitali ſententiâ nouerit vindicandum. Nec expectetur, vt Epiſcopus iniuriæ propriæ vltionem depoſcat, cui ſanctitas ignoſcendi ſoli gloriam derelinquit, ſítque cunctis non ſolùm liberum, ſed etiam laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut miniſtris iniurias veluti publicum crimen perſequi, ac de talibus reis vltionem mereri.

Cap. cxiv. De his qui Eccleſiaſtica priuilegia violant, vel diſſimulant.

Si Eccleſiæ venerabilis priuilegia, cuiuſquam fuerint temeritate violata, vel diſſimulatione neglecta: commiſſum hoc in triplo iuxta legum ſanctiones Eccleſiæ cui factum eſt, componatur: nobíſque bannus noſter in triplo hoc eſt ſexaginta ſolidi perſoluantur.

Cap. cxvi. Vt Epiſcopi & reliqui Sacerdotes ab omnibus nexibus ſint liberi.

Consecratio Epiſcopos & reliquos Domini Sacerdotes tam à ſeruilibus, quàm à cæteris adſcriptitiis conditionibus, ſemper liberos facit. Idcirco præcipimus vt nullus ab eis alia niſi diuina requirat ſeruitia.

Cap. cxxiii. De Clericis, qui de Eccleſia deſiſtunt.

Clericis de Eccleſia deſiſtentibus, & aliis in loco reuocatis, ſi redierint diſceſ-

ſi, nihil eis præſtetur; hoc verò quod diſcedentes reliquerunt, non in vſu Rectorum, ſed ſuccedentibus cedat.

CAP. CXXVI. De iniuria Epiſcopi & Clericorum, & Lerania ſubuerſa.

SI QVIS Epiſcopo, vel aliis miniſtris S. Eccleſiæ iniuriam fecerit, iubemus eum tormentis ſubiectum, in exilium mori: ſed & ſi ipſa ſancta oratoria vel diuina miniſteria conturbauerit, vel Letaniam euerterit, capitali ſupplicio ſubiaceat: ſi verò contumeliam tantùm fecerit, tormentis & exilio tradatur.

CAP. CLVI. De ſæcularibus qui per calumniam, Eccleſiam vel Clericos fatigare præſumunt.

SIQVIS ſæcularium per calumniam, Eccleſiam vel res eius, aut Clericos cuiuſlibet ordinis fatigare tentauerit, & ex hoc conuictus fuerit, ab Eccleſiæ liminibus & Catholica communione, niſi dignè pœnituerit, & per ſatisfactionem Eccleſiæ emendauerit, pellatur, & Clericus ordine ſuo purgetur.*

* Hîc vides ſæcularem & Clericum apertè diſtingui. Nec enim apud Maiores auditum, Clericos appellari ſæculares.

CAP. CLXII. De iudicibus, Clericis calumniam, vel iniuriam inferentibus.

SI Iudex, cuiuſlibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare, aut diſtringere, aut calumniare, vel iniuriare abſque Epiſcopi ſui permiſſu præſumpſerit, vſque ad Eccleſiæ ſatisfactionem, cum omnibus tantis ſceleribus auxiliantibus aut fauentibus, communione priuetur: Epiſcopus tamen non dimittat vel iniuriam patientibus, plenam de præfatis Clericis iuſtitiam canonicè non faciat.

Ex Libro VII. *Capitularium.*

CAP. LVII. Vt nemo Clericorum abſque conſenſu Epiſcopi ſui Principem adeat.

SI QVIS adire principem neceſſariâ cauſâ depoſcit, hoc agatur cum conſilio & tractatu Metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum ipſius prouinciæ.

CAP. LXIX. Vt nemo Eccleſiaſticus teſtificari compellatur.

VT nulla ad teſtimonium dicendum Eccleſiaſtici cuiuſlibet pulſetur perſona.

CAP. LXXXVIII. Idem ibidem habetur.

CAP. CXXXI. De Clericis nullo fiſcali aut publico ſubdendis officio.

VT Clerici nullo fiſcali aut publico ſubdantur officio; ſed liberi ab omni humano ſeruitio Eccleſiæ deſeruiant.

CAP. CXLVII. Vt ſæculares de viris Deo dicatis Eccleſiæque facultatibus ad ſe nihil putent pertinere, niſi reuerentiam tantùm.

*SYNODALI ſancitum eſt, ne * Laïci vel ſæculares, de viris Deo dicatis Eccleſiæque facultatibus aliquid ad ſe putent vel præſumant, præter reuerentiam, pertinere: quorum quarúmque Sacerdotibus diſponendi indiſcuſſè à Deo cura commiſſa docetur. Si quis contra hæc venire præſumpſerit, anathemate feriatur.*

Nota. Sæculares ſunt Laici.

CAP. CCIII. Vt Laïci in Eccleſia infra cancellos ſtare non præſumant; ſed Chorus Clericis relinquatur.

VT Laïci ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur intra Clericos, tam ad Vigilias quàm ad Miſſas ſtare penitus non præſumant; ſed pars illa, quæ à cancellis verſus altare diuiditur, choris tantùm pſallentium pateat Clericorum. Ad orandum verò & communicandum Laïcis & fœminis, ſicut mos eſt, pateant Sancta Sanctorum.

CAP. CCVIII. Vt Epiſcopos, vel Sacerdotes, aut Clericos in iudiciis ſæcularibus nullus accuſet.

MANSVETVDINIS noſtræ lege prohibemus in iudiciis Epiſcopos accuſari, (expuncta eſt certè, vel excidit particula, *vel Sacerdotes & Clericos*, in editis Codic. vt ex titulo patet, cui textus vt excuſus eſt, his detractis voculis non quadrat: conſonat quoque cap. 340. de Epiſcopis, & reliquis Sacerdotibus vel Clericis ad ſæculares iudices minimè accuſandis.) *Ne dum adfutura ipſorum beneficio impunitas æſtimatur, libera ſit ad arguendos eos animis furialibus copia.*

Si quid eſt igitur querelarum, quod quiſpiam defert apud alios potiſſimum Epiſcopos, conuenit explorari, vt opportuna atque commoda cunctorum quæſtionibus audientia commodetur.

CAP. CCLXVI. Vt non conſtringat Clericum ſententia non à ſuo iudice dicta.

IN Clericorum cauſa huiuſmodi forma ſeruetur, vt quemquam eorum ſententia non à ſuo iudice dicta conſtringat.

CAP. CCCXLV. Ne Laïci & iudices ſæculares interſint quando Canonica iura ventilantur, vel regularia examinantur, niſi in propria accuſentur perſona.

QVANDO ea quæ canonica ſunt ventilantur, vel quædam regularia examinantur, neque iudices ſæculares, neque aliquos Laïcos intereſſe oportet, niſi hos tantummodò qui in propria accuſantur perſona.

CAP. CCCXLVI. Vt Eccleſiaſtica iura ſemper illibata permaneant.

Nota. *MONEMVS, vt iura Eccleſiarum, ſicut à Patribus diuinitus inſpiratis ſunt ordinata, inuiolata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imitationem* (rectiùs, imminutionem) *ſuum aliquis quærat augmentum.*

CAP. CCCLIII. De Regulis Clericorum.

Extant in Concilio Moguntiaco ſub eodē Carolo Imperatore ann. 813. can. 10. ex Iſidori lib. 2. de offic. c. 2. Et Concil. Aquiſgranenſi ſub Ludouico Pio, c. 100. ſed maximè c. 112. ex doctrina S. Auguſtini, pag. 383.

CLERICI lege Patrum monentur, vt à vulgari vita ſecluſi à mundi voluptatibus ſeſe abſtineant: nec ſpectaculis, non pompis interſint: conuiuia publica fugiant: priuata non tantùm pudica, ſed ſobria colant: vſuris nequaquam incumbant: quin nec turpium occupationes lucrorum, fraudéſque cuiuſquam ſtudioſè appetant: amorem pecuniæ quaſi materiem cunctorum criminum fugiant: ſæcularia officia, negotiáque abiiciant: honorum gradus per ambitionem non appetant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos & coniurationes caueant: odium, æmulationem, detractionem & inuidiam fugiant: non vanis oculis, non infrenâ (infreni) *linguâ, aut petulanti, tumidóque geſtu incedant, ſed pudorem ac verecundiam mentis ſimplici habitus inceſſu oſtendant: obſcœnitatem etiam verborum, ſicut & operum penitus execrentur. Viduarum ac virginum viſitationes frequentationéſque fugiant: Contubernia externarum fœminarum nullatenùs appetant: caſtimoniam quoque inuiolati corporis perpetuò conſeruare ſtudeant: aut certè vnius matrimonij vinculo fœderentur,* (ſcilicet minores Clerici, & qui ſimplicis ſunt tonſuræ; etenim maioribus Clericis id non licet) *ſenioribus quoque debitam præbeant obedientiam; neque vllo iactantiæ ſtudio ſemetipſos attollant: poſtremò in doctrina, in lectionibus, pſalmis, hymnis, canticis ſpiritualibus exercitio iugi incumbant. Tales enim eſſe debent, qui diuinis cultibus ſeſe mancipandos ſtudent, ſcilicet vt dum ſcientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis adminiſtrent.*

CAP. CCCLXVIII. De Clericorum & ſeruorum Eccleſiæ immunitate.

VT non liceat iudicibus, Clericos vel ſeruos Eccleſiæ in ſuis angariis occupare.

CAP. CCCLXIX. Quòd Clerici iudices ſæculares adire non debeant.

VT Clerici qui iudices ſæculares appetunt, excommunicentur.

Ex Additione III.

CAP. XXIII. De honore & pace Sanctæ Eccleſiæ.

VT honor, & pax, atque iuſtitia Sanctæ Dei Eccleſiæ & ſeruorum eius inlæſus ab omnibus conſeruetur.

CAP. XXIV. De Dei Sacerdotibus & miniſtris altaris.

VT Dei Sacerdotibus, & miniſtris altaris CONTRA CANONICAM AVCTORITATEM *nulla læſio à quoquam fiat.*

Canonica illa auctoritas, eſt *Priuilegium Canonicum*, quod Chriſtianiſſimus Rex, more Maiorum in ſuæ conſecrationis die, Epiſcopis ſub iureiurando pollicetur intemeratum cuſtodite, hac ſolenni Formula ex libello cui titulus eſt, *Ordo ad conſecrandum & coronandum Regem Franciæ.* *Extat lib. 5. Decretorum Eccleſiæ Gallic. tit. 2.*

Archiepiſcopus, dum cantatur Tertia, factâ aquâ benedictâ, ad Miſſam ſe præparat cum Diaconibus & Subdiaconibus, veſtimentis inſigniori-bus, & pallio, & rationali deſuper induendus: & in hunc modum indutus, venit duobus ſuis ſuffraganeis aſſociatus, proceſſionaliter ad altare more ſolito: cui venienti Rex debet aſſurgere reuerenter: cùm autem venerit ad altare, debet pro omnibus Eccleſiis ſibi ſubditis hæc à Rege petere.

ADMONITIO AD REGEM.

A vobis perdonari petimus, vt vnicuique de nobis, & Eccleſiis nobis commiſſis canonicum priuilegium, & debitam legem atque iuſtitiam conſeruetis, & defenſionem exhibeatis, ſicut Rex in ſuo regno debet vnicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ.

PROMISSIO REGIS.

Promitto vobis & perdono, quòd vnicuique de vobis, & Eccleſiis vobis commiſſis CANONICVM PRIVILEGIVM, *& debitam legem atque iuſtitiam ſeruabo, & defenſionem quantùm potero exhibebo, ſicut Rex in ſuo regno vnicuique Epiſcopo, & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet.* Hæc dicit Rex, & promittit, & firmat iuramentô.

Hæc populo Chriſtiano, & mihi ſubdito in Chriſti promitto nomine. In primis vt Eccleſia Dei, omnis populus Chriſtianus veram pacem noſtro arbitrio in omni tempore ſeruet, &c. *item de terra mea ac iuriſdictione mihi ſubdita vniuerſos hæreticos ab Eccleſia denotatos, pro viribus bona fide exterminare ſtudebo. Hæc omnia ſupradicta firmo iuramentô.*

Apponit Rex manum ſuper Euangelia, & oſculatur.

§. 7.

Ludouici Pij Imperatoris Decretum

Aduerſus Clericorum percuſſores, in Conuentu habito Triburiæ poſt Synodum apud Theodonis villam, editum & promulgatum de omnium penè Principum Galliæ & Germaniæ conſenſu. anno Domini 821.

PLACVIT *nobis, & fidelibus noſtris, vt ſicut ab Epiſcopis, & reliquis Sacerdotibus ac Dei ſeruis alio anno apud Theodonis-villam admoniti fuimus & rogati, vt Epiſcopi & eorum miniſtri, quos Deus ſuo, non humano iudicio reſeruauit, iuxta ſanctorum Canonum, ſanctorúmque Patrum, ac Capitularium præcedentium Regum coram poſitorum ſtatuta, & Dei Sacerdotes, eorúmque cooperatores, quorum interceſſionibus, & ſupplicationibus Sancta Dei Eccleſia conſtare videtur, intacti permaneant.*

De pœnis Cenſuras Eccleſiaſticas contemnentium.

TVMQVE præſcriptâ congruâ delinquentium pœnâ, ſecundùm gradũ Eccleſiaſticorum dignitatem, quibus irrogata fuerit iniuria ac inflicta percuſſio, ſubiungit Pius Auguſtus: *Et hoc de noſtro adiecimus, vt ſi qui in his ſupradictis ſanctorum Canonum, noſtríque decreti ſanctionibus, Epiſcopis inobediens & contumax extiterit, primùm ſententiâ feriatur canonica, deinde in noſtro regno beneficium non habeat, & alodis eius in bannum mittatur. Et ſi annum vnum & diem in noſtro banno permanſerit ad fiſcum noſtrum redigatur, & captus in exilium relegetur, & ibi tamdiu cuſtodiatur & conſtringatur, donec coactus Deo & Sanctæ Eccleſiæ ſatisfaciat quod priùs facere noluerat. Et ſi vobis omnibus iſta complacuerint, dicite; & tertiò ab omnibus conclamatum eſt, Placet. Et Imperator & penè omnes Galliæ & Germaniæ Principes ſubſcripſerunt ſinguli ſingulas cruces facientes. Et Eccleſiaſticus ordo, Deo & principibus laudes referentes, hymnum* Te Deum laudamus *decantabant. Et ſic ſoluta eſt Synodus.*

Ex eiuſdem Ludouici Pij Capitulari II. *ann.* 823.

CAP. VII. De admonitione ad Laïcos, pro honore Eccleſiaſtico ſeruando.

OMNES *verò Laïcos monemus, vt honorem Eccleſiaſticum conſeruent, & dignam venerationem Epiſcopis & Dei Sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum ſuis deuotè occurrant, & ieiunia ab illis communiter indicta reuerenter obſeruent, & ſuos obſeruare doceant & compellant, & vt etiam dies Dominicus, ſicut decet, & honoretur & colatur, omnes ſtudeant*, &c.

Ex Conc. Aquiſgranenſi, iuſſu eiuſdem Ludouici Pij habito an. 836.

CAP. X. De eodem.

VESTRVM autem erit præcipere Laïcis, vt ipſi congruum eis (Preſbyteris & Clericis) *& debitum impendant honorem: & in eos, qui contra eos perperàm geſſerunt, congrua procedat caſtigatio, quatenus & illi corrigantur, & reliqui terreantur.*

Ex eodem Concilio, tit. 2. ſeu Capitulo 3. num. 2.
Quòd Imperator tuendæ Eccleſiæ causâ ſit conſtitutus.

AD quid etiam conſtitutus ſit Imperator, Fulgentius in lib. de veritate prædeſtinationis & gratiæ ſcribit. Clementiſſimus quoque Imperator, non ideò eſt miſericordiæ vas præparatum in gloriam, quia apicem terreni principatus accepit: ſed ſi in Imperiali culmine recta fide viuat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubiiciat: ſi magis in timore ſeruire Deo, quàm in timore dominari populo delectetur; ſi in eo lenitas iracundiam mitiget, ornet benignitas poteſtatem; ſi ſe magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat: ſi ſubiectis ſalubriter conſulat; ſi iuſtitiam ſic teneat, vt miſericordiam non relinquat; ſi præ omnibus ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuerſum mundum ſuum prodeſſe faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur ac propagatur Imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quàm cum in quacumque parte terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur, &c. *Apud Sirmondum tom. 2. Conciliorum Galliæ pag. 587.*

§. 8.

Ex Capitulis Caroli Calui Regis Francorum, & ſubinde Imperatoris, editis in Villa Colonia, regni eius ann. 4. qui Chriſti fuit 843.

CAP. I. De honore cultúque Dei atque Eccleſiarum; & ſeruorum Dei veneratione, eorúmque priuilegiorum obſeruatione.

DE honore videlicet, & cultu Dei, atque ſanctarum Eccleſiarum, quæ auctore Deo ſub ditione, & tuitione regiminis noſtri conſiſtunt, communiter Domino mediante decernimus, vt ſicut tempore beatæ recordationis domini æ genitoris noſtri excultæ & honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, ſaluâ æquitatis ratione ita permaneant, & quæ à noſtra liberalitate honorantur atque ditantur, de cætero ſub integritate ſui ſeruentur. Et Sacerdotes ac ſerui Dei vigorem Eccleſiaſticum & debita priuilegia iuxta reuerendam auctoritatem obtineant: eiſdem verò regalis poteſtas, & inluſtrium virorum ſtrenuitas, ſeu Reipublicæ adminiſtratores, vt ſuum miniſterium competenter exequi valeant in omnibus rationabiliter & iuſtè concurrant.

Sub eodem Rege actum eſt Concilium apud Theodonis Villam, anno 844. cuius Synodi can. 6. prænotatio eſt. *Vt ordo Eccleſiaſticus antiquum vigorem recipiat.*

Et Concilium Vernenſe, cuius canon poſtremus hoc titulo inſcribitur; *Vt Eccleſiis reſtituantur loca & prædia Eccleſiaſtica, quæ Laïci poſſident.*

Et Concilium Meldenſe, ann. 845. in quo can. 13. ſtatutum ex antiquis decretis; *Vt qui Eccleſiaſticam auctoritatem contemnit, anathematizetur.* Et can. *Vt iniuſtæ conſuetudines ab Eccleſiis non exigantur.*

Vt ab Eccleſiis veſtræ ditioni ſubiectis indebitas conſuetudines, & iniuſtas exactiones de cætero non exactetis: (exigatis) *ſed ita eas conſeruetis, ſicut ordo docet canonicus, & tempore aui, & patris veſtri conſeruatæ fuerunt.*

Can. 23. *Vt commutationes rerum Eccleſiaſticarum valde caueantur.*

Can. 24. *Vt Eccleſiæ contra oppreſſores defendantur.*

Can. 28. *Vt Epiſcopis libertas à Rege ad obeunda miniſteria concedatur.*

Can. 32. *Vt principes, iuxta decreta Canonum per ſingulas prouincias ſal-*

tem bis, aut ſemel in anno, à Metropolitanis & diœceſanis Epiſcopis ſynodicè conueniri concedant: quia qualibet confuſio rerum temporalium diſſoluere non debet collegium & ſtudium Sacerdotum.

Can. 58. *Vt Canonicos* (aut Clericos) *ſine Epiſcopi conſenſu in ſeruitium ſuum Rex non recipiat.*

Canonicorum autem, qui in Parochiis tonſurantur & erudiuntur (nota ſeminaria Clericorum in Parochiis) *interdum etiam & ordinantur* (quia tunc Parochi ſuis alumnis tonſuram conferebant, vt ſuprà eſt demonſtratum) *ſine auctoritate, dignitas regalis in ſuum periculum non dignetur recipere: præſertim cùm eos ſalubriter & auctoritatiuè* (id eſt de conſenſu Epiſcopi) *poſſit habere; quapropter cùm quilibet Canonicorum ad regiam venerit Maieſtatem, & ſuo ſe voluerit mancipare ſeruitio; conſenſu Epiſcopi, ad cuius Diœceſim pertinere dignoſcetur, eum recipiat; & ſi in ordine Clericali eum promoueri voluerit, manûs ipſius impoſitione ad Eccleſiaſticum ordinem Sancti Spiritus munere ſi dignus fuerit, conſecretur, quatenus & diuina auctoritas vigeat, & ſalus ordinantis & ordinati atque iubentis in omnibus obſeruetur. Alioquin hæc ſtatuta tranſgredientes canonicæ ſubigantur ſententiæ.*

Ex Epiſtola Epiſcoporum è Synodo Cariſiaca, miſſa ad Ludouicum Regem Germaniæ, Caroli Calui fratrem, anno 858.

CAP. VII. Vt priuilegia & immunitates Eccleſiarum conſeruet, Rectoréſque illarum non inquietet, nec poſſeſſiones diripi permittat.

ET ſi Eccleſiam Dei, ſicut nobis ſcripſiſtis, quæritis reſtaurare, debita Epiſcopis, & ſibi commiſſis Eccleſiis priuilegia, ſicut diuinitùs conſtituta ſunt, cuſtodite; præcepta & immunitates & honorem earum ſicut auus, & pater veſter conſeruauerunt, conſeruare curate: & quæ frater veſter Dominus noſter (Carolus) *qui & paterna donatione & vobiſcum cum veſtris, veſtrorúmque fidelium mutuis firmitatibus regni partem accepit pro cultu & honore Eccleſiarum egit, ſimiliter conſeruate, & Rectores ac Paſtores Eccleſiarum vt patres & Chriſti vicarios colite; ſicut ſancta Scriptura præcipit dicens, Sacerdotes Dei ſanctifica, & magnatis humilia caput tuum,* &c. Et infrà; *Res & facultates Eccleſiaſticas quæ ſunt vota fidelium, pretia peccatorum, ſtipendia ancillarum & Dei ſeruorum deprædari, & ab Eccleſiis diſcindi nolite ſuſtinere, ſed vt Rex Chriſtianus, & Eccleſiæ alumnus reſiſtite atque defendite.*

Tum luctuoſum caſum Caroli Martelli ob Eccleſiaſticas poſſeſſiones direptas, grauiſſimis verbis referunt, ſubiiciúntque: *Hanc etiam relationē & in ſcripturis habemus, & quidam noſtrûm etiam viua voce dominum Ludouicum Imp. patrem veſtrum referre audiuimus. Sed & ſacri canones à Spiritu Sancto dictati, eos qui facultates Eccleſiaſticas diripiunt, & res Eccleſiaſticas indebitè ſibi vſurpant, Iudæ traditori Chriſti ſimiles computant: & ſancti qui cum Dominō in cælo regnant, & in terris miraculis coruſcant diuino iudicio tanquam necatores pauperum ab Eccleſiæ liminibus, & à cæleſti regno ſecludunt: de quibus ſacrilegis in prophetia pſalmi* (Pſal. 82. 13.) *prædictum eſt, Qui dixerunt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, Deus meus pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti, & ſicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes, ita perſequeris illos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos, imple facies eorum ignominiâ.*

§. 9.

§. 9.

Ex Synodo Viennæ Allobrogum habita tempore Odonis Regis, præſidentibus Paſchale & Ioanne Legatis Apoſtolicæ Sedis, iuſſu Formoſi Papæ, anno 888.

CAN. I. Vt ſæculares qui res Eccleſiaſticas detinent, niſi admoniti ſe correxerint, excommunicentur.

VT ab iniuſta inuaſione & poſſeſſione Eccleſiaſticarum rerum ſæculares abſtineant, & qui hactenus hoc feciſſe noſcuntur, tunc congruo tempore virtute Spiritus Sancti, & auctoritate Beati Petri Apoſtoli habeantur excommunicati.

CAN. II. *Vt ſæculares qui de catalogo Clericorum aliquem occiderint, vel caſtrauerint, vel aliquo membro detruncauerint, ſeu temerè dehoneſtauerint, & de præteritis pœnitendo Eccleſiæ ſatisfaciant, & emendare ſtudeant. Quod ſi non fecerint, ſupradicto tempore excommunicentur.*

§. 10.

CAROLO Simplice regnante, conſedit Troſleiana Synodus in pago Sueſſionico, ſub Heriueo Archiepiſcopo Rhemenſi, anno Domini 909.

In qua eùm plures de moribus & Eecleſiaſtiea diſeiplina editæ ſint ſanctiones: tum nonnullæ ſunt promulgatæ de Eccleſiatum iuribus intemeratè ſeruandis, déque Cleti canonieis priuilegiis piè & reuerentet euſtodiendis, ſicut ipſis ex Canonum titulis patet: quorum prolixiorem ſetiem prætermittendam, ne tædio foret, hícque liber plus æquo defluetet, arbitrati ſumus.

CAP. I. Eſt actum *de honore & cultu Eccleſiarum Dei.*

CAP. IV. *De ſacrilegis & eorum damnatione.*

CAP. V. ptæeipuo *De vexatione & inhonoratione Sacerdotum.*

§. 11.

L*VDOVICO IV.* cognomine *Tranſmarino*, Rege, anno 948. coactum eſt *Engilenheimenſe* Concilium ſub Matino, apoetiſiario Agapeti II. Papæ, cui aderat ipſe Rex Ludouieus: in quo ſacro Conuenru ſtatutum eſt

CAN. IV. Vt Laïci, ſine lieentia Epiſeopi Eeeleſias non dent, nee auferant.

CAN. V. Vt Preſbyteros Laïci non vexent.

CAN. VIII. Vt oblationes altaris à Laïeis non attingantur.

CAN. IX. Vt decimarum cauſæ non apud ſæculares, ſed in Synodo diſcutiantut.

§. 12.

Ex Teſtamento Hugonis Regis, cognomine Capeti.

HVGO Rex in extremo vitæ ſpiritu filio Roberto commendauit, ne blandiriis, exitioſiſque ſuaſionibus aulicorum inhiantium Eccleſiaſticis facultatibus, vnquam aures præberet: *O optime fili*, inquit, *per ſanctam & indiuiduam Trinitatem te obteſtor, nequando animus ſubripiat adquieſcere conſiliis adulantium*, &c. *te ad vota ſua maligna adducere cupientium, ex his Abbatiis, quæ tibi poſt Deum perpetualiter delego, né ve animi leuitate ductus quolibet modo diſtrahas, diripias, aut ira excitante diſſipes*, &c.

Refert Helgaldus Floriacenſis in Epitome vitæ Roberti Regis.

§. 13.

Ex Geſtis & dictis Roberti Regis, cognomento Sancti.

QVEM ira fuiſſe honorando Sacerdotio piè affectum commemorat ipſe Helgaldus, vt Lamberto Epiſcopo Lingonenſi mole carnis grauato ſuppedaneum miniſtrauerit in Epiſcoporum conſeſſu. *Colloquium*, inquit, *cum Epiſcopis ſui regni habens Rex humilis, inter colloquendum vnumquemque aſpiciens, vidit quemdam eorum mole carnis grauatum pedes ſuo dependere ab alto. Pietate ductus à longè quærens ſubpedaneum, reperit vnum, quod manibus Deo & hominibus charus apprehendens, illud tanto Pontifici offerre non recuſauit, & ſub pedibus eius ponere non eſt dedignatus. Erat autem hic Epiſcopus Lingonenſis Lambertus nomine, ſcientia, religione, & bonitate pollens*, &c.

Quanto verò amore & reuerentiâ Clerum proſecutus ſit Rex hic piiſſimus, idem Helgaldus inſinuat: *In die Cœnæ Domini* (ait) *centum Clericis pauperibus præbendam panis, piſcis, & vini concedebat. Poſt menſam verò præparans ſe ad Dei ſeruitium, Rex humilis ponebat veſtimenta ſua indutus ad carnem cilicio, adiunctóque Clericorum collegio, centum ſexaginta & eo amplius numero ad exemplum Domini, eorum pedes lauans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans Clero præſente, & Diacono aſtante, qui lectionem legeret ſecundùm Ioannem, in cœna Domini dictam & factam.*

Subiungit idem Helgaldus, in eius obitu ideò Clericos ingenti mœrore affectos, planctus, ſuſpiria & gemitus effudiſſe: *Clericorum*, inquit, *innumerabilis multitudo ærumnas ſuas ab ipſo releuatas dolebat; vna pro certo omnium vox erat, Rex magne! Deus bone! vt quid nos interficis, cùm nobis patrem bonum abſtrahis & tibi adiungis; in cuius morte, heu! proh dolor! ingeminatis vicibus acclamatum eſt: Roberto imperante & regente, ſecuri viximus. omni ſæculo profuit & proderit: cui indeſinenter adhæſit Eccleſiaſticus, & ſibi ſemper amabilis Monaſticus Ordo: hûc Chriſtus bonum omnibus dederat patrem*, &c. *Orationibus eius quis Monachorum non habuit requiem? eius ſanctiſſimâ deuotionis admonitione, quis Clericorum non fuit amator caſtimoniæ? iam nunc mo-*

nachorum, Clericorum, viduarum, orphanorum & omnium pauperum Chriſti habeas perpetuum vale, Roberte noſter præcordialis amor.

Roberti Regis tempore Eccleſia Dei pacis concordiâ replebatur, ait Odo Monachus Foſſatenſis in vita Burchardi Comitis.

In fragmento hiſtoriæ Franciæ, à Roberto ipſo ad mortem vſque Philippi I. Regis ex veteri Codice Floriacenſi, à Quercetano cum aliis fragmentis edito tom. 4. Scriptorum eiuſdem hiſtoriæ notatum legimus, pium hunc ipſius Roberti Regis in viros Eccleſiaſticos venerationis affectum; *Qui quàm Deo deuotus fuerit,* (inquit auctor) *quàm magnificus erga ſeruos eius, quàm aſſiduus circa Eccleſiam, quàm largus in eleemoſynis, quantâ humilitate fundatus, non eſt huius temporis differere. Hic multas fundauit Eccleſias: venuſtauit auro, argento & variis ornamentis memorias Sanctorum.*

§. 14.

Ex Actis Henrici Regis, Roberti filij.

HENRICVS eius filius Gallica ſceptra poſt felicem eius exceſſum capeſſiuit. Cuius quanta fuerit in Eccleſiam, Clerúmque deuotio, ex his eius verbis elicere promptum eſt, quæ in exordio leguntur Chartæ fundationis Eccleſiæ Sancti Martini Campeſtris Pariſienſis.

In nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Glorioſæ matris Eccleſiæ filij nouerint vnde gaudeant. Et infrà; *Quando verò tam euidenti auctoritate Eccleſia comprobatur eſſe ſponſa Chriſti, neceſſe eſt, qui tam pretioſo ſponſo placere ſtudeat in cælis, eius ſponſam pio obſequio in terris venerari. Igitur hæc & huiuſmodi ego Henricus Dei gratiâ Rex Francorum ſedulâ cogitatione recolens; qualiter decorem domus Domini, & locum habitationis eius dilexi, omnibus tam præſentibus, quàm futuris notum fieri volui.*

§. 15.

Ex Gregorij VII. Papæ Epiſtola ad Philippum I. Regem Francorum directa.

Extat tom. 4. Quercetani, p. 209.

OPTANDVM erat, vt Philippo eius filio tam altè fixa inſediſſet præcordiis in Eccleſiam Chriſti, & eius miniſtros dilectio & obſeruantia; quemadmodum à paternis veſtigiis nonnihil deflectentem ipſum Gregorius Papa VII. pio ac paſtorali prorſus affectu admonebat. *Attendere enim debes* (ad eum ſcribit idem Pontifex) *in quanta dilectione Sedis Apoſtolicæ, quantáque gloria & laudibus ferè per orbem terrarum Anteceſſores tui Reges clariſſimi & famoſiſſimi habiti ſunt, dum illorum regia Maieſtas in amplificandis & defendendis Eccleſiis pia ac deuota conſtitit, in tenendo iuſtitiam libera ac diſtricta permanſit. Poſtquam verò diuina & humana iura ſubuertendo, tanta virtus in poſterioribus cœpit hebeſcere, totius regni gloria, decus, honor & potentia, cum peruerſis moribus immutata ſunt. Hæc quidem & alia talia frequenter & ſi oportet, aſpero etiam ſermone tibi indi-*

care, ſuſcepti nos officij cura compellit; quoniam licèt verbum prædicationis abſcondere & vſpiam tacere, non ſit nobis tutum aut liberum, &c. *Vt igitur quorum es ſucceſſor in regno nobilitatis & gloriæ apud Deum & homines, ſingularis & indiuiduus hæres exiſtas, virtutem illorum ſummoperè te imitari, & iuſtitiam Dei totis viribus exequendo, Eccleſias quantùm potes reſtaurare & defendere exhortamur. Quatenus omnipotens Deus dexterâ virtutis ſuæ, & hîc regni tui gubernacula protegat & exaltet, & coronam ſempiternæ gloriæ in futura remuneratione donet.*

Rediit ad cor randem, vt Chriſtianiſſimum Regem decebat, Philippus hic nomine primus; de hoc enim refert Willelmus Malmeſburienſis lib. 5. de geſtis Anglorum, illum anathemate ſolutum (quod adulterij cauſâ notabilis incurrerat) ſub vitæ finem monaſticum habitum induiſſe apud Floriacum, vt præteritæ ætatis noxas vel ſerâ pœnitentia elueret.

§. 16.

Ex Ludouici VI. Groſſi nuncupati geſtis.

LVDOVICVM filium, nomine VI. habuit ſucceſſorem, qui zelo ſuccenſus domus Dei, arma aduerſus nonnullos Magnates, qui Eccleſias opprimebant, arripuit, potenríque dexterâ & magno animo illorum tyrannidem repreſſit, Cleri libertate, & ſacrorum locorum immunitate tam fortiter quàm feliciter vindicatâ. Sugerij Abbatis Dionyſiani extat Liber de vita eiuſdem Regis (cuius ſpectator fuerat) conſcriptus, in quo ipſius Regis profuſa erga Clerum affectio, feruentiſſima erga Eccleſiam pietas, aduerſus impios eiuſmodi graſſatores, nefarióſque tyrannos armata fortitudo pleriſque dignis æternâ memoriâ exemplis conſpici poteſt. Fuſior forem, ſi ſingula irem retextum: verùm virandi faſtidij cauſâ, Lectorem ad ipſum Sugerium ablegamus, ex quo perfacile fuerit, quæ ſpectant ad geſta piè furentis aduerſus Eccleſiæ hoſtes, huius regis, ediſcere. Compendij cauſâ dicere interim fas mihi ſit, quæ veritas exigit iure ſuo. Non pauca ſed ferè innumera ſuæ in Eccleſiam deuotionis, & in Clerum amoris ac reuerentiæ teſtimonia edidit Ludouicus Groſſus, Rex verè Chriſtianiſſimus; qui tandem ad extrema cùm veniſſet, finem eo dignam nomine, anteactíſque non diſſimilem planè exegit; ſiquidem cùm coram Epiſcopis & Sacerdotibus alta voce peccata fuiſſet cum ingenti pœnitentiæ gemitu confeſſus, *Inopinatè ſe leuans & præparans*, (inquit Sugerius) *cameram, cunctis admirantibus obuiam corpori Domini Ieſu Chriſti exit, deuotiſſimus aſſiſtit. Vbi videntibus cunctis tam Clericis quàm Laïcis, Regem exuens, regnum deponit, peccando regnum adminiſtrâſſe confitetur, filium ſuum Ludouicum annulo inueſtit, Eccleſiam Dei, pauperes & orphanos tueri, ius ſuum vnicuique cuſtodire*, &c. *fide obligat; denique pretioſâ quaque ſupellectili pios in vſus, maximè in ornatum ſanctuarij deſtinatâ & legatâ, humillimè flexis genibus ante ſacratiſſimum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti præclara fidei Catholicæ edita confeſſione, & iterum petita noxarum veniâ, deuotiſſimè corpori &*

I.

ſanguini Domini communicauit, &c. *Cúmque ſe deferri ad Eccleſiam Sanctorum Martyrum faceret*, &c. *ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & animo & voluntate compleuit; præcipiens ergo tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ Crucis præſentiam ſuam muniens, trigeſimo regni adminiſtrationis, ætatis verò fere ſexageſimo anno Kal. Auguſti ſpiritum emiſit, piiſſimus Eccleſiæ pater & nobilis defenſor.* Hæc Sugerius, cuius fuſiora dicta in hunc breuem contraximus faſciculum, ex eius verbis conſertum.

§. 17.

Ex Actis & pronunciatis Ludouici VII. cognomento Pij.

LVDOVICI VII. eius filij, & hæredis, qui cognomen à pietate tulit, religioſa pro Eccleſiæ tutela & Cleri defenſione facinora ſi quis minutim recenſere velit, integro volumini contexendo manum admoueat oportet. Satis hîc fuerit monuiſſe Ludouicum hunc fuiſſe illum Regem qui ab Innocentio Papa II. adhuc puer inunctus, poſt regni primordia in Palæſtinam vlturus Chriſti iniurias ſuadente Sancto Bernardo profectus eſt. qui Alexandrum Papam Sede exturbatum Apoſtolica, ad ſe confugientem ſummo cum honore ſuſcepit, contra Octauianum pſeudo-pontificem defendit; qui Beatum Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Angliæ Primatem propter Eccleſiæ quas aſſerebat aduerſus præſumptiones laïcas, libertates expulſum, honeſtè excepit, & fouit paternè: qua de cauſa cùm Rex Angliæ per nuncios grauiſſimè expoſtularet, efflictímque rogaret ipſum Francorum Regem vt eum eiiceret è regno ſuo, dignum prorſus Rege Chriſtianiſſimo Ludouicus hoc ei reſponſum dedit, *Quòd ſi Rex Angliæ auitas quas vocaret conſuetudines, licèt minùs legi diuinæ (vt aſſerebatur) conſentaneas, tamen vt ad regiam dignitatem ſpectantes non ſuſtineret abrogari; multominùs ſibi liceret ius illius liberalitatis ſubuertere, quod cum corona regni Francorum ſibi iure competeret hæreditario; nempe ex antiqua Franciæ conſuetudine omnes miſeros & afflictos, & maximè pro iuſtitia exulantes reciperet, & donec pacem haberent, foueret ac defenderet; adiiciens ſe Thomam recepiſſe de manu Romani Pontificis, quem ſolum in terris haberet patrem, & ideò nec pro Imperatore nec pro Rege, nec pro aliqua mundi poteſtate, eum dimiſſurum.* *Baron. ſub ann. 1168. n. 6.*

§. 18.

Philippi Auguſti inſigne dictum.

CÆTERVM de Philippi Auguſti huius Ludouici filij non impari in Eccleſiam pietate, ínque eius Prælatos & miniſtros filiali obſeruantia, hoc vnum memorâſſe quod teſtis omni exceptione maior S. Ludouicus eius ex filio ſynonymo nepos, ſuo in teſtamento refert, ſufficiat; nec porro rem quam narrat, aliis quàm ipſius verbis recenſebo, proprio quod

tunc in vſu erat, idiomate prolatis. *On racomte du Roy Phelippe, que vne fois ly dit vn de ſes Conſeillers, Ke moul de tors, & moul de forfais ly faiſoit Sainte Gliſe; en che que ly toloient ſes droitures & amenuiſſoient ſes iuſtiches, & ke cheſtoit moul grans merueilles comme il le ſouffroit; & li bons Rois reſpondi, ke aſſez le creoit, mais quand il regardoit les honnours & les courtoiſies ke Diex ly auoit faites, il voloit miex laiſſer s'en droit aller, ke à Sainte Gliſe contens ne eſchans ſuſciter. Ayme donc biaux fex les perſones de Sainte Gliſe, & garde lor pars tant com tu porras:* Quod regium, Chriſtianúmque pronunciarum tanti regis, in exrerorum gratiam vel eriam noſtrarium antiquæ huius locurionis minus ſcientium, phraſi Latina, quô magis poruimus genuino ſenſu expreſſimus. De Rege Philippo commemorarum mihi aliquando fuiſſe memini, quòd cùm olim ex eius Conſiliariis quidam non poſtremus, illi ſuggereret à Sanctæ Eccleſiæ Prælatis & miniſtris nonnihil detrimenti læſioníſque ſuæ Maieſtati irrogari: in eo quòd ipſi Eccleſiaſtici, iuris regij plurimùm ad ſe traherent, iuriſdictionémque ciuilem labefactarenr, in Eccleſiaſticæ auctoritaris augmentum: vnde mirum pleriſque erat, cur cùm tanrus eſſer Rex, graues adeò exceſſus & iniurias quas poreſtate regia facilè repreſſum ire porerat, ſine vlla offenſionis ſignificatione rolerarer? pium verò Principem mox ira ſuadenti reſpondiſſe, ſe non vſque adeò rerum eſſe rudem, vr hoc penirus ignorarer; ſed cùm apud ſe perpenderer quanris honoribus, & quor beneficiorum titulis fuiſſer à Deo mera ex eius bonirare & miſericordia præuenrus atque cumulatus; æquum ideò arbirrari ſeſe, pro eius amore & reuerentia aliquid iurium decremenri perperi. Quamobrem ſatius eſſe cenſere ſui iuris quicquam remirtere, quàm illud ſibi vendicare cum aliquo Eccleſiæ ſcandalo & Prælatorum offenſa, Cleríque renixu. Sanctæ igitur Eccleſiæ miniſtros, chariſſime fili: pio ſemper fauore proſequere, arque cum eis pacem, quanrùm poreris, & concordiam omni ſtudio conſerua.

§. 19.

Ex geſtis & dictis Ludouici VIII. cognomento Caſti.

LVDOVICVS Octauus Auguſti filius præfati, quanquàm breui tempore regnârit, res magnas peregir ramen, ob quas Leonis promeruir cognomen. Tametſi ob eximium in iuſtitiam, pietarem & religionem ſtudium, munificentiam erga omnes, miſericordiam in pauperes, liberalitatem in Eccleſias & religioſas perſonas, agni æquè promeruiſſe inſigniri cognomēto, mihi non abs re videarur. Quamobrem ſcitè cuſum ei numiſma leonis effigiem exprimens haccum epigraphe, *Non furit, ſed indomitus*, ann. M.CC.XXIV. quo Rupellam obſidione cinxir, & deditione recepit: ſicut biennio pôſt Auenionem, quam à faucibus hæreſis eripuit, fidei Carholicæ veritati & Eccleſiæ vnirari reſtituit: quo in glorioſo facinore pro vera religione exanrlato piè & feliciter occubuit. Meritò eapropter dignus qui adſcriberetur Martyrum cōſortio à Gregorio

IX. eius ad filium Sanctum Ludouicum ſcribente exiſtimatus, quòd mortem in expeditione pro fide aduerſus hæreticos obiiſſet. Quem tamen iſto loco non tam his titulis conſignauimus, quàm priuilegiorum Eccleſiaſticorum piis legibus vindicatorum obtutu. cùm enim ageret aduerſus Albigenſes hæreticos, provt Chronica Podij Laurentij, & Monfortiauum ſignatim perhibent, apud Apamias in Gallia Narbonenſi anno 1226. complurima ſtatuit non ſolùm pro optima adminiſtratione politici ſtatus, ſed inſuper pro Eccleſiæ honore, iuribus, ac Cleri immunitate & reuerentia, Sediſque Apoſtolicæ auctoritate: quæ poſteà promulgata fuerunt (anno ſcilicet ſequenti) in Concilio Narbonenſi celebrato in Quadrageſima. Sic notat Chronicum Guillelmi de Podio Laurentij capitulo 36. *Cùm autem eſſet Apamiæ Rex, ibi multa conſilio Cardinalis Legati,* (Conradi ſcilicet Epiſcopi Portuenſis) *ad honorem Dei & Eccleſiaſticæ libertatis ordinauit, & maximè contra contemptores clauium Eccleſiæ animaduertit ſtatuto neceſſario & ſalubri, de quo fit mentio in Concilio Narbonēſi in ſequenti mox Quadrageſima celebrato, quod incipit,* Felicis recordationis.

§. 20.

Ex Sancti Ludouici pragmaticis.

SANCTVS Ludouicus nomine IX. Francorum Rex, adhuc puer ad regnum acceſſit, *pro ætate* (ait præfatus Guillelmus de Podio) *mores & virtutem patris repræſentans*, pietatem verò præcipuè in Deum, iuſtitiam in populum, miſericordiam in pauperes, erga Eccleſiam & Religionem zelum, erga Sacerdotes verò & Clerum beneuolentiam & eximium venerationis affectum. De quo idcirco Pariſienſis Eccleſia eius in epinicio concinit.

Naſcens in ipſa Ludouicus purpura,
Sceptris auitis paruus admouet manus,
Piæque ductu matris ignarus mali,
Seruire Chriſto diſcit antequam regat.
Iuſti ſeuerus cultor, vrbes legibus,
Amore ciues continens, hoſtes metu,
Pietate cælum flectit, aras excitat,
Deóque templa, tecta nudis erigit.

Eius vberius elogium, die memoriæ eius venerabilis ſolenni, Martyrologio Galliæ adſcripſimus, pleraque alia in Commentariis de eius ſanctitate & gloria, fauente Deo dicturi. Hîc porro non ita exſpatiari licet, cùm locus ſit proprius non eius texendæ hiſtoriæ, at recenſendæ dumtaxat pragmaticæ ſanctionis, quam religioſus Dei cultor, feruens Eccleſiæ defenſor, & Cleri amator protectórque præcipuus in eius gratiam anno 1268. menſe Martio edidit ac promulgauit.

CONSTITVTIO Sancti Ludouici Regis, ſeu Pragmatica Sanctio pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ & Priuilegiis Cleri.

Extat tom. 6. Bibliotheca SS. Patrum.

LVDOVICVS, Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam.

Pro ſalubri ac tranquillo ſtatu Eccleſiæ regni noſtri, nec non pro diuini cultus augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute; vtque gratiam & auxilium omnipotentis Dei, cuius ſoli ditioni & protectioni regnum noſtrum ſemper ſubiectum extitit, & nunc eſſe volumus, conſequi valeamus, quæ ſequuntur hoc edicto conſultiſſimo in perpetuum valituro ſtatuimus & ordinamus.

Primò, vt Eccleſiarum regni noſtri Prælati, patroni & beneficiorum collatores ordinarij, ius ſuum plenarium habeant, ET VNIQVIQVE SVA IVRISDICTIO DEBITE SERVETVR.

II. *Item Eccleſiæ Cathedrales, & aliæ regni noſtri liberas electiones & earum effectum habeant.*

III. *Item ſimoniæ crimen peſtiferum Eccleſiam labefactans, à regno noſtro penitus eliminandum volumus & iubemus.*

IV. *Item promotiones, collationes, prouiſiones prælatorum, dignitatum, vel aliorum quorumcunque beneficiorum, officiorum Eccleſiaſticorum regni noſtri ſecundùm diſpoſitionem & ordinationem, & determinationem iuris communis ſacrorum Conciliorum Eccleſiæ Dei, atque inſtitutorum Sanctorum Patrum fieri volumus pariter & ordinamus.*

V. *Item libertates, franchiſias, immunitates, prærogatiuas, iura, priuilegia per inclytæ recordationis Francorum Reges prædeceſſores noſtros, & ſucceſſiuè per nos Eccleſiis, Monaſteriis atque piis locis, religioſis, necnon perſonis Eccleſiaſticis regni noſtri conceſſas, & conceſſa innouamus, laudamus, approbamus, & confirmamus per præſentes.*

Harum tenore vniuerſis Iuſtitiariis, Officiariis & ſubditis noſtris ac loca tenentibus præſentibus & futuris, & eorum cuilibet prout ad eum pertinuerit, diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus omnia & ſingula prædicta diligenter, & attentè ſeruent, teneant & cuſtodiant, atque ſeruari, teneri & cuſtodiri inuiolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant vel attentent, ſeu fieri vel attentari permittant: tranſgreſſores aut contrà facientes iuxta caſus exigentiam tali pœnâ plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum.

In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri appenſione muniri fecimus. Datum Pariſius anno Domini 1268. menſe Martio.
Explicit Sanctio Pragmatica tempore Sancti & Chriſtianiſſimi Regis Ludouici ſolenniter & ſalubriter edita.

In nonnullis aliis editionibus eiuſdem Pragmaticæ, additur vetuiſſe eundem Regem exactiones, & onera per Curiam Rom. imponi ſolita: niſi tamen pro rationabili & vrgenti cauſa, & de Regis ac Eccleſiæ regni conſenſu. Quod factum à pio Rege non ſanctæ Sedis deſpectu (in quam vſque ad extremum vitæ ſpiritum fuit filiali obſeruantiâ deuotiſſimus) ſed ordinis tantùm gratiâ.

Eodem regnante S. Ludouico habita eſt Prouincialis Synodus Aquitaniæ ſecundæ apud Roffec, præſidente Gerardo de Malamorte Archiepiſcopo Burdegalenſi, de conſenſu ipſius ſancti Regis, à quo ipſe Archiepiſcopus antè miſſus fuerat in Angliam. Quæ Synodus conſidere cœpit 12. Kal. Septembris anno 1258. in cauſa diſciplinæ & immunitatis Eccleſiaſticæ hoc tempore miris ac diris modis à Laïcis exagitatæ, pro cuius & cæterorum Cleri priuilegiorum aſſertione & tutela ſequens edita eſt

CON-

CONSTITVTIO.

CVM milites & tyranni, & ferè omnes Laïci, prout dicit canon, Clericis oppidò ſunt moleſti, & peccatis exigentibus ferè per omnes regiones, milites, communitates & Barones, ruſtici & Burgenſes, conſtitutiones, edicta, coniurationes, confœderationes, conſpirationes, colligationes, empriſias tacitas, vel expreſſas machinationes, & alias varias & diuerſas quoquo nomine cenſeantur, & promulgationes eorumdem facere præſumpſerint, & præſumunt, ne Laïci in foro Eccleſiaſtico litigent, niſi ſuper certis articulis, & valde paucis, quos ipſi exprimunt, iuſtitiam Eccleſiaſticam confundendo & enormiter reſtringendo, inhibent, & ne ab vxoribus ſuis vel familiis ſuis fiant oblationes, in illis caſibus in quibus fidelium pia deuotio offerre conſueuit tam de longa conſuetudine, quàm de iure. Nos omnes illas perſonas quæ profana eiuſmodi præſumunt facere vel ſeruare, & opera miſericordiæ vel iuſtitiæ in quantum tangunt libertatem Eccleſiaſticam, occaſione huiuſmodi reſtringere, ſeu etiam coarctare, excommunicationis vinculo innodamus; Præcipientes, vt tales in generali, & expreſſè illi de quibus conſtiterit, excommunicati denuncientur Dominicis ſingulis, & ſi per tres menſes in excommunicatione malitioſè extiterint, ſtatuimus vt in fine corpora ipſorum non tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ, niſi plenè ſatisfecerint de præmiſſis: & ne filij eorum, & nepotes ad Clericatum, & ad beneficium Eccleſiaſticum admittantur, neque ipſi aliquatenus abſoluantur, quouſque Eccleſiæ de omnibus deperditis, & damnis integrè fuerit ſatisfactum; & Diœceſanus prædictis reis talem pœnitentiam infligat, qua cæteri à talibus arceantur.

Laïcas eiuſmodi præſumpriones cauſam dediſſe pragmaticæ ſanctioni aliquot pòſt annis à Sancto Ludouico editæ, quam ſuprà ſeriarim expreſſimus, non eſt dubium: hac enim ſolenni conſtitutione voluit Rex piiſſimus profanis eiuſmodi Laïcorum auſibus & ſacrilegis exceſſibus, quibus non modò ſacra profanis miſcebantur, at Eccleſiæ digniras, libertas, auctoritas funditus concutiebatur, potenti renixu occurſum ire, quo reprimererur ram exitialis temeritas, iúſque & decus Eccleſiæ, & Clericalis ordinis honor ac immunitas maturè vindicaretur.

Dedit inſuper in mandatis cùm iam in extremis verſaretur, Rex ſanctiſſimus filio ſuo primogenito & ſucceſſori Philippo, Eccleſiæ Clerique iura & priuilegia ſummo ſtudio tueri: *Tui porrò muneris, chariſſime fili, non poſtrema portio eſſe debet, vt à tuis miniſtris, quorum ſpeciali curæ tibi ſit imprimis delectus, iuſtitia intemeratè ſeruetur, populúſque tuus in pace, & æquitate gubernetur. Potiſſimùm verò religioſæ & Eccleſiaſticæ perſonæ ſuis iuribus gaudeant cum omni tranquillitate & obſeruantia.* Túmque commemoraro inſigni exemplo Philippi Auguſti ſuperiùs recitaro, ſubiunxit: *Sanctæ Eccleſiæ miniſtros, quæſo dilectiſſime fili, charos & venerabiles ſemper habeto; nec eorum tranquillitatem & pacem à quoquam interturbari patiaris. Beneficia Sanctæ Eccleſiæ nonniſi probis, digniſque Clericis impertire, his verò maximè conferas qui doctrinâ ſunt & pietate ſpectabiles, & nullius Eccleſiaſtici cenſus iam facultate potiuntur. Bellum caue ne moueas vllum,*

maximè aduerſus Chriſtianos, niſi de prudentum proborúmque conſilio. Quod ſi tamen agere neceſſum ſit, Eccleſiam ſanctam memineris illæſam inter ipſos bellicos motus tueri, Clerúmque ſeruare immunem ab omni damno, & iniuria.

Acceptam munere V.C. Domini Puteani, Claudij illius qui ſua ætate omnis ferè eruditionis palmam tulir, filij meririſſimi, Conſtitutionem eiuſdem Regis ſanctiſſimi pto Albienſium meliori ſtatu, primus in lucem emiſit V. C. Claudius Menard Proprætot Regius in præfectura Andegauenſi in obſeruationibus ſanè non contemnendis, quas hiſtoriæ Sancti Ludouici à Ionuillæo Dynaſta coæuo ſcriprore contextæ, ſubiunxit. Dara eſt porrò ſanctio illa, anno ſuſcepti ab ipſo Beato Ludouico regni 2. videlicer anno gratiæ 1228. in qua conſpicere licet quàm alrè inſiderer iam eius præcordiis Eccleſiaſtici ordinis amor & reuerentia. Vitandæ causâ prolixiratis aliqua ranrùm ex eius ſerie excerpta capita hîc referam, ipſis omnino verbis quibus in diplomare Latino exprimunrur.

I. *Cupientes imprimis ætatis, & regni noſtri primordiis illi ſeruire, à quo regnum recognoſcimus, & id quod ſumus: deſideramus ad honorem ipſius qui calicem dedit honoris, quòd Eccleſia Dei quæ in partibus veſtris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquaſſata, in noſtro Domino honoretur & feliciter gubernetur.*

II. *Vnde de magnorum & prudentium conſilio ſtatuimus, quòd Eccleſia, & Eccleſiaſtici viri in terris conſtituti, prædictis libertatibus & immunitatibus vtantur, quibus vtitur Eccleſia Gallicana, & eis plenè gaudeant ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ memoratæ.*

III. *Et quia hæretici longo tempore virus ſuum in veſtris partibus effuderunt, Eccleſiam matrem noſtram multipliciter maculantes, ad ipſorum extirpationem ſtatuimus, quòd hæretici qui à fide Catholica deuiant, quocumque nomine cenſeantur, poſtquam fuerint de hæreſi per Epiſcopum loci,* * *vel per aliam Eccleſiaſticam perſonam quæ poteſtatem habeat, condemnati, indilatè animaduerſione debitâ puniantur.*

* Nota. Cognitionem de crimine hæreſis ad Epiſcopos & iudices Eccleſiaſticos propriè pertinere.

IV. *Sanè quia Ruptarij ſolent deuaſtare & demoliri terram prædictam, & quietem Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum virorum turbare; ſtatuimus vt omnino Ruptariis ipſis expulſis, pax perpetuò ſeruetur in terra, ad quam ſeruandam dent omnes operam efficacem.*

V. *Adhuc, quia claues Eccleſiæ conſueuerant in terra illa contemni, ſtatuimus vt excommunicati vitentur ſecundum canonicas ſanctiones, & ſi aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perſtiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad Eccleſiaſticam vnitatem, vt quos à malo non retrahit timor Dei, ſaltem retrahat pœna temporalis. Vnde præcipimus quòd Bailliui noſtri omnia bona talium excommunicatorum mobilia & immobilia poſt annum capiant, & nec eis aliquo modo reſtituant donec prædicti ſoluti fuerint, & Eccleſiæ ſatisfactum, nec tunc etiam niſi de noſtro ſpeciali mandato.*

VI. *Decimæ ſanè, quibus fuit longo tempore per malitiam inhabitantium defraudatum, ſtatuimus & ordinamus quòd reſtituantur citiùs; & ampliùs Laici decimas non detineant, ſed eas habere liberè permittant.*

VII. *Hæc ſtatuta inuiolabiliter ſeruari iubemus, & mandamus vt Barones, & vaſſalli, & bonæ Villæ iurent iſta ſeruare; Bailliuis noſtris ad hoc executoribus deputatis: qui infra menſem poſtquam fuerint in bailliis conſtituti, publicè & in loco publico & die ſolenni iurent, quòd hoc ſeruabunt, & facient ab omnibus bona fide ſeruari: quòd ſi non fecerint, pœnam omnium bonorum & corporum poterunt formidare*, &c.

Vt autem hæc ſtatuta firma & inconcuſſa permaneant, ea ſigilli noſtri munimine fecimus communiri. Actum anno gratiæ 1228.

At de S. Ludouici pragmaticis ſanctionibus editis in fauorem & tutelam Cleri ſatis ſupérque pro inſtituto.

§. 21.

Ex geſtis Philippi Pulchri, nomine IV.

ANNO 1303. cùm inter cæteros articulos quos à Rege ipſo emendari poſtulabat Bonifacius VIII. priuilegiorum Eccleſiaſticorum vindiciæ, potiori loco eſſent; Rex ne monita Pontificis, alioquin ſibi infenſi, contempſiſſe videretur, hoc eodem anno circa medium Quadrageſimæ, conſtitutionem edidit pro reformatione regni; qua imprimis cauens libertati Eccleſiaſticæ, omnes Eccleſias & Prælatos ac Eccleſiaſticos ſtatuit iiſdem priuilegiis, libertatibus & immunitatibus integrè & illæsè frui, quibus gaudebant tempore S. Ludouici Regis, aui ipſius Philippi. (extat integra in Codice Victorino p. 13. fol. 12.)

Qui & ipſe anno præcedenti menſe Martio ſtatuerat pro Clero in hunc modum.

Primò ſi Rex aliquando mandauerit, bona Prælati, aut Clerici clericaliter viuentis à ſuis miniſtris prehendi, vel regiæ cuſtodiæ committi: non intendit tamen mobilia eorum bona obſignari, neque ipſorum tecta domorum deiici.

Item Rex nouam prædiorum ſuſcriptionem non ſibi vendicat, nec de nouo acquirit in feudis Clericorum & procerum, niſi de eorum conſenſu.

Ex veteri collectione Conſtitutionum regiarum, quæ Pariſiis excuſæ fuerunt ann. 1554. fol. 1. recto quo hæc continetur patrio idiomate.

Eiuſdem Philippi Regis DECLARATIO ex Senatus conſulto edita, ſuper dubia quædam quæ tum vertebantur de iuriſdictione Eccleſiaſtica, & Regia, circa Clericos ſimplicis, vt aiunt, tonſuræ.

PHILIPPVS Dei gratiâ Francorum Rex, dilectis & fidelibus Clericis Magiſtris Fulconi de Laupuno, Archidiacono Pontini in Eccleſia Ambianenſi, & Thomæ de Pater Canonico Rothomagenſi, ſalutem & dilectionem. Super ſingulis ad nos miſſis articulis, de quibus Curiam noſtram conſulere voluiſtis, ſic duximus reſpondendum.

Et primò, ſuper excommunicatis compellendis, qui ſuſtinuerunt excommunicationem per annum, ſcire volumus quòd conſtitutionem Domini & genitoris noſtri, quæ incipit, Et nolumus in aliquo contraire: *ſi tamen ante & poſt conſtitutionem eandem non fuerint dolosè excommunicati compulſi, rem nouam nolumus inchoari.*

Nec diſplicet n... ſi decimæ præſtentur, quæ lege diuina debentur, vel per lo-

ci conſuetudinem approbatam; cùm vſus longiſſimus per quem non præſtantibus acquiri poteſt, ius in talibus conſeruetur.

In e quo Clerici interficientes homines in iuriſdictione noſtra cui committi debeant, nobis videlicet, an Epiſcopo, recurri volumus ad ius ſcriptum, niſi quid agi debeat conſuetudo declaret.

Nec videntur ſentire canones, quòd Clerici moneantur, ne artificia diuerſa exerceant, ſed Clericos non coniugatos canon moneri præcipit, ex quo gaudere volunt priuilegio Clericali, ne ſæcularibus negotiis, & turpibus quæſtibus ſe immiſceant, & ſe non debeant immiſcere; ſed quoniam vxorati etiam deferentes tonſuram, qui ſæcularibus negotiis, & turpibus quæſtibus ſe immiſcent, dum his ſe implicant, priuilegio Clericali gaudere non poſſunt, & in talibus non eſt aliqua monitio expectanda de homicidis Clericis priuſquam fuerint de crimine condemnati, non videtur quòd eorum bona debeant confiſcari, ſed iniuriam facit Epiſcopus ſi in præiudicium iuris noſtri à talium condemnatione ceſſet in fraudem, quod Epiſcopus facit miſſionem in bona immobilia Clerici condemnati, in perſonali actione auctoritate ſua poſtquam res immobiles non ſunt de iuriſdictione ſua Epiſcopali, non videtur rationem habere.

Et etiam eſt contra iura ſcripta, ſi Clericus agat contra Laïcum, quòd relinqui non debeat Laïcus ſuo foro, & præterea ille qui habet iuriſdictionem temporalem in territorio, vbi Clericus ſuas poſſeſſiones habet huiuſmodi deuenerunt, niſi de præſcripta conſuetudine in partibus illis hactenùs pacificè fuerit aliud obſeruatum.

Clerici verò ſi coniugati non ſunt, in Francia non contribuunt in taliis cum Laïcis, ſed onera rerum dumtaxat agnoſcunt, vnde Conſules Tholoſani ſatis poſſunt abſtinere à contributione, quam petunt à Clericis in taliis, niſi tales exiſtant taliæ, quæ poſſeſſiones onerauerant ab antiquo.

Super vltimo articulo, non videtur nobis rationem habere ſi Laïcus Laïco vendiderit decimas quamuis emptas à Clerico, quòd quæſtio quæ vertitur de pretio ſoluendo inter Laïcum & Laïcum propter hoc debeat relinqui foro iudicis Eccleſiaſtici, quæſtio enim de pretio ſic oritur ex contractu, ſaluis in his caſibus, in quibus Epiſcopus eſt in poſſeſſione, vel quaſi expletandi, vel exercendi ea, quæ præmiſimus ſuprà, non eſt bonum quòd à ſua poſſeſſione causâ non cognita deiiciatur Epiſcopus: ſed eſt bonum quòd à ſua poſſeſſione, & eo vocato ius noſtrum modo debito retinere curetis. Volumus etiam quòd omnia quæ in nobis incumbunt, ſine præcipitatione cum maturitate debita peragatis. Datum Pariſiis die Mercurij in Vigilia Beati Andreæ Apoſtoli, anno Domini 1274

Sic ſcribitur in quodam Libro Cameræ Compotorum Pariſiis, in quo continentur ordinationes Sancti Ludouici pro tranquillitate ſtatus regni, fol. x i.

CONSTITVTIO inſignis facta in Concilio Prouinciali apud Compendium anno Domini 1303. die veneris poſt Circumciſionem Domini, Rege Philippo Pulchro.

QVIA nonnulli ſeruientes temporalium Dominorum & iuſtitiæ Laïcalis, aſſerentes in ſuo debito, Clericos tam non vxoratos, quàm vxoratos, qui tamen cum vnica virgine contraxerunt, eſſe publicos mercatores, tallias & colle-

ctas imponunt eiſdem, & extorquent ab eis inuitis; quanquam clericaliter viuant, nullis ſe mercimoniis (matrimoniis in edito Cod.) *implicantes: ac moniti auctoritate Ordinariorum locorum vt deſiſtant, recuſant parere, quanquam offeratur eiſdem, vt facta fide coram ipſis Ordinariis quòd dicti Clerici ſunt tales manifeſti mercatores, tallias & collectas huiuſmodi permittantur leuare. Ipſi tamen iudicis, & partis officio fungentes, cognitionem ſuper hoc ſibi vendicant & aſſumunt: & quia de his, vt aſſerunt, ſibi conſtat, bona dictorum Clericorum mobilia capiunt, vendunt & diſtrahunt in magnum præiudicium & grauamen ipſorum: pro modo etiam omnium facultatum ipſorum Clericorum, licèt in minimo ſolùm eos aſſerentes mercatores, tallias & collectas imponunt & extorquent ab eis. Nos attendentes præmiſſa fieri contra libertatem & conſuetudinem, Eccleſiaſticas notorias & antiquas, talia amodò fieri prohibemus; alioquin poſt menſem à tempore publicationis prædictæ, omnes illos per ſingulos qui talia amodò facere, procurare, mandare, aut facta ſuo nomine rata habere; auxilium, conſilium, opem, vel fauorem clam vel palam præſtare præſumpſerit, auctoritate ſupradicti Concilij, monitione tamen competenti præmiſſa, excommunicamus in his ſcriptis.*

§. 22.

Ludouici Regis nomine X. memorabile Diploma, ex tom. 2. Actorum, titulorum & monimentorum ad iura ſpectantium, & negotia Cleri Eccleſiæ Gallic. titulo V. *pag.* 119. *& ſeqq.*

Quo ſtatuta Sancti Ludouici proaui ſui, & Philippi Pulchri ſui genitoris, edita in Eccleſiæ Clerique gratiam, pleno tenore confirmat: réſque & priuilegia ab omnibus ſuis anteceſſoribus, Eccleſiaſticis conceſſa vult illibata conſeruari. Denique iudices ſuos & miniſtros quoſcumque obſtringit in ipſo ſuſceptorum officiorum ingreſſu, ſolenni iureiurando coram Diœceſano Epiſcopo polliceri, ſe nihil iniuſtum acturos, nec iudicaturos in honorum & iurium Eccleſiæ detrimentum.

LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum & Nauarræ Rex, notum facimus vniuerſis præſentibus & futuris, quòd nos omnipotenti Deo qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, per quem reges regnant, & legum conditores iuſta definiunt, ad inſtar almi Confeſſoris Beati Ludouici proaui noſtri, & inclytæ recordationis chariſſimi Domini Philippi genitoris noſtri, ac aliorum principum prædeceſſorum noſtrorum Regum quondam Francorum & Nauarræ, deuotè famulari, reguláſque Chriſtianæ & orthodoxæ fidei cuſtodire, ac ex ipſius fidei cultu & amplificatione gaudere & gloriari cupientes, Eccleſias, monaſteria, & alia pia loca ad honorem diuini nominis intra regnorum noſtrorum gubernacula dedicata; necnon & miniſtros ipſius fidei & Eccleſiæ, cuius ſumus filij & pugiles, ſub protectione noſtræ Celſitudinis regiæ, vt per terrenum noſtrum regnum cæleſte proficiat, & pax & tranquillitas, ſine quibus pacis auctor nequit excoli feruenter, vberiùs gratioſè volumus confoueri; prænoſcentes magis Sanctorum meritis, eorumdémque deuotorum Eccleſiæ

miniſtrorum orationibus, quàm armorum exercitiis publicíſque officiis ac laboribus corporis, vel ſudore prædictorum Regnorum noſtrorum Rempublicam contineri. Eapropter necnon in conſiderationem debitam deducentes pium, fidelem, promptúmque dilectionis affectum, quem per exhibitionem operis ac ſpiritualis & decimalis ſubuentionis ad nos, & coronæ noſtræ tuitionem, dilectos & fideles noſtros, Archiepiſcopum Senonenſem, Epiſcopos, Abbates, Capitula, Conuentus, cæteráſque perſonas Eccleſiaſticas, ſæculares, & regulares dictæ Prouinciæ Senonenſis habere comperimus, ipſis ac Eccleſiis, Monaſteriiſque ac ſucceſſoribus, eorumdem ſtatuta ipſius Beati Ludouici proaui noſtri, necnon ordinationes eiuſdem Domini genitoris noſtri, quæ ſic incipiunt: Nos Philippus Dei gratiâ Francorum Rex, pro reformatione regni noſtri. &c. *Ac quinque alias eiuſdem Domini genitoris noſtri litteras, quarum vna ſic incipit:* Decens reputamus & congruum. *Alia*, Regi Regum. *Alia*, Notum facimus vniuerſis tam præſentibus quàm fururis, quòd nos prolocutam, &c. *Alia*, Quia flammigerum, &c. *Alia*, Oblatam. *Ac omnes litteras & gratias alias à dicto Domino genitore noſtro, aut aliis prædeceſſoribus noſtris eiſdem communiter vel diuiſim conceſſas, omnéſque eorum libertates, immunitates ac priuilegia, antiquáſque & approbatas conſuetudines approbamus, ratificamus, renouamus, & auctoritate regiâ, ex certa ſcientia tenore præſentium confirmamus, eíſque alias libertates, & gratias per litteras noſtras, quæ ſic incipiunt:* Subdirorum noſtrorum tranquillirarem, *Communitatibus, Vniuerſitatibus ciuitatum, caſtrorum, & villarum Linguæ Occitanæ.* &c. *Necnon & alias libertates Religioſis ac Nobilibus Comitatûs Foreſij pridem conceſſas, quæ ſic incipiunt:* Subditorum noſtrorum tranquillitati, indemnirari etiam & quieti prouidere, &c. *de nouo prout ad nos contenta in dictis litteris ipſis de Foreſio, & de Lingua Occitana à nobis vt prædicitur, conceſſis, pertinent, vel poterunt pertinere, concedimus, atque ſuper iis litteras noſtras ſub ſigillo noſtro, tenorem dictorum ſtatutorum noſtrorum, ordinationum, & litterarum gratiarum de verbo ad verbum ex integro continentes, ipſis liberaliter tradi præcipimus & mandamus, reuocantes ex tunc nihilominus ea omnia, quæ contra libertates ac litteras, & ſtatuta prædicta, per quoſcumque Officialium noſtrorum, aut quarumcumque aliarum perſonarum fuerint quomodolibet indebitè attentata.*

Volumus etiam & ordinamus quòd Seneſcalli Bailliuíque noſtri tactis ſacro-ſanctis Dei Euangeliis iurent de nouo, & iurare teneantur de cætero in principio regiminis eorumdem publicè in aſſiſis eorum, & ſub pœna amiſsionis officij ſui, vocato loci Diœceſano, ſe ſeruaturos, adimpleturos, & etiam executuros omnia & ſingula contenta in dictis ſtatutis, litteriſque prædictis per nos conceſſis ac etiam renouatis, atque in ordinatione noſtra præſenti bona fide, ſine fraude & dolo, & contrà non venire fraudulenter vel dolosè, per ſe vel per alium quoquomodò, & indebitè attentata contra ſtatuta ipſa, libertates & litteras prædictas, prout de illis ipſis conſtiterit breuiter, & ſine difficultate qualibet reuocare.

Mandamus etiam quòd illi qui in pluribus Diœceſibus præſidebunt per viam reſſorti, vel aliàs vocato Diœceſano in prima aſſiſia cuiuſlibet Diœceſis, iuramentum prædictum facere teneantur.

Ordinamus inſuper, quòd inferiores Officiales noſtri, hoc idem iuramentum in manu ſuperiorum ſuorum in primis aſſiſis, vt eſt dictum, præſtare teneantur. Et ſi forſan aliqua Diœceſis dictorum Prælatorum fuerit, in qua aliquæ non teneantur per gentes noſtras aſſiſiæ, volumus, & etiam præcipimus, quòd Seneſcallus, ſeu Bailliuus qui in dicta præſidebit Diœceſi, per viam reſſorti, vel aliàs vocato dictæ Diœceſis Prælato in ſuis primis aſſiſis, quas eum alibi, in loco tamen proximiori dictæ Diœceſi tenere contigerit, dictum præſtet iuramentum, & à ſuis iudicibus, Officialibus, & miniſtris inferioribus regiis recipiat, prout ſuperiùs eſt expreſſum. Volumus tamen quòd ſinguli Officiales noſtri prædicti, pro toto tempore ſui regiminis, ſemel tantùm in ſingulis Diœceſibus præſtare iuramentum huiuſmodi teneantur: & ſi forſan aliquis dictorum Officialium ſufficienter requiſitus, iuramentum prædictum præſtare noluerit, volumus ſic ipſum puniri, quòd per exemplum pœnæ ipſius cæteri ad iurandum & ſeruandum de cætero arceantur, nec ſalaria, ſeu ſtipendia noſtra percipiat, donec prædictum præſtiterit iuramentum.

Ordinamus etiam, quòd ſi aliqui dictorum Officialium indebitè attentata contra libertates, ordinationes, litteras & ſtatuta prædicta, cùm de ipſis ſibi legitimè conſtiterit, non reuocauerint, vel plus debito malitioſè reuocare diſtulerint, ſufficienter tamen ſuper hoc requiſiti expenſas, & damna perſequentibus reſtituere teneantur iuſtitiâ mediante.

Item ordinamus, quòd omnes iuſtitiarij noſtri, Eccleſiis auxilium brachij ſæcularis præſtent, vbi viderint Eccleſiam pro ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica indigere.

Volumus etiam & ordinamus, quòd Clerici non coniugati, dum tamen publicè mercatores non fuerint, quantùm ad nos ſpectat, ad contribuendum in talliis Laïcorum extraordinariis vel ſuperindictis, ſaluô tamen iure cuiuſlibet alterius, nullatenus teneantur: quódque Officiales noſtri quantum ad nos pertinet, ipſos ad hoc non compellant, ſeu qualitercumque compelli permittant.

Volumus inſuper, quòd Prælati ipſi quibus ius cudendi monetam competit, non impediantur per aliquos Officialium noſtrorum, quin eam cudi facere poſſint, cùm voluerint, & ſibi viderint expedire, dum tamen eam cudi faciant de forma, pondere & lege debitis & antiquitus conſuetis, prout in regiſtris antiquis Beati Ludouici reperitur in Camera computorum noſtrorum, niſi ſint aliqui quibus competat de priuilegio vel indulto alio ſpeciali: & ſi forſan ſuper dicto iure cudendi quæſtio vel dubium oriatur, cognitionem & deciſionem huiuſmodi penes nos reſeruamus.

Item inhibemus diſtrictè omnibus Seneſcallis, Bailliuis, Præpoſitis & aliis Officialibus ac miniſtris vniuerſis, & ſingulis iudicialibus & diſtrictibilibus noſtris, quòd dictos Prælatos, perſonas Eccleſiaſticas, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam non impediant, nec perturbent directè vel indirectè, quominus contra quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas vel ſæculares cognoſcant liberè de crimine vſurarum, & quia dictarum vſurarum reſtitutionem fieri faciant, & prædictos vſurarios puniant prout de iure, vel aliqua & approbata conſuetudine pertinet ad eoſdem, & quominus ad forum Eccleſiaſticum contra

quoſcumque, vel per quoſcumque Laïcos & alios recurratur: & per dictos Prælatos, & Curias Eccleſiaſticas cognoſcatur de omnibus & ſingulis caſibus ad eos pertinentibus de antiqua & approbata conſuetudine, vel de iure hoc ſeruari volentes non obſtantibus quibuſcumque proclamationibus, bannis, prohibitionibus, edictis, ſtatutis, ordinationibus, pœnis & colligationibus quibuſcumque, necnon & litteris, ſiquæ fortè à noſtra Curia in contrarium emanáſſent, quæ omnia caſſamus & irritamus, ac caſſa & irrita eſſe declaramus quantùm ad omnia & in omnibus, & in quibus ſunt vel eſſe poſſunt iuri Eccleſiaſtico, libertati, ordinationibus prædeceſſorum noſtrorum, ſeu antiquæ & approbatæ conſuetudini contraria; prohibentes conſimilia impoſterum attentari, & mandantes eos qui contra hæc aliquid attentauerint puniri, nolentes quòd propter dicta attentata foro Eccleſiaſtico, & Eccleſiaſticæ libertati, dictiſque Prælatis, & perſonis Eccleſiaſticis, ac Curiis eorumdem aliquod prorſus præiudicium generetur in iis quæ de iure vel aliqua conſuetudine & approbata pertinent ad eoſdem, nec quod nobis quoad præmiſſa, vel aliquod ex eis ius nouum vel præiudicium aliquod aliquatenus acquiratur.

Cæterùm, cùm per prædictum Dominum genitorem noſtrum in hoc diuino cultui, animarum ſaluti, Eccleſiaſticæ libertati, & vtilitati Reipublicæ proſpicientem, deliberatione prouidâ fuerit certa pœna appoſita contra vſurarios manifeſtos, qui immenſas vſuras exigunt, vt quot diuinus timor à malo non reuocat, temporalis ſaltem pœna coërceat, propter præmiſſa derogare non intendimus in aliquo iuri noſtro, quominus Laïcos vſurarios, manifeſtos tranſgreſſores ordinationis regiæ ſupradictæ punire poſſimus, & ad reſtitutionem vſurarum compellere, prout ad nos pertinere poteſt de iure vel antiqua conſuetudine, ſuper qua quidem conſuetudine per perſonas fideles diligenter inquiri mandabimus, & inquiſitio faciemus quod iuſtitia ſuadebit, præſertim cùm dicti Prælati aſſerant, quòd ad nos pertinet dictarum vſurarum punitio de conſuetudine vel de iure.

Adhuc, omnia blada, vina & alia bona, ſeu garniſiones dictorum Prælatorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum regni noſtri, quæ per gentes noſtras propter guerras, & neceſſitates noſtras hactenùs capta fuerunt, eiſdem ſi dicta blada, vina & alia bona extent, integraliter reddi, ſin autem, de iuſto eorum pretio ſatisfieri præcipimus indilatè, & à conſimilibus impoſterum abſtinere, nolentes dictos Prælatos, & perſonas Eccleſiaſticas in prædictis vel quibuſcumque aliis contingentibus Eccleſiaſticam libertatem, vltra illa quæ nobis de iure vel antiqua conſuetudine competunt, aliquatenùs aggrauari, nec quòd brachium eorum temporale cum ſpirituali coadiuuare prohibeantur per dictas gentes noſtras, ſeu quoſcumque alios iuſtitiabiles & diſtrictibiles noſtros.

Item circa finantias, quæ ab hominibus, & ſubditis dictorum Prælatorum ac perſonarum Eccleſiaſticarum per gentes noſtras petuntur pro eo quòd iuxta mandatum noſtrum ad guerram noſtram Flandriæ non venerunt, nec miſerunt, eorumdem Prælatorum hominum & ſubditorum libertates & priuilegia, ſi qua habent, volumus & præcipimus illibata ſeruari, & ad dictas finantias non compelli, ſi obtentu dictorum priuilegiorum & libertatum, de iure aut conſuetudine immunes ſunt ab eiſdem, ſuper quibus faciemus petentibus iuſtitiam exhiberi.

Item,

Item, cùm interdum per fraudem & malitiam impetrantium litteræ noſtræ contra perſonas Eccleſiaſticas impetrentur, nullâ factâ in ipſis litteris quòd ſint perſonæ Eccleſiaſticæ, mentione, prædictas litteras nullas eſſe declaramus, & executioni prohibemus mandari, eaſdem dictóſque impetrantes puniri, prout fuerit rationis.

Item volumus, quòd dicti Prælati & perſonæ Eccleſiaſticæ dictæ prouinciæ poſſint liberè & abſque vllo impedimento, furcas, poſtella & pilloria erigere, abſque iuris tamen noſtri præiudicio, & etiam alieni, in locis pertinentibus ad altam iuſtitiam eorumdem, ſecundùm cuiuſlibet conſuetudinem locorum, in quibus erigi furcæ & pilloria conſueuerunt.

Item quòd ſuper appellationibus, ſi ex priuilegio, vel de iure, aut antiqua conſuetudine interponendæ ſunt, ad eoſdem nullum impedimentum præſtetur eiſdem.

Prohibemus inſuper ne ſucceſſor ob factum prædeceſſoris à noſtris gentibus moleſtetur, niſi in quantum de iure vel conſuetudine aliqua conſtabit teneri eumdem.

Damus autem omnibus Seneſcallis, Bailliuis, Iudicibus, Maioribus, Præpoſitis, baiulis, procuratoribus, miniſtris, ſeruientibus & iuſtitiariis noſtris, & eorum loca tenentibus, & ſucceſſoribus in dictis officiis eorumdem tenore præſentium, in mandatis, & ſub indignationis noſtræ pœna, quatenùs bona fide, & abſque omni fraude, dolo, malitia, difficultate & diffugio ſeruent, & ſeruari faciant à iuſtitiabilibus & ſubditis eorumdem omnia & ſingula in ſtatutis, ordinationibus, litteris, gratiis & priuilegiis contenta prædictis, & in ordinatione noſtra præſenti: Et ſi qua per eos, ſeu alios indebitè attentata fuerint in contrarium, quæ omnia ex nunc reuocamus, caſſa & irrita eſſe volumus & decernimus, & nullum nobis vel ſucceſſoribus noſtris propter hoc ius nouum acquiri, nec in aliis diminui ius noſtrum volumus, nec dictis Prælatis, Abbatibus, Conuentibus, Capitulis, cæteriſque perſonis Eccleſiaſticis, eorúmque Eccleſiis, monaſteriis, priuilegiis, libertatibus, antiquis & approbatis conſuetudinibus præiudicium generari, ſi & prout de ipſis eiſdem conſtiterit, & ad eorum quemlibet pertinuerit, reuocent indilatè ſaluo in aliis iure noſtro, & in omnibus quolibet alieno.

Quod vt firmum & ſtabile permaneat in futurum, præſentibus litteris noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum apud Vicennam anno Domini 1315. menſe Decembri.

Sigillatum vno magno ſigillo in cera viridi cum filis ſericis diuerſorum colorum. Et ſuper plicam ſcriptum eſt, Per vos, I. de Templo.

§. 23.

Philippi Valeſij nomine VI. Francorum Regis cognomento Catholici, pro vindiciis Eccleſiaſticæ dignitatis & libertatis atque iuriſdictionis, illuſtre, ſingulare, immortalique dignum memoriâ iudicium, anno Domini 1329.

Ex Papirio Maſſono lib. 4. Annalium Regum Francorum, pag. 421.

PRÆTORES *Regij querebantur omnem iuriſdictionem ad Epiſcopos tranſire: illi viciſſim iniuriam ſibi fieri à Prætoribus prædicabant. Rex cogniturus an res ita ſe haberet, Lutetiam eos ad conſilium vocat menſe Septembri 1329. vbi Petrus Cunerius ex ordine equeſtri, Conſiliarius regius, Prætorum cauſam egit: aduerſus quem pro iuriſdictione Eccleſiaſtica Bertrandus Pontifex Heduorum opuſculum quod extat ſcripſit. Rex ne exemplum poſteris daret, Sacerdotum priuilegiis aliquid detrahendi, nihil immutandum cenſuit.*

Porrò Petrus Bertrandi nondum Cardinalis, & Auguſtodunenſis adhuc dumtaxat Antiſtes, non ſolùm illud opuſculum vindiciarum Eccleſiaſtici iuris ac honoris conſcripſit, quod extat in Bibliotheca Sanctorum Patrum; ſed coram Philippo Rege in palatio Pariſiis, multis præſentibus Prælatis & regni proceribus, diſputationem habuit de iuriſdictione & libertate Eccleſiaſtica contra Cunerium negantem, aut certè nonnihil labefactare contendentem. Quam Paulus Æmilius eleganti compendio complexus in hunc modum expreſſit.

Ex Pauli Æmilij Commentariis de rebus geſtis Francorum in Philippo Valeſio.

BERTRANDVS Heduorum Pontifex cauſam templorum iuriſdictionémque tutatus eſt, Reges Auguſtóſque fando deuocauit de cælo, Magnum (Carolum,) *Pium* (Ludouicum eius filium,) *Diuum* (Ludouicum IX.) *eorum opem implorauit, vt qui in vita armis texiſſent Eccleſias, liberalitate cumulâſſent; nunc diuinitatis participes deſertas nollent. Enumerauit quot Reges Ducéſque templorum hoſtes, fœdum atrocémque exitum habuerint, quot pij Sacerdotiorum propugnatores & viui & mortui, gloriâ, imperiô, prolis fœcunditate, diuturnitatéque imperij fructum ampliſſimum perceperint: qui verò de Sacerdotio victo triumphum ac palmam petiuerint, miſero exitu pœnas ſuperis dediſſe inſtitutis religionéque animorum vitam communem conſtare. Nihil exortum, exoririve poſſe, cur quæ per tot hominum, per tot deinceps Regum ætates ſeruata ſanctéque culta ſint, nunc demum labefactentur, euertantúrque, Regum maieſtatem, iuráque templorum, ſanctiſſimis moribus numinéque ſanciri, ac vtramque rem immortalitate donandam.*

Prima actione nihil conſtitutum eſt (pergit Æmilius) *cùm ampliatur die D. Thomæ Cantuarienſi feſto, cum Patrum frequenti globo Bertrandus Regem adiit, admonuitque illum, illuxiſſe diem, quem pro libertate Eccleſiæ Thomas ſanguine ſuo conſecrâſſet. Reſpondit Rex, omnia ſibi curæ futura: anceps vox;*

Bertrandus, vt certiùs latiúſque eliceret reſponſum, orauit, vt qui diuinitus vocatus fuiſſet ad ſceptrum, ambiguo reſponſo non dimitteret triſtes ab ſe Sacerdotes, qui quotidie rem diuinam pro eo facerent. Tunc Rex, Iura, inquit, Eccleſiarum auxerim, potiùs quàm imminuta velim. Hactenùs pro ſua inſigni facundia Æmilius de Philippi V I. iudicio.

In cuius laudem & rei geſtæ perenne monimentum erecta eidem Regi paulopòſt fuit in porticu inſigniori Eccleſiæ Senonenſis effigies armata & equeſtris cum duobus his verſibus, æui potiùs ingenuitatem, quàm elegantiam redolentibus,

Regnantis veri cupiens ego cultor haberi,
Iuro rem Cleri, libertatémque tueri.

At hoc elogio longè illuſtrior eſt *Catholici* titulus, quem Philippus ipſe ob adeò pium & glorioſum facinus ſuper prædeceſſorum nobiles quantumvis titulos, meritiſſimè obtinuit.

§. 24.

Excerptum ex Diplomate Caroli V. Francorum Regis, Sapientis nuncupati, dato Pariſiis, anno Domini 1369. *regni eius* 6.

Extat in Codice antiquitatum & priuilegiorum Monaſterij Pariſienſis PP. Cæleſtinorum lib. 3. c. 1. pag. 219.

CAROLVS Dei gratiâ Francorum Rex. Notum facimus vniuerſis præſentibus pariter & futuris, quòd nos rationi congruum arbitrantes, ſi inter curas & ſollicitudines, quas in regendis noſtris ſubditis frequenter habemus, ad hæc præcipuè noſtræ mentis aſpirat affectus, per quæ STATVS ECCLESIASTICVS noſtris temporibus ſub commiſſo nobis regimine in pacis tranquillitate manuteneri valeat & defendi, & regni prædicti Eccleſiæ, religioſæque perſonæ quæ de die & de nocte diuinis inſiſtunt obſequiis, ſub noſtræ protectionis clypeo releuentur à preſſuris, & per regalem potentiam à nobis defendantur, vt eo deuotiùs circa diuina vacare valeant, quo liberaliùs per eandem potentiam ſenſerint ſe adiuuari, &c.

§. 25.

Ex geſtis Caroli VII. dicti Victoris, à Meyero, ex Anonymo coætaneo, relatis.

TANTA fuit Rex iſte erga Eccleſiæ miniſtros continentiâ & reuerentiâ, vt cùm fiſcô ob regni depauperationem per maxima bella exhauſtô, Epiſcopus quidam ſuaſiſſet vt decimam à toto Clero exigeret, recuſauerit facere, dicens non bene ceſſiſſe principibus, qui id aliquando feciſſent; quin & feruente bello pœnâ mortis prohibuerat, ne quis bona Eccleſiarum attingeret.

Cuſum eo tempore numiſma, Regem hunc inſcribit, *ferocem rebellibus, ſubditis æquum, in ſuos iuſtum, fortem in hoſtes*, & nihilominus *veracem.*

§. 26.

Ex Reſponſis Pariſienſis Curiæ ad præſcripta poſtulata Ludouici XI. Chriſtianiſſimi Regis, ſuper pragmatica ſanctionis abrogatione.

IMPRIMIS, &c. conſtat fidem Catholicam, ex quo primùm in regno eſt inſtituta, ac præſertim à Clodouei Chriſtianorum Regum primi temporibus, magis quàm in vllo alio Chriſtiani orbis regno, nullo errore contaminatam floruiſſe, ac ob inſignem Regum pietatem & feruentiſſimum erga religionem affectum, ac in tuendo ſeruandóque diligentiam, & Dei exaltatum nomen, & auctus cultus, & Eccleſiæ libertas conſeruata fuit. Ea ſiquidem fuit Regum in Eccleſiam Dei affectio & propenſa voluntas, vt ingentes opes tam in ædium ſacrarum extructionem, quàm in fundationem & dotationem Eccleſiarum liberaliſſimè, ſumptuosè & magnificè impenderent. Nec minus fuit eorum ſtudium in tuenda Eccleſia, vnde & illuſtrem Chriſtianiſſimi titulum, & nomen hæreditarium ſibi pepererunt.

§. 27.

De Ludouici XII. Patris populi dicti, pietate & iuſtitia.

REGNVM à religionis obſeruantia incepit, (ait Guaguinus) in cuius ſtudij indicium ipſo regni exordio cuſum numiſma in vulgus emiſit, ſola cruce eminenter in circuli meditullio expreſſâ cum hac epigraphe, *Sancta crux, ſignum, aráque Francorum.* Feruntea vſum pro ſigno clementiæ; cùm enim libello ſibi oblato, perlegens Caroli Octaui prædeceſſoris ſui domeſticos: duorum ex iis cum quibus ſimultates olim geſſerat nominibus crucem addidiſſet, illis hoc audito conturbatis abeuntibus, crucem ſibi ratis paratam, mox humaniſſimè reuocauit dicens, eo ſe ſigno ſalutis noſtræ obliuiſci ſimultatum, Chriſti exemplo crucifixi; hinc inſcriptio alterius numiſmatis ſub eodem percuſſi, in quo expreſſo apum alueari inſcriptio eiuſmodi in circuitu paret, *Non vtitur aculeo, Rex cui paremus.*

Ferronus in eius vita lib. 3. rerum Gallicarum.

Porrò conſtare regna pietate & iuſtitiâ non ignarus, ſuſcepto ſceptro cum ſacra vnctione Rhemis, mox ac Regiam Luteriam ingreſſus eſt iudiciorum formam correxit. *Admouit animum* (inquit Ferronus) *ad forenſium controuerſiarum innumerabiles gyros aperiendos, multáque ſanxit quæ ad eorum breuitatem, indicúmque moderationem pertinent.* Nec porrò omiſit eorum in extendenda poteſtate exceſſus, aduerſus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis & immunitatis priuilegia; vſus potiſſimùm Eccleſiaſticorum virorum conſiliis, videlicet Guillelmi Parui, qui ſibi à ſacris confeſſionibus erat; præſertim verò Georgij Amboſij Rothomagenſis Archiepiſcopi, & ſubinde Cardinalis; quo defuncto vſus eſt operâ Stephani Poncherij Epiſcopi Pariſienſis poſteà Senonenſis Archiepiſcopi.

Quàm altè cordi piiſſimi huius principis inſederit Cleri protectio, & tutela, ex eius litteris datis 1478. ſatis apparet: quibus nihil magis dolendum inſinuat, quàm diuini muneris diſpenſatores, Sacerdotes & Clericos iniuriâ aliqua preſſuráque affici, ſic enim diſciplinam laxari, minui diuinum cultum, ſacramentorum miniſterium negligi, ſacrarum ædium abire moles in ruinam, rixas & lites generari, denique exoriri innumera ſcandala & incommoda, quibus regnum antehac florentiſſimum periculosè concuriebatur. *Vide lib. 5. Decret. Eccleſ. Gallic. tit. 22. c. 1. p. 691.*

Eo regnante Joannes Amboſius Epiſcopus & Dux Lingonenſis, Par Franciæ, eiúſque Georgij Cardinalis frater, cuius conſiliis potiſſimùm Rex ipſe in regni adminiſtratione vtebatur, Synodum anno 1491. celebrauit, in qua hoc edixit monitorium Decretum aduerſus iuridicos ſæculares, alióſque Eccleſiaſticam iuriſdictionem & Cleri priuilegia perturbantes.

Licèt prædeceſſores noſtri, & maximè Guido immediatus noſter prædeceſſor contra perturbatores iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſufficienter per ſua nouiſſima ſtatuta, maledictionibus ſub certa forma vti, & eas ſingulis diebus Dominicis publicari intra Miſſarum ſolennia mandauerit: multi tamen diuerſorum ſtatuum ſunt in noſtra diœceſi qui plus ſolito iuriſdictionem ſpiritualem tacitè & occultè, quandoque etiam publicè & manifeſtè perturbare & impedire, imò etiam quod deterius eſt, abolere & eneruare non verentur, in ipſorum animarum damnabile periculum. Quare innouando & expreſsè approbando prædictum ſtatutum, mandamus, & diſtrictè omnibus & ſingulis Decanis, Curatis & Rectoribus prædictis noſtræ Diœceſis, &c. præcipimus, quatenùs maledictiones in prædicto ſtatuto Domini Guidonis verbis Gallicis deſcriptas ſingulis diebus Dominicis intra Miſſarum ſolennia publicè & alta voce legant; & poſt lectionem in ſignum huiuſmodi maledictionis candelas accenſas ad terram viriliter proiiciant, & campanam prout in talibus fieri ſolitum eſt, pulſent aut pulſari faciant.

Adhæſit tandem per Oratores ſuos Ludouicus XII. Concilio Lateranenſi anno 1513. in quo ita ſtatutum eſt ſeſſione 9. *Cùm A IVRE TAM DIVINO, QVAM HVMANO Laïcis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes & ſingulas Conſtitutiones in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas.* Cui ſeſſioni interfuit magnificus Dominus Ludouicus Solier, Orator Chriſtianiſſimi Regis Franciæ. Seſſione 9. Concordata promulgata fuerunt inita inter Leonem X. & Franciſcum I. Regem Chriſtianiſſimum, quem *ECCLESIÆ DEFENSOREM* Bononiæ præſentem Leo ipſe X. nuncupauit; cuſum id innuit ibidem numiſma, quod conſpicere eſt excuſum fol. 2. Galliæ Metallicæ, n. 11.

At vltrà non progredior, ſed lubens hîc ſiſto gradum, quoniam abhinc mutata ſunt tempora; ex quo enim puteus abyſſi fuit apertus, aſcendit fumus, quo ſol Eccleſiaſtici honoris obſcuratus eſt, egreſſis de fumo putei exitialibus locuſtis, *quæ dentes habent ſicut leones, & caudas ſicut ſcorpiones, & vocem alarum ſicut vox curruum & equorum curren-*

tium ad bellum; Apoc. 9. Turbatâ enim per ſubortas hæreſes Chriſtiani orbis pace, diſciſſa veſte Chriſti inconſutili & Eccleſiæ vnitate, quemadmodum magna Europæ parte ſubuerſus eſt verus Dei cultus: ſic Clericalis ordinis ſplendor & dignitas, reuerentia ac libertas corruit prorſus pleriſque locis; aliis verò inſigniter imminui cœpit, etiam apud eos qui ſe Catholicæ Eccleſiæ filios profitentur, & cum Sede Apoſtolica, matrice & radice Chriſtianæ vnitatis & Catholicæ communionis, vnitatem fidei & doctrinæ ſe ſeruare gloriantur.

In Gallia, quæ tot ſæculis *monſtra non habuit* ob inſignem Regum pietatem, & feruentiſſimum erga Religionem Catholicam affectum, longè equidem pluſquàm in pleriſque aliis Chriſtiani orbis partibus, (quæ etiamnum auitam patrum hæreditatem in fide incorrupta retinent). Eccleſiaſtica auctoritas, libertas, etiam poſt exitioſas hæreſum eruptiones atque colluuies (quæ Gallias tamen à ſinu veræ fidelium matris, Eccleſiæ nimirum Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ gremio auellere nequaquam potuerunt) altis infixa radicibus ſolida permanſit in ſtipite: quamuis deciſis pleriſque ramis, primæui vigoris & amplitudinis, longè contractior euaſerit, cæcâ quorumdam Laïcorum inuidiâ, qui nonniſi ex matris detrimentis & lamentis, augmentum ſibi per illicitos auſus & profanos exceſſus, obliti filialis obſeruantiæ & diuini timoris atque iudicij poſthabito reſpectu, à centum circiter annis comparare certatim contenderunt, nullâſque artes, nullos arietes prætermiſêre, quibus ſubuerſum irent ius Eccleſiaſticum decúſque, vt neſcio quod regnum ex ruinis ſacræ Hierarchiæ tandem vt optabant, aliquando ſtabiliri poſſet. Hinc clamores & planctus gementis per vniuerſas Chriſtianiſſimi regni prouincias Eccleſiæ Gallicanæ perſonuerunt in Synodis, quæ per ſingulas ferè Metropoles, ſacris à proceribus, labente præſertim, proximè tranſacto ſæculo de ſummorum Principum licentia ſunt habitæ; quemadmodum in actis & decretis potiſſimùm Concilij Prouincialis Rothomagenſis anno 1581. Rhemenſis, & Turonenſis anno 1583. Bituricenſis 1584. &c. licet conſpicere.

Per Reges ſanè non ſtetit quin eiuſmodi querulæ voces gementis Eccleſiæ exaudirentur; quibus ipſimet imprimis exciti pro ingenita pietate Eccleſiæ immunitatem, libertatem, iuriſdictionem, & Cleri priuilegia tam fortiter, quàm feliciter plerumque vindicauerunt, vt ex eorum edictis decretíſque pragmaticis in regni publicis comitiis editis, & ſolenni more promulgatis planè conſtat. Sed vicit paſſim temporis & hominum malitia ipſam cauſæ æquitatem, Regiam pietatem, legúmque vigorem proteruior æmulatio ferè labefactauit.

Planctum Hieremiæ noſtri, S. Bernardi, mihi liceat hîc vſurpare: *Murmur loquar* (ait lib. 3. de Conſid.) *& querimoniam Eccleſiarum. Truncari ſe clamitant & demembrari.* Sola doctrina penè incolumi permanente *auulſus eſt à filia Sion omnis decor eius*; vigor diſciplinæ, poteſtatis robur, dignitatis reuerentia, ipſáque Eccleſiaſtica libertas direpta à filiis

diſcolis, & æmulis paſſim emarcuit, iámque in arido eſſet ipſe truncus, qui deuulſis ramis ferè ſolus ſupereſt, niſi regalis maieſtas inter tot procellas pro tuendo ſanctuario zelum ſuum accendiſſet, præbuiſſet manum, tuliſſet opem opportunam, ſupremæque Curiæ (præſertim quæ omnes, vt dignitate, auctoritate & loco antecellit, ſic pietate & æqui iuſtíque ſtudiô longè ſuperat, Pariſienſis) inferiorum iudicum auſus repreſſiſſent, ſumma manu adhibita, quæ dum iis frænum iniecit, ſic Eccleſiæ plurimum attulit tot inter preſſuras ſolatium.

FINIS LIBRI SEXTI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

DE
HABITV CLERICALI
LIBER VII. & vltimus.

DE CLERICALIS HABITVS deſertione: pœniſque aduerſus eius deſertores à Iure ſtatutis.

CAPVT PRIMVM,

SEV DISSERTATIVNCVLA.

Ad titulum 9. lib. 5. Decret. de Apoſtatis, cap. 1.

Textus Capitis.

ALEXANDER III.

PRÆTEREA Clerici qui relicto ordine Clericali, & habitu ſuo, in Apoſtaſia tanquam Laici conuerſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam non præcipimus liberari.

OBSERVATIO I.

Correctio inſcriptionis.

TRIBVITVR hoc decretum Alexandro III. in ipſius Capitis inſcriptione, at reuerà deſumptum eſt ex Epiſtola Eugenij Papæ I. qui Martino I. ſucceſſit anno 654. ad Epiſcopum Sarenſem, ex qua etiam excerptum eſt cap. *Preſbyterum*, & c. *Sacerdotibus*, quæ referuntur in Appendice 2. II. Concilij Lateranenſis, ſub Alexandro III. celebrati, vnde orta cauſa hallucinationis compilatoris Decretalium: ſiquidem quod reperit hoc capite ſerie 16. Parte 26. Append. 11. ad Concilium Lateranenſe III. Oecumenicum ſub Alexandro III. ſpecie huius nominis præoccupatus, ſub eo caput ipſum recenſuit. Verùm minùs conſideratè quàm par erat. Sunt enim in eiuſmodi appendicibus pleraque decreta nonnullorum Pontificum Alexandro III. antiquiorum, quin & aliqua

etiam

etiam poſteriorum, vt ſolerter Laurentius Surius in præmonitiuncula ſuper ipſas appendices animaduertit.

Porrò in appendice 11. præſignata, part. 25. c. 15. ſic prænotatur: *Item Eugenius Papa I. Sarenſi Epiſcopo;* & cap. ſequens de quo agimus, inſcribitur hoc modo, *idem eidem, in eadem Epiſtola.* Eſt igitur Eugenij I. non Alexandri III. licèt forſitan ab ipſo Alexandro confirmatum & promulgatum, cum aliis pleriſque tam ſuis quàm prædeceſſorum ſuorum ſanctionibus, in Oecumenica Synodo Lateranenſi III. anno 1179. celebrata, cui ipſe Pontifex præfuit.

Cæterùm lectorem monitum velim, vbi in titulo cap. 16. appendicis memoratæ legitur editum, *Epiſcopo Sarenſi*, reponendum eſſe *Saſſarenſi*, cuius nunc Sedes eſt Atchiepiſcopalis in Sardinia, vt ex lib. 5. conſtat Notitiæ Epiſcopatuum orbis Chriſtiani, voculâ *Saſſaris*.

OBSERVATIO II.

Ad nomen Clerici, *quod notula marginis, videtur irreptitium innuere.*

VOX *Clerici* (inquit notator ille) *deeſt in vetuſtioribus exemplaribus*, ſcilicet huius Tituli & Capitis Decretalium. Sed quid tum? cùm certè reperiatur in ſuo fonte, nempe in reſcripto Eugenij I. eius auctoris, ad Epiſcopum Saſſarenſem, ſine vllo ſigno additionis, vt videre eſt in appendice prænotata. Denique ſublata hac ipſa voce, *Clerici*, etſi textus non ſit ita plenus, ſemper tamen eſt perſpicuus, ita enim haberet, *Præterea, qui relicto ordine Clericali.* At nemo poteſt deſerere ordinem Clericalem niſi qui Clericus: quamobrem vocula iſta minimè irreptitia videri debet, quæ ſi ſubmoueretur è contextu, ſupplenda eſſet in ſenſu, neceſſariâ rei ſignatæ cohærentiâ.

OBSERVATIO III.

De ſenſu ipſo Capitis, quoad nomen Clerici.

PERSTRINGERE hanc canonicam ſanctionem ſolos Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, Gloſa *Tolerandi* in cap. *Tuæ fraternitati*, quod eiuſdem tituli tertium eſt, inſinuat. Cui opinioni Theologi quidam non poſtremi nominis aſſentiuntur, dicentes apoſtaſiam ab ordine non eſſe aliud, quàm diſceſſum & retroceſſionem, per quam Clericus ſacris ordinibus initiatus, propria auctoritate deſerit ſuſceptæ anteà militiæ inſignia, ſcilicet Tonſuram & Clericalem habitum, vt laïcaliter viuat. Textúmque hunc de eo eſſe formalem, loquitur enim disertè de Clericis, qui relicto ordine Clericali & habitu ſuo, in apoſtaſia tanquam Laïci conuerſantur. atqui ſimplicis tonſuræ Clericus, non habet vllum ordinem Clericalem; ſiquidem tonſura non eſt ordo, ſed ianua & diſpoſitio ad ordines; proinde ſimplex eiuſmodi Clericus etiamſi habitum deſerat, & laïcaliter viuat, dici non poteſt ordinem Clericalem reliquiſſe, & apoſtatâſſe ab ordine, quamuis laïcaliter conuerſetur.

Sed falluntur qui ita ſentiunt: ſiquidem hîc ordinis nomen non ſumi-

tur pro ordine ſtrictè & propriè dicto, qualis eſt quilibet ordo ſacer, vel etiam inferior, ſed pro ſtatu & conditione Clericali; qui quoniam conſtituit ſimplicem etiam Clericum in ſtatu à populari diuerſo, latè etiam ſumitur pro ordine qui dicitur generaliter *Ordo Clericalis:* eo quòd illos omnes qui Laïci non ſunt, ſed à vulgo ſelecti, & in ſortem Domini adſcripti, comprehendit. c. *Clericos.* diſt. 21. & can. *quorumdã.* diſt. 23. & c. 1. *de præbend. vbi periculum*, §. *præterea.* De electione. & c. *ſi ſententia. De ſent. excom. in 6.* & gloſ. 1. *in c.* 1. *de Cleric. venat.* item cap. *Epiſcopus. De præbend.* & gloſ. 1. *in cap.* 1. eiuſdem tituli, & gloſ. 1. in can. *illud.* diſt. 77. vbi etiam pſalmiſtatus (qui ſine tonſura conferri poteſt) ordo & quidem primus dicitur. Deinde cap. *cùm contingat.* & ibid. gloſ. 1. *de ætate & qualit.* dicitur, *Ordo Clericalis per primam tonſuram conferri;* ipſámque tonſuram eſſe ordinem, eo nimirum ſenſu quem expreſſimus. Denique in Pontificali Romano, in ordine degradationis à prima tonſura, euidenter ipſa cenſetur ordo Clericalis: ſic enim eloquitur ad degradandum, Pontifex: *Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filij & Spiritus Sancti, ac noſtra, tibi auferimus habitum Clericalem, & nudamus te religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, ſpoliamus te omni ordine, beneficio, & priuilegio Clericali, & velut Clericalis profeſſionis indignum redigimus in ſeruitutem & ignominiam habitus ſæcularis ac ſtatus.* Et infrà; *Pronuntiamus vt hunc exutum omni ordine ac priuilegio Clericali, curia ſæcularis in ſuum forum recipiat degradatum.* Igitur qui tonſurâ primâ eſt inſignitus, eſt in ordine Clericali, quamobrem ab eo deflectere non poteſt; proinde eiuſmodi Clericus, etiam deſignatus debet intelligi his verbis præmemorati Capitis, *Præterea Clerici, qui relicto ordine Clericali & habitu ſuo,* &c.

OBSERVATIO IV.

De Apoſtaſia; an poſſit cadere in Clericum ſimplicem per deſertionem Clericalis habitus, & Laïcam conuerſationem? & ita Caput de quo agitur, intelligi debeat?

GLOSA, ad nomen *Apoſtaſia*, in caput præcitatum, triplicem apoſtaſiam diſtinguit, 1°. ſcilicet *perfidiæ*, quando quis recedit à fide, 2. q. 7. c. *non poteſt.* 2°. *inobedientiæ*, quando quis tranſgreditur præceptum. *De maiorib. & obed. ſi quis venerit*, & can. *illud.* 3°. *irregularitatis*, cùm quis recedit ab ordine ſuo, ſiue ſumpta religione, vt hîc, & 50. diſt. can. vlt.

At Theologi ſcholaſtici rem paulò aliter explicant: Alexander Alenſis, 2. 2. vbi de Apoſtaſia, *Eſt*, inquit, *temerarius à ſtatu fidei, obedientiæ Eccleſiaſticæ, vel religionis receſſus;* ſed S. Thomas Theologorum apex, 1. 2. q. 84. 2. 2. ponit dumtaxat duplicem apoſtaſiam, adeò vt prior ſit *auerſio à Deo;* poſterior *nolle ſubdi Deo;* ſed tamen 2. 2. q. 12. 1. c. diſertè ait, apoſtaſiam quæ receſſus eſt à Deo, eſſe triplicem; videlicet defectum à religione, à bona vita, à fide. Paludanus itidem tres aſſignat apoſtaſiæ ſpecies, 1. eſt, inquit, à fide: 2. à Clero: 3. à Monaſterio.

Du-Vallius in tract. de fide, q. 8. qua agit de apoſtaſia, enucleatiùs il-

lam diſcernit, & quatuor eius gradus conſtituit; *Sciendum eſt*, inquit, *apoſtaſiam Latinè ſignificare defectionem, ſeu receſſum à re aliqua ſiue bona, ſiue mala, ita vt nomen hoc ex ſe, & ex prima ſui inſtitutione ſit quid indifferens; communiter tamen in Scriptura & Patribus, atque ſecundum ordinarium loquendi modum ſignificat receſſum à Deo, cui antea Apoſtata ipſe coniungebatur. Vnde quia priuatio qualis videtur eſſe apoſtaſia, per habitum cognoſcitur & menſuratur, quot modis contingit aliquem Deo coniungi, tot modis etiam ab eo deficere, ſeu recedere certum eſt. Deo autem coniungimur,*

Primò, per fidem, quatenus veritatibus, quas nobis per Eccleſiam reuelauit, aſſentimur.

Secundò, per obedientiam ſeu obſeruationem præceptorum eius.

Tertiò, per ſtatum Clericalem; hic enim ſtatus diuino obſequio Clericos magis quàm Laïcos addicit & mancipat.

Quartò, per ſtatum religionis: cùm enim religio à religando deducatur, non eſt dubium quin ſtatus religioſus arctiùs Deo nos coniungat quàm Laïcus. Tot ergo modis contingit aliquem à Deo recedere; quamuis tamen receſſus à fide magis propriè appelletur apoſtaſia, quàm tres alij qui in voluntate conſiſtunt, vbi receſſus à fide pertinet ad intellectum, & eſt propterea ſpecies infidelitatis. Hactenùs Du-Vallius præclarum Sorbonæ lumen, nitidè, ſolidè & adæquatè.

De duobus ſuperioribus gradibus & quarto, hîc non eſt locus diſſerendi, ſed tantùm de tertio; *Apoſtaſiam* igitur *ab ordine* ipſe Du-Vallius eſſe ait, *per quam Clericus ſacris ordinibus initiatus, propriâ auctoritate deſerit habitum Clericalem, vt laïcaliter viuat.* Quæ deſcriptio ita mihi vera videtur, vt quicumque Clericus ſacris ordinibus initiatus, propriâ auctoritate habitum deſerit Clericalem, eo fine vt laïcaliter viuat, verus ſit apoſtata ab ordine, maximè ſi, vt idem Doctor exempli gratiâ ponit, contrahat matrimonium, aut ſtatum militiæ amplectatur, aut aliquo modo ſegerat contra Clericalem ſtatum: at ſtantibus præmiſſis à me principiis, reor eſſe arctiorem, in quantum eiuſmodi apoſtaſiæ ſpeciem ad eum qui ſacris ordinibus præditus eſt, dumtaxat reſtringit: extendendam enim eſſe non modò ad eos qui minoribus ordinibus inſigniuntur; quin etiam tonſurâ Clericali initiati ſunt.

Bannes art. 1. quæſt. 12. dubitatione 3. negat apoſtaſiam ab ordine locum habere in Clericis ſimplicis tonſuræ, aut iis etiam, qui ad quatuor minores ſunt promoti; an rectè neget, diſcutiendum. Non aliter probat quàm ex argumento à ſimili; ait enim retroceſſionem hác non eſſe magis apoſtaſiam, quàm retroceſſionem Nouitiorũ à Religione; ſicut enim inquit, Nouitij ſunt in ſtatu incipiẽtium reſpectu vitæ religioſæ; ſic etiam initiati primâ tonſurâ, & minoribus ordinibus, ſunt in ſtatu incipientium reſpectu ſtatûs Clericalis. Vnde ſicut Nouitius ante emiſſam profeſſionem retrocedens, non eſt apoſtata; ſic nec Clericus in minoribus aut prima tonſura, recedens ab ordine, non eſt dicendus apoſtata.

Verùm parem non eſſe rationem Nouitij in Religione, & Clerici in ſimplici tonſura, aut quatuor minoribus ordinibus, manifeſtum eſt, ex eo quòd per tonſuram Clericus militiæ Eccleſiaſticæ

& ſtatui Clericali longè arctiori iure adſcribitur, quàm religioni monaſticæ deuincitur Nouitius, per ſimplicem nouitiatûs ſuſceptionem: ſiquidem tranſit initiatus tonſurâ in ſortem Domini, vnde ſortiti ſunt nomen, can. *Cleros.* diſt. 21. Et quilibet Clericus dicitur ſeruus Dei, miles Dei, gloſ. 1. in cap. 1. *De Cleric. venat.* & cap. 1. *de Clerico ægrotante.* Tonſura itetari non poteſt, ſicut ſuprà demonſtratum eſt ex titulo de ſacramentis non iterandis: ex quo axiomate Arcadius Græcos reprehendit, quos iterare tonſuram, bíſque eam conferre exiſtimat. Porrò quatuor minores imprimunt characterem, neq; ideò abſque ſacrilegio iterari poſſunt, arctiúſque admodum aſtringunt Eccleſiaſticæ profeſſioni, & Clericali militiæ, diuinóque cultui, quàm Nouitiatus profeſſioni monaſticæ ſeu regulari. Quamobrẽ non ſolùm Nouitius ſine apoſtaſia vel reatu, iure ſuo vtens ſuſceptum poteſt habitum deponere, nouitiatum incœptum dimittere & valedicere Conuentui vel Societati regulari, cuius aſſumpſerat experimenti gratiâ teſſeram ſpecialem; verùm etiam ipſe inuitus à religione expelli poteſt. At nemo poteſt degradari à tonſura vel quatuor minoribus ordinibus, ad nutum Prælati: grauis enim cauſa ſubeſſe debet, & ſententia latâ via iuris præcedere, ſine qua & cauſa deficiente legitima eiuſmodi exauctorationis, non ſolùm ipſa degradatio nulla foret ipſo iure, ſed peccaret grauiter Epiſcopus qui id præſumeret. Nam vt ait vetus axioma canonicum, *Solus Epiſcopus honorem dare poteſt, at ſolus auferre non poteſt;* cùm igitur euidenter, illa æquiparatio qua nititur opinio Bannis, nequaquam vera ſit, ducta quoque inde concluſio futilis eſt.

Nec magis firmum eſt quod ſubiungit, *Non eſſe peccatum mortale à minoribus illis ordinibus, & tonſura prima retrocedere, quandoquidem vtitur iure ſuo quod habet recedendi: per minores quippe ordines non eſt immobiliter ſtatui Clericali addictus, ſed adhuc in ſua libertate manet, cuius beneficio poteſt aliud vitæ genus à vita Clericali amplecti.*

Sed huic ratiunculæ non inauſpicatò occurrit Caietanus, diſtinctione adhibita; ait enim in Clerico primâ tonſurâ inſignito, vel quatuor minoribus initiato tria poſſe ſpectari, 1°. ſtatum ipſum quo de ſorte Domini eſſe dicitur: 2°. exercitium ipſius ſtatus, cui eſt addictus & mancipatus: 3°. ipſius ſtatus ſigna exteriora, vt veſtes & tonſura. Quo poſito diſcrimine ait non eſſe peccatum mortale nec veniale, ſi quis in minoribus conſtitutus retrocedat ab ordine quoad 2um. & 3um. modum; quia cùm in iure permittatur illi inire matrimonium; (tit. *de Clericis coniugatis.* tam apud Gregor. quàm Bonifacium) & in matrimonio indecorum ſit eos deferre inſignia Clericorum, & minorum ordinum officia exercere, conſequenter hæc duo poſſunt ſine peccato propria auctoritate relinquere, nempe officium & inſignia. Sed verò quoad primum modum, nempe ſtatum ipſum Clericatûs, cenſet Caietanus eſſe peccatum mortale, & apoſtaſiam ab ordine; quia in eo ſtatu quis ſe collocat, in quo ſecundùm iura redditur incapax & inhabilis ad quodlibet munus horum ordinum exercendum: vt ſi efficiatur digamus aut viduæ maritus, vel ſi ſit tonſurâ tantùm inſignitus ad gradus Clericatus progrediendum, quo-

cumque coniugio inhabilem ſe reddit. Talis autem retroceſſio fit (inquit) cum contemptu ordinis: contemptus autem ille cùm in re facta verſetur, non poteſt non eſſe peccatum mortale.

At Bannes, vt eludat hoc argumentum, reſpondet duplicem eſſe contemptum; vnum virtualem, qui comitatur omnem actum legi contrarium; alterum formalem, qui fit per deprauatam quandam voluntatem in odium & contemptum legis, & hunc eſſe quidem ait peccatum mortale, illum verò minimè. Quo fit, vt ſi quis retrocedat à tonſura & minoribus, interueniat dumtaxat contemptus virtualis quo contemnit, ſeu renuit amplecti ſtatum Clericalem, in quo erat tantùm initiatiuè: proinde non peccat mortaliter.

Verùm pace tanti Theologi dixerim, periculoſam eſſe admodum, imò & abſurdam eiuſmodi diſtinctionem; ſi enim contemptus virtualis qui comitatur omnem actum legi contrarium, eſt dumtaxat peccatum veniale; non peccant mortaliter, qui occidunt, vel adulterantur, aut peierant, ſiquidem hoc non faciunt in odium vel contemptum legis, quæ eiuſmodi actu temeratur: at dumtaxat paſſione impulſi vehementiore, qua abrepti, etſi legem tranſgrediantur, tamen id affectatâ legis iniuriâ non agunt, cuius violationis reatum potiùs abeſſe vellent plerique à ſuo facto. Non eſt igitur verum quòd contemptus virtualis reatum grauem non includat, quem non excludere venialem noxam ipſe fatetur Bannes in eo qui retrocedit à Tonſura vel minori ordine, quia contemnit ſeu renuit amplecti ſtatum Clericalem, quo erat initiatus.

Nec valet alia eiuſdem Bannis diſtinctio, quòd per tonſuram aut quatuor minores quis dumtaxat initiatiuè, non perfectè in ſtatu Clericali conſtituatur. Verum eſt quidem per gradus ordinum, creſcere ordinatorum dignitatem, vnde inſignitus ordine ſacro, eo qui minoribus dumtaxat eſt præditus, maior Clericus eſt, ſed non eſt magis Clericus; imò nec qui quatuor minores habet, magis eſt Clericus ſimplici tonſurâ inſignito; nec enim fit Clericus cùm ipſi quatuor minores, vel etiam maiores ordines conferuntur, ſed cùm ſuſcipit tonſuram & habitum Clericalem ſolenni ritu. Quamobrem in Pontificali Romano ordo conferendæ Tonſuræ inſcribitur, *De Clerico faciendo:* quoniam eiuſmodi inauguratione fit Clericus, qui antè Laïcus erat, & nomen aſſumit, quod tyrunculis non modò ſacræ militiæ conuenit, at omnibus eius gradibus commune eſt, ſiquidem Clericali nomine non venit vnquam populus. cap. 1. *De præbend. & d.* At Clericorum appellatione etiam Diaconi, quin & Sacerdotes comprehenduntur, can. *quorumdam.* diſt. 23. imò etiam aliquando Epiſcopi, can. *interdixit.* diſt. 32. & cap. *quamuis. De offic. Ordinarij lib. 6.* inſuper can. *placuit.* diſt. 38.

Inde igitur conſequens eſt 1°. inſignitum primâ tonſurâ vel quatuor minoribus verè eſſe Clericum, & non tantùm initiatiuè, ſed complete quoad nomen & titulum Clericatûs. 2°. quia nomen commune eſt, & omnem ſtatum Eccleſiaſticum denotat & includit, qui retrocedit à tonſura vel quatuor minoribus, vniuerſo ſtatui Clericali inferre iniuriam, imò ipſo contemptu, qui defectioni eiuſmodi ſemper cohæret, peccare

non ſolùm venialiter, vt vult Bannes, at mortaliter, maximè ſi hoc faciat ſine rationabili cauſa,& vrgenti aliqua, quæ bonum animæ reſpiciat,(vt ſi extra coniugium quiſpiam de ſalute periclitetur) neceſſitate.

Du-Vallius hîc iterum audiendus, locô ſignatô, certa axiomata conſtituens: *Prima concluſio:*(inquit) *Qui recedit à minoribus per contemptum ipſorum ordinum expreſſum, ſine dubio peccat mortaliter: & in hac quilibet Doctores conueniunt, ſic enim voluntas hominis prauè erga res diuinas & ſacras afficitur.*

Secunda, Suſcipere minores ordines cum intentione ab illis retrocedendi, & ſolo animo gaudendi impoſterum priuilegiis Clericorum, eſt peccatum mortale, & apoſtaſia quædam interior, &c. Probatur primùm ex Concilio Tridentino ſeſſ. 23. c. 4. vbi prohibetur ne aliqui primâ tonſurâ initientur, *niſi probabilis ſit coniectura eos non ſæcularis iudicij fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe:* quod autem de tonſura præſcribitur, idem etiam præſcribi & multò fortiùs de minoribus ordinibus, quibus perſona diuino cultui magis mancipatur, perſpicuum eſt. 2°. qui hac intentione retrocedendi, tonſurâ & primis ordinibus initiatur, Eccleſiam in re non leuis momenti decipit, vnde ſi Eccleſia hanc intentionem deprauatam noſſet, ſine dubio eum arceret ab ordinatione: atqui Eccleſiam in re grauiſſima decipere, eſt peccatum mortale, vt ſatis conſtat.

Cæterùm quoad genuinum ſenſum Capitis *Præterea*, tit. 9. lib. 5. decret. de quo agitur: Dico his omnibus præmiſſis, ſiue etiam ſi quis velit prætermiſſis, non hîc quæſtionem verti de Clerico coniugato, aut ad Laïcam vitam & conuerſationem, puta conditionem militarem, aut negotiationem, omninò tranſeunte, ſed de eo qui ſe Clericum profitens, nec coniugatus, nec alteri vitæ generi quod Clericatum excludat, addictus, vt honorem Clericalem cum priuilegiis retineat, aut beneficia poſſideat; nihilominus immemor conditionis ſuæ, tonſuram & habitum Clericalem deſerit, & ſæculari reſumpto habitu, crinibúſque prolixis, non modò videri vult Laïcus, at ſæcularibus negotiis implicitus, moribúſque deditus, vt Laïcus conuerſatur; hunc profectò verè, propriè & ad ſenſum capitis decretalium quod diſcurimus, *relicto Clericali ordine & habitu* eſſe apoſtatam; nec poſſe ab apoſtaſia propriè dicta excuſari, proinde ſi in crimine deprehendatur, etiamſi aliquo officio Eccleſiaſtico aut miniſterio fungeretur, foro ſæculari relinquendum, nec poſſe, nec debere auctoritate Eccleſiaſticâ vindicari à ſæculari iudicio. Textus huius capitis eſt formalis, nec indiget ampliori explicatione.

CAPVT SECVNDVM.

De Pœnis, aduerſus Clericos à iure conſtitutis, qui habitum deſerunt Clericalem.

POENA I.

Priuatio priuilegij Canonis.

CLERICVS non deferens habitum Clericalem perdit priuilegium Clericale. Cap. *in audientia, de ſent. excom.* tit. 39. lib. 5. decret. vbi tamen additur exceptio, *ſi tertiò monitus non reſipuerit.* ſiquidem per dimiſſionem habitus & tonſuræ ante trinam admonitionem, non perdit priuilegium Clericale, cap. *Contingit.* eodem tit. & cap. *cùm non ab homine*, ibidem. Tertiò autem moniti Clerici à Prælato ſuo vel iudice Eccleſiaſtico, ſi ſe non correxerint, omni priuilegio priuantur, cap. 1. *De Apoſtatis* præcitato; maximè verò priuilegio canonis. De eo qui dimittit tonſuram expreſſus eſt textus c. 4. *de ſent. excom.* qui ſic habet: *Si verò aliquis in Clericum nutrientem comàm manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apoſtolico præſentari conſpectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipſum fuiſſe Clericum ignorauerit, vel ſi hoc dubium fuerit, manu dumtaxat præſtiterit iuramentum quòd eum eſſe Clericum ignorâſſet.* De eo verò qui deponit habitum, cap. *cùm ab homine;* quod deſumptum eſt ex reſcripto Clementis III. hunc in modum decernentis, §. in articulo, *Reſpondemus quòd occiſores Clericorum aut Preſbyterorum, qui contempto Clericali habitu*, &c. *in odium Clericalis exceſſus, & terrorem atque correctionem ſimilium, canone latæ ſententiæ minimè coërcentur;* at moderationem interſerit, *ſi ſe enormitatibus inuerecundè immiſcuerint.* Rationem eximiam reddit idem Pontifex, eodem tit. cap. *in audientia*, vbi reſpondens Epiſcopo, qui perquiſierat, vtrum Clerici qui arma militaria relicto Clericali habitu geſtare nullatenus erubeſcunt, ſi eis fuerit iniuria corporalis illata, vel ſe à captione redemerint, illa debeant Clericorum immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum iniectione facta in Clericum, excommunicatus quis ipſo iure notatur? ſic ait: *Ad hæc tibi breuiter reſpondemus quòd cùm fruſtra Eccleſiæ imploret auxilium qui committit in ipſam, & lex principum ſæcularium (ff. de iniur. itidem apud §. ſi quis virgines,) huic reſponſo ſatis efficax afferat argumentum, quo manifeſtè cautum habetur, matronam cuius pudicitia attentata fuerit, non poſſe iniuriarum agere, ſi in veſte meretricali fuerit deprehenſa: huiuſmodi Clerici ſi à Prælatis ſuis tertiò commoniti, militaria noluerint arma deponere, de priuilegio Clericorum ſubſidium aliquod habere non debent.*

Idipſum ſtatuit Concilium Toletanum anno 1473. ſub Sixto IV. c. 14. his verbis, *Vt qui ſuſceptæ profeſſionis habitum dedignantur, priuilegiis gaudeant ſibi conceſſis, nec noſtri iuris auctoritas, nec ordo exigit rationis: fruſtra enim auxilium legis inuocat, qui committit in legem.* Et infrà: *Sacro approbante*

Concilio ſtatuimus vt de cætero prædicti Clerici, tam coniugati quàm non coniugati, tonſuram quantitatis vnius regalis, & veſtem ſuperiorem non virgatam, neque partitam ad medietatem tibiæ vel ferè declinantem conferant congruentem. Non autem deferentes eiuſmodi habitum ſi fuerint coniugati, eo ipſo; ſi verò non coniugati & exceſſiuis & enormibus ſe ingeſſerint, & ea frequentauerint, priuilegium omnino amittant Clericale: id eſt tam canonis, quàm fori.

Ioannes Galli q. 43. *Licèt,* inquit, *de proprietate Tonſuræ Curia Parlamenti non debeat cognoſcere, tamen an veſtes ſint Clericales necne, cognoſcere poteſt; quia hoc cognoſcere, non eſt cognoſcere de re ſpirituali, ſed temporali: ſic cognouit de pileo partito an eſſet veſtis Clericalis; ſic de zipono, & fibulis ſciſſis; ſic de caligis vna viridi & alia rubea cognouit.*

POENA II.

Priuatio priuilegij fori.

SVPRA non ſemel obſeruauimus Clericos etiam ſimplicis tonſuræ gaudere priuilegio fori, vnde poſtquam contulit Epiſcopus tonſuram & habitum, ſic admonet initiatos: *Filij chariſſimi animaduertere debetis, quòd hodie de foro Eccleſiæ facti eſtis, & priuilegia Clericalia ſortiti eſtis; cauete igitur ne propter culpas veſtras illa perdatis, & habitu honeſto, bonîſque moribus atque operibus Deo placere ſtudeatis.* &c. Perdi igitur poteſt priuilegium Clericale, ſignatim verò priuilegium fori, & quidem ab omnibus Clericis tam maiorum, quàm minorum ordinum, & ſimplicis tonſuræ: certis in caſibus.

Primus eſt, ſi Papa ex cauſa daret vni Principi poteſtatem iudicandi de Clericis certi loci vel territorij; nam c. *præter hoc, diſt.* 32. commiſit Papa duobus Ducibus, cauſam Clericorum ſimoniacorum: licèt enim priuilegium fori ſit de iure diuino, quamobrem nequeat à Papa abrogari, neque vniuerſo ordini auferri, tamen immunitas perſonæ Clericalis eſt de iure poſitiuo, in quo Papa diſpenſare poteſt. Tametſi veniret contra ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ ſi hanc ex toto tollere vellet: vnde Iuriſperiti, & maximè Hoſtienſis *in cap. 2. de Majo. & obed.* cenſent diſpenſari poſſe tantùm à Papa in particulari, quoad certas perſonas & caſus, ſecundùm quædam tempora & loca.

Secundus eſt, in Clerico aſſaſſino: poteſt enim puniri per iudicem ſæcularem Clericus criminaliter, abſque alia degradatione, c. 1. *de homicidio lib.* 6. per decretum Innocentij IV. in Concilio generali Lugdunenſi promulgatum hoc tenore: *Sacri approbatione Concilij ſtatuimus vt quicumque Princeps, Prælatus, ſeu alia quævis Eccleſiaſtica ſæcularîſve perſona, quempiam Chriſtianorum per prædictos aſſaſſinos interfici fecerit, vel etiam mandauerit, (quanquam mors ex hoc forſitan non ſequatur) excommunicationis & depoſitionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio,* &c. *incurrat ſententias ipſo facto,* &c. *Et poſtquam probabilibus conſtiterit argumentis aliquem ſcelus tam execrabile commiſiſſe, nullatenus alia excommunicationis, vel depoſitionis, ſeu diffidationis aduerſus eum ſententia requiratur.* Tamen obſeruandum

quòd

quòd pro delictis non conſummatis nunquam priuatur Clericus priuilegio ipſo facto, niſi in crimine læſæ Maieſtatis, &c.

Tertius eſt, in Clerico arma militaria deferente: qui ſi (vt ſuprà inſinuatum eſt) tertiò monitus à ſuo Prælato, non deſtiterit, perdit omne priuilegium Clericale. Cenſet Chaſſaneus in Conſuetudine Burgundiæ, tit. *Des droicts & iuſtices d'icelles*. Rub. 1. non eſſe opus alia degradatione, ſi fuerit in atroci crimine deprehenſus; quia per dictam trinam monitionem ſi arma non depoſuerit, eſt exutus omni priuilegio Clericali, & relinquitur ſæculari iudicio ex gloſ. *ſingularem. in Clem. de off. ord.* in verbo *priuilegij*; quam Doctores ſequuntur dicentes notantes priuati omni priuilegio tam canonis, *ſi quis ſuadente*, &c. quàm priuilegio fori.

Quartus eſt, ſi Clericus in minoribus conſtitutus, fiat miles, perdit enim priuilegium Clericale ipſo facto, ſecundum Innocent. in cap. 1. *de Apoſtatis*: at ſunt qui velint tantùm priuari priuilegio canonis, *ſi quis ſuadente*, &c. non autem priuilegio fori; quam ſententiam firmat canon præcitatus Toletani Concilij ſub Sixto IV. in fine, & eam ſequens Chaſſaneus præfatus: *Vidi*, inquit, *multos armigeros ſeu auenturerios, qui ex quo per multos annos exercuerant arma, & fuerant in multis guerris, denegabatur eis remiſſio ad forum Eccleſiaſticum: ego tamen fui in multis opinionis contrariæ, & conſului eos remittendos, & multi fuerunt remiſſi, alij non.* Fortè ob delictorum grauitatem.

Quintus eſt, in eo qui poſt aſſumptum Clericatum immiſcuit ſe enormitatibus & ſæuis, & diu in illis perſeuerauit habitu & tonſurâ dimiſſis, & deprehenſus eſt in delicto. *cap. perpendimus. 23. de ſent. excomm.* apud Greg. lib. 5. tit. 39. Et cap. *cùm non ab homine*, eodem titulo num. 14. §. *in articulo*.

Sextus eſt, in Clerico ioculatore, ſeu vt aiunt canonicæ ſanctiones, goliardo & bufone, qui ſecundò & tertiò monitus (vſque ad tertiam neglectam monitionem non cenſetur Clericus incorrigibilis, *idem ibid.* in add. ad 13. Art.) non deſiſtit, modò per annum exercuerit eiuſmodi ludicra ſcandaloſa. Vide Angelum in Summa, verbo, *Clericus*. At ſunt qui excipiant, perdere priuilegium canonis, non autem priuilegium fori; quin & alij actualem degradationem requirunt, at in iis tantùm Clericis qui ſacris initiati ſunt. Nota.

Septimus eſt, in Clericis, carnificum ſeu macellariorum aut tabernariorum officium publicè exercentibus, tertióque monitis nec deſiſtentibus. *Clement. 1. de vita & honeſt. Clericorum.* publicata in generali Concilio Viennenſi, & inſerta lib. 3. Clement. *tit. 1. c. 1. Diœceſanis*.

Octauus, vbi manifeſta eſt negligentia iudicis Eccleſiaſtici, corrigendi Clericos. Gloſ. enim in can. *Principes ſæculi.* 44. q. 5. diſertè ait: *Cùm Eccleſiaſtica poteſtas deficit, Laïca poteſt corrigere Clericos, vt cùm faciunt ſchiſma, & non poſſunt ab Eccleſia compeſci.* Gloſ. in c. *Tua. de Decimis*. Verùm eiuſmodi opinio à quibuſdam non recipitur, qui rectè docent in caſu negligentiæ iudicis Eccleſiaſtici inferioris, recurrendum eſſe ad iudicem ſuperiorem gradatim, vſque ad ſummum Pontificem. Aduertendum Nota. etiam quòd ſecundùm canonicas, & quaſdam ciuiles etiam ſanctiones,

poteſt adiri Epiſcopus & iudex Eccleſiaſticus, propter neglectam vel denegatam à iudice ſæculari iuſtitiam.

Nonus caſus eſt in Clerico degradato actualiter; quin & etiam verbaliter, ſiquidem iſte debet poſtmodùm tanquam incorrigibilis excommunicari, & deinde creſcente contumaciâ, anathematizari, túncque à iudice ſæculari comprimendus eſt. ſic decreuit Cœleſtinus III. cap. *cùm non ab homine.* tit. *de iudiciis.* lib. 2. his verbis:

A nobis fuit, inquit, *ex parte tua quæſitum, vtrum liceat Regi, vel alicui ſæculari perſonæ, iudicare Clericos cuiuſcumque ordinis, in furto, ſiue in homicidio, vel periurio, ſeu quibuſcumque fuerint criminibus deprehenſi. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus; quòd ſi Clericus in quolibet ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel periurio, ſeu alio crimine fuerit deprehenſus legitimè, atque conuictus, ab Eccleſiaſtico iudice deponendus eſt; quòd ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumaciâ creſcente, anathematis mucrone feriri: poſtmodùm verò ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cùm Eccleſia non habeat vltrà quid faciat, ne poſſit eſſe vltrà perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem, ita quòd ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.*

Decimus eſt, in Clerico qui duas vxores habuit, vel cum vidua aut corrupta contraxit, quia talis obnoxius eſt coërcitioni fori ſæcularis c. 1. *de Bigamis.* lib. 6. at intelligendum eſt de Clerico ſimplici eiuſmodi axioma, non de Clerico qui ante promotionem ad ſacrum ordinem, contraxit cum vidua vel corrupta; licèt enim ſit digamus, & ſuſpenſus ab officio, non tamen amittit priuilegium fori, nec canonis.

Vndecimus caſus incidit in Clericum coniugatum non deferentem veſtes & tonſuram Clericalem, c. 1. *de Clericis coniugat.* Tales ſiquidem non gaudent priuilegio fori, maximè ſi non deferant eiuſmodi inſignia tempore delicti commiſſi. Nec iuuat ſi poſt admiſſum ſcelus reaſſumat Clericatûs inſignia, nam ſic priuilegium quod amiſit non recuperat ipſo facto. Et ſic quidem ex diſpoſitione Iuris Canonici. At in Gallia vſus obtinuit vt Clerici coniugati pro Laïcis cenſeantur, proinde priuilegio fori non gaudeant. Du-Vallius loco ſuperiùs deſignato: *In Gallia*, inquit, *quilibet Clerici coniugati priuilegio fori nequaquam gaudent, ſed coram iudice Laïco comparere tenentur; quod regiis ſanctionibus, & variis Senatuſconſultis decretum eſt. Quod autem dicat Bannes Clericos coniugatos habitum & tonſuram deferentes retinere priuilegium fori, hoc non eſt vſu receptum in Gallia*, &c.

Duodecimus caſus, eſt in cauſa cap. 1. quod excuſſimus *tit. de Apoſtatis*, ſiquidem Clerici etiam non coniugati, qui relicto ordine Clericali & habitu ſuo, in apoſtaſia tanquam laïci conuerſantur, ſi in criminibus deprehenſi teneantur, per Eccleſiam non debent liberari; ex quo colligunt interpretes per iudicem ſæcularem puniri poſſe. Porrò in Gallia id demum obtinuit, non tam vigore huius decreti, quàm Leonis X. Papæ, editâ ad inſtantiam Franciſci I. Galliarum Regis expreſſâ conſtitutione, cuius hæc eſt integra ſeries.

LEONIS X. PONTIFICIS MAXIMI

CONSTITVTIO abrogatoria priuilegij fori, quoad Clericos ſimplices & minores, qui non deferunt Tonſuram & habitum Clericalem.

LEO Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem prouidere, vt ij qui Clericalem decorem ſuis flagitiis deturpare non verentur, Clericali priuilegio minimè perfruantur; ne quod in fauorem bonorũ indultum eſt, improbis licentiam delinquendi ſubminiſtret. Sanè chariſſimus in Chriſto filius noſter Franciſcus Francorum Rex Chriſtianiſſ. nobis nuper exponi fecit, quod licèt ipſe zelô iuſtitiæ feruens, improbos homines de eius regno & dominiis expellere, & iuſtitiam augere ſummo anhelet deſiderio. Quia tamen nonnulli Clerici, nec in habitu & tonſura Clericalibus decentibus incedentes, ſed potiùs ab omnibus pro meris Laïcis habiti & reputati (A quorum oculis Dei timor, & mundanus honor exceſſit) de Eccleſiaſticæ diſciplinæ clementia nimiùm confidẽtes, exceſſus & delicta quotidie perpetrare non verentur. Qui licèt dictam Tonſuram habeant, tamen reuerà actibus & operibus vitam ducunt laïcalem, vt præfertur, in ſuis apprehenſi delictis ſe priuilegio Clericali defendere, & iuſtitiam ſecularem illudere conantur: huiuſmodi ſuum deſiderium adimplere non poteſt, ſicque improborum delicta remanent impunita, Clericorum ſtatus decoloratur, ipſáque iuſtitia non mediocriter impeditur. Quare præfatus Rex nobis humiliter ſupplicare fecit, vt regni & dominiorum eiuſmodi quieti & ſtatui tranquillo ſuper his ita opportunè prouidere, vt exceſſus eiuſmodi non inualido fræno iuſtitiæ coërceantur & comprimantur, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur conſiderantes, quòd Clerici per decentiam habitûs extrinſeci, morum intrinſecam honeſtatem oſtendere debent, nec indignum arbitrantes, viam, quam ſibi huiuſmodi homines ad impunè delinquendum per fidem priuilegium ſub ſpecie Eccleſiaſticæ diſciplinæ ac clementiæ quæſierunt, opportunis remediis amputare: huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus huiuſmodi Clerici in regno, & dominiis prædictis delinquentes, ſi tempore perpetrati eorum delicti, & per quatuor menſes antè in habitu & tonſura Clericalibus decentibus inceſſerint, poſtquam tamen præſentes in Metropolitanis & Cathedralibus regni, & dominiorum prædictis Eccleſiis iuxta ordinationem infrà ſcriptam, publicatæ fuerint, per iudicem ſæcularem liberè & licitè capi, inquiri, diſtringi, &, ſi in ſacris non fuerint, puniri poſſint diſtrictiùs. Sub pœna ſuſpenſionis à diuinis, eo ipſo inhibentes locorum Ordinariis, & aliis quibuſcumque Eccleſiaſticis ne contra ſtatutum & ordinationem huiuſmodi quouis modô directè, vel indirectè venire præſumant. Ac decernentes ex tunc irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Et ne quiſpiam de præmiſſis ignorantiam valeat allegare, volumus, ac præfatis Ordinariis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſimili pœna ſuſpenſionis à diuinis, eo ipſo diſtrictè præcipiendo mandamus, vt ſingulis annis præſentes litteras, ſeu earum tranſumptum authenticum, primis tribus Dominicis Quadrageſimæ ſucceſſiuè in eorum Ec-

cleſiis (dum maior inibi populi multitudo ad diuina conuenerit) per trinam monitionem publicare teneantur, ac Clericos debitè monere, vt tonſuram & habitum decenter deferre habeant. Ac publicationem cum huiuſmodi monitione loco trinæ monitionis à Iure requiſitæ ſuccedere, vímque ſpecialis trinæ monitionis cuilibet ex dictis Clericis factæ (ad hoc vt contrauenientes puniri poſſint) habere decernimus, quódque quoſcumque per dictos quatuor menſes dumtaxat, à die primæ publicationis, vt præfertur, faciendæ, computandos legere incipiant. Locorum verò Metropolitanis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub ſpeciali ſuſpenſionis à diuinis pœnâ eo ipſo incurrendâ committimus, & mandamus vt ſi ſuffraganeos ſuos, vel eorum aliquem in præmiſſis negligentes fore (fortè *) repererint, quilibet eorum in prouincia ſua præfatorum ſuffraganeorum negligentiam ſupplendo, omnia & ſingula præmiſſa debitæ executioni demandare procurent, contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas, & alia Iuris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita compeſcendo, non obſtantibus præmiſſis, ac felicis recordationis Bonifacij PP. VIII. prædeceſſoris noſtri, de vna, & duabus dietis in Concilio generali edita, ac aliis Apoſtolicis, necnon in prouincialibus & ſynodalibus Conciliis editis generalibus conſtitutionibus, & ordinationibus ac quibuſlibet priuilegiis indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumcumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, quæ quoad hoc nolumus cuiquam aliquatenus ſuffragari, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Per hoc autem eodem priuilegio, quoad alios qui verè Eccleſiaſtici fuerint, & ipſam militiam perſequantur, non intendimus in aliquo derogare. Et quia difficile foret eaſdem præſentes litteras ad ſingula quæque loca, in quibus expediens fuerit deferre, volumus & dicta auctoritate decernimus, illarum tranſumptis manu Notarij inderogati ſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, ſeu perſonæ Eccleſiaſticæ in dignitate conſtitutæ munitis, vel Curiæ Eccleſiaſticæ, ea prorſus in iudicio, & extra ac aliàs vbilibet fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur ſi fuiſſent exhibitæ vel oſtenſæ.*

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, inhibitionis, conceſſionis, mandati, intentionis, voluntatis, & decreti infringere, vel auſu temerario contraire: ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ M. CCCCC. XVI. *Kal. Octobris, Pontificatus noſtri anno 4.* BERVLVS †.

POENA III.

Priuatio perceptionis fructuum beneficiorum per ſex menſes, & inhabilitas ad beneficia obtinenda per idem tempus, cum ſuſpenſione ab ordinibus, & priuatione denique officiorum & beneficiorum.

EST expreſſa hac de re conſtitutio Clementis V. inter eius conſtitutiones promulgata & in Concilio Viennenſi, & ſeriatim relata lib. 3. Clement. tit. 1. qui eſt *de vita & honeſt. Cleric.* cap. *quoniam:* quam innouauit & ampliauit Concilium Tridentinum, ſeſſ. 14. de reform. cap. 6. in hunc modum.

Quia verò etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum intrinſecam honeſtatem oſtendant. Tantà autem hodie aliquorum inoleuit temeritas religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem & honorem Clericalem paruipendentes, veſtes etiam deferant publicè laïcales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus. Proptereà omnes Eccleſiaſticæ perſonæ quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem illorum ordini & dignitati congruentem, & iuxta Epiſcopi ipſius ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus; redditibus, & prouentibus ipſorum beneficiorum; necnon ſi ſemel correcti denuo in hoc deliquerint etiam per priuationem officiorum, & beneficiorum huiuſmodi coërceri poſſint & debeant. Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam quæ incipit, Quoniam, *innouando & ampliando.*

POENA IV.

Incarceratio.

PETIERAT Archiepiſcopus Turonenſis ab Honorio III. quid de apoſtatis eſſet agendum cùm in cuſtodia detinentur, qui minis vel blanditiis nullatenus poſſunt induci, vt abiectum habitum reaſſumant.

Ad quod tibi breuiter reſpondemus, ait Pontifex, *quòd tales, ſi volueris, poteris ſub graui cuſtodia carcerare, ita quòd ſolomodo vita ſibi miſera reſeruetur, donec à ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcant.* Tit. *de Apoſtat.* lib. 5. Decret. c. *A nobis*, & cap. proximè præcedenti: *Tuæ fraternitati*, decernit Innocentius III. *quòd Clerici qui ſunt de apoſtaſiæ crimine infamati, qui videlicet abiecerunt habitum Clericalem, non ſunt in ſæculari habitu tolerandi, ſed per diſtrictionem Eccleſiaſticam coërcendi, donec deficiente probatione ad infamiam abolendam, purgationem canonicam curauerint exhibere.*

Digitized by Google

POENA V.

Interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ.

Ex conſtitutionibus Wilielmi Pariſienſis Epiſcopi, inſertis tom. 26. Concil. regiæ editionis Pariſien. p. 761. &c.

I. PRÆCIPITVR *Preſbyteris, vt Clericos cuiuſcumque ſint ordinis in parochia ſua commorantes moneant, quòd tonſuram congruentem & honeſtum habeant habitum iuxta canones; & ſi aliqui in hoc inobedientes vel rebelles fuerint, monitione præmiſſa ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur: quòd ſi aliquis de eiuſmodi præſumptoribus tantæ ſit poteſtatis quòd ſine ſcandalo à Preſbytero prædicto modo coërceri non poſſit, Epiſcopo nuncietur.*

POENA VI.

Excommunicatio & infamia.

Ex Concilio Romano habito in Baſilica S. Petri B. Gregorio præſidente, c. 17. ex quo deſumptus eſt can. 23. diſt. 24. hoc tenore.

Hinc corrigenda capitis 4. de *vita & honeſt. Clericor.* apud Greg. lib. 2. tit. 1. c. *ſi quis*, inſcriptio: quia can. iſte Greg. IX. tribuitur, qui vt patet, Gregorij I. & Magni proprius eſt. Rectè igitur notatur in margine, in pluribus antiquis deeſt vox *nonus*.

SI QVIS *ex Clericis relaxauerit comam, anathema ſit*, vbi dicit gloſſa, videtur quòd omnis apoſtata ſit excommunicatus, vt extra. *de Apoſtatis.* c. 1. quo, *qui relinquunt ordinem Clericalem & habitum ſuum, apoſtatæ & alieni ab Eccleſiæ gratia & protectione declarantur. Imò contrahunt infamiam.* 3. q. 4. c. 3. *ſi quis verò à ſuo propoſito retrorſum exorbitauerit, & iuſſum Apoſtolicæ Sedis tranſgreſſus fuerit, infamis efficitur.*

Ex Conſtitutionibus Gallonis S. R. E. Cardinalis & Pariſienſis Epiſcopi, quæ habentur eodem tom. Conciliorum p. 759. & 760. circa an. 1105.

VT autem ab omnibus in tonſura, habitu, & conuerſatione honeſtas Eccleſiaſtica conſeruetur, diſtrictè præcipimus vniuerſis Prælatis, ſub atteſtatione diuini iudicij firmiter iniungentes, vt omnia ſupradicta obſeruent, & quantum in ipſis fuerit, faciant à ſubditis monitione præmiſsâ per cenſuram Eccleſiaſticam inuiolabiliter obſeruari, volentes quantum cum Deo, & honeſtè poſſumus, magiſtris & ſcholaribus deferre, eatenus erga illos rigorem, ſi quis eſt, noſtræ conſtitutionis duximus temperandum, vt antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per magiſtros, & comminatio excommunicationis in tranſgreſſores; quibus præmiſſis ſi qui fortè contumaces & rebelles extiterint, iterum & nominatim ſub eadem comminatione & in ſcholis moneantur, indultâ nihilominus ad ſatisfaciendum dilatione competenti. Quòd ſi fortè nec taliter reſipiſcere voluerint, ex tunc per Cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuncientur, & tamdiu ab omnibus euitentur donec ſatisfecerint cõpetenter, & ab Epiſcopo ſi fuerit præſens, vel eo abſente, ab Abbate S. Victoris cum forma Eccleſiæ fuerint abſoluti. Præcipimus autem magiſtris in virtute Spiritus S. vt prædicta omnia (exceptò tamẽ neceſſitatis excuſabilis articulò) diligẽtiùs exequãtur, nec per neglectum vel malitiam aliquorum noſtræ conſtitutionis auctoritas contẽnatur.

Hîc verò duo maximè obſeruanda ſunt, 1°. non eſſe leues, ſed graues admodum pœnas, quas Eccleſia ſtatuit aduerſus Clericos quoſcumque

tonſuræ & habitus deſertores. Proinde non leuem cenſuiſſe ab his in hoc facto admitti reatum: alioquin enim pœnæ eiuſmodi iniuſtæ eſſent, ſi id propter quod infliguntur, graue peccatum non eſſet; enimuerò lex eſt diuinæ iuſtitiæ: *Secundùm menſuram culpæ debet eſſe plagarum modus.* 2°. Re- *Deut. 25. 2.*
ctè à Legato & Cardinale Gallone in paulò antè citato decreto contra Clericos habitum & tonſuram non deferentes, hanc additam eſſe limitationem, *excepto tamen neceſſitatis excuſabilis articulo*, v. g. ſi neceſſitas interueniat tuendi vitam, honorem, fortunas, aut quicquam aliud ſimile; in eiuſmodi enim graui neceſſitate lex Eccleſiaſtica non obligat, gloſ. *in itinere.* ad can. *nullus.* 21. q. 4. n. 2. ſic notanter excipit: *Niſi fuerit iuſta cauſa timoris.* Et gloſ. *Relaxauerit.* in c. *ſi quis ex Clericis*, tit. *de vita & honeſt. Cleric.* apud Gregor. *habitum* (inquit) *ſemel ſuſceptum non debet dimittere.* 20. q. 3. c. *Procliuis.* niſi ex iuſta cauſa, Vnde cùm quidam reprehenderetur à Papa, reſpondit

Tutiùs vt peterem Laïci ſub imagine Romam,
Fas fuit, vt ſinerem luxuriare comam.

Alij præter hos ſunt caſus propter quos toleratur in Clerico tonſuræ occultatio, vel comæ relaxatio, & habitus dimiſſio ad tempus: qui elici poſſunt ex canonicis conſtitutionibus ſuprà inductis, & citatis lib. 1. & diſertè à talari veſte diſpenſantur etiam maiores Clerici iter longinquum facientes 21. q. 4. c. 3. qui itidem 3. eſt Synodi Romanæ ſub Zacharia Papa, *Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi ſæcularibus indumentis non vtantur, niſi vt condecet tunica Sacerdotali*, &c. *præter ſi in itinere longo ambulauerint.* Qua de cauſa poſſunt etiam cauponas ſeu tabernas ingredi, can. *Clerici.* diſt. 44. ad quas acceſſus aliàs eis prohibetur. Ab excommunicatis cibos capere c. *quoniam.* 11. q. 1. ob neceſſitatem enim quandoque receditur à communi forma & regula iuris, c. *licèt ex quadam.* 47. in principio de teſtibus. Neceſſitatis enim tempore permittitur, quod illa ceſſante prohibetur, can. *nulli.* diſt. 42. ſed ob neceſſitatem conceſſa non debent trahi in argumentum, niſi ad eandem vel maiorem neceſſitatem. regul. in argum. 78. de regulis iuris.

CAPVT TERTIVM.

Quàm turpis & fœda ſit apoſtaſia labes, qua Clericos deſertores habitus Clericalis, Canonici Iuris auctoritas inurit.

DVRVM ſanè mirúmque videri poteſt, quòd canonica ſanctio cap. *Præterea*, ſuperiùs excuſſi, Clericos deſertores ſui habitus & profeſſionis Clericalis, non modò apoſtatis, ſed & hæreticis baptiſma reïterantibus annumerat. Sed ipſius capitis prætitulatio rationem huius comparationis non contemnendam proponit. *Quia hæretici & ſchiſmatici incidunt in apoſtaſiam*, (ſcilicet illi fidei, iſti obedientiæ) *ideò congruo ordine ſubiicitur iſta Rubrica. Et quoniam reïterantes baptiſmum videntur apoſtatare dum recedunt à priori baptiſmate: ideò ſubdit de reïterantibus baptiſ-*

Digitized by Google

mum; addi poteſt in odium deſertionis militiæ Clericalis, eiúſque teſſeræ eiuſmodi fieri comparationem. Chriſtiano enim & maximè Clerico opprobrium nullum eo maius irrogari poteſt, quo hæreſeωs poſtulatur, eiúſque notâ inuritur. Vnde S. Hieronymus ſcitè ſanctéque dicebat, Chriſtiani officij eſſe patienter ferre iniurias, cæterùm hoc vnum dedecus neminem ferre debere, vt hæreſeωs accuſetur: *Quando*, inquit, *hæreticum me quiſpiam appellat, mori poſſum, tacere non poſſum.* Nec enim obiectum hoc crimen & funeſtum nomen, vlla ratione libenter quiſpiam pati poteſt, ſine fidei læſione, & tacito non modò iniuriæ, ſed & perfidiæ conſenſu.

Verùm apoſtaſia turpior, deterior, & exitioſa magis eſt quàm hæreſis; tametſi enim omnis hæreſis ſit apoſtaſiæ ſpecies, in quantum eſt receſſus à fide, vnde hæreticus, quia Eccleſiam non audit, iudicio ipſius Domini cenſeri debet *ſicut ethnicus & publicanus*, Matth. 18. tamen ipſa hæreſis non eſt prima neque præcipua apoſtaſiæ ſpecies, eo quòd ſit duplex à fide receſſus, prior à fide ex toto, vt cùm quis à Chriſtianiſmo ad Iudaïſmum, vel Paganiſmum deficit: poſterior ex parte, quatenùs admiſſis quibuſdam fidei principiis, alia à deficiente negantur. Prima ſpecies cenſetur infidelitas, altera dicitur hæreſis; vtrique verò conuenit etiam apoſtaſia, quatenùs eſt à fide receſſus; ſed hæreſis eſt apoſtaſia ſecundùm quid: at receſſus ille totalis à fide, non modò cenſetur infidelitas, ſed propriè & abſolutè dicitur apoſtaſia, tam apud Theologos, quàm ſacri Iuris interpretes.

Quo poſito, quæri poteſt, Cur Clericos deſertores nominis & habitûs Eccleſiaſticæ militiæ, tam ignominioſo nomine Ius Canonicum deturpat, vt apoſtatarum inuratvocabulo? Scio ex præfixis fundamentis cap. 1. huius libri, reſponſionem hanc elici poſſe; nimirum quòd defectio eiuſmodi ſit itidem apoſtaſiæ gradus, quandoquidem eſt receſſus à ſtatu Clericali, quo quis arctiùs quàm Laïci diuino cultui mancipatur, tranſlatus ſcilicet in ſortem Domini, vt eius ſit totus; ſic enim à ſtatu ipſo non ſolùm deficit, ſed à Deo, cui perfectiori modo addictus erat, proinde hoc reſpectu, apoſtaſiæ vt admittit ſcelus, ſic & nomen, dedecúſque meretur. Nec id inficior, ſed cùm non ſit in gradu primo, nec ſecundo apoſtaſiæ, nam primus eſt defectus à fide, 2. ab obedientia, 3. ab ordine; cur cùm minus admittat ſcelus, dedecus tamen primo & grauiſſimo propriè debitum, nempe ipſum apoſtaſiæ nomen incurrit ſuo illo non à fide, non ab obedientia diuinorum præceptorum diſceſſu, ſed ſolâ ab Clericali ſtatu & habitu defectione. Certum eſt generis nomen conuenire omni ſpeciei quæ ſub eo cenſetur. Quamobrem ſine iniuria deficientibus Clericis ab ordine & habitu, imponitur apoſtaſiæ nomen: quod omni receſſui à re quæ nos Deo peculiari ratione deuincit, ſuo cuique modo competit.

Sed verò alia mihi occurrit ratio, forſitan huic quam tetigimus, non poſtponenda, nempe de induſtria Eccleſiam hoc vſam vocabulo, quo quantùm execratur ipſam defectionem à ſtatu Clericali & habitu, patentiùs oſtenderet, vnáque tam ignominioſo titulo tytones Eccleſiaſticæ

militiæ

militiæ ab turpi adeò facinore patrando deterreret. Sanè enim apoſtatæ nomine nihil in ſcriptura, nihil apud Patres, nihil apud Eccleſiaſticos hiſtoricos, nihil apud Theologos & Iuriſperitos, Poëtáſque ipſos pietatis Chriſtianæ præcones funeſtius, fœdius, turpius ac abominabilius inuenitur.

1. Ob apoſtaſiam non tam à fide, quàm ab obedientia damnatos eſſe Angelos rebelles, ſcriprura paſſim prædicat; ſed textus hic ex epiſtola S. Iudæ Apoſtoli canonica id diſertè reſtatur: *Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni diei Dominus vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Quamobrem Eccleſia in exorciſmis quo abigat dæmones, apoſtaſiæ illis crimen obiicit, labémque inurit. Et in ſolenni benedictione aquæ: *Vt fias aqua exorciſata* (ait Sacerdos vel Pontifex) *ad effugandam omnem poteſtatem inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum ANGELIS SVIS APOSTATICIS, per virtutem eiuſdem D. N. Ieſu Chriſti*, &c

2. Sic Iudæos qui receſſerunt à teſtamento, & Chriſtum Regem ſuum coram Pilato negauerunt, in mortémque deteſtandâ perfidiâ tradiderunt, apoſtatarum propudioſo nomine meritò deſignatos à poëta ſacro legimus his verbis, *Formidine rurſus*

Plebis apoſtaticæ, Dominum quæ cæca negâſſet.

3. Iudam itidem Chriſti proditorem ſic appellat Sedulius lib. 4. Carminum de quinque mirabilibus operibus Dei,

Tunc vir Apoſtolicus, nunc vilis apoſtata factus.

Siquidem vt eleganrer ſuppler Araror S. R. E. Subdiaconus, & Actorum Chriſti nunciorum paraphoniſta egregius, de eodem proditore

Qui ſignifer oſcula fingens

Pacis ab indicio, bellum lupus intulit agno.

4. Iulianus infelix ille Imperator, qui ob eiuratum Chriſti nomē, Auguſti quoque oblitterato nomine, apoſtata per quandam ſingularitatem vocitari promeruit: quo titulo longè pluſquam imperij memoria etiamnum celebratur, funeſti auſus & exceſſus horrendi, perenni ſed odioſo indicio atque monimento. Hunc graphicè depictum ſub nomine quo præcellit apoſtatæ, diuino hoc oraculo in Prouerbiis, c. 6. expreſſo ſolerter Cardinalis Baronius obſeruauit ſub annum 363. *Homo apoſtata, vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia ſeminat. Huic exemplo veniet perditio ſua & ſubitò contereturs, nec habebit vltrà medicinam.* Hæc enim ad minimum vſque apicem fuerunt in miſerabili hoc Cæſare, Chriſti hoſte perfidiſſimo completa: incœpit verò apoſtaſiam ab ordine ſimplicis Clericatûs, poſteà defecit à profeſſione monaſtica, deinde ab ipſa fide, ſícque iuſto Dei iudicio à ſalute.

5. Hæreticos omnes, Tertullianus apoſtatas eſſe pronunciat in Præſcript. ſcienrer & appoſitè, *Perſecutio martyres facit, hæreſis apoſtatas tantùm.*

6. S. Auguſtinus Antichriſtum prædictum fuiſſe à vaſe electionis B. Paulo ſub nomine Apoſtatæ per quandam eminenriam, perſpicuè docet; vbi enim vulgara editio habet, 2. Theſſ. 2. 3. quoniam niſi diſceſſio venerit primùm; quo loco in Græco legitur ἡ ἀποςασία, ponit, vt legiſſe vide-

tur, *apoſtata*, ſeu *refuga*, l. 20. de Ciuit. Dei c. 19. in ipſo ferè initio: *Ne quis vos ſeducat vllomodo, quoniam niſi venerit refuga primùm, & reuelatus fuerit homo peccati*, &c. per metonymiam illam, ipſam eſſe diſceſſionem, ſeu apoſtaſiam ab Apoſtolo prædictam intelligens; ſiquidem Antichriſtus vniuerſalis apoſtaſiæ & defectionis à Chriſto cauſa & ſignifer erit.

Hîc perpendeat quæſo, & ſeriò apud ſe recogitet quiſquis Clericalis ordinis (cuius profeſſor eſt) inſignia deſerit, atque ad Laïcos mores & genium, & habitum ſe inuerecundè tranſuertit, quali ſeipſum afficiat opprobrio, vt ab Eccleſia meritò refuga cenſeatur, & inter apoſtatas numeretur: nam hæc ſors infelix noménque funeſtum, & execrabile ipſi cum Iuda proditore, Chriſticidis Iudæis, Iuliano fidei deſertore & Chriſti hoſte teterrimo, hæreticis & ſchiſmaticis quibuſque, Antichriſtóque ipſi filio perditionis, & reprobis Angelis commune eſt, cùm ampliùs non ſit in ſorte Domini, nec Dominus pars hæreditatis eius: ſed mundo, carni, diabolo aſſociatus, ad quos tranſfugit, æterno deſtinetur exitio.

Lugentes ſuper hoc malorum Clericorum infortunio audiendi ſunt Patres. S. Hieron. ad illud Hierem. 12. *Cleri eorum non proderunt eis, dicitur hoc & Eccleſiaſticis, quid enim eos iuuare poterit*, &c. *ordo Eccleſiaſticus? cùm magis grauentur dignitate ſua; nam ſcriptum eſt, potentes potenter tormenta patientur.* S. Epiphanius in epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum: *Oportebat dilectiſſime, nos Clericatus honore non abuti in ſuperbiam, ſed cuſtodiâ mandatorum Dei & obſeruatione diligentiſſima hoc eſſe quod dicimur, ſi enim ſacra ſcriptura loquitur, Cleri eorum non proderunt eis, quæ arrogantia Clericatus nobis conducere poterit, qui non ſolùm cogitatione & ſenſu, ſed etiâ ſermone* (vt mundi ſectatores) *& actu peccamus.* Et qui facem eis prætulit ſuper hunc ipſum locum Orig hom. 7. in Hierem. fortunatiorem longè Laïcorum vicem hac infauſta Clericorum ſorte rectè exiſtimauit: *Nos* (ait) *qui putamus aliquid eſſe, id eſt qui in Clericatus vobis ordine præſidemus, in tantum vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire: noſſe debetis, non ſtatim in eo eſſe ſaluandos quia Clerici ſumus, multi enim Sacerdotes pereunt* (ac Clerici) *& Laïci beatiſsimi reperiuntur.*

Dices; Quid ſibi vult igitur Epiſcopus dum initians Clericos, quos tonſurâ donat & habitu Clericali induit: *Eos*, ait, *deponere ignominiam habitus ſæcularis*, & cùm abdicat eoſdem hoc honore, *Eximimus te*, inquit, *omni ordine, beneficio & priuilegio Clericali, & velut Clericalis profeſsionis indignum redigimus te in ſeruitutem, & ignominiam habitus ſæcularis ac ſtatus.* Annè ſtatus ille malus eſt, vt ignominioſus appelletur? minimè quidem, nam ait Apoſtolus, *honorabile connubium in omnibus; & torus ſine macula;* Heb. 13. ſed vt auri comparatione cuprum, & argenti ſtannum, pro nihilo ferè æſtimatur; ita conſideratione Clericalis ſtatus, Laïcus cenſetur pro minimo. Præclarè dudum Leo epiſt. 54. ad Martianum Auguſtum, *Multum Anatolius detrahit merito, ſi illicito optat creſcere augmento*; non omnino diſſimiliter mihi dicere liceat, Clericus qui inſano mundi amore abreptus ſuæ militiæ inſignia deſerit, vt in apoſtaſia habitus licentiùs velut Laïcus viuat, multum detrahit honori ſuo, cùm Laïcorum more ac genio geſtit ſe gerere; quantò enim honorabilis eſt ſtatus ſæcularis Laïco; tantò eſt Clerico ignominioſus ac vituperabilis.

Digitized by Google

De eiuſmodi transfugis appoſitè dicit Oſeas Propheta c.7. [illegible]*rſi ſunt vt eſſent abſque iugo, quaſi arcus doloſus facti ſunt. Et ſicut columba ſeducta non habens cor; Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt; expandam ſuper eos rete meum, quaſi volucrem cæli detraham eos; væ eis quoniam receſſerunt à me.*

CAPVT IV.

Elui poſſe hanc maculam, ſi qui facti ſunt per apoſtaſiam tonſuræ & habitus, Eccleſiaſticæ militiæ deſertores, ad caſtra vnde transfugerunt redeant, teſſeræque Clericalis reaſſumant inſignia.

M*EMOR eſto vnde excideris*, (ait Rex gloriæ, æternorúmque bonorum Pontifex Chriſtus, Apoc. 2.) *& age pœnitentiam, & prima opera fac, ſin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi pœnitentiam egeris.* Hoc vnum etenim Dominus etiam cum ſeruis ſuis iraſcitur & eis minatur exoptat, qui non quærit mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Eodem Spiritu Eccleſia viuit quo animata numquam repellit à ſe filios etiam refugas, ad ſuum maternum ſinum cum affectu ſeriæ pœnitentiæ redeuntes. Audiuimus 2°. huius libri capitulo, voces & tonitrua quibus in deſertores Eccleſiaſticæ militiæ, deſertoréſque inſignium Clericalis ſtatus ipſa piè irata mater Eccleſia animaduertit: pœnas inquam grauiſſimas, eáſque multiplices quas ſuis decretis aduerſum eos conſtituit, nempe priuationem priuilegij canonis & fori, pœnam priuationis fructuum beneficiorum, inhabilitatis ad ſuperiores ordines, priuationis officiorum & beneficiorum, ſuſpenſionis ab ordinibus, interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, incarcerationis, excommunicationis, declarationis infamiæ, quin & apoſtaſiæ ac anathematis. Vtquid tot intorquere fulmina? vt pereant iſti refugæ? neutiquam; ſed vt ad cor redeant, & ad munia & inſignia Eccleſiaſtica quæ infeliciter deſeruerunt, auſpicatioribus conſiliis reuertantur: *donec* (vt reſcribit Honorius III. ad Archiepiſcopum Turonenſem apud Greg. lib. 5. decretor. cap. 5. de Apoſtatis, in fine) *à ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcant.* Tunc enim (appoſitè ait gloſſa) Clericus *cum venia recipi poterit, quia Eccleſia non claudit gremium redeuntibus.*

Conuertimini igitut, *filij reuertentes, dicit Dominus*, Ierem. 3. 14. *Non eſt abbreuiata manus eius vt ſaluare non poſſit, neque aggrauata eſt auris eius vt non exaudiat.* Iſa. 59. 1. ſuccurrit lapſis, miſeretur confeſſis, & qui non derelinquit deuios, aſſumit correctos. Redeuntem filium non ſolùm ſuſpicit, ſed ſuſcipit & in gratiam recipit, veniam ex corde poſtulantem: *Citò afferte* (inquit Luc. 15.) *ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius.* Stolam ſcilicet priſtini *honoris, annulum amoris, calceos libertatis.

*In iure canonico poſt tit. *de pœnit.* immediatè ſequitur tit. *de pœnitentiis & remiſſion.* lib. 5. Et in Pontificali Roman. poſt deſcriptū ritum ſuſpenſionis ab ordinibus, & etiam depoſitionis, proximè legitur ordo reconciliationis, & reſtitutionis tā in honorem, & executionē ordinum, quàm in ius & vſum priuilegij Clericalis.

Eximium ſcripſit libellum Sanctus Bernardus, de conuerſione ad

Clericos, q[illegible]nter cætera docet cap. 23. peccata punita nec iterata nihil poſſe obeſſe. c. 24. ſupplicanti miſericordiam à Deo eſſe promiſſam. cap. 30. veniam obtineri per pœnitentiam, exaltationem per humilitatem. *Parcite ergo fratres* (inquit cum columbino gemitu) *animabus veſtris, parcite ſanguini, qui pro vobis effuſus eſt. Horrendum cauete periculum. Ignem qui paratus eſt declinate; inueniatur tandem non irriſoria perfectionis profeſſio; exhibeatur etiam virtus in ſpecie pietatis. Non ſit inanis cœlibis vitæ forma, & vacua veritatis. Quidni periclitatur caſtitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotiis, veritas in multiloquio, charitas in hoc ſæculo nequam? Fugite de medio Babylonis; fugite, & ſaluate animas veſtras; conuolate ad vrbes refugij, vbi poſſitis & de præteritis agere pœnitentiam, & in præſenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præſtolari. Non vos retardet conſcientia peccatorum; & quia vbi illa ſuperabundauerunt, ſuperabundare gratia conſueuit; non pœnitentiæ auſteritas ipſa deterreat,* &c. *Nihil credentibus impoßibile, nihil amantibus difficile, nihil aſperum mitibus, nihil humilibus arduum reperitur, quibus & gratia confert auxilium, & obediendi deuotio lenit imperium.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

APPENDIX
DE
SERVANDA A CLERICIS BARBÆ MEDIOCRITATE.

PRÆFATIVNCVLA.

BARBÆ gerendæ ratio, incredibile eſt, quàm varia olim fuerit, quámque etiamnum vbique ſit multiplex & diuerſa. Non opus eſt ad hoc explorandum, per diuerſas orbis regiones exſpatiari, in vna vrbe Lutetia Pariſiorum, de qua verè aiunt, *orbis in vrbe*, conſpicere licet, quàm anceps ſit huius rei vſus, diuerſúſq; modus non ſolùm apud Magiſtratus, nobiles, & plebeios, verùm etiam apud Clericos & Regulares; quin & inter Religioſos ipſos, pro diuerſa cuiuſque inſtituti & ordinis obſeruatione. Cæterùm in hac appendice ad Tonſuram Clericalem, mihi non incumbit ex præfixo inſtituto, diſquiſitum ire, vnde apud quoſcumque tot differentiæ exorræ ſint, quæque magis conſentanea rationi forma videatur: at dumtaxat quia de Clericis, eorúmque apparatu, ſtatu, ac diſciplina agimus, datâ operâ diſcutere, quænam ſit barbæ gerendæ ratio iis magis congrua, ſactíſque canonibus conſona, ad quorum præſcriptum ſe ſuáque omnia debent moderari. Nihil igitur eſt, quod hîc à nobis iri decernendum quiſpiam arbitretur in aliorum præiudicium, quorum, vt iura non excutimus, ita nec varios quos vſus ſectantur, impetimus; at illæſos cuique manere peroptamus, ſcitum illud Prætoris vltro profitentes, *Poßidete, ſicut poßidetis.*

CAPVT PRIMVM.

De Barba prolixa.

PVLCHRE Lactantius cap. 7. de opificio Dei; *Barbæ ratio vix dici poteſt, quantùm conferat ad dignoſcendum corporis maturitatem, ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis ac roboris, vt videatur omninò non conſtatura fuiſſe totius corporis ratio, ſi quicquam aliter eſſet effectum.* Falluntur enim, qui barbam merum eſſe excrementum putant, quòd idem de capillis dici poſſet. ar verò quis non vider, quin & fatetur capillos eſſe capiti non onus, ſed ornamentum: idem verò de barba dicendum, quam non incommodo gerentis, ſed ornatui eximio eſſe perſpicuum eſt; nec enim venuſtior forma eſſe poreſt, ea quæ à natura nobiſcum ingeneratur, creſcit, & quæ in ſe habet præſtantioris ſexus indicium, norámque conſpicuam roboris ac virium, quin & maturi conſilij atque prudentiæ. Quamobrem ſcitè & eleganter Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. c. 3. ait hos pilos Deum Opt. Max. tanri feciſſe, vt eos cum prudenria iuſſerit adeſſe hominibus. qui hoc ornatu carent, aut pueri, aur fœminæ videnrur. Arrianus in Epictero rectè ſiquidem ait, Barbæ defectum diſcreros ſexus confundere: Nonius & Seruius inueſtes qui ſunt impuberes, quoniam menrum & maxillæ experres pilorum, vt proprio decoro, ſic & veſtiru nudantur. Si humanioris lirreraturæ hîc rudera erudere aggrederemur, vix Poërarum & Philoſophorum hac de re ſcita, ingenia, moréſq; vnico libello fas eſſet cóplexum ire: tanta etenim foret ſeges notationú, vt colligendis eiuſmodi manipulis integro Commentario, vires ſpatiáque deficerent. Quiſquiliis his igitur minutim colligendis ac congerendis nauare operam nec volo, nec valeo; quia enim inter ſacra verſamur, æquum cenſemus, piúmque itidem, profana quantú fieri poterit, miſſa procul facere: poſtquam ramen ſemel monuerimus Philoſophorum morem fuiſſe ferè communem, barbam (tamerſi reſectâ comâ) nutrire in ſuæ profeſſionis indicium, vnde tamē in eorum pleroſque famoſum dicterium perſonuit, quòd ex veterum ſcitis Eraſmus decantat, *Barbam non facere Philoſophum,* ſi plus ſetarum videlicet haberet in menro, quàm ſenſus in mente. Gallos pridem omnes promiſſam geſtâſſe barbam, ex Liuio lib. 5. quo cladem narrat captæ ab eis vrbis, ſatis apparet. Britannos itidem ad bellum barbatos proceſſiſſe, quò aſpectu hoſtibus horridiores eſſent, Cæſar in ſuis refert Commentariis lib. itidem 5. Sparriatas eandem porrò coluiſſe prolixam cum laxata coma, elicitur ex Plutarcho in Apophthegmatis, vbi nimirum reſponſum recenſet Nicandri Lacedæmonij, qui, quodam percunctante, cur barbam comámque Spartiatæ nutrirenr? quia, inquit, omnium pulcherrimus ac minimè ſumptuoſus viro ſuus cuique ornatus eſt. De Iudæis, ſeu Hebræis idipſum colligi poteſt, cùm leproſis enim iuſſum ſir radere barbam, iudicio Sacerdotis, Leuit. 14. promptum eſt hinc inrelligere cæteris Hebræis

qui mundi eſſent, fas fuiſſe, imò in communi more poſitum hoc faciei ornamento inſigniri. Nec permiſſum id modò fuiſſe pontifici & Sacerdotibus, ſed diſtrictè vetitum erat vlla ex cauſa barbam exuere: *Non radent caput, neque barbam, neque in carnibus ſuis facient inciſuras, ſancti enim erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius.* Prohibitum itidem fuiſſe populo radere barbam conſtat Leuit. 19. 27. *Nec radetis barbam.* Quod iteratur Ezechielis 44. 20. *Non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis, caput autem ſuum non radent, neque comam nutrient, ſed tondentes attondent capita ſua.* Sciſcitatur Franciſcus Georgius Venetus tom. 6. Problemat. in ſacram ſcripturam, ſect. 9. q. 397. Cur antiqui Sacerdotes barbam nutriebant, hodierni verò nequaquam, tametſi ipſemet Chriſtus capillos barbámque nutrierit: *Nam ſi*, inquit, *oportet nos radi, quare Chriſtus exemplar noſtrum raſus non fuit?* Reſpondet verò ſcripturam iubere radi eos qui aliquid ſuperfluum habent priſtinæ & malæ conuerſationis. Alios autem qui ſunt ſemper Deo dicati (ſicut Sacerdotes, qui ſi dignè vt decet verſentur) nihil mali habent quod debeat amputari; hinc Chriſto penitus ſancto nihil radendum vel amputandum fuit; nobis autem qui è gentilitate vocati fuimus, cùm penitus infecti eſſemus omnia ſuperflua amputanda fuerunt, iuxta oraculum Iſaiæ dicentis (cap. 7.) *In illa die radet Dominus nouaculâ conductâ iis qui ſunt trans flumen Aſſyriorum, caput & pilos pedum & barbam totam.* Et quomodo, & qua die id fiet? *nonne quando Virgo concipiet & pariet filium*, vt ipſemet paulò antè præmiſerat.

Porrò Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædag. c. 3. vult nihilominus paſſim Chriſtianos barba vti non deciſa: nefas eſſe ſiquidem barbam capillúmque vellere, quæ eſt pulchritudo congenita & non fucata, ſed ingenua *. *Hoc viri ſignum*, inquit, *barba ſcilicet eſt Euâ antiquius, & ſignum melioris naturæ*, &c. *in eo igitur violando quod eſt virilis naturæ ſignum, eo ſcilicet quod eſt hirſutum contra legem facere eſt impium*, &c. (p. 224. & 225.) *quamobrem à noſtra Republica eſt longiſſimè relegandum; quin etiam veſtri quoque capitis omnes capilli numerati ſunt, ait Dominus, ſunt autem & pili in barba numerati*, &c. *non eſt ergo aliquid vellendum præter Dei inſtitutum.* Et infrà, p. 227. *Nefas eſt enim barbam vellere, quæ eſt pulchritudo congenita, pulchritudo generoſa & ingenua*,

Primò barbatum; namque hæc gratiſſima pubes.

Deinde inungitur dum barba delectatur, in quam vnguentum deſcendit propheticum, dum Aaron honoratur.

Et verò ſi de primæuo Chriſtianorum vſu moréque ſermo ſit, non dubium quin Chriſtus Dominus & comam nutrierit, & barbam non raſerit vt ſuprà Georgius Venetus ex antiquis Eccleſiæ monimentis obſeruat. Ex quibus ſuper hoc non ſegniter exploratis Nicephorus lib. 1. c. 40. hiſt. Eccleſ. ** *Capitis porrò* (inquit) *capillos tulit prolixiores, nouacula enim in caput eius non aſcendit, neque manus aliqua hominis præterquam matris in tenera dumtaxat ætate eius.*

Petrus primus Chriſti Vicarius & Apoſtolorum princeps, geſſiſſe barbam ex eodem Nicephoro conſtat. *** *Petrus quidem* (ait lib. 2. cap. 37.) *haud craſsâ corporis ſtaturâ fuit, ſed quæ aliquando eſſet erectior, facie ſubpalli-*

* Τοῦτο οὖν τῆς ἀνδρὸς τὸ σύνθημα τὸ γένειον δι' ὃ καταφαίνεται ὁ ἀνὴρ πρεσβύτερόν ἐστι τῆς Εὔας καὶ σύμβολον τῆς κρείττονος φύσεως .... τὸ οὖν τῆς ἀνδρώδους φύσεως σύμβολον, τὸ λάσιον, περιτέμνειν ἀνόσιον .... ὅτι δὲ μάλιστα πόῤῥωτάτω τῆς ἡμετέρας ἐκτοπιστέον πολιτείας. ἀλλὰ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς ὑμῶν πᾶσαι ἠριθμημέναι, φησὶν ὁ κύριος. ἠρίθμηνται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ γενείου. οὐδ' ὅπως προσεναντίον παρὰ τὴν ἀφαίρεσιν τοῦ Θεοῦ .... ὁ γὰρ Θέμις ἐκτίλλειν ποτὲ τὸ γένειον, τὸ κάλλος τὸ σύμφυτον, τὸ γενναῖον κάλλος.

Πρῶτον ἐπὶ τὴν ἥβην χαριεστάτη ἥβη.

Περβαίνειν δὲ ἥ.. ἐπαλείφεται, γανούμενος πώγων, ἐφ' ὃν κατέβαινε τὸ μύρον τὸ προφητικὸν, Ἀαρὼν τιμώμενον.

** Μακροτέρας δὲ τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς περιέφερε. οὐδέποτε γὰρ ξυρὸς ἀνέβη ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, οὐδὲ χεὶρ ἀνθρώπου πλὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ νηπιάζοντος.

*** Ὁ μὲν Πέτρος τὴν ἡλικίαν μετρίως ἦν. ἐπὶ τὸ ὄρθιον ἔχων αὐτὴν ἀναβαίνουσαν. ὕπωχρος δὲ τὴν ὄψιν καὶ μελαγχολικὸς οὖλος τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ πώγωνος καὶ δασύς.

da & alba admodum, capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi. Quo paſſioni Dominicæ adæquato, barbam eius raſam, repoſitámque fuiſſe ferunt à fidelibus inter ſacras eius reliquias. Defunctis præſertim Romæ iam olim fuiſſe morem, comam radi & barbam, Hotromanus in eruditiſſimo libro cuius ΠΩΓΩΝΙΑΣ, ſiue de barba titulus eſt, inſinuat. Reducem porrò ab exilio S. Hilarium, Romæ accepiſſe partem barbæ S. Petri pro munere, & ad ſuam Eccleſiam, quæ ipſum B. Petrum patronum colit, attuliſſe narrat Martinus in Chronico, & Bernardus Guidonis in ſuis tabulis; quos vades ſibi arceſſit idem referens Ioannes Bochetius in Annalibus Aquitaniæ part. 1. c. 10. in fine citans contempoꝛaneum rei geſtæ ſcriptorem, nempe S. Iuſtum, ipſius S. Hilarij diſcipulum in chartula ſua manu exarata, quam lectam dudum fuiſſe ab Hildeberto in Concilio Turonẽſi idem Bochetius commemorat. Ridet Caluinus in reliquiarum indiculo hanc barbæ S. Petri apud Pictauos repoſitionem ac venerationem; ſed qua ratione non video; vbi enim Deus loquitur, æquum eſt vt homo conticeſcat. Sicut per vmbram Petri, ita & per eius barbam, vt per ſudaria Pauli & ſemicinctia, placuit ipſi Domino mirabilia in conſpectu orbis operari. Audiamus quæſo auctorem non fabuloſum, ſed hiſtoricum, rerúmque quas ipſe narrat, vt ita dicam ſpectatorem. Flodoardus hic eſt Preſbyter, & Canonicus Eccleſiæ Rhemenſis, eiúſque hiſtoriæ conditor anno 960. vel circiter illuſtris, qui in Chronico de geſtis rebus ab anno 919. ad annum vſque 966. ita litteris prodidit ſub annum 922. *In pago quoque Pariſiaco in Villa quæ dicitur Geſedus,* (*Giſſy* vel *Iſſy* primo ab vrbe lapide) *multa miracula in Eccleſia S. Petri à quarto ſuperiore anno, ex quo ſcilicet reliquiæ de barba ipſius Apoſtoli illuc ſunt relatæ, facta memorantur, ita vt inter cæcos, & claudos vel contractos ampliùs quàm centum ſeptuaginta ſanitate donati referantur. Dæmoniaci verò quotquot illuc abierant, ſano ſenſu pulſis dæmonibus redierint, præter alia innumerabilia quæ ibi acta ſunt.* Hæc Flodoardus teſtis coæraneus, cuius Chronicon à doctiſſimo Pithœo, primùm in lucem emiſſum, verè aureum meritò Miræus nuncupat in ſcholiis ad Sigeberti catalogum de Scriptoribus Eccleſiaſticis c. 131.

De Paulo Apoſtolo ex priſcis ſcripturis & picturis, ita verò refert citatus iam Nicephorus lib. 2. ſuprà ſignato hiſt. Eccleſ. c. 37. * *Paulus autem corpore erat paruo & contracto, & quaſi incuruo atque paululùm inflexo, facie candida, annóſque plures per ſe ferente, & capite caluo, oculis multa inerat gratia, ſupercilia deorſum verſum vergebant, naſus pulchrè inflexus, idémque longior, barba denſior & ſatis promiſſa, eáque non minus quàm capitis coma canis etiam reſperſa erat.*

* Ὁ δέ γε Παῦλος μικρὸς ἦν καὶ συνεσταλμένος τὸ τοῦ σώματος μέγεθος, καὶ ὥσπερ ἀγκύλον αὐτὸ κεκτημένος. σμικρὸν καὶ κυρτός. τὴν ὄψιν λευκός· καὶ τὸ πρόσωπον προφερής. ψιλὸς τὴν κεφαλήν. χαροποὶ δὲ αὐτῷ ἦσαν οἱ ὀφθαλμοί. κάτω δὲ καὶ τὰς ὀφρῦς εἶχε νευούσας· εὐκαμπῆ καὶ ῥέπουσαν ὅλῳ τῷ προσώπῳ περιφέρων τὴν ῥῖνα. τὴν ὑπήνην δασεῖαν καὶ καθειμένην ἀρκούντως ἔχων. ῥαινομένην δὲ ταύτην καὶ τὴν κεφαλὴν ὑπὸ πολιᾶς τῆς θριξί.

Prolixam quoque barbam geſtatam à B. Andrea Apoſtolo, Chriſti primo diſcipulo, picturæ non modò omni æuo probatæ fidem faciunt: ſed ipſa eius barba præclaro monimento eſt hodie in Gallia Narbonenſi ſecunda, apud Maſſiliam conſeruata, eáque habita qua decet veneratione. De hac ſic notaſſe dudum meminimus in ſupplemento Martyrologij Galliæ pridie Kal. Decembris; *Cuius egregij Apoſtoli, & athletæ barba longa, vt minimùm vno palmo, & niuis inſtar candida, circumſperſis tamen capillis nigris Maſſiliæ in Prædicatorum Eccleſia hodie oſtenditur, & magna reuerentia con-*

conſpicitur. At de Apoſtolis ſatis ſupérque, quorum & cæterorum Chriſti diſcipulorum quæ extant etiamnum effigies, eadem barbæ prolixitate ſpectabiles paſſim conſpiciuntur.

S. Dionyſium Areopagitam, Pauli vaſis electionis diſcipulum, noſtrum verò Apoſtolum, promiſsâ etiam barbâ fuiſſe inſignem perſpicuè indicat eiuſdem genuina effigies in manuſcripto Codice operum eius depicta, quem pretioſo dudum munere miſit ad Ludouicum Pium Imperatorem, Michael Orientis Auguſtus, anno 824. per Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Oeconomum, alióſque Legatos (ſeruatur nunc vſque in ſacrario Eccleſiæ regalis monaſterij S. Dionyſij in Francia; de quo etiam dudum meminit Sigebertus in Chronico anno ſignato, enarrans diuinas virtutes huius codicis contactu & applicatione patratas.) Qua quidem imagine ex priſcis picturis probatíſque depromptâ, ipſemet B. Dionyſius grauiſſimo vultu, *oblongâ & diffuſa barba,* ſpectabili Apoſtolicum planè virum ſpirante, ac ſchemate verè pontificio totus conſpicitur inſignis ac venerabilis. Qua ſpecie etiam viſus eſt niuea canitie reuerendus à Stephano III. Papa ad eius ſepulchrum orante, quemadmodum ipſemet Pontifex teſtatur in relatione eiuſmodi apparitionis, iuſſu ipſius Ludouici Pij, ſubinde in lucem edita.

Origenis verò natiua effigies ex antiquis expreſſa, indutum illum quidem pallio philoſophico, at profuſâ conſpicuum barbâ repræſentat. Sic & S. Athanaſium videre eſt in antiqua imagine operibus eius præfixa, à Theueto expreſſa Alexandriæ ex peruetuſto exemplari. Ita & S. Baſilium, necnon & B. Chryſoſtomum, ac S. Epiphanium in veteribus eorum iconiſmis. Nec dubium quin mos iſte iam olim viguerit in Orientali Eccleſia, vt barbati eſſent Epiſcopi, Sacerdotes & Clerici, nonnihil grauitatis & reuerentiæ ipſo profuſioris barbæ decoro ſibimet conciliantes. Quem morem quòd Latini non obſeruarent, hoc nomine fuerunt à Photio ſchiſmaticorum anteſignano, non ſine liuoris & odij patenti indicio reprehenſi, vt in eius ſcriptis videre eſt ad Nicolaum Papam. Retinuiſſe autem Græcos hunc morem, patet ex monimentis eorum acceſſus ad Oecumenicum Concilium Florentinum, & perenni huc vſque vſu, vbique verſantur ſpectabili.

Latini verò, non ita certum, ſi ab initio raſuram barbæ (quæ demum pleriſque ſæculis ferè toto Occidente apud Clericos in vſu fuit) vſurpârint; ſiquidem vetuſtæ priorum Pontificum imagines barbatæ piliſque mento hærentibus inſignes cernuntur, Clemenris præſertim, Euariſti, Alexandri, Theleſphori, Dionyſij, Euſebij, Silueſtri, Damaſi, Gelaſij. Portò Sancti Gregorij effigiem dum deſcribit Ioannes Diaconus, lib. 4. eius vitæ cap. 84. *Barba*, inquit, *paterno more fuit fulua*, &c. *& ita caluaſter, vt in media fronte gemellos cincinnos raruſculos haberet & dextrorſum reflexos, corona rotunda & ſpatioſa capillo ſubnigro & decenter intorto, ſub auriculæ medium propendente.* Bonifacium mediatum eius ſucceſſorem, non modò raſum non fuiſſe, ſed promiſſam geſſiſſe barbam nonnullæ eius imagines quas perſpeximus palam indicant. Fateor abhinc ſummos Pontifices, vſque ad Iulium II. pene omnes abraſâ barbâ ſediſſe;

Vide Bullarium Romæ editum tom. 1. in quo horum Pontificum, & aliorum vſque ad Paulum IV. cōtinentur non ſanctiones dūtaxat, ſed etiam icones & vitæ.

cæterùm ipſe Iulius conciliandæ, vt aiebat maioris reuerentiæ causâ, poſt tot temporis excurſus, barbam laxauit & dilatauit; ſunt tamen qui Paulo II. factum eiuſmodi adſcribunt.

Porrò in Africa iam olim Chriſtianos Sacerdotes æquè vitâſſe abraſionem barbæ ac tonſionem, ſatis ex Tertulliano patet Preſbytero Carthaginenſi; cuius effigies in petuetuſto numiſmate expreſſa, profuſiſtam ſuper labra, quàm à mento dependentibus pilis, barbam gerit mälas etiam circumcingentem, quæ figura eius genio & moribus quàm benè conueniat, iis ex eius dictis haud obſcurum euadit, quibus artificium omne circa barbam reprobat, & ſimplicitatem ſibi ſubindicat maximè gratam eſſe, vt pudicitiæ amicam, grauitatis affinem; *Et hic ſexus* (inquit, virilis ſcilicet) *ſibi agnoſcit barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare, capillum diſponere, etiam colorare canitiem. Cùm tamen cognitio Deo adempta placendi voluntate per luxuriæ vacationem, omnia illa vt otioſa, vt hoſtilia pudicitiæ recuſantur: nam vbi Deus, ibi pudicitia, ibi grauitas adiutrix & ſocia eius: quo ergo pacto pudicitiam ſine inſtrumento eius, id eſt ſine grauitate, tractabimus? quomodo autem grauitatem pudicitiæ adminiſtrandæ adhibebimus, niſi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione ſeueritas circumferatur?* Porrò S. Cyprianum imitatum fuiſſe Tertull. tam ſtylo, quàm doctrinâ (demptis tamē erroribus) quē ideò magiſtrum appellare ſolebat, vt S. Hieronymus refert *, nemo in vtriuſque libris verſatus eſt, qui non deprehendat. Eius igitur vox eſt, ** *Barbam non oportet vellere; nec licet expugnare oris & capitis veritatem.* Sed ne Africæ diutiùs hæreamus eſt in cauſa canon 44. Concilij IV. Carthaginenſis, qui ſic habet in Codice Gemblacenſi, *Clericus nec comam nutriat, nec barbam tondeat,* (aut radat; ſic enim itidem exaratum repetitur in Codice Vaticano, S. Victoris, & Gandenſi.) Quam regulam etiam ſeruatam in Gallia tempore ſuo Sidonius diſertè teſtatur lib. 4. ep. 24. vbi Maximi, facti Preſbyteri ex Palatino, ita figuram ſibi perſpectam delineat: *Habitus verò, gradus, pudor, color, ſermo religioſus, tum coma breuis, barba prolixa.* Contemporaneus ipſius Sidonij fuit S. Remigius, ſicut ex familiaribus illius ad eum litteris appatet lib. 9. ep. 7. Porrò non raſum, ſed barbatum inceſſiſſe ſanctum hunc Antiſtitem, eius ex perueteri iconiſmo palam eſt, quam doctiſſimus Menardus in Notis & obſeruationibus in librum Sacramentorum S. Gregorij ex petuetuſto Codice Rhemenſi repræſentat, p. 364. Verùm tametſi plura longè hîc recenſeri poſſent pro barbæ profuſioris vſu, ab iis indicandis commemorandiſque vltrò ſuperſedemus, ne diuerticulum, quod acceſſorij, vel appendicis titulô aggreſſi ſumus, effuſiorem in diſſertationem extenſum iri videatur.

Lib. de pudic. c. 8.

* *Lib. de Script. Eccleſ. in Cypr.*
** *De diſcipl. & hab. virg. necnon lib. de bono Pudicitiæ.*

CAPVT SECVNDVM.

De raſura Barbæ.

C*HRISTVM dediſſe genas vellentibus*, Iſaias non ſine gemitu commemorar, raſúmque à gentibus Petrum ludibtij causâ ex Germano Conſtantinopolitano Patriarcha, & Beda Venerabili, aliíſque probæ notæ auctoribus ſuptà non ſemel obſetuâſſe mihi à memoria non excidit: ſummos vetò Pontifices qui ipſi Perro, ſupremo Chriſti vicario in vniuerſalis Eccleſiæ regimine ptidē ſucceſſerunt, fetè omnes & raſo vertice & mento detonſo, quin & abraſo quantum ex eorum priſcis indubitatíſque iconibus elicere fas eſt, Chriſtianis ſacris præfuerunt. Rutſum quæſo, deprompras ex ipſius Romanæ Eccleſiæ ſactariis archiuíſque, eorumdémque quæ ſuperſunt monimentis icones, ſcrutaror pius venerandæ antiquitatis conſpiciat, præſettim verò effigies Cleti, Sixti I. Aniceti, Pij, Fabiani, Iulij, Liberij, Siricij, Innocentij I. necnon Zozimi, Cœleſtini, Sixti III. & Leonis Magni, Hilariíque eius ſucceſſoris, Simplicij, Anaſtaſij iunioris, Symmachi, Hormiſdæ, Ioannis I. Felicis III. Ioannis II. Agapeti, Vigilij, Ioannis III. Benedicti I. Pelagij II. Sabiniani, & ne fuſior ſim, ferè omnium vt prædixi Ponrificum ad vſque Paulum II. vel Iulium genuina ſimulachta, & quampaucis certè excepris comperiet à barba prolixa abhorruiſſe, raſuræ verò non modò ronſionis fuiſſe ſtudioſos. Scio ductum ab eiuſmodi principio argumentum omnibus haud acceptum iri; nec mirum cùm fortiora ſint argumenra quæ à pleriſque ſpetni ſolent. Verùm familiaris eſt in Eccleſia, etiam in dogmatibus confirmandis, à priſcis probaríſque picturis, & Sanctorum imaginibus argumentatio, vt ex Actis Synodi VII. generalis, contra Iconomachos celebratæ penitus ſir exploratum. Sed verò argumentum quod elicitut ex antiquis ſummorum Pontificum iconibus longè validioris eſt momenti. Has enim effigies conſeruare Romana Eccleſia maioti curâ & ſtudiô conſueuit. B. Petrus Damiani Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis, id non obſcurè inſinuat opuſc. 25. de picturis Principum Apoſtolorum c. 1. ſtudium & deuotionem religioſæ vetuſtatis in eiuſmodi rerum diſpoſitione & conſeruatione commendans: *Neque credendum eſt*, inquit, *Pontifices, principes & Sacerdotes in Eccleſiaſticæ diſciplinæ littera peruigiles atque ſolertes; quid negligentiæ, aut correctionis dignum in re tanti momenti admiſiſſe, vt ſanctæ huius hiſtoriæ ordo inordinatus appareret.* Imagines prætereà Pontificum conſeruatæ ſunr in pleriſque eorum bullis & ſigillis, in quibus non ſemper Apoſtolotum facies, verumeriam aliquando Pontificum vultus, vt nomina imprimebantur (Vide annotationes Andreæ Victorelli ad Ciaconiū, p. 1399. edirionis ann. 1630.) Sed quod eiuſmodi argumentum perſequamur opuſculi huius breuitas non patitur, de raſura barbæ, non ſolùm à ſummis Pontificibus vſurpata, ſed omnibus paſſim Latinæ Eccleſiæ Epiſcopis, ſacerdotibus & Clericis vſu ferè

communi. Quo de more ſibi inuiſo Græci calumniam ſtruere ante annos ferè 800. aduerſus vniuerſam Latinam Eccleſiam non erubuerunt, vt ex litteris conſtat Apoſtolicis Nicolai I. Papæ ad Hincmarum, & cæteros Epiſcopos in regno Caroli Calui conſtitutos, quibus exponens cauſas odij & inuidiæ Græcorum aduerſus Latinam Eccleſiam, illorum mittit obiectiones vt eas refellant *, & quæ contra illos inuenerint Romam tranſmittant ſuppetias matri chariſſimæ S. R. E. nimirum filiali affectu conferentes. Porrò in his obiectionibus Græcorum, non poſtrema hæc erat, de tatura barbæ Clericis Latinis conſueta: *Quin & reprehendere ſatagunt*, inquit, *quia penes nos Clerici barbas radere ſuas non abnuunt.* Diu ante morem hunc viguiſſe in Gallia teſtis grauiſſimus, idémque oculatus eſt Sidonius lib. 4. epiſt. 13. qua myſtas noſtros coronâ decoros & barbâ raſos fuiſſe commeminit. *Enimuerò veſtis aſtricta*, (inquit) *tenſus cothurnus, crinis in rota ſpecimen accisus, barba intra rugarum latebras merſis ad cutem ſecta forficibus.* Nec mos iſte volatilis & inconſtans apud noſtrates Clericos erat, quem ſuo æuo fuiſſe adhuc in obſeruantia viridi S. Bernardus innuit ſerm. 45. ſuper Cantica, ad illa verba: *capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas*, vbi de quibuſdam Clericis queritur ad hæreticorum caſtra transfugis ſuæque militiæ & eius inſignium perfidis deſertoribus; *Clerici*, inquit, *& Sacerdotes populis Eccleſiiſque relictis intonſi & barbati, apud eos inter textores & textrices plerumque inuenti ſunt.* Idipſum dolet Petrus Abaillardus ſynchronus ipſius B. Bernardi, ſerm. de S. Ioanne Baptiſta inter medium & finem, *Qui nec Clericatus ſigna retinentes*, ait, *comam pariter & barbam nutriunt, quo faciliùs intuentes fallant, atque tutiùs ſub habitu Laïcorum laïcaliter ſe gerant.* De Leone IX. qui ſuperiore ſæculo ſedebat memoriæ proditum inuenimus in Actis Concilij Rhemenſis cui ipſe præfuit, quòd auſpicaturus Sancti Remigij Tranſlationem (ann. 1049.) præcedenti die *lotus & tonſus* fuerit. In primo libro de tonſura Clericali, etiam de ritu tondendi barbam vel radendi pleraque exempla Sanctorum & Pontificum decreta, Synodorúmque ſanctiones conſignauimus, quarum ideò hîc ſeriem non retexuimus, ne ſcilicet foret tædioſa. In Pontificali Romano, ritus proprius præſcribitur de barba tondenda, qui eo quòd breuis eſt, hîc abſque faſtidio lectoris videtur poſſe recitari: *Quando primò Clericis barbæ tondentur*, (ſic habet præliminaris rubrica) *dici debet, Pontifice ſedente cum mitra, antiphona, ſicut ros Hermon.* Pſal. 132. *Ecce quàm bonum. Gloria Patri*, &c. *Sicut erat*, &c. *repetitur tota antiphona: qua finita Pontifex depoſitâ mitrâ ſurgit, & ſtans verſus ad Clericum dicit, Oremus, Deus cuius prouidentiâ, omnis creatura crementis adulta congaudet, preces noſtras ſuper hunc famulum tuum, iuuenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis attondendum, exaudi, vt in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, æuóque largiore prouectus cæleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat & futuræ. Per D. N. Ieſum Chriſtum filium tuum qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.* Hæc eadem oratio reperitur in veteri Romano ordine, & in lib. Sacramentorum S. Gregorij vetuſtíſque eius exemplaribus in Codicibus manuſcriptis, præſertim verò Rhemenſis Eccleſiæ,

* An. 867. vide tom. 3. Conc. Gall. p. 333.

& Ratoldi Abbatis. Mirum, quòd in Græcorum recentiorum Euchologio, ſeu rituali, mos idem ferè celebretur: enimverò hæc ibi extat oratio in barbæ detonſionem;* *Domine Deus virtutum, pater D. N. Ieſu Chriſti, qui tua diſpenſatione ad ſanctum Sacerdotij opus nos abiectos & peccatores elegiſti, vt populus fidelis perſeuerans per nos nomen ſanctum tuum colat; te rogamus & precamur Deus noſter omnipotens, opera manuum noſtrarum benedic, & ad inſtar benedictionis in caput Aaron, & in barbam eius deſcendentis, & velut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion; ita ſuper ſerui tui, N. caput & ſuper barbam eius benedictio tua deſcendat, quia conuenit tibi omnis gloria, honor,* &c. Sequitur ibidē, & alia oratio in barbæ vel capitis abraſionem, quæ orationi Romanæ ſuprà recitatæ admodū eſt conſona, deſumptáq; eſt ex Cryptoſer. MSC. Beſſarionis:** *Domine Deus noſter qui ex nihilo cunctas creaturas magnitudinis tuæ augmenta ad eſſe adducis, & hominem non ſolùm tua intellectuali & rationali imagine præcellentem exornaſti, ſed & variis ipſum crinibus decorum reddidiſti; ipſe quoque ſeruum tuum, N. ad vultus ſui venuſtatem, barbam vel comam detonſum diuinis omnibus gratiis exorna, & ſuper barbam, & caput eius benedictio tua deſcendat, ſicut in caput & barbam Aaron defluxit; ad tuam enim gloriam, qui nos omnia facere præcepiſti, barbæ vel comæ detonſioni principium dat ſeruus tuus; quia conuenit tibi omnis honor & gloria.* Sed hoc eſt inter ritum Romanum & Græcum diſcrimen, 1°. quòd apud Romanos illa cæremonia per Epiſcopum peragenda ſignetur; at verò apud Græcos, miniſterio Preſbyteri, ſeu ſimplicis Sacerdotis. 2°. quòd ritus ille tondendi barbam, qui in Romano Pontificali deſcribitur ad ſolos Clericos pertineat: ſed verò apud Græcos mos iſte promiſcuè ad omnes Laïcos referatur, quos ſuæ detonſionis primitias, ſeu deciſæ primæ lanuginis exuuias hac cęremonia Deo offerre, benedictionémque eius ſuper caput ſuum adprecari, pius Maiorum in hoc etiam colendi Deum affectus edocuit. Enutriunt igitur Græci iuuenes barbam vſque ad annum ætatis 30. tum verò vt inde vegetior ordinatiórque excreſcat, detonderi, quin abradi curant hoc ſolenni ritu. Quemadmodum autem capillos deponit & caput aperit vir, ita ſuos crines ſeruat, nectit & velat mulier, nec ſine Eccleſiæ prece redimiculum, & mitram capiti ſuo imponit, vt eruditiſſimus Goarius in aureis ſuis obſeruationibus ſuper idem Euchologium ſcienter & appoſitè admonuit, ſubinde orationem referens *ad velandum & exornandum caput mulieris:* qui mos minimè quidem ad rem quæ vertitur, facit: cui affinior alius videri poſſet ritus, quo pueris primò caput detondetur. at nec ad rem facit, quoniam nec ad Clericum conſtituendum ſpectat, vt aliàs obſeruauimus. Cæterùm extra morem illum tondendi vel radendi vna vice Sacerdotali manu, raſuram barbæ æquè ac capillorum Græci dedecoroſam putant, & à decentia & gentis ſuæ genio prorſus abhorrentem. Schiſmaticis porrò Græcis, Latini hæretici, in odium Cleri Romanæque Eccleſiæ haud rogati ſuccinunt; tonſuram enim non modò ſpernunt Clericalem, at raſuram tanto ludibrio habent, vt ethnicæ ſuperſtitionis inter reliquias computare non vereantur; vniformem populum Dei eſſe garriunt, in quo nullus Clericus, nullus Laïcus cenſeantur, deteriores priſcis illis hæreticis, quos, etſi diſcrimen inter ordinem &

* Κύριε ὁ Θεὸς δυνάμεων, ὁ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ τῇ σῇ οἰκονομίᾳ ἡμᾶς τοὺς ταπεινοὺς καὶ ἁμαρτωλοὺς ἐν τῇ ἁγιουργίᾳ τῆς ἱερωσύνης ἐνεργείᾳ ἐκλεξάμενος· ἵνα δι' ἡμῶν ὁ λαὸς ὁ πιστὸς ἑστὼς λατρεύῃ τὸ ὄνομα τὸ σόν· σοῦ δεόμεθα καὶ σὲ ἱκετεύομεν κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ παντοκράτωρ, εὐλόγησον τὰ ἔργα τῶν χειρῶν ἡμῶν, καὶ ὡς εὐλογίαν κατερχομένην ἐπὶ τὴν κεφαλὴν Ἀαρὼν, καὶ ἐπὶ τὸν πώγωνα αὐτοῦ, καὶ ὡς δρόσος ἡ Ἀερμὼν ἡ καταβαίνουσα ἐπὶ τὰ ὄρη Σιών, οὕτως κατελθέτω ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ δούλου σου, τοῦδε, καὶ ἐπὶ τὸν πώγωνα αὐτοῦ ἡ εὐλογία σου. Ὅτι πρέπει σοι πᾶσα δόξα, τιμὴ, καὶ τὸ κράτος.

** Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ ἐκ μὴ ὄντων εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα παραγαγὼν τῆς σῆς μεγαλειότητος ἐμφανῆ γνωρίσματα καὶ τὸν ἄνθρωπον οὐ μόνον τῇ σῇ εἰκόνι τῇ νοερᾷ τε καὶ λογικῇ διαφέροντα κατακοσμήσας, ἀλλὰ καὶ θριξὶν αὐτὸν ποικίλοις καθωραΐσας, αὐτὸς καὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε, εἰς εὐπρέπειαν τῆς αὐτοῦ προσόψεως ἀποκειράμενον τὸν ἑαυτοῦ πώγωνα ἢ τὴν κόμην πᾶσι τοῖς παρὰ σοῦ θείοις χαρίσμασι κατακόσμησον, καὶ κατελθέτω ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ τὸν πώγωνα ἡ εὐλογία σου, ὡς κατέβη ἐπὶ τὴν κεφαλὴν Ἀαρὼν, καὶ πώγωνα. ἐπὶ γὰρ τὴν σὴν δόξαν τοῦ εἰπόντος πάντα ὑμᾶς εἰς δόξαν σου ποιεῖν, καὶ τὴν τοῦ πώγωνος αὐτοῦ, ἢ τῆς κόμης ἀπαρχὴν ἀνάγεται, ποιεῖται ὁ δοῦλός σου. Ὅτι πρέπει σοι πᾶσα δόξα.

plebem non tollerent: ſtabilitatem tamen amouiſſe ordinis, ſed pro arbitrio mobilitatem induxiſſe Tertullianus commemorat in præſcriptionibus *Apud eos hodie*, inquit, *Clericus, cras Laïcus.* Iſti verò neoterici hæretici omnem inter hos, & illos tollunt differentiam, tidéntque Clericos, & aſpernantur hoc ipſo titulo quo dicuntur Clerici, quos ſcilicet contemptim vocitant *vnctos & raſos*, ſimiléſque priſcis idolorum Sacerdotibus idcirco calumniantur. In limine primi Libri de Clericali Tonſura, his & aliis eiuſmodi iniuriis & impoſturis ipſorum recentiorum ſectariorum, non oſcitanter, ſed ſatis attentè, quantum loci & argumenti exigebat conditio, reſpondimus, quapropter ſuperuacaneum foret his iſto loco refellendis pede fixo immorari. Non abnuimus raſuram probri ignominiæque notam extitiſſe dudum apud omnes ferè mortales: Sacerdotibus Hebræis pro pœna & dedecore fuit; item priſcis Francorum Regibus vt crinium inſigne fuit prolixitas, raſura (ſicut in Tonſuræ Clericalis prioribus libris innuimus) dedecus intolerabile cenſebatur. hinc Clotildis Regina ſatiùs eſſe ſibi pati cenſuit nepotes ſuos, Clodomiri Regis pupillos, gladio à parruis interfici, quàm forcipibus tonderi, vt Gregorius Turonenſis auctor eſt, qui & ipſe memorat Charaïcum Regem vinctum à Clodouæo tonderi iuſſum, quoniam verò minitabatur ſibi cæſariem laxatum ire, eodem imperante Clodouæo interfectum. Aimonius quoque prodit memoriæ Sadrageſilum Aquitanorum Ducem, à Dagoberto Rege furore percito, dignitate deturbatum, flagellorum cæſura, & barbæ raſione, lib. 4. c. 2. Apud Indos qui maximum aliquod delictum perpetrauerat, à Rege tonderi iuſſum ἐσχάτης οὔσης ταύτης ἀτιμίας, inquit Stobeus. Ab Ethnicis Chriſtianas virgines ad turpitudinem raſas fuiſſe ex tabulis conſtat Eccleſiaſticis 12. Kal. Octob. Qui verò in Gallia ſcelerati damnantur ad triremes, radi ſolent antequam remis mancipentur; éſtque etiamnum mos Senatus Pariſienſis, vt adulteræ mulieres, flagitij, ignominiæque causâ radantur, raſæque detrudantur in monaſterij perpetuum ergaſtulum. Hæc & plura ſcimus & non diffitemur, ſed non perſpicimus tamen quid inde nouatores contra Cleri tonſuram & raſuram (quæ iam ferè propria rediit Monachis & religioſis) colligere queant:) etenim ab Apoſtolo didicimus Sanctos olim ludibria perpeſſos & carceres, ſed factas eis iniurias odio Chriſti, fuiſſe eis omnibus mundi blanditiis ac honoribus dulciores atque cariores: ſic quæ opinione hominum videntur dedecora, ludicra & ignominioſa, ſi modò religionis causâ fiant, non tantùm honeſta ac digna, verùm etiam ſacroſancta habenda eſſe, luculenter docet S. Ambroſius lib. 3. ep. 30. ad Sabinum Placentinum Epiſcopum. In hôc rerum genere raſura numerari poteſt, quæ non ad venuſtatem fit, ſed ad diuinæ ſeruitutis profeſſionem, & Clericalis militiæ ſignificationem, etſi indecora humanis obtutibus, qui ſecundum ſpecies externas tantùm indicant, appareat: tamen honeſta & venerabilis eſt, ſi vt teſſera Eccleſiaſticæ profeſſionis conſideretur.

CAPVT TERTIVM.

De Barbæ mediocritate.

PETRVM Lombardum, Pariſienſem Antiſtitem, vulgò dictumMagiſtrum Sententiarum,primum omnium perſuaſiſſe Francis comam gerentibus Maiorum more profuſam, morem hunc velut indecentem & ineptum tollere, & inani crinium pondere depoſito, pilos gerere nec nimis prolixos, neque itidem plus æquo breues, obſeruat B. Renanus lib. 2. rerum Germanicarum : ab hoc verò tempore Clerum Galliæ à raſura barbæ temperare cœpiſſe, ſola tõſione contentum, quam nonnulli Canones aliàs à nobis citari cõmendant, res eſt Doctis comperta. Scio à nonnullis, qui barbæ raſionem affectant & tuentur, Anniceto Papæ & Martyri hanc tribui politiam, vt æquè barbam Clerici ac comam decidant; ſanctioniſque huius Annicetum ipſum auctorem agnoſci à Martino Pilono in Chronico, & Petro Exquilino Epiſcopo lib. 4. Catalogi Sanctorum c. 57. Verùm vnde hoc fuerint mutuari iſti duo Scriptores, doctos latet. Sanè decretum Anniceti ſuprà relatũ & vindicatum, etſi de coma tondenda ſit expreſſum, nihil continet prorſus de barba eradẽda, de qua nec minimum quid in Iure, vbi etiam Decreti Anniceti ſumma refertur diſt. 23. can. *Clericis*. Sed fortè Martinus, & Petrus ad can. 44. Concil. IV. Carth. reſpexerunt, qui in quibuſdam exemplaribus hac conſtat verborum ſerie, *Clericus comam non nutriat, ſed barbam radat*, alij Codd. *ſed barbam tondeat*. Verùm ſolida non eſt hæc lectio. Nã Vaticanus Codex, & Victorinus, ac Gandenſis ita ferunt, *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat*. Concilia edita etiam regiæ editionis Pariſienſis, *Clericus nec comã nutriat, neque barbam:* quæ conſtantior eſt lectio, & planior ac rationi congruentior, Patrúmque qui huic interfuerunt Concilio ſententiæ, & praxi magis conueniens. Ex quibus vnus, qui inſtar omnium eſſe poteſt, S. Auguſtinus morem tam ſuum, quàm Epiſcoporum, & Cleri Africanæ Eccleſiæ communem hunc fuiſſe teſtatur, vt nec raſam nec detonſam prorſus, nec itidem promiſſam, ſed præciſam & aliqua ex parte decurtatam, mediocrem ſcilicet, deferrent. Quamobrem Meſſalianorum (quos hoc perſtringit canone Carthaginenſis Synodus) Euchitarúmque ſectarios (quos manuum laborem abnuiſſe, intonſóſque prolixam comam, & barbam circumferentes vagari otioſos conſueuiſſe meminit S. Epiphanius hæreſ. 80.) S. ipſe Auguſtinus de opere Monachorum c. 31. acutè refellens, *Et hoc*, inquit, *quò pertinet quæſo, tam apertè contra præcepta Apoſtoli conari? An ita vacandum eſt vt nec tonſores operentur? an quia Euangelicas volucres imitari ſe dicunt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint?* At quis credat Auguſtinum quem in illis reprehendebat errorem, in ſe admiſiſſe, vel ignorâſſe mentem huius Synodi celeberrimæ cui interfuit cum 213. Coëpiſcopis, omnium ipſe lumen? aut ſponte veniſſe

contra decretum cui ipſe ſubſcripſerat, de barba non nutrienda, at itidem nec radenda, ſed tondenda tantùm? viſum enim his Patribus ſicut barbam non vellendam aut eradendam, ita nec nutriendam, ſcilicet adeò vt prolixa & diffuſa foret. Quo nomine carpit illos ſectarios S. Auguſtinus Synodi huius ſydus præcipuum, qui ita intonſi circumcurſabant, vt tonſores circa eos nullatenus operantes neceſſe foret otiari. Nec eſt quòd quiſpiam hîc ex aduerſo obiiciat S. Clementem Alexandrinum, lib. 3. Pædag. c 3. tribuentem vt aiunt Apoſtolicæ traditioni barbæ productionem: ſiquidem prolixitatem non commendat, ſed reiicit tantùm abraſionem vel euulſionem, omnéſque artes & fucos, quibus effœminati ſuæ ætatis homines, eraſis aut euulſis pilis cutem expolire & pigmentis linire, libidinis inſano pruritu, contendebant.

Bone Deus! quæ verborum fulmina in eiuſmodi inſanos cinædos non vibrat & intorquet; * *Eos*, inquit, *qui viri ſunt, radi vel leuigari quomodo non eſt turpe? Pilos autem tingere, & canos vngere, ac coloribus oblinire, quibus perditi androgyni effœminatique homines vtuntur.* Et infrà; *Eum autem qui vir eſt, pecti & tonderi, crines componentem ad ſpeculum, genáſque radi, velli, aut deglabrari, quomodo non eſt planè muliebre? & certè niſi quis eos nudos viderit, mulieres eſſe putauerit.* Et adhuc inferiùs; *Sunt etiam pili in barba à Domino numerati*, &c. *non eſt ergo quid vellendum præter eius inſtitutum*, &c. *Picari verò ac velli vereor dicere, quàm ſit indecorum & turpe factu. Auerſos, incuruatos, & arcana naturæ apertè denudantes*, &c. *& cùm erubeſcendæ ſint eorum figuræ, ipſos non erubeſcentes, in ipſo iuuenum cœtu, & medio gymnaſio, vbi virtus eorum exercetur, ſe indecorè gerentes, hoc præter naturam perſequi exercitium quomodo non eſt extremæ intemperantiæ?* Et infrà rurſus, *Omnia immutauit luxus, hominem probro ac dedecore affecit, mollis & luxurioſa & ſuperflua curioſitas quærit omnia, omnia aggreditur; naturam confundit, homines patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturam viros agunt.* Haud diſſimili impetu Chriſtiani zeli contra eadem naturæ portenta, & caſtæ religionis ludibria intonat Tertullianus, *Et hic ſexus*, inquit (nec mirum) *ſibi agnoſcit barbam acriùs cædere, vellere, circumdare, capillum diſponere, etiam colorare canitiem: vbi Deus! vbi grauitas! vbi pudicitia!* Quibus verbis, ſuperioribúſque ex Clemente productis neutiquam modeſta capilli, barbæque detonſio reprehenditur, ſed pilorum vulſio, raſura, & cutis vel crinium tinctura, fucus, ex muliebris mollitiei & formæ affectandæ prurigine profectus meritò reprobatur.

Ex traditione Apoſtolica eſſe, barbam alere, doctiſſimus Sauarro vult inſuper ex S. Cypriano elici lib. 3. ad Quirinum c. 85. At de Apoſtolis hîc ne verbum quidem, etenim S. Cyprianus ibidem tantùm ait, *Barbam non vellendam*, quod probat ex Leuit. c. 19. at barbam modeſtè tondere non eſt eam euellere, *vel corrumpere* (vt ſubdit) *eius effigiem:* aliàs qui comam iuxta Apoſtolum reſecat & reſtringit, diuinæ eſſet temerator imaginis, quod prorſus abſurdum.

Indicat etiam Sauarro S. Epiphanium eiuſdem Apoſtolicæ traditionis reſtaurorem, lib. 3. tom. 2. hæreſ. 80. Porrò Epiphanius omninò contrarium dicit, hunc in modum enim ait, ** *Siquidem iſti barbam, hoc eſt propriam*

* Τὸ γὰρ ἄνδρας ὄντας, ξύρεσθαι καὶ λεαίνεσθαι, πῶς οὐκ ἀγεννές, βαφαὶ δὲ τριχῶν, καὶ χρίσματα πολιῶν, καὶ ξανθίσματα, αἱ δ' ἐργασίαι θηλυδριῶν ἐπιτηδεύματα...... ἄνδρα δὲ ὄντα κτενίζεσθαι καὶ ἀποκείρεσθαι ξυρῷ, πρὸς ἐνόπτριον καὶ πρὸς τὸ ἐνόπτρον διαπιθέμενον τὰς τρίχας. ξύρεσθαί τε καὶ ἀποπλάττεσθαι καὶ λεαίνεσθαι τὰς γνάθους, πῶς οὐ γυναικεῖον; καὶ εἰ μή τις αὐτοὺς γυμνοὺς ἴδοι, κἂν γυναῖκας ὑπολάβοι....... ἠριθμημέναι γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ γενείου αἱ τρίχες. ἵν' ὅπως τι οὖν ἐναντίον παρὰ τὴν ἀφαίρεσιν τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ καὶ πιττοῦσθαι ὀκνῶ καὶ λέγειν τοὔργον ἀσχημοσύνης. ἀναπεπταμένους καὶ κεκυφότας, καὶ τὰ τῆς φύσεως τὰ ἀπόρρητα εἰς τὸ ἐμφανὲς ἀπογυμνοῦντας.... ἀνερυθριῶσι γελαστὸν ἄν ἀνερυθριῶντες αὐτοὺς ἐν αὐτῇ παλαίστρᾳ καὶ γυμνασίῳ μέσῳ, ἔνθα ἀρετὴ ἐξετάζεται, ἀσχημονοῦντας, τὸ παρὰ φύσιν τοῦτο διώκοντας ἐπιτήδευμα, πῶς οὐχὶ τῆς ἐσχάτης ἀσελγείας ἐστί;...... πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφή, κατῄσχυνε τὸν ἄνθρωπον, ἁβροδίαιτος περιεργία πάντα ζητεῖ, πάντα ἐπιχειρεῖ, συγχεῖ τὴν φύσιν· τὰ γυναικῶν οἱ ἄνδρες πεπόνθασιν. καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν.

** Οἱ μὲν τὸ γένειον τῆς μορφῆς τῆς ἀνδρείας

priam viri formam reſecant, (ſcilicet Meſſaliani) *capillos autem vt plurimùm prolixiores habent. Atque quoad barbam attinet in Apoſtolorum conſtitutionibus, diuino ſermone ac dogmate præſcribitur, ne ea corrumpatur.* Hîc igitur nihil vult aliud Epiphanius, quàm quod Apoſtoli ſuis in conſtitutionibus hac de re decreuerunt, ita autem lib. 1. conſtitution. cap. 30. eloquuntur; *Tibi enim, qui fidelis & homo Dei es, non licet nutrire comam, & in vnum colligere; hæc enim luxuria eſt & mollities, neque effuſam geſtare, neque diſcriminatam, neque facere vt tumeſcat, neque eam carpendo & formando criſpare, neque flauam reddere. Quòd etiam lex Deuteronomij vetet ſiſoem facere, aut anaxyridas: prætereà non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare, ait enim lex, non radetis barbas veſtras; mulieres namque vt deceret non eſſe barbatas, fecit earum auctor Deus; viros contrà vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc facias, vt alicui placeas, id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris, qui te ad imaginem ſuam effecit; ſi ergo placere Deo volueris, abſtine ab iis omnibus quæ idem odit, nihilque efficias quod ei diſpliceat.* Ex quibus verbis planè liquet, ex Apoſtolorum doctrina Deum voluiſſe, vt imberbes eſſent fœminæ, viri verò barbati; vetuiſſe Dominum illas radi, viros tamen non prohibuiſſe tonderi, dummodò tonſura ſit mediocris, & non fiat cum muliebri artificio ac intento mulierem ad impura deſideria prouocandi; húcque redit demum Sanctus Epiphanius, ſubiungit etenim: *In Apoſtolorum conſtitutionibus diuino ſermone ac dogmate præſcribitur, ne barba corrumpatur, hoc eſt ne barba ponatur, neve meretricius cultus & exornatus vſurpetur, ac ne per arrogantiam & faſtum affectata quædam iuſtitiæ ſpecies in congreſſu ac conſuetudine vſurpetur.* At verò qui barbam ex parte tondet non abſolutè deponit; ſuperfluis enim dumtaxat reſectis crinibus præcipuum barbæ robur illæſum perdurat. Quæ forma ſanè cæteris eſt præſtantior ac etiam congruentior, viris præſertim Eccleſiaſticis: id verò eſt, quod nobis incumbit probandum. Tribus id igitur præſtabimus mediis, *exemplo* ſcilicet, *auctoritate, ratione.*

Quod exemplum ſpectat; Chriſtus ipſe omnis vitæ fons, ſapientiæ lumen, perfectæ virtutis exemplar, & diſciplinæ omnis archetypus ac magiſter, formam nobis etiam in externo habitu quo *vt homo inuentus eſt*, præbuit, quam nos deceat imitari: ipſe at verò morem abraſionis barbæ non tenuit, nec itidem eius effuſæ productionis, at medium ipſe mediator ſeruauit inter vtrumque extremum: * *Effigies formæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut à veteribus accepimus* (ſcribit Nicephorus lib. 1. cap. 40. hiſt. Eccleſ.) *talis propemodum, quatenùs eam craſſiùs verbis comprehendere licet, fuit; Egregio is viuidóque vultu fuit; corporis ſtatura ad palmos ferè ſeptem. Cæſariem habuit ſubflauam ac non admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos declinantem, ſupercilia nigra, non perinde inflexa; ex oculis fuluis & ſubflaueſcentibus mirifica prominebat gratia; acres ij erant, & naſus longior; barbæ capillus flauus, nec admodum demiſſus; capitis verò capillos tulit prolixiores, nouacula enim in caput eius non aſcendit, nec manus aliqua hominis, præterquàm matris in te-*

ἀποτέμνουσι, τρίχας δὲ τῆς κεφαλῆς πολλάκις κομῶσι. καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου ἐν ταῖς διατάξεσι τῶν Ἀποστόλων φάσκει ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία, μὴ φθείρειν, τουτέστι μὴ τέμνειν τρίχας γενείου.

* Ἡ μέν τοι διάπλασις τῆς μορφῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐκ τῶν ἀρχαίων παρειλήφαμεν, τοιάδε τις ὡς ἐν τύπῳ περιλαβεῖν ἦν· ὡραῖος μὲν ἦν τὴν ὄψιν σφόδρα· τὴν γε μὴν ἡλικίαν, εἴτουν ἀναδρομὴν τοῦ σώματος, ἑπτὰ σπιθαμῶν ἦν πλήρης. ὑποξανθὸν ἔχων τὴν τρίχα καὶ οὐ πάνυ δασεῖαν. μᾶλλον μὲν οὖν, καὶ πρὸς τὸ οὖλον μετρίως πως ἀποκλίνουσαν. μελαίνας δέ γε τὰς ὀφρῦς εἶχε, καὶ οὐ πάνυ ἐπικαμπεῖς· τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς χαροπούς τινας καὶ ἠρέμα ὑποξανθίζοντας, εὐόφθαλμος δὲ ἦν καὶ ἐπίρριν· τὴν μέν τοι τρίχα τοῦ πώγωνος, ξανθήν τινα εἶχε, καὶ οὐκ εἰς πολὺ καθειμένην. μακροτέραν δὲ τὴν τρίχα τῆς κεφαλῆς περιέφερεν. οὐδέ ποτε γὰρ ξυρὸς ἀνέβη ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐδὲ χεὶρ ἀνθρώπου, πλὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ νηπιάζοντος.

nera dumtaxat ætate eius. Hæc Nicephorus, vt præmonuit ex traditione Veterum; Quem tamen duo Societatis Ieſu Theologi Mendoſa & Barradas in hoc non ſequendum putant, quòd Chriſtum aſſerat nunquam vſum operâ tonſoris, illum enim (aiunt) in iis quæ ad corporis ſpectarent cultum, & quæ ad cibos etiam attinerent, communes patriæ & honeſtorum ciuium ſecutum mores. Quod & Sherlogus eiuſdem Societ. Theologus, tom. 3. p. 299. veſtigatione 32. in Canticum Canticorum ad verſ. 2. & 3. c. 5. n. 2. oſtendit & probat ex Tertulliano de Corona militis, c. 8. S. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. S. Auguſtino lib. 16. aduerſus Fauſtum, c. 31. Euthymio, Paſchaſio, Anſelmo, S. Thoma, &c. aliiſque Patribus & Doctoribus, vnde concludit veſtig. 33. ad verſ. 10. & 11. eiuſdem c. n. 3. *Tondebat itaque cæſariem nõnumquam.* Proinde & barbam, ne ſcilicet prolixiùs quàm modeſtiæ & grauitati decentiæque congruebat, effflueret. Sed hi auctores, quoad rei cardinem, non pugnant, at cum Nicephoro conueniunt ex traditione referente Chriſtum non promiſſam geſſiſſe barbam, at mediocrem: quod an operâ tonſoris qua vſus fuerit, vel naturæ lege, meróque eius nutu ac delectu contigerit, parum refert, nec enim hîc quæſtio vertitur quomodo ſit factum, cùm ſatis ſit, quòd factum ita conſtet, non ſolo Nicephori teſtimonio, at auctoritate vetuſtæ traditionis, qua nititur, & quam præfati Doctores in dubium non vocant, antiquiſſimis nimirum picturis, & pleriſque Sanctorum quibus apparuiſſe memoratur Chriſtus, conſonis adſtipulationibus edocti.

Petrum, feruentiſſimum Chriſti diſcipulum & primum Apoſtolum, ipſum imitatum fuiſſe in hoc more gerendæ barbæ nec prolixæ, nec itidem ſtirpirùs deciſæ, ex antiquiſſimis eius iconibus (quas ſummô ſtudiô à fidelibus conſeruatas fuiſſe, Baronius non vno loco demonſtrat) non ſolùm patet, at expreſſo itidem Veterum teſtimonio, ex quo Nicephorus l. 2 c. 37.* *Petrus equidem (ait) non craſſâ corporis ſtaturâ fuit, ſed mediocri & quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſubpallida, & alba admodum; capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodum prominentes fuere.* Linus eius ſucceſſor in Romano Pontificatu eadem quoq; formâ crines geſſit. Cletus quidem pingitur caluus, nulliſque in malis, labris & mento pilis inſignis. Sed Anacletus, Euariſtus, Sixtus I. Soter, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II. Felix, Eutichianus, Cayus, Eleutherius, Victor, Zephirinus, Calliſtus, Marcus I. Anaſtaſius, ſic tonſurâ in vertice conſpicui, vt in malis, mento, & labris, crines barbæ fetant per gyrum detonſos cum decenti mediocritate: qua & geſſiſſe barbam S. Gregorium diſertè in eius vita Ioannes Diaconus teſtatur, lib. 4. cap. 84. *Barba paterno more, (inquit) ſubfulua fuit & modica.* Hinc longo temporum curſu raſi Pontifices referuntur (demptis pauciſſimis, qui oblongâ barbâ pingi ſolent, nempe Bonifacius III. Honorius I. Marinus I. Sergius, Damaſus II. Leo IX. & qui à mento nonnihil reſecta, breuioríque quàm promiſſa, ſcilicet Agatho, Leo II. Benedictus II. Stephanus V. Theodorus II. Ioannes II.) vſque ad Gregorium VII. qui licèt Monachus Cluniacenſis, factus ſummus Pontifex, morem S. Gregorij itidem ante Pontificatum Monachi ad vſum reuocauit; formam quam geſſit mediocris barbæ imitatus; quem morem Vrbanus eius mediatus ſucceſſor

Vide Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 14. & S. Auguſt. de conſecr. Euang. l. 1. c. 10.

* Ὁ μὲν Πέτρος τὴν ἡλικίαν μέτριος ἦν ἐπὶ τὸ ὄρθιον ἔχων αὐτὴν ἀναβαίνουσαν, ὕπωχρος τὴν ὄψιν καὶ μάλα λευκός. οὔλας τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ πώγωνος καὶ δασείας, οὐ μὴν τῆς καθειμένας ἔχων αὐτάς.

ſecutus eſt; deinde Paſchalis II. Gelaſius itidem II. & Calliſtus, Honoriúſque continui Pontifices, ad barbæ raſuram redierunt; quorum exemplum Innocentius II. non admiſit, aluit ſiquidem barbam, ſed modicam. Poſt quem Cœleſtinus II. & Lucius II. barbam omninò exuerunt; ſed Eugenius III. etſi Monachus Ciſtercienſis, factus Pontifex barbam aliquantum produxit. Raſus mentô ſedit Anaſtaſius IV. cui ſuffectus Hadrianus IV. barbam geſſit, ſed potiori parte reſectam. Alexander III. piloſus eſſe noluit. Lucius III. exiguos geſſit in labio ſuperiori ac circa mentum crines. Nullos Vrbanus III. præter tonſuræ circulum, ſibi in capite ineſſe paſſus eſt. Gregorius VIII. vſum barbæ breuis probauit, & qui ei ſucceſſit Clemens III. At Cœleſtinus III. & Innocentius itidem III. abraſionem huic mediocritati prætulerunt. Honorius III. à raſura abhorruit, barba nec breui, nec prolixa delectatus, ſed paulò mediâ fuſiori. Gregorius IX. rurſus raſuram coluit, & Cœleſtinus IV. ac Innocentius IV. ſed Alexander IV. ad vſum Gregorianum rediit, decenti barba ſiquidem ſedit conſpicuus, cuius pilos ſic reſectos voluit, vt cum decoro ordinati circa mentum, malas & labia apparerent. A cuius more ſucceſſor eius Vrbanus IV. receſſit, & Clemens IV. Gregorius X. & Innocentius V. necnon V. etiam Hadrianus; qui omnes abraſionem barbæ coluerunt: ſed Ioannes XX. mediocritatem tenuit, cuius veſtigia in hoc more, qui continuô ſucceſſu conſedêre, Nicolaus III. & Martinus IV. ſecuti ſunt. Cœleſtinus V. nullos pilos infra os geſſit, ſed paucos circa labium ſuperius, fortaſſe in Eremiticæ profeſſionis memoriam, quam ante promotionem coluerat, & ad quam redire affectabar; quo fine paulo poſt Pontificatum depoſuit. Caluus erat Bonifacius VIII. & barbam prorſus eraſit, quemadmodum eius ſucceſſor Benedictus X. & ſubinde Clemens V. Ioannéſque XXI. vulgò XXII. nuncupatus; ac continuo curſu Benedictus XI. ſeu XII. (variant enim auctores in his numeris) & Clemens VI. ac Vrbanus V. Gregorius XI. Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. Ioannes XXII. aliàs XXIII. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius denique III.

Sed Iulius II. non tam Gregorianum vſum vindicare cœpit, quàm Græcum affectauit morem, prolixam etenim barbam geſtauit, cùm conciliandæ, vt aiebat, reuerentiæ, tum incutiendi terroris causâ: verùm Leo X. barbatus eſſe non tulit: ſed eius ſucceſſor Clemens VII. Iulium maluit imitari, & Paulus III. ac Iulius itidem III. Marcello II. Gregorianus vſus barbæ mediocris magis placuit. Paulus IV. etſi profuſiorem tulit, non tamen laxauit prorſus, ſed ex parte decîdit. Mediocritatis amantior fuit Pius V. ſed barba profuſiore vſus eſt Pius V. & Gregorius XIII contractiore verò Sixtus V. quem ſecuti omnes huc vſque Pontifices, Vrbanus VII. Gregorius XIV. & Innocentius IX. Clemens VIII. Leo X. Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. reiectâ prorſus raſione & prolixitate, mediocritatem conſtanti exemplô in vſum reuocârunt.

Sed dicet hîc fortè quiſpiam: Mirum eſt quomodo in hac re ſummi Pontifices adeò variârint? Nec inficiot, ſed in re quæ videbatur adiapho-

Sourdis, illius Sedis Archiepiſcopo, eodem tit. de vita & honeſt. Clericorum, n. 4. cap. 13. *Omnibus Eccleſiaſticis noſtræ prouinciæ cuiuſcumque dignitatis, ſtatus & conditionis exiſtant, iniungimus, vtiis veſtimentis quæ ab vltimo prouinciali ſibi præſcribuntur, incedant induti, coronam Clericalem geſtantes; ne ſit prætereà illis capillatura impariter attonſa, non ſuperioris labij barba arte elaborata aſſurgat.*

Quibus ſacris monitis, & legibus facile perſpicere eſt, quantùm in barba gerenda Sacerdotibus & Clericis modeſtia commendetur. Sanè in labro ſuperiori ſic præcipitur raſura, ob reuerentiam Calicis ſalutaris, vt infrà omnis ſuperfluitas cultúſque Clericali modeſtiæ repugnans prohibeatur.

Non eſt tamen quod hîc exiliat Petrus Molinæus, Caluinianus miniſter, quaſi ſuorum Rabbinorum obiectionibus, ſuiſque ipſius argumentis ceſſerint, tandem eiuſmodi decretis Catholicæ Eccleſiæ Antiſtites, dum ob communionis Euchariſtiæ reuerentiam, recidi iubent ſacrorum hominum barbas in labro ſuperiori ad vitanda nimirum, vt ſibi perſuadet incommoda grauiſſima & perabſurda, quæ inde ſequi argutatur; *Si enim*, inquit, *verus Chriſti ſanguis ſit in calice, dum eum ebibit Sacerdos, quot pilos habet in ſuperiori labro, tot guttas ſanguinis è vaſculo haurit pilis iſtis hærentes. Cùm verò ex Theologorum doctrina & Eccleſiæ Romanæ fide, totus Chriſtus ſit ſub qualibet hoſtiæ conſecratæ parte quantumvis minimâ, proinde & ſub qualibet guttula conſecrati liquoris: inde fit vt tot Chriſtos Sacerdos ille pendulos ferat in myſtacibus ſuis, quot pilos non reſectos ſupero in labro geſtat. Quæ abſurditas quanta ſit omnibus profectò patet.* Ita ille Caluinianus ludio, myſteriorum Dei & fidei Catholicæ ſubſannator deriſótque perpetuus, & ſcurra ridiculus*, qui vt contra veritatem ſanguinis Domini in calice hac putida argutia cauillatur: iſta haud abſimili veritatem corporis ſub panis ſpecie in ridiculũ traducere non veretur, quæſtione 29. ex 66. Petro Cottonio præſtantiſſimo olim Theologo Societ. Ieſu propoſitis: *Quãdoquidem*, inquit, *Romana Eccleſia velit corpus Chriſti integrum exiſtere ſub qualibet hoſtiæ conſecratæ particula; nónne ex conſequenti docet cuſpidem ſcalpelli calamarij, quo Iudæus transfixit dudum Pariſiis hoſtiam ex qua ſanguinis guttæ effluxerunt, Chriſtum ſub ipſa hoſtia latentem per ſingulas eius corporis partes transfixiſſe: quòd enim Chriſtus glorificatus vulnerari poſſit longè minùs eſt abſurdum, quàm acumine ſcalpelli pungi potuiſſe, in infinitis propemodum partibus vnius eiuſdémque corporis latentis ſub exigua hoſtia conſecrata.** Sed quàm ineptè iſte impoſtor hæc obiiciat, Cottonius in editis reſponſionibus ad eius impias ironias liquidò demonſtrauit; quæ ad calcem extant Inſtitutionis ſuæ Catholicæ. Summa eſt, Chriſtum eſſe in ſacramento impaſſibilem & inuulnerabilem; tam propter dotem immortalitatis (*Chriſtus enim reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, ait Apoſtolus Rom. 6. 9.) quàm ratione exiſtentiæ & præſentiæ ſacramentalis, qua hîc adeſt inconciſus, & indiuiſibilis admodum ſubſtantiæ: atqui omnis punctio, & alia quæcumque actio cadit dumtaxat in ſubiectum diuiſibile, quod cùm ſuas habeat dimenſiones extenſas in ordine ad locum attingi poteſt in diuerſis partibus, propter eiuſmodi coexten-

In Nouitate ſua quam Papatus inſcripſit.

* *Guitmund. lib. 2. cont. Bereng.* Impius ſẽper ignominioſa de Deo ſomniat, ſemper ſcandala meditatur; *paulò poſt init.*

* Irridẽda planè (*ait Guitmũdus vbi ſuprà inter init. & med.*) Hæretici inſana deriſio.

ſionem, vnde conſectaneum ſit, propoſitionem hanc plenam eſſe ignorantiæ & impietatis, quæ dicit corpus Chriſti fuiſſe punctum aut aliquomodò tactum ſcalpelli in hoſtiam vibrati acumine. Porrò qui inde fluxit ſanguis, naturalis non erat, ſed miraculoſus, ſeu diuina virtute productus ad Iudaïcæ impietatis deteſtationem, haud ſecus ac ille cruor qui ex imagine Chriſti manauit, pridem à Iudæis crucifixa apud Berythum, de qua Sanctus Athanaſius librum ſcripſit inſignem, laudatum in VII. Synodo generali contra Iconomachos, Molinæi & aſſeclarum eius anteceſſores. Qui ſanè ſcurrilitate ſua circa res ſacras adeóque tremenda Euchariſtiæ myſteria ſeſe etiam perfidiæ Iudaïcæ, & ethnicæ impietatis, Neſtorianæque hæreſis, & Marcioniſtæ lue infectum prodit. (Vide Theodoret. lib. 4. hæret. fab. & Tertull. lib. de Carne Chriſti.) Scitè dudum ait S. Auguſtinus ep. 49. ad Deogratias, q. 6. *Iam in Chriſtum non crederemus ſi fides noſtra cachinnos metueret impiorum.* Scommata ſanè quæ Molinæus ſuíque ſimiles in Euchariſtiam promunt, dudum à Iudæis, Ethnicis illíſque aliíſque hæreticis, contra Verbi diuini incarnationem & paſſionem, ipſámque Euchariſtiam fuiſſe reperimus prolata. Berengarius, quem Molinæus ſequi maluit errantem, quàm pœnitentem imitari, vt in deriſum traheret fidem Eccleſiæ Catholicæ (quam vocabat, *opinionem vulgi*) de Euchariſtia dicere conſueuerat, ſi Chriſti corpus verum in Euchariſtia eſſet, quamvis eſſet tantæ molis, ac turris vaſtiſſima peraltáque Templi S. Mauricij Andegauenſis (cuius loci Archidiaconus erat) iampridem fuiſſet comeſtum & conſumptum, vel à ſolo populo Andegauenſi, tametſi ſemel in anno tantùm communicaretur*. Quaſi verò corpus Chriſti, eſſet in Euchariſtia (maximè quoad modum exiſtendi) quaſi lapis in turre; vel eſſet conſumptibile in ſe ceu panis communis. Haud minùs ineptus eſt Molinæus, dum tot Chriſtos penſiles fingit à pilis ſuperioris labri Sacerdotis qui cum myſtace celebrans, Chriſti è calice haurit ſanguinem: nec enim propter guttarum pluralitatem liquoris conſecrati, aut particularum hoſtiæ, multiplicatur Chriſtus, at vnus ſemper manet & idem, ſub qualibet ſtilla myſtici calicis, aut conſecrati panis particula. Quod ſi Molinæus negat, contrarium aſſerat neceſſe eſt, nempe aut multiplicari Chriſtum, aut diuidi per particularum, guttarum liquidæ vel ſolidæ ſpeciei pluralitatem; at Chriſtus vnus eſt & immutabilis, ſicut ait Apoſtolus Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula,* proinde impaſſibilis & indiuiſibilis, vnde eius dilectus ait, *Qui diuidit Chriſtum, antichriſtus eſt.* Non negamus equidem in eiuſmodi guttis, ſiue pilis barbæ Sacerdotis extractis, ſeu canula delibatis è calice Chriſtum exiſtere: ſed totum, integrum, indiuiſum, & prorſus eumdem neque propterea pendere aut cadere dici poteſt, ſed ſpecies dumtaxat, quemadmodum cadente homine, corpus cadit, anima non cadit, licèt per accidens moueatur. At ſatis de hac Molinæi ineptia ac impietate.

* Quid ſimile de eius ſectatiorum refert dicteriis Guirmund. lib. 2. aduerſus ipſum Bereng. inter init. & med.

1. Ioan. 4.

Vt rurſum me colligam, hîc ſacros Eccleſiæ Miniſtros, Clericóſque omnes admonendos reor, ſicut ſunt mundi lumina, ſic ſe meminerint ab omnibus ſpectari ac conſiderari, non modò à domeſticis fidei, ſed etiam ab inimicis. Caueant igitur dare *cuiquam vllam offenſionem, ne vituperetur*

plebem non tollerent: ſtabilitatem ramen amouiſſe ordinis, ſed pro arbirrio mobiliratem induxiſſe Tertullianus commemorar in præſcriptionibus *Apud eos hodie*, inquit, *Clericus, cras Laïcus*. Iſti verò neoterici hæretici omnem inter hos, & illos tollunt differenriam, ridéntque Clericos, & aſpetnantur hoc ipſo titulo quo dicuntur Clerici, quos ſcilicet contemptim vocitant *vnctos & raſos*, ſimiléſque priſcis idolorum Sacerdotibus idcirco calumniantur. In limine primi Libri de Clericali Tonſura, his & aliis eiuſmodi iniuriis & impoſturis ipſorum recentiorum ſectariorum, non oſcitanter, ſed ſatis attentè, quantum loci & argumenti exigebat conditio, teſpondimus, quapropter ſuperuacaneum foret his iſto loco refellendis pede fixo immorari. Non abnuimus raſuram probri ignominiæque notam extitiſſe dudum apud omnes ferè morrales: Sacerdoribus Hebræis pro pœna & dedecore fuit; item priſcis Francorum Regibus vt crinium inſigne fuir prolixitas, raſura (ſicut in Tonſuræ Clericalis prioribus libris innuimus) dedecus inrolerabile cenſebatur. hinc Clotildis Regina ſatiùs eſſe ſibi pati cenſuit nepotes ſuos, Clodomiri Regis pupillos, gladio à pattuis interfici, quàm forcipibus tonderi, vt Gregorius Turonenſis auctor eſt, qui & ipſe memorat Charaïcum Regem vinctum à Clodouæo tonderi iuſſum, quoniam verò minitabatur ſibi cæſariem laxatum ire, eodem imperanre Clodouæo interfectum. Aimonius quoque prodit memoriæ Sadrageſilum Aquitanorum Ducem, à Dagoberto Rege furore percito, dignitare deturbatum, flagellorum cæſura, & barbæ raſione, lib. 4. c. 2. Apud Indos qui maximum aliquod delictum perpetrauerar, à Rege ronderi iuſſum ἐσχάτης ὕβρις ζώτης ἀτιμίας, inquit Stobeus. Ab Ethnicis Chriſtianas virgines ad turpitudinem raſas fuiſſe ex tabulis conſtat Eccleſiaſtieis 12. Kal. Octob. Qui verò in Gallia ſceletati damnantur ad rriremes, radi ſolent antequam remis maneipentur; éſtque etiamnum mos Senatus Pariſienſis, vt adulteræ mulieres, flagitij, ignominiæque causâ radantur, raſæque detrudantur in monaſterij perpetuum ergaſtulum. Hæc & plura ſcimus & non diffitemur, ſed non perſpicimus tamen quid inde nouatores contra Cleri tonſuram & raſuram (quæ iam ferè propria rediit Monachis & religioſis) colligere queanr:) etenim ab Apoſtolo didieimus Sanctos olim ludibtia perpeſſos & carceres, ſed factas eis iniurias odio Chriſti, fuiſſe eis omnibus mundi blanditiis ac honoribus dulciores atque cariores: ſic quæ opinione hominum videnrut dedecora, ludicra & ignominioſa, ſi modò religionis causâ fiant, non tantùm honeſta ae digna, verùm eriam ſacroſancta habenda eſſe, luculenter docet S. Ambroſius lib. 3. ep. 30. ad Sabinum Placenrinum Epiſeopum. In hôc rerum genere raſura numerari poteſt, quæ non ad venuſtatem fit, ſed ad diuinæ ſeruirutis profeſſionem, & Clericalis militiæ ſignificationem, etſi indecora humanis obrutibus, qui ſecundum ſpecies externas tantùm indicant, appareat: tamen honeſta & venerabilis eſt, ſi vt teſſera Eccleſiaſticæ profeſſionis conſideretur.

CAPVT TERTIVM.

De Barbæ mediocritate.

PETRVM Lombardum, Pariſienſem Antiſtirem, vulgò dictumMagiſtrum Sententiarum,primum omnium perſuaſiſſe Francis comam gerentibus Maiorum more profuſam, morem hunc velut indecentem & ineptum tollere, & inani crinium pondere depoſito, pilos gerere nec nimis prolixos, neque itidem plus æquo breues, obſeruat B. Renanus lib. 2. rerum Germanicarum: ab hoc verò tempore Clerum Galliæ à raſura barbæ temperare cœpiſſe, ſola tõſione contentum, quam nonnulli Canones aliàs à nobis citati cõmendanr, res eſt Doctis comperta. Scio à nonnullis, qui barbæ raſionem affectanr & tuentur, Anniceto Papæ & Martyri hanc tribui politiam, vt æquè barbam Clerici ac comam decidanr; ſanctioníſque huius Annicerum ipſum auctorem agnoſci à Martino Pilono in Chronico, & Petro Exquilino Epiſcopo lib. 4. Catalogi Sanctorum c. 57. Verùm vnde hoc fuerint muruari iſti duo Scriptores, doctos larer. Sanè decrerum Anniceri ſuprà relarũ & vindicatum, etſi de coma tondenda ſit expreſſum, nihil conrinet prorſus de barba eradẽda, de qua nec minimum quid in Iure, vbi eriam Decreri Anniceri ſumma refertur diſt. 23. can. *Clericis*. Sed fortè Martinus, & Petrus ad can. 44. Concil. IV. Carrh. reſpexerunt, qui in quibuſdam exemplaribus hac conſtat verborum ſerie, *Clericus comam non nutriat, ſed barbam radat*, alij Codd. *ſed barbam tondeat.* Verùm ſolida non eſt hæc lectio. Nã Vaticanus Codex, & Victorinus, ac Gandenſis ira ferunt, *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat.* Concilia edita etiam regiæ edirionis Pariſienſis, *Clericus nec comã nutriat, neque barbam:* quæ conſtantior eſt lectio, & planior ac rationi congruenrior, Patrúmque qui huic interfuerunt Concilio ſententiæ, & praxi magis conueniens. Ex quibus vnus, qui inſtar omnium eſſe poteſt, S. Auguſtinus morem tam ſuum, quàm Epiſcoporum, & Cleri Africanæ Eccleſiæ communem hunc fuiſſe teſtatur, vt nec raſam nec detonſam prorſus, nec itidem promiſſam, ſed præciſam & aliqua ex parte decurtatam, mediocrem ſcilicet, deferrent. Quamobrem Meſſalianorum (quos hoc perſtringir canone Carthaginenſis Synodus) Euchitarúmque ſectarios (quos manuum laborem abnuiſſe, intonſóſque prolixam comam, & barbam circumferentes vagari orioſos conſueuiſſe meminir S. Epiphanius hæreſ. 80.) S. ipſe Auguſtinus de opere Monachorum c. 31. acurè refellens, *Et hoc*, inquir, *quò pertinet quæſo, tam apertè contra præcepta Apoſtoli conari? An ita vacandum eſt vt nec tonſores operentur? an quia Euangelicas volucres imitari ſe dicunt, quaſi depilari timent, ne volare non poſſint?* Ar quis credar Auguſtinum quem in illis reprehendebar errorem, in ſe admiſiſſe, vel ignorâſſe menrem huius Synodi celeberrimæ cui interfuit cum 213. Coëpiſcopis, omnium ipſe lumen? aut ſponte veniſſe

contra decretum cui ipſe ſubſcripſerat, de barba non nutrienda, at itidem nec radenda, ſed tondenda tantùm? viſum enim his Patribus ſicut barbam non vellendam aut eradendam, ita nec nutriendam, ſcilicet adeò vt prolixa & diffuſa foret. Quo nomine carpit illos ſectarios S. Auguſtinus Synodi huius ſydus præcipuum, qui ita intonſi circumcurſabant, vt tonſores circa eos nullatenus operantes neceſſe foret oriari. Nec eſt quòd quiſpiam hîc ex aduerſo obiiciat S. Clementem Alexandrinum, lib. 3. Pædag. c. 3. tribuentem vt aiunt Apoſtolicæ traditioni barbæ productionem: ſiquidem prolixitatem non commendat, ſed reiicit tantùm abraſionem vel euulſionem, omnéſque artes & fucos, quibus effœminati ſuæ ætatis homines, eraſis aut euulſis pilis cutem expolire & pigmentis linire, libidinis inſano prurîtu, contendebant.

Bone Deus! quæ verborum fulmina in eiuſmodi inſanos cinædos non vibrat & intorquet; * *Eos*, inquit, *qui viri ſunt, radi vel leuigari quomodo non eſt turpe? Pilos autem tingere, & canos vngere, ac coloribus oblinire, quibus perditi androgyni effœminatique homines vtuntur.* Et infrà; *Eum autem qui vir eſt, pecti & tonderi, crines componentem ad ſpeculum, genáſque radi, velli, aut deglabrari, quomodo non eſt planè muliebre? & certè niſi quis eos nudos viderit, mulieres eſſe putauerit.* Et adhuc inferiùs; *Sunt etiam pili in barba à Domino numerati, &c. non eſt ergo quid vellendum præter eius inſtitutum, &c. Picari verò ac velli vereor dicere, quàm ſit indecorum & turpe factu. Auerſos, incuruatos, & arcana naturæ apertè denudantes, &c. & cùm erubeſcendæ ſint eorum figuræ, ipſos non erubeſcentes, in ipſo iuuenum cœtu, & medio gymnaſio, vbi virtus eorum exercetur, ſe indecorè gerentes, hoc præter naturam perſequi exercitium quomodo non eſt extrema intemperantia?* Et infrà rurſus, *Omnia immutauit luxus, hominem probro ac dedecore affecit, mollis & luxurioſa & ſuperflua curioſitas quærit omnia, omnia aggreditur; naturam confundit, homines patiuntur muliebria, & fœminæ præter naturam viros agunt.* Haud diſſimili impetu Chriſtiani zeli contra eadem naturæ portenta, & caſtæ religionis ludibria intonat Tertullianus, *Et hic ſexus*, inquit (nec mirum) *ſibi agnoſcit barbam acriùs cædere, vellere, circumdare, capillum diſponere, etiam colorare canitiem: vbi Deus! vbi grauitas! vbi pudicitia!* Quibus verbis, ſuperioribúſque ex Clemente productis neutiquam modeſta capilli, barbæque detonſio reprehenditur, ſed pilorum vulſio, raſura, & cutis vel crinium tinctura, fucus, ex muliebris mollitiei & formæ affectandæ prurigine profectus meritò reprobatur.

Ex traditione Apoſtolica eſſe, barbam alere, doctiſſimus Sauarro vult inſuper ex S. Cypriano elici lib. 3. ad Quirinum c. 85. At de Apoſtolis hîc ne verbum quidem, etenim S. Cyprianus ibidem tantùm ait, *Barbam non vellendam*, quod probat ex Leuit. c. 19. at barbam modeſtè tondere non eſt eam euellere, *vel corrumpere* (vt ſubdit) *eius effigiem:* aliàs qui comam iuxta Apoſtolum reſecat & reſtringit, diuinæ eſſet temerator imaginis, quod prorſus abſurdum.

Indicat etiam Sauarro S. Epiphanium eiuſdem Apoſtolicæ traditionis teſtatorem, lib. 3. tom. 2. hæreſ. 80. Porrò Epiphanius omninò contrarium dicit, huncin modum enim ait, ** *Siquidem iſti barbam, hoc eſt propriam*

* Τὸ γὰρ ἄνδρας ὄντας, ξύρεσθαι καὶ λειαίνεσθαι, πῶς οὐκ ἀγεννές; βάπτειν δὲ τὰς τρίχας, καὶ χρίσματα πολιῶν, καὶ ξανθίσματα, ἀνδρογύνων ἐξωλῶν ἐπιτηδεύματα...... ἄνδρα δὲ ὄντα κτενίζεσθαι καὶ ἀποκείρεσθαι ξυρῷ, πρὸς ἔσοπτρον καὶ τὰς τρίχας διατιθέμενον ... ξύρεσθαί τε καὶ ἀποτίλλεσθαι καὶ λειαίνεσθαι τὰς γνάθους, πῶς οὐ γυναικεῖον; καὶ εἰ μή τις αὐτοὺς γυμνοὺς ἴδοι, κἂν γυναῖκας ὑπολάβοι...... ἠρίθμηνται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ γενείου αἱ τρίχες. οὐδ' ὅπως τι ποιεῖν ἐναντίον παρὰ τὴν προαίρεσιν τοῦ Θεοῦ. τὸ δὲ καὶ πιττοῦσθαι ὀκνῶ καὶ λέγειν τὸ τοῦ ἔργου αἴσχιστον ... ἀσχημονοῦντες καὶ κακυνόντες, καὶ τὰ φύσεως ἀπόρρητα εἰς τὸ ἐμφανὲς ἀπογυμνοῦντες.... ἀνερυθριῶσι χρῆσθαι ἀνερυθριῶντες αὐτοὶ ἐν αὐτῇ νεολαίᾳ καὶ γυμνασίῳ μέσῳ, ἔνθα ἀρετὴ ἐξετάζεται ἀσχημονοῦντες, τὸ παρὰ φύσιν. τοῦτο διώκοντες ἐπιτήδευμα. πῶς οὐχὶ τῆς ἐσχάτης ἀσελγείας ἐστί...... .... πάντα μετακεκίνηκεν ἡ τρυφή, κατῄσχυνε τὸν ἄνθρωπον, ἁβροδίαιτος περιεργία πάντα ζητεῖ, πάντα ἐπιχειρεῖ, συγχεῖ τὴν φύσιν· τὰ γυναικῶν οἱ ἄνδρες πάσχουσι, καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν.

** Οἱ δὲ τὸ γένειον τῆς μορφῆς τῆς ἀνδρείας

priam viri formam reſecant, (ſcilicet Meſſaliani) *capillos autem vt plurimùm prolixiores habent. Atque quoad barbam attinet in Apoſtolorum conſtitutionibus, diuino ſermone ac dogmate præſcribitur, ne ea corrumpatur.* Hîc igitur nihil vult aliud Epiphanius, quàm quod Apoſtoli ſuis in conſtitutionibus hac de re decreuerunt, ita autem lib. 1. conſtitution. cap. 30. eloquuntur; *Tibi enim, qui fidelis & homo Dei es, non licet nutrire comam, & in vnum colligere; hæc enim luxuria eſt & mollities, neque effuſam geſtare, neque diſcriminatam, neque facere vt tumeſcat, neque eam carpendo & formando criſpare, neque flauam reddere. Quòd etiam lex Deuteronomij vetet ſiſoem facere, aut anaxyridas: prætereà non barbam radere, neque formam hominis contra naturam mutare, ait enim lex, non radetis barbas veſtras; mulieres namque vt deceret non eſſe barbatas, fecit earum auctor Deus; viros contrà vt non deceret, idem iuſtè ſtatuit. Tu verò ſi hæc facias, vt alicui placeas, id quod eſt contra legem, execrabilis apud Deum eris, qui te ad imaginem ſuam effecit; ſi ergo placere Deo volueris, abſtine ab iis omnibus quæ idem odit, nihilque efficias quod ei diſpliceat.* Ex quibus verbis planè liquet, ex Apoſtolotum doctrina Deum voluiſſe, vt imberbes eſſent fœminæ, viri verò barbati; vetuiſſe Dominum illas radi, viros tamen non prohibuiſſe tonderi, dummodò tonſura ſit mediocris, & non fiat cum muliebri artificio ac intento mulierem ad impura deſideria prouocandi; húcque redit demum Sanctus Epiphanius, ſubiungit etenim: *In Apoſtolorum conſtitutionibus diuino ſermone ac dogmate præſcribitur, ne barba corrumpatur, hoc eſt ne barba ponatur, neve meretricius cultus & exornatus vſurpetur, ac ne per arrogantiam & faſtum affectata quædam iuſtitiæ ſpecies in congreſſu ac conſuetudine vſurpetur.* At verò qui barbam ex parte tondet non abſolutè deponit; ſuperfluis enim dumtaxat reſectis crinibus præcipuum barbæ robur illæſum perdurat. Quæ forma ſanè cæteris eſt præſtantior ac etiam congruentior, viris præſertim Eccleſiaſticis: id verò eſt, quod nobis incumbit probandum. Tribus igitur præſtabimus mediis, *exemplo* ſcilicet, *auctoritate, ratione.*

ἀποτέμνουσι, τρίχας δὲ τῆς κεφαλῆς πολλάκις κομῶσι. καὶ περὶ μὲν οὖν τοῦ γενείου ἐν τῇ διατάξει τῶν Ἀποστόλων φασὶν ὁ θεῖος λόγος καὶ ἡ διδασκαλία, μὴ φθείρειν, τουτέστι μὴ τέμνειν τρίχας γενείου.

Quod exemplum ſpectat; Chriſtus ipſe omnis vitæ fons, ſapientiæ lumen, perfectæ virtutis exemplar, & diſciplinæ omnis archetypus ac magiſter, formam nobis etiam in externo habitu quo *vt homo inuentus eſt*, præbuit, quam nos deceat imitari: ipſe at verò morem abraſionis barbæ non tenuit, nec itidem eius effuſæ productionis, at medium ipſe mediatot ſeruauit inter vtrumque extremum: * *Effigies formæ Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut à veteribus accepimus* (ſcribit Nicephorus lib. 1. cap. 40. hiſt. Eccleſ.) *talis propemodum, quatenùs eam craſſiùs verbis comprehendere licet, fuit; Egregio is viuidóque vultu fuit; corporis ſtatura ad palmos ferè ſeptem. Cæſariem habuit ſubflauam ac non admodum denſam, leniter quodammodo ad criſpos declinantem, ſupercilia nigra, non perinde inflexa; ex oculis fuluis & ſubflaueſcentibus mirifica prominebat gratia; acres ij erant, & naſus longior; barbæ capillus flauus, nec admodum demiſſus; capitis verò capillos tulit prolixiores, nouacula enim in caput eius non aſcendit, nec manus aliqua hominis, præterquàm matris in te-*

* Ἡ μέν τοι διάπλασις τῆς μορφῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐξ ἀρχαίων παρειλήφαμεν, τοιάδε τις ὡς ἐν τύπῳ περιλαβεῖν ἦν· ὡραῖος μὲν ἦν τὴν ὄψιν σφόδρα· τήν γε μὴν ἡλικίαν, εἰς τοὺς ἀναδεδραμένους τοῦ σώματος, ἑπτὰ ἐπιθαμῶν ἦν τελείων. ἐπίξανθον ἔχων τὴν τρίχα καὶ οὐ πάνυ δασεῖαν, μᾶλλον μὲν οὖν, καὶ πρὸς τὸ οὖλον μετρίως πως ἀποκλίνουσαν. μελαίνας δέ γε τὰς ὀφρῦς εἶχε, καὶ οὐ πάνυ ἐπικεκαμμένας· τοὺς δ' ὀφθαλμοὺς χαροπούς τινας καὶ ἠρέμα ἐπιξανθίζοντας, εὐόφθαλμος δ' ἦν καὶ ἐπίρρινος· τὴν μέν τοι τρίχα τοῦ πώγωνος, ξανθήν τινα εἶχε, καὶ οὐ λίαν πολὺ καθειμένην. μακροτέραν δὲ τὴν τρίχα τῆς κεφαλῆς περιέφερεν. οὐδέ ποτε γὰρ ξυρὸς ἀνέβη ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ οὐδὲ χεὶρ ἀνθρώπου, πλὴν τῆς μητρὸς αὐτοῦ νηπιάζοντος.

nera dumtaxat ætate eius. Hæc Nicephorus, vt præmonuit ex traditione Veterum; Quem tamen duo Societatis Ieſu Theologi Mendoſa & Barradas in hoc non ſequendum putant, quòd Chriſtum aſſerat nunquam vſum operâ tonſoris, illum enim (aiunt) in iis quæ ad corporis ſpectarent cultum, & quæ ad cibos etiam attinerent, communes patriæ & honeſtorum ciuium ſecutum mores. Quod & Sherlogus eiuſdem Societ. Theologus, tom. 3. p. 299. veſtigatione 32. in Canticum Canticorum ad verſ. 2. & 3. c. 5. n. 2. oſtendit & probat ex Tertulliano de Corona militis, c. 8. S. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. S. Auguſtino lib. 16. aduerſus Fauſtum, c. 31. Euthymio, Paſchaſio, Anſelmo, S. Thoma, &c. aliiſque Patribus & Doctoribus, vnde concludit veſtig. 33. ad verſ. 10. & 11. eiuſdem c. n. 3. *Tondebat itaque cæſariem nõnumquam.* Proinde & barbam, ne ſcilicet prolixiùs quàm modeſtiæ & grauitati decentiæque congruebat, efflueret. Sed hi auctores, quoad rei cardinem, non pugnant, at cum Nicephoro conueniunt ex traditione referente Chriſtum non promiſſam geſſiſſe barbam, at mediocrem: quod an operâ tonſoris qua vſus fuerit, vel naturæ lege, meróque eius nutu ac delectu contigerit, parum refert, nec enim hîc quæſtio vertitur quomodo ſit factum, cùm ſatis ſit, quòd factum ita conſtet, non ſolo Nicephori teſtimonio, at auctoritate vetuſtæ traditionis, qua nititur, & quam præfati Doctores in dubium non vocant, antiquiſſimis nimirum picturis, & pleriſque Sanctorum quibus apparuiſſe memoratur Chriſtus, conſonis adſtipulationibus edocti.

Vide Euſeb. lib. 7. hiſt. c. 14. & S. Auguſt. de conſecr. Euang. l. 1. c. 10.

* Ὁ μὲν Πέτρος τὴν ἡλικίαν μέτριος ἦν, ἐπὶ τὸ ὄρθιον ἔχων ἀντὶ τῶν ἀναλαίσιον, ὕπωχρος τὴν ὄψιν καὶ μάλα λευκός. οὔλας τὰς τρίχας τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ πώγωνος καὶ δασείας μὲν, οὐ μὴν τῷ καθειμένας ἔχων αὐτάς.

Petrum, feruentiſſimum Chriſti diſcipulum & primum Apoſtolum, ipſum imitatum fuiſſe in hoc more gerendæ barbæ nec prolixæ, nec itidem ſtirpitùs deciſæ, ex antiquiſſimis eius iconibus (quas ſummô ſtudiô à fidelibus conſeruatas fuiſſe, Baronius non vno loco demonſtrat) non ſolùm patet, at expreſſo itidem Veterum teſtimonio, ex quo Nicephorus l. 2. c. 37.* *Petrus equidem* (ait) *non craſſâ corporis ſtaturâ fuit, ſed mediocri & quæ aliquanto eſſet erectior, facie ſubpallida, & alba admodum; capilli & capitis & barbæ criſpi & denſi, ſed non admodum prominentes fuere.* Linus eius ſucceſſor in Romano Pontificatu eadem quoq; formâ crines geſſit. Cletus quidem pingitur caluus, nulliſque in malis, labris & mento pilis inſignis. Sed Anacletus, Euatiſtus, Sixtus I. Soter, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus II. Felix, Eutichianus, Cayus, Eleutherius, Victor, Zephirinus, Calliſtus, Marcus I. Anaſtaſius, ſic tonſurâ in vertice conſpicui, vt in malis, mento, & labris, crines barbæ ferant per gyrum detonſos cum decenti medioctitate: qua & geſſiſſe barbam S. Gregorium diſertè in eius vita Ioannes Diaconus teſtatur, lib. 4. cap. 84. *Barba paterno more,* (inquit) *ſubfulua fuit & modica.* Hinc longo temporum curſu raſi Pontifices referuntur (demptis pauciſſimis, qui oblongâ barbâ pingi ſolent, nempe Bonifacius III. Honorius I. Marinus I. Sergius, Damaſus II. Leo IX. & qui à mento nonnihil reſecta, breuioríque quàm promiſſa, ſcilicet Agatho, Leo II. Benedictus II. Stephanus V. Theodorus II. Ioannes II.) vſque ad Gregorium VII. qui licèt Monachus Cluniacenſis, factus ſummus Pontifex, morem S. Gregorij itidem ante Pontificatum Monachi ad vſum reuocauit; formam quam geſſit mediocris barbæ imitatus; quem morem Vrbanus eius mediatus ſucceſſor

ſecurus eſt; deinde Paſchalis II. Gelaſius iridem II. & Calliſtus, Honoriúſque conrinui Pontifices,ad barbæ raſuram redierunt; quorum exemplum Innocentius II. non admiſit, aluit ſiquidem barbam, ſed modicam. Poſt quem Cœleſtinus II. & Lucius II. barbam omninò exuerunt; ſed Eugenius III. etſi Monachus Ciſtercienſis, factus Pontifex barbam aliquantum produxit. Raſus mentô ſedit Anaſtaſius IV. cui ſuffectus Hadrianus IV. barbam geſſit, ſed potiori parte reſectam. Alexander III. piloſus eſſe noluit. Lucius III. exiguos geſſir in labio ſuperioti ac circa menrum crines. Nullos Vrbanus III. prærer tonſuræ circulum, ſibi in capite ineſſe paſſus eſt. Gregorius VIII. vſum barbæ breuis probauit, & qui ei ſucceſſir Clemens III. Ar Cœleſtinus III. & Innocentius iridem III. abraſionem huic mediocrirati prætulerunt. Honorius III. à taſura abhorruit, barba nec breui nec prolixa delectarus, ſed paulò mediâ fuſiori. Gregorius IX. rurſus raſuram coluit, & Cœleſtinus IV. ac Innocentius IV. ſed Alexander IV. ad vſum Gregorianum rediit, decenti barba ſiquidem ſedit conſpicuus, cuius pilos ſic reſectos voluit, vr cum decoro ordinati circa mentum, malas & labia apparerent. A cuius more ſucceſſor eius Vrbanus IV. receſſir, & Clemens IV. Gregorius X. & Innocenrius V. necnon V. etiam Hadrianus; qui omnes abraſionem barbæ coluerunt: ſed Ioannes XX. mediocritatem tenuit, cuius veſtigia in hoc more, qui continuô ſucceſſu conſedêre, Nicolaus III. & Marrinus IV. ſecuri ſunt. Cœleſtinus V. nullos pilos infra os geſſit, ſed paucos circa labium ſuperius, fortaſſe in Eremiticæ profeſſionis memoriam, quam ante promorionem coluerat, & ad quam redire affectabat; quo fine paulo poſt Pontificatum depoſuit. Caluus erar Bonifacius VIII. & barbam prorſus eraſir, quemadmodum eius ſucceſſor Benedictus X. & ſubinde Clemens V. Ioannéſque XXI. vulgò XXII. nuncupatus; ac continuo curſu Benedictus XI. ſeu XII. (vatianr enim auctotes in his numeris) & Clemens VI. ac Vrbanus V. Gregorius XI. Bonifacius IX. Innocentius VII. Gregorius XII. Alexander V. Ioannes XXII. aliàs XXIII. Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. Pius II. Paulus II. Sixrus IV. Innocentius VIII. Alexander VI. Pius denique III.

Sed Iulius II. non tam Gregorianum vſum vindicare cœpit, quàm Græcum affectauit morem, prolixam etenim barbam geſtauit, cùm conciliandæ, vr aiebat, reuerenriæ, rum incutiendi tertoris causâ: verùm Leo X. barbatus eſſe non tulit: ſed eius ſucceſſor Clemens VII. Iulium maluit imitari, & Paulus III. ac Iulius itidem III. Marcello II. Gregotianus vſus barbæ mediocris magis placuit. Paulus IV. etſi profuſiorem tulit, non tamen laxauit prorſus, ſed ex parte decîdit. Mediocriratis amantior fuit Pius V. ſed barba profuſiore vſus eſt Pius V. & Gregorius XIII contractiore verò Sixtus V. quem ſecuri omnes huc vſque Pontifices, Vrbanus VII. Gregorius XIV. & Innocenrius IX. Clemens VIII. Leo X. Paulus V. Gregorius XV. & Vrbanus VIII. reiectâ ptorſus raſione & prolixitate, mediocritatem conſtanti exemplô in vſum reuocârunt.

Sed dicet hîc forrè quiſpiam: Mirum eſt quomodo in hac re ſummi Pontifices adeò variârint? Nec inficior, ſed in re quæ videbatur adiapho-

ra, vnuſquiſque genium ſuum, propenſionémque ſecutus eſt, quamuis ex inductione præmiſſa liquidum ſit plures fuiſſe, qui barbam abraſerint, quàm qui prolixam geſſerint aut mediocrem. Si quod ſentio dicere liceat, barbæ prolixitas in Romana Eccleſia numquam ſolidum vſum habuit: primi aliquot Pontifices qui Græci fuerunt, morem hunc ſuæ Gentis ſecum importârunt, vt ex iconibus patet Theleſphori, & Higini, Dionyſij, & Euſebij; quem morem in iis tulit Romana Eccleſia, non probauit: fuerunt, fateor, nonnulli Pontifices qui eundem morem vſurpârunt, & Clemens imprimis, ſed qui cum Paulo diu in Græcia verſatus fuerat, ideóque ab iis imbiberat iſtum morem: alij Pontifices, qui eundem vſum tenuerunt, & pauci (aliorum comparatione) extiterunt, & potiùs priuarum genium ſecuti ſunt, quàm Romanæ Sedis genuinam conſuetudinem. Obtinuit igitur aliquando totalis reſ[illegible]tio ex Græcorum oppoſitione *, ex quo enim ipſi Græci Romanos non tantùm, ſed Latinos Clericos vniuerſim, hoc nomine calumniati ſunt, quòd barbas raderent, vſus iſte qui alioquin inter Græcos & Latinos diſcrimen ſpectabile interponebat, firmiori obſeruatione retentus eſt; creuit enim eius ſtudium ex hac vtriuſq; Gentis æmulatione: qua deferuente aliquoties, minori curæ tam Eccleſiæ proceribus, quàm Clericis ipſa raſura eſſe cœpit, tonſioníſque modeſtæ magis probarus vſus, quin ipſis etiam poſteris canonibus commendatus, vt aliàs oſtendi. Acceſſit non leuis conſideratio primæ originis, nam ab initio non fuit ſic: etenim Chriſtus ipſe, & Petrus ab eo ſummus totius Cleri apex, *primúſque*, vt ſcitè eum Euſebius Cæſarienſis appellat, *Chriſtianorum Pontifex* ſuo nobis exemplo, etiam hac in re omni extremitate poſtpoſita, mediocritatem commendârunt; quorum magna pars priſcorum Pontificum formam ſunt ſecuti; nonnullique alternatis vicibus etiam per ſuccedentia tempora extiterunt, qui morem hunc, vt probatiorem decentiorémque amplexi ſunt; qui tandem meritò obtinuit, hodiéque longè latéque viget in vniuerſa Eccleſia Occidentali. At ſatis de exemplis, quoad quæſtionem facti, videtur ea tenus diſſertatum.

* Hinc Gregorius VII. lib. 8. ep. 10. ad Ozzocorum Iudicem Caralitanum, ait quòd totius Occidentalis Eccleſiæ Clerus barbam radendi iàmpridem morem tenuit.

In Chronico.

Quoad rationes ſpectat; ſanè omnes congruentias, quæcumque afferri poſſunt, Lactantius citatus in 1. capitis Appendicis huius exordio, non abs re mihi viſus eſt complexus eſſe: *Barbæ ratio* (inquit) *incredibile eſt quantum conferat ad dignoſcendam corporis maturitatem, ad differentiam ſexus, vel ad decorem virilitatis ac roboris, atqui vt maturitas ætatis appareat, ſexus dignoſcatur virilis à fœmineo, & ipſum robur virilitatis innoteſcat; vt abraſio barbæ, non ſuccurrit ſed nocet, ſic prolixitas non iuuat, at mediocritas ſufficit.* Mitto quòd vt raſio indecora: ſic & incommoda ſit pleriſque modis, & paſſim ingrata nimia barbæ prolixitas, ob quam ipſe Iulianus Imperator, qui ſuâ perfidiâ cognomen demeruit Apoſtatæ, pridem ab Antiochenis ciuibus omnibus ferè Chriſtianis publicè deriſus fuit: aduerſus quorum dicacitatem * Miſopogonem ſcripſit; ſed vtinam non alia fuiſſet de cauſa vituperabilis, quàm ex ipſa profuſioris barbæ geſtatione. Plurima ſanè tam pro, quàm conrrà coaceruati poſſent, at ea Rhetoribus, Dialecticis, & cæteris eiuſmodi rerú amplificatoribus, vltrò relinquimus perſequen-

Id contigit an. 362.

* Odium barbæ. *Vide Ammian. Marcellin. lib. 22.*

da, quibus campus certè patet ampliſſimus pro ſui ingenij fœcunditate atque ſolertia, & ſermonis facundia, æquè de raſura ac productione barbæ, huiúſque & illius commodis vel incommodis, decoro, vel indecoro diſſerendi. Satis nobis fuit de hac materia obiter, non ex humanioris litteraturæ penu, ſed Eccleſiaſticæ doctrinæ monimentis, nitidéque more noſtro tractauiſſe: aliàs vberiùs de eadem, opportuniore loco dicturis, ſi cœptis fauere Deus pro ſolita ſua in nos benignitate, dignatus fuerit.

Supereſt ab auctoritate confirmare vſum barbæ mediocritatis, quam ſuademus. Sed hoc non fuerit adeò difficile operæpretium. Enimuerò ex inductione canonicarum ſanctionum lib.1. de Tonſura Clericali expoſita, abundè patet vix raſuram fuiſſe aliquando de præcepto generali in Eccleſia quoad Clericos; imò fuiſſe vetitam ante mille ſupra centum annos in Concilio Barcinonenſi c. 3. *Vt nullus Clericorum comam nutriat, aut barbam radat.* Tonſuram at verò ſemper, & vbique ſacris Pontificum & Synodorum decretis præceptam, & Sanctorum exemplis ac monitis commendatam. Poſterioribus verò conſtitutionibus Eccleſiaſticis morem ipſum deferendæ barbæ, ſed modicæ & Eccleſiaſticæ modeſtiæ ac honeſtati congruentis, fuiſſe non modò permiſſum Clericis tam minoris claſſis, quàm ſuperioris conſeſſus: at etiam perſuaſum, quin & tandem iniunctum: id verò eſt quod paucis quidem, ſed ſelectis ſanctionum editarum poſt felicem exitum Oecumenici Concilij Tridentini, ſyntagmatibus in præſentiarum oſtendimus.

Primum Concilium Mediolanenſe ſub S. Carolo Archiepiſcopo & Cardinale tit. de Clericorum veſtitu, & reliquæ vitæ moderatione, hunc in modum ſtatuit ac ordinat: *Preſbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæterique Clerici, Clericali tonſurâ ſint inſigniti, ad eam formam quam ratio vniuſcuiuſque ordinis Epiſcopi arbitriô poſtulabit; ita ſint abraſi capilli, vt tonſura conſpicua ſit omnibus, comam verò & barbam ne ſtudioſè nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant; barba à ſuperiori labro, ita recidatur, vt pili in ſacrificio Miſſæ Chriſti Domini corpus & ſanguinem ſumentem non impediant.* Anno 1565.

Concilium prouinciale Rothomagenſe anno 1581. à Carolo Cardinale de Borbonio, Archiepiſcopo & Primate celebratum, *Omnes* (ait) *vt reuocemus ad modeſtiam hortamur, & præcipimus, vt tonſuram in capite, & coronam habeant ſuis ordinibus congruentem & honeſtè raſam, nec barbam alant miniſterio altaris indecoram.*

Concilium itidem prouinciale Rhemenſe habitum à Ludouico Cardinale à Guyſia anno 1583. tit. *de Clericis.* eoſdem monet, *Vt à ſuperiore labro ob ſacræ communionis reuerentiam, barbam tondeant vel radant; infrà verò vt gerant Clericali modeſtiæ congruentem.*

Ita & Synodus prouincialis Aquenſis, ſub Alexandro Archipræſule, tit. de vita & honeſtate Clericorum: *Comam & barbam ne ſtudioſè nutriant, capillis ſimplicem cultum adhibeant. Preſbyteri barbam habeant ad ſuperius labrum ita inciſam, vt ſumentibus Chriſti ſanguinem nullum afferat impedimentum; atque tam ipſi, quàm reliqui omnes ab omni parte, ne vllo pacto pilos intortos, aut mento in acutum inciſos* * *productóſve, more nutriant militari.* * Barbe en pointe.

Sic & Burdegalenſis anno 1624. conuocata à Franciſco Cardinale de

Sourdis, illius Sedis Archiepiſcopo, eodem tit. de vita & honeſt. Clericorum; n. 4. cap. 13. *Omnibus Eccleſiaſticis noſtræ prouinciæ cuiuſcumque dignitatis, ſtatus & conditionis exiſtant, iniungimus, vtiis veſtimentis quæ ab vltimo prouinciali ſibi præſcribuntur, incedant induti, coronam Clericalem geſtantes; ne ſit præterea illis capillatura impariter attonſa, non ſuperioris labij barba arte elaborata aſſurgat.*

Quibus ſactis monitis, & legibus facile perſpicere eſt, quantùm in barba gerenda Sacerdotibus & Clericis modeſtia commendetur. Sanè in labro ſuperiori ſic præcipitur raſura, ob reuerentiam Calicis ſalutaris, vt infrà omnis ſuperfluitas cultúſque Clericali modeſtiæ repugnans prohibeatur.

Non eſt tamen quod hic exiliat Petrus Molinæus, Caluinianus miniſter, quaſi ſuorum Rabbinorum obiectionibus, ſuíſque ipſius argumentis ceſſerint, tandem eiuſmodi decretis Catholicæ Eccleſiæ Antiſtites, dum ob communionis Euchariſtiæ reuerentiam, recidi iubent ſacrorum hominum barbas in labro ſuperiori ad vitanda nimirum, vt ſibi perſuadet incommoda grauiſſima & perabſurda, quæ inde ſequi argutatur; *Si enim*, inquit, *verus Chriſti ſanguis ſit in calice, dum eum ebibit Sacerdos, quot pilos habet in ſuperiori labro, tot guttas ſanguinis è vaſculo haurit pilis iſtis hærentes. Cùm verò ex Theologorum doctrina & Eccleſiæ Romanæ fide, totus Chriſtus ſit ſub qualibet hoſtiæ conſecratæ parte quantumvis minimâ, proinde & ſub qualibet guttula conſecrati liquoris: inde fit vt tot Chriſtos Sacerdos ille pendulos ferat in myſtacibus ſuis, quot pilos non reſectos ſupero in labro geſtat. Quæ abſurditas quanta ſit omnibus profectò patet.* Ita ille Caluinianus ludio, myſteriorum Dei & fidei Catholicæ ſubſannator deriſórque perpetuus, & ſcurra ridiculus*, qui vt contra veritatem ſanguinis Domini in calice hac putida arguria cauillatur: iſta haud abſimili veritatem corporis ſub panis ſpecie in ridiculũ traducere non veretur, quæſtione 29. ex 66. Petro Cortonio præſtantiſſimo olim Theologo Socier. Ieſu propoſitis: *Quãdoquidem*, inquit, *Romana Eccleſia velit corpus Chriſti integrum exiſtere ſub qualibet hoſtiæ conſecratæ particula; nónne ex conſequenti docet cuſpidem ſcalpelli calamarij, quo Iudæus transfixit dudum Pariſiis hoſtiam ex qua ſanguinis guttæ effluxerunt, Chriſtum ſub ipſa hoſtia latentem per ſingulas eius corporis partes transfixiſſe: quòd enim Chriſtus glorificatus vulnerari poſſit longè minùs eſt abſurdum, quàm acumine ſcalpelli pungi potuiſſe, in infinitis propemodum partibus vnius eiuſdémque corporis latentis ſub exigua hoſtia conſecrata.* * Sed quàm ineptè iſte impoſtor hæc obiiciat, Cortonius in editis reſponſionibus ad eius impias ironias liquidò demonſtrauit; quæ ad calcem extant Inſtitutionis ſuæ Catholicæ. Summa eſt, Chriſtum eſſe in ſacramento impaſſibilem & inuulnerabilem; tam propter dotem immortalitatis (*Chriſtus enim reſurgens à mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, ait Apoſtolus Rom. 6. 9.) quàm ratione exiſtentiæ & præſentiæ ſacramentalis, qua hîc adeſt inconciſus, & indiuiſibilis admodum ſubſtantiæ: atqui omnis punctio, & alia quæcumque actio cadit dumtaxat in ſubiectum diuiſibile, quod cùm ſuas habeat dimenſiones extenſas in ordine ad locum attingi poteſt in diuerſis partibus, propter eiuſmodi coexten-

In Nouitate ſua quam Papatus inſcripſit.

* *Guitmund. lib. 2. cont. Bereng.* Impius ſẽper ignominioſa de Deo ſomniat, ſemper ſcandala meditatur; *paulò poſt init.*

* Ittidẽda planè (*ait Guitmũdus vbi ſuprà inter init. & med.*) Hæretici inſana deriſio.

ſionem, vnde conſectaneum fit, propoſitionem hanc plenam eſſe ignorantiæ & impietatis, quæ dicit corpus Chriſti fuiſſe punctum aut aliquomodò tactum ſcalpelli in hoſtiam vibrati acumine. Porrò qui inde fluxit ſanguis, naturalis non erat, ſed miraculoſus, ſeu diuina virtute productus ad Iudaïcæ impietatis deteſtationem, haud ſecus ac ille cruor qui ex imagine Chriſti manauit, pridem à Iudæis crucifixa apud Berythum, de qua Sanctus Athanaſius librum ſcripſit inſignem, laudatum in VII. Synodo generali contra Iconomachos, Molinæi & aſſeclarum eius anteceſſores. Qui ſanè ſcurrilitate ſua circa res ſacras adeóque tremenda Euchariſtiæ myſteria ſeſe etiam perfidiæ Iudaïcæ, & ethnicæ impietatis, Neſtorianæque hæreſis, & Marcioniſtæ lue infectum prodit. (Vide Theodoret. lib. 4. hæret. fab. & Tertull. lib. de Carne Chriſti.) Scitè dudum ait S. Auguſtinus ep. 49. ad Deogratias, q. 6. *Iam in Chriſtum non crederemus ſi fides noſtra cachinnos metueret impiorum.* Scommata ſanè quæ Molinæus ſuíque ſimiles in Euchariſtiam promunt, dudum à Iudæis, Ethnicis illíſque aliíſque hæreticis, contra Verbi diuini incarnationem & paſſionem, ipſámque Euchariſtiam fuiſſe reperimus prolata. Berengarius, quem Molinæus ſequi maluit errantem, quàm pœnitentem imitari, vt in deriſum traheret fidem Eccleſiæ Catholicæ (quam vocabat, *opinionem vulgi*) de Euchariſtia dicere conſueuerat, ſi Chriſti corpus verum in Euchariſtia eſſet, quamvis eſſet tantæ molis, ac turris vaſtiſſima peraltáque Templi S. Mauricij Andegauenſis (cuius loci Archidiaconus erat) iampridem fuiſſet comeſtum & conſumptum, vel à ſolo populo Andegauenſi, tametſi ſemel in anno tantùm communicaretur*. Quaſi verò corpus Chriſti, eſſet in Euchariſtia (maximè quoad modum exiſtendi) quaſi lapis in turre; vel eſſet conſumptibile in ſe ceu panis communis. Haud minùs ineptus eſt Molinæus, dum tot Chriſtos penſiles fingit à pilis ſuperioris labri Sacerdotis qui cum myſtace celebrans, Chriſti è calice haurit ſanguinem: nec enim propter guttarum pluralitatem liquoris conſecrati, aut particularum hoſtiæ, multiplicatur Chriſtus, at vnus ſemper manet & idem, ſub qualibet ſtilla myſtici calicis, aut conſecrati panis particula. Quod ſi Molinæus negat, contrarium afferat neceſſe eſt, nempe aut multiplicari Chriſtum, aut diuidi per particularum, guttarum liquidæ vel ſolidæ ſpeciei pluralitatem; at Chriſtus vnus eſt & immutabilis, ſicut ait Apoſtolus Heb. 13. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, ipſe & in ſæcula,* proinde impaſſibilis & indiuiſibilis, vnde eius dilectus ait, *Qui diuidit Chriſtum, antichriſtus eſt.* Non negamus equidem in eiuſmodi guttis, ſiue pilis barbæ Sacerdotis extractis, ſeu canula delibatis è calice Chriſtum exiſtere: ſed totum, integrum, indiuiſum, & prorſus eumdem neque propterea pendere aut cadere dici poteſt, ſed ſpecies dumtaxat, quemadmodum cadente homine, corpus cadit, anima non cadit, licèt per accidens moueatur. At ſatis de hac Molinæi ineptia ac impietate.

* Quid ſimile de eius ſectariorum refert dicteriis Guitmund. lib. 2. aduerſus ipſum Bereng. inter init. & med.

1. Ioan. 4.

Vt rurſum me colligam, hîc ſacros Eccleſiæ Miniſtros, Clericóſque omnes admonendos reor, ſicut ſunt mundi lumina, ſic ſe meminerint ab omnibus ſpectari ac conſiderari, non modò à domeſticis fidei, ſed etiam ab inimicis. Caueant igitur dare *cuiquam vllam offenſionem, ne vituperetur*

miniſterium noſtrum: modeſtia noſtra nota ſit omnibus hominibus. En ex immodeſta barbæ Sacerdotum forma, quàm ridiculas ineprias, impiáſque ironias proferendi, Molinæus (huius ſæculi Lucianus) contra ipſius ſacroſancti Euchariſtiæ myſterij dignitatem, anſam arripuit Ceſſabunt eiuſmodi putida ſcommata, ſi præciſa ſcandali occaſione, miniſtri Chriſti ſanctitatem induerint in ſpiritu, honeſtatem in habitu, modeſtiam in barba & capillis: vt in verbis & moribus puritatem præ ſe ferre, & per omnia populo præbere exemplum modeſtæ, pudicæ & honeſtæ conuerſationis, qua par eſt pietatis obſeruantiâ, & muneris ſui reuerentiâ, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio & exercitatione, ſedulò meditentur.

FINIS APPENDICIS,

DE BARBÆ CLERICORVM MEDIOCRITATE.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA.

Omnia iudicio Eccleſiæ Catholicæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſummiſſa ſunto.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EM.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM INSIGNIVM.

A

ABBAS priuilegio fultus, Toofurâ initiare quoſlibet an poſſit? 154
Abbas an poſſit conſerre ordioem Clericalem? 152
Abbas qui tantùm ſit Diacoous, non poteſt Tonſutam conferre. 153
Abbates Commendatarij Tonſuræ conferendæ ius non habent. 168
Abbates regulares, oiſi Sacerdotes ſint, Tonſuram conferre nonpoſſunt. *ibid.*
Abbates Toofutam cooſerre poſſunt Monachis ſui ordinis, ſed monaſterij tantùm. 50
Abbates ſuis alumnis Tonſuram licitè vt poſſint conferre, eſſe Presbyteros ſanxit VII Synodos. 151
Abbates iam olim in Latina Eccleſia Tonſuram conferebant. Item in Græca 46. 150
Abbates priuilegiati ſui monaſterij alumnis tantùm conferre poſſunt Tonſuram. 168
Abbatum priuilegia Concilium Tridentinum coarctauit. 168
Abbatibus an commuoi iure competat Tonſuram conferre? 155
Abbatiſſa dignitatem habet, ae prærogatiuas pleraſque. 508. 209
Abbatiſſæ Iotrenſis illuſtre priuilegium, Iuri inſertum. 208. 209
Abbatiſſarum & Monialium quarumdam temeritas. 205
Abbatialis benedictio, non imprimit characterem. 154
Abdala Rex. 637
Abdamnanis Abbas. 44
Abdiæ Babylonici hiſtoria. 12
Abiſag typus ſapientiæ. 429
Abreountiatio ab omnibus diuiſibilibus. 301, 302
Abrenunciantium leges. 391
Abſides duæ olim in Eccleſia. 361
Abyſſinorũ Rex dicitur Neghus & Maſih. 109
Acatius Conſtantinopolitanus Epiſcopus aſſertor Conc. Chalcedonenſis, in perſecutione nigrom colorem aſſumit. 387
Achab peruerſitas. 424
Acolythi cum duobus ceroſtratis adeſſe debent cùm Euangelium legitur. 71
Acta martyrij S. Timothei. 337. 338
Acta Pilati & Chriſti impiè conficta. 94
Acta Sanctorum Ethnici delere ſummo conatu contenderunt. 90
Acta Sanctorum ab infidelibus vel hæreticis ſcripta ſunt reiecta. 94
Acta Sanctorum quæ S.R.E. legit, ſunt authentica. 97
Acta Saoctorum à Synodis citata, ſunt authentica. 98
Acta S. Dionyſij Areopagitæ Pariſiis corooati laudata in Concil. Florentino. 99
Acta Sanctorum diplomati canonizationis inſerta, ſunt fide digna. *ibid.*
Acta Sanctorum ſi noo facundo, ſaltem mundo, & caſto ſtylo litteris mandati debuerunt. *ibid.*
Acta Sanctorum indecorè ſcripta & fabulis referta, damnata ſunt. 100
Acta quædam Sanctorum apocrypha. 94. 95
Actioois genus duplex. 298
Adagium de pulchritudine & deformitate. 235
Adagium, *Le bon oyſeau ſe fait de ſoy-meſme.* 296
Adamo cur mortem potiùs comminatus eſt Deus, quàm infernum. 383. 384
Adhelais vxor Hugonis Regis, fœmina piiſſima. 554
Adiutorium diuinum piè & iugiter implorandum. 399
Adulteræ mulieres quomodo in Gallia puniuntur. 766
Ægidius Rhemenſis Archiep. cur reprehenſus fuit à PP. Concilij Pariſienſis. 174
Ægyptiorum mos vetus, radere comam in rotundum. 79
Ælianus. 531
Ætas nulla aſt inepta regno Dei. 325
Ætas legitima, Clericali Tonſurâ initiaodorum. 215. 216. *&c.*
S. Ætherius quomodo factus Epiſc. Lugd. 37
Æthiopes Tonſuram more proprio gerunt. 109.
Agabus Propheta. 645
S. Agathæ fortitudo & fides. 419
S. Agathæ modeſtia, cordatáque ad Præfectum reſponſio. 484
Agathenſis Concilij can. 2. 4tt. can. 50. 410
Agathenſis I. Concilij can. 20. 470
Ageſilai Regis acutum dictum. 14
S. Agilberti Epiſcopi Pariſienſis inuentio. 523
Aimerici à Monteforte mors præmatura, vode 299

FFfff

Albæ Sacerdotalis origo. 641

Albæ ſtolæ dantur beatis Martyribus. 573

Albedo eſt fons omnium colorum, & Deus prioceps omnium entium. 577

Albern Magni viſio admirabilis. 370. ſanctiſſimæ Virgiois ope donum ſcieotiæ obtinuit. *ibid.* 371. 372

Albo colora quibos diebus vritur S.R.E. à *pag.* 574. *ad* 585

Albo colore cur Eccleſia vritur in die Natiuitatis Domini. 575. feria V. in cœna Domini. 576. Sabbato Sancto. *ibid.* in feſto ſanctiſſimæ Trinitatis. 577. Tempore Paſchali. *ibid.* io feſto corporis Chriſti. 578. & Transfigorationis. *ibid.* in feſtis B. Mariæ Virgiois. *ibid.* Angelorum. 579. io Natiuitata S. Ioannis Baptiſtæ. *ibid.* in Natali S. Ioannis Euangeliſtæ. 580. in vtraque Cathadra S. Petri. *ibid.* in feſto S. Petri ad vincula. *ibid.* in Conuerſione S. Pauli. 581. io feſtis SS. Pontificum & Confeſſorum. *ibid.* & Sanctarum Virginum. 581. 582. Io dedicatione & conſecratione Eccleſiæ. *ibid.* In Conſecratione ſummi Pontificis. *ibid.* Electionis & conſecrationis Epiſcopi. 583. Er in multis ritibus & cæremoniis. 584. 585

Albi homines deuoti. 572

Albi coloris præſtantia. 571

Albinus S.R.E. Cardinalis. 193

Albinus Alcuinus Abbas Diacoous tantùm fuit. 153

Albinus Flaccus Alcuinus. 473. 474

Albis recèns baptizati induebantur. 571. 572

Alciati emblema nobile de coloribus. 540

Alcuinus. 136. 152

Aldhelmus Abbas, libri auctor de laudibus virginitatis. 637

Alexander II. PP. 477

Alexander III. Lateraneoſi Concilio præfuit. 170

Alexander III. celebrat Laterſoenſe Concilium. 485

Alexandri IV. lex contra Clericos tonſuram non gerentes. 55

Alexij Comneni bulla aurea. 26

Alfridus Rex. 44

Almainus & Paludanus refelluntur. 211

Almaini & Paludani notabilis opinio. 207. expeodiror, & refellitur. 208. *&c.*

Almutiarum vſus. 192

Aloyſij à Limbourg opuſculum de S. Ægidio. 122

Alphooſus Rex Caſtellæ. 492

Altare Dei plenum eſt carbunculis. 548

Altare amictum albo colore, & Sedes Epiſcopalia perſecutionis tempore. 387

Altaria pretioſis ornamentis decorabantur. 561

S. Amslaehij martyrium. 327. 328

Amalarius Fortunatus. 474

Amalarij Fortunati ſcoteotia inſignis de conſuatudinibus Eccleſiæ. 198

Amalarij Fortunati prudens conſilium. 165

Amanueoſium oſcitantiâ næui in Sanctorum acta irrepſerunt. 95

S. Amator Epiſc. Antiſſiod. 30

Amator. 468

Amatorum ineptiæ procul ſint à Clericis. 308

S. Ambroſius. 27

S. Ambroſius fuit eximius modeſtiæ io habitu cultor. 465

S. Ambroſij magnanimæ voces. 344

S. Ambroſij hymnus de Natiuitate Domini. 575

Amentes cur ſuor ordinis incapaces? 229. 230

Amethyſtus. 12. 552. 553. fundamentum ſupernæ Ieruſalem. 318. euiſdem deſcriptio & proprietates. 319

Amethyſtus. 552. 553

Amathyſtus purpuratus. 604

Amethyſti adulterium. *ibid.*

Amici præſentia deſiderabilis. 403

Amictus Sacerdotalis. 195

Ammianus Marcellinus expenſus. 27

Ammianus Marcellinus licèt ethnicus, laudat pios fidei Chriſtiaoæ Antiſtites. 394

Amor Chriſti amoris coniugis præfereodus. 404

Amphibalus quid ſit. 197

Amphimallum. *ibid.*

Anabaptiſtarum aoreſigoani. 215

Anacephalæoſis à Chriſto facta. 118

Anacleti decretum de quotidiana communiooe explicatum. 409

Anarchiam Eccleſia ooo admittit. 581

Aoaſtaſius Synaita. 123

Anaſtaſius furorus Patriarcha Hieroſolymitanus à Deo S. Eothymio Abbati reuelatus. 519

Anaſtaſij Papæ ſacra munera. 561

Anathema Clericis indecentar iodutis denunciatur. 5:4

Anathema ſit qui ducit Diaconam. 461

Ancyrani Concilij cao. 4. & 5. 432

S. Andeoli crudele martyrium. 20

Andochius Presbyter cum ſociis miſſus in Gall. à S. Polycarpo. 14

S. Andreas quotidie ſacrificabat. 406

S. Andreas Saphiro deſignatur. 604

S. Andreæ elogium. *ibid.*

S. Andreæ Apoſtoli barba Maſſiliæ ſeruatur cum honore. 760. 761

Angeli ignei. 334. 335

Angeli ſine zelo nihil ſunt. *ibid.*

Angeli cur in albis apparent. 576. 579. 583

Angeli tunicarum pellicearum Adæ & Euæ contextores. 513

Angeli virginitatis opifices. 581

Angeli veſtimentum ſicut nix. 573

Angeli mutuò ſe ad diuinas laudes prouocant. 377

Angelorom ad animas interior modus loquendi, 422

Angelorum & hominum vita, verbum. 414

Angelorum in nobis bonæ operationes. 399

Angelorum gloria, & pulchritudo. 579

Angelorum qualis effigies. *ibid.*

Angelorum candidati martyres. 573

Angliæ duo Metropolitæ, Cantuarienſis, & Eboracenſis. 54

Aninſola Monaſterium. 471

Anima quot circumſepta periculis. 397

Anima pia & pura atca eſt diuinæ ſapientiæ. 366

Animæ bonæ auiditas audiendi verbum Dei. 425
Animæ pulchritudo in quo conſtat. 234
Animarum excellentia vnde æſtimanda. 416
Animus candidus ſedes eſt ſapientiæ. 630
Annæ matris Samuëlis pietas. 268. 269.
Anniceti PP. de Tonſura decretum vindicatum. 12. 13. 14. 15. &c.
Anniceti Papæ & M. conſtitutio de Tonſura Clericali. 83
Annuli in digitis. 29
Annuli permittuntur prælatis. 501
Sanctus Ansbertus Epiſcopus Rotomagenſis. 42
Sanctus Anſcharius fuit 1. Archiepiſc. Bremenſis. 46
Anſelmus Boëtius. 537
Sancti Anſelmi elogium. 479. eiuſdem verſus contra luxum veſtium. ibid. & 480
Antiqui Sacerdotes cur barbam nutriebant? 136
Antiquus Sacerdotalis habitus. 28
Sanctus Antonius Clero adſcriptus non fuit. 355
S. Antonius B. Athanaſium habuit laudatorem & cultorem. ibid.
Sanctus Antonius Philoſophos intercipit. ibid.
Antonius à Prato Cardinalis Senonenſis Prouinciale Concilium Lutetiæ celebrauit. 58
Apollinaris Epiſcopus Bituricenſis. 38
Apoſtaſia multiplex. 758. 759. 740
Apoſtaſiæ infamia, ac miſeria. 751. 752. 753. 754
Apoſtatæ ſunt Angeli reprobi, Iudas proditor, Iudæi Chriſticidæ, Iulianus Cæſar Chriſti hoſtis: item hæretici, & ſchiſmatici, & militiæ ſacræ deſertores. 753
Apoſtoli multa fecerunt ex ritu veteris legis. 10. 11
Apoſtoli ſuffragia pro defunctis præceperunt. 46. 69
Apoſtoli quædam ſcripto, quædam verbo tradiderunt. 87. 88
Apoſtoli quomodo prolixos capillos, & nihilominùs Tonſuram pertulerunt. 108
Apoſtoli, idiotæ erant ſapientes. 264
Apoſtoli in mundo deſpicabiles, apud Deum glorioſi. 445
Apoſtoli modeſtiam in habito omnibus commendârunt. 14. 15. 44. 445
Apoſtoli facti margaritæ, alias margaritas effecerunt. 554
Apoſtoli ſunt regni cæleſtis Senatores. 596
Apoſtolorum victoria, Chriſti eſt triomphus. 597
Apoſtolorum picturas perperam reprehendit Caluinus. 444. 445
Apoſtolorum veſtitus. 527
Apoſtolorum icones antiquæ quam fidem faciunt. 16
Apoſtolos Chriſtus primos poſuit in Eccleſia. 313
Apoſtolicas traditiones qui ſpernit, Deum ſpernit. 89
Apoſtolicorum virorum doctrina de modeſtia in veſtibus obſeruanda. 449. 450
Apparitio Sanctorum Apoſtolorum Ioannis & Philippi. 28
Aqua benedicta prodiit ex Apoſtolica traditione. 69
Aquam in calice ſancto, Chriſtus vino miſcuit. 68
Aquila & Priſcilla Nazaræi. 50
Arcadius Epiſcopus Bituricenſis. 34
Arcadij, Theodoſij & Valentiniani Augg. ſanctio pro Clericis. 694
Archidiaconus Clericos immorigeros ad Tõſuram cogebat. 32
Archidiaconus erat Pædagogus Clericorum. 259
Archidiaconi in Clericos auctoritas. 470
Archiepiſcopus in diœceſi ſuffraganei quidnam poſſit, vel non poſſit? 173. 174. &c.
Archiepiſcoporum priuilegia in iure expreſſa. 176
Arcus cœleſtis quàm mirabilis? 538
S. Aredius Abbas Lemouicenſis. 34
Argumentum à priſcis picturis in Eccleſia quàm validum & potens? 16
Ariſtarchi noui. 100
Ariſtias. 513
Ariſtophanis dictum inſigne. 140
Arithmetica vtilis ad negotiationem. 354
Armis apti tyrones. 530
Arnobij inſigne dictum. 22
Sanctus Arnulphus Epiſcopus Sueſſionenſis. 49
Aromata nonniſi contrita ſuum odorem ſpargunt. 393
Arreptitij Clerici ne fiant. 238. 239
Aſcetriæ & Canonicæ. 206
Aſinius Gallus cur nece exemptus? 235
Athalaricus Gothorum Rex. 470. etſi Arrianus S.R.E. honorauit. ibid.
Sanctus Athanaſius cùm adhuc puer eſſet, in Clerum cooptari meruit. 462. interfuit Nicæno Concilio cùm tantùm eſſet Diaconus. 463
S. Athanaſius litteris mandauit res geſtas S. Antonij. 511
S. Athanaſius Clericatui Monachatum copulauit. 627
S. Athanaſij laudes. 401
S. Athanaſij genuina effigies. 462
Athenagoræ laus & monita. 452. 453
Atheorum qui ſe Catholicos ſimulant, aſtutiæ & decipulæ detectæ. 442
Atræ veſtes, olim Chriſtianis, in luctu fuerunt prohibitæ. 626
Attende tibi, oraculum diuinum. 379 380
Auctores inſignes Hiſtoriæ Sanctorum. 98
Audi & vide. 422
Audiendi verbi Dei obices. 413. 414 &c.
Audire ſpiritualiter, quid? 423
Audire, agere & docere, munus eſt Euangeliſtæ. 423
Audire verbum Dei, & cuſtodire quid ſit, 428

Auditores infructuoſi, & ſteriles prædicatores. 413. 424
Auditorum diuerſitas. 435
Auditorum debitum. 427. 428
S. Audoënus ep. Rotom. Regis Clodouæi II. Cancellarius fuit. 405
S. Auguſtinus Catechiſtam egit. 330
S. Auguſtinus clariſſimum orbis lumen. 358
S. Auguſtinus moroſas communionis dilationes non probat. 406
S. Auguſtinus quomodo factus presbyter. 467
S. Auguſtinus an barbam geſſerit perlongam. 767. 768
S. Auguſtini illuſtre de Parœcis teſtimonium. 156.
S. Auguſtini ſyncera ad Chriſtum conuerſio. 467
S. Auguſtini præclarum monitum de comparando ſacræ Scripturæ intellectu. 365. 366
S. Auguſtini doctrina de vtraque Eccleſia. 543
Auguſtini Thuani pij verſus. 401
Auguſtus nigrum colorem affectauit. 609
Aureliani veſtis ſerica. 518
Aurelius Prudentius, noſter Maro & Homerus. 396
Aures animæ quænam. 421
Aures obturatæ. *ibid.*
Aures perforatæ. *ibid.*
Aures pateant Sacerdotibus. 55
Aureum Eccleſiæ ſæculum. 449
Aurum ignitum emendum, quomodo? 324. 325
Aurum in zonis. 645
S. Auſbertus Epiſcopus Rotomag. 473
S. Auſtregiſilus Ep. Bituric. 37
S. Aycardus Abbas Gemeticenſis. 472
Azorius citatus. 173

B

BABYLONICI Sacerdotes à Propheta deriſi. 634
Baldegeſilus Ep. Cenoman. 35
Balſamum in Chriſmate. 159
Balſamum in Baptiſmo. 451
Balteus quid? 645
Baltheum nobilium, & ambitioſa cinctoria. 475
Bannes Theologus. 739. 740. 741
Baptiſmus ab hæreticis miniſtratus, modò in fide Eccleſiæ, ratus eſſe debet. 69
Baptiſmus non extirpat paſſiones. 398
Baptiſmi Clodouei magnificentia. 570
Barba radenda quolibet menſe apud Hiſpanos. 56
Barba non nutrienda, neque coma. 499. 500
Barba ſemel quolibet menſe radenda. 492
Barba non facit Philoſophum. 758
Barba Clericis in ſuperiori labro reſecanda. 64
Barbæ gerendæ ratio diuerſa. 757. vſúſque anceps. *ibid. &c.*
Barbæ neceſſitas & decus. 758
Barbæ vſus varius apud Romanos Pontifices. *à* 758. *ad* 770.
Barbæ & capillorum vſus modeſtus. 459. 460
Barbæ productio vtrum ab Apoſtolis præcepta. 768
Barbæ raſura ſingulis menſibus curanda. 506
Barbam radere honoris, capillos contumeliæ ſignum erat. 122
Barbam prolixam olim Galli ferebant. 758. item & Spartiatæ, & Hebræi. *ibid.* & 759
Barbam radendi morem eſſe cum religione natum cenſuit Gregorius VII. 50
Barbitaſium. 478
Barboſa auctor citatus. 173
Baſilicorum libri indicati. 696
Baſilides impuritatis præco. 388
Baſiliſcus Imp. Conc. Chalcedonenſe impugnauit. 387
Baſilius Macedo Cæſar Orientalis. 464
S. Baſilius. 27. 269
S. Baſilij Magni gloria. 358
S. Baſilij inſignis doctrina de traditionibus. 72
S. Baſilij Magni, breue encomium. 463. illuſtriùs à Philotheo olim conſcriptum. *ibid.* vnde Magni nomen inuenerit. 464
S. Baſilij effigies innuit prolixam illum barbam geſſiſſe. 761
S. Bauo Conf. & Abbas. 37
Bedæ venerabilis ætas. 44
Bedæ venerabilis doctrina ſcitu digna de donorum Dei vſu & abuſu. 661
Bellarmini Card. Catechiſmus. 436
Bellarmini Cardinalis notanda de Saluiano monitio. 469
Belli ſpiritualis deſcriptio. 396
S. Benedictus non fuit litterarum expers. 556
S. Benedictus quonam colore vſus in habitu 626. 627
S. Benedicti regula vindicata. 386
Beneficium ſimplex ad obtinendum quænam ætas legitima. 218
Beneficia Dei generalia. 655. particularia. 656. ſingularia. *ibid.*
Beneficiorum luctuoſus ambitus. 219
Beneficiatorum quorumdam Clericorum luxus & inertia. 219
Benignitatis exempla. 438
S. Benignus B. Polycarpi diſcipulus, tonſuram geſſit in vertice. 19
S. Benignus Presbyter Apoſtolus Burgundiæ tonſuram geſſit. 88
S. Benignus Presbyter Clericos ordinauit. 58
Berengarius tertiò & vltimò hæreſim ſuam abiurauit. 477
S. Bernardus ſui ſeculi fuit Moiſes, Elias & Hieremias. 50
S. Bernardus ſpiritu planè Apoſtolico plenus emicuit. 50. 51
S. Bernardus cenſor fuit eximius Cleri vniuerſalis Eccleſiæ. 51
S. Bernardus quomodo ſacram ſcripturam didicit. 365
S. Bernardus ſui fuit æui alter Daniel, Helias, Hieremias. 298
S. Bernardus vnde Theodidacti conſecutus eſt nomen. 369. 370. vniuerſam ſacram Scripturam in oratione ſibi expoſitam vidit. *ibid.*
S. Bernardi pia deſideria. 297. 298
S. Bernardi gemitus. 481. 482

S. Bernardi eximia doctrina de myſticarum vulpium (id eſt hæreticorom) aſtutiis. 342
S. Bernardi piæ voces, materoíque gemitus ad Clericos. 755.756
Bertholdus Conſtanticnſis presbyter anti-quum ord. Romanum recenſuit. 49
Beryllus lapis. 549
Biretum io crucis modum cooſutum gerunt Clerici. 508
Bireta, non longa, ſed parua. 638
Bireta coccinea. 593
S. Birini Epiſcopi inuentio. 523
Birrus alius Eccleſiaſticus, alius laïcus. 568
Birrum quid. 511
Birrum lacernum. 196
Birrum. 567. pretioſum. 568. Epiſcopale, *ibid.* eius etymon & color, vſúſque. *ibid.*
Blaſphemia veniam non meretur. 343
Bombycinuoi vnde dictum, vbinam ſit. 518
Bombycinum an idem ſit quod ſericū. 517.518
S. Bonauenturæ doctrina, de nomiois figuræ diuerſo ſignificatu. 112.113
Bonifacius VIII. Cooſtitutiooem edidit de Clericis coniugatis. 59
Bonitas humana qua in re cooſtat? 397
Bona Chriſti militia. 378.379
Bonos Chriſti miniſter. 272
Brandeum cruentatum ex SS. Petri & Pauli reliquiarum tactu. 596
S. Bruno citatur. 646
Bollarium Romauum, Pontificum etiam continet vitas & icones. 761

C

CÆCORVM dux, concionator imperitos. 434
Cæremoniarum Eccleſiæ commendatio. 347. Illarum neceſſitas & vtilitas. *ibid.*
Cæruleus color, eiúſque præſtantia. 604
Cæſarauguſtanæ Synodi, de ſuſceptione Euchariſtiæ memorabile decretum. 23
Cæſaris Commentarij. 363
Cæſarum pro Clero reſcripta. *à p. 692. ad* 696
Cæſarius Heiſterbacenſis. 391.392
S. Cæſarij Clericatus. 32
Caietani doctrina de Clericis, ſimplicis Tonſuræ, Apoſtatis. 740.741
Calamiſtratos pueros ioter Mitratos diſcurrere noo decet. 51
Calceaturæ Clericorum regula. 652.653.654
Calcei lunati, cornuti, feneſtrati Clericis prohibentur. 652
Calceorum myſticæ ſignificatiooes. 653. morales. *ibid. &* 654
Caligæ & calcei explicantor. *à* 652. *ad* 654
Calix Domini, eſt calix Clerici. 133
Caluatia rubens. 29
Caluariæ montis vnde nomen? 127.128
Caluinus religiooem ſuam noua inſtitutione dedicauit. 7
Caluinus quibus artibus diſputare ſolet contra Catholicos. 10.11
Caluinus irriſor, deriſus. 760
Caluini prurigo calumniandi. 566
Caluini ſtulta irooia de ſolea ſeu crepida S. Petri. 522
Camiſia Clericalis. 195. vnde dicta? 196
Camiſiæ criſpatæ vetitæ Clericis. 639
Candida ſalutis quidnam? 573
Candida veſtis à Clemente Alexandrino laudatur. 614
Candidis veſtibus in ſacris Clerici iam olim vtebantur. 191
Candidis veſtibus induti Beati apparere ſolent. 574
Candidati vnde dicti? 573
Candor eſt paradiſi ornamentum. 581
Candor lætitiæ indicium. 579
Candor Chriſti veſtis, ad decorum ſimul & myſterium facit. 565
Candor laudabilis vnus, quem gignit Abſtinentia. 586
Can. Apoſtolorum 35. aliàs 33. 13
Canon Francofordienſis Synodi de Sanctorum ignotorum abrogando cultu. 95
Canon 1. Concilij Narbonenſis de vetito Clericis rubro colore explicatus. 615.616
Canon Carthaginenſis expenſus. 29
Can. 21. III. Concilij Carthagin. excuſſus. 159
Canon 44. Conc. IV. Carthag. expenſus. 767
Canon 45. Concilij IIII. Carthagioenſis de Clericorum habitu. 468
Caoon Epiſcopalis operâ contextus fuit Petri Bleſenſis. 53
Canon 14. VIII. Synodi expenſus & explicatus. 152
Can. 24. Conc. Nannetenſis elucidatus. 290
Canon 4. Coocilij IV. Toletani de Tonſura laodatus & expenſus. 109
Canones contra facinoroſos, ne ordinentur. 257
Canones coorra bigamos. 242.243
Canones Synodales, ſont vnioerſi orbis reuerentiâ conſecrati. 101
Canones contra Clericos illiteratos. 262.263
Canonū inſtituta perquirenda & ſeruaoda. 46
Canonum tranſgreſſores puniantur. 495
Canonici ſeculares, olim in Gallia, ex Eccleſiis pulſi. 627
Cantor ſola iuſſione presbyteri ordioatur. 159 160
Canonicorum quorumdam vanitas io calceis reprehenſa. 652
Cantus Eccleſiæ quàm ſuauis & efficax. 358
Cantus Eccleſiaſtici energia. 301. hac compunctus primùm fuit S. Auguſtinus. *ibid.*
Capacitas ouo eadem in omnibus Claricis requiritur. 352.353
Capelli nomen quando primùm auditum? 638
Capilli peccatorum typos. 30.139
Capilli cogitattonum ſigna. 140
Capilli qui Clericis abſciodunrur à Domino numerati. 143.144
Capiliorum decifio differt à tonſura Clericali. 147
Capillornm plicatio & accuratus cultus, in lege & Euangelio reprobarur. 80
Capillos breues geſſit S. Cyprianus. 19
Capillitium calamiſtratum vetitū Clericis. 80
Capitalauium olim ante Paſcha fuit ſoleone. 136.137
Capitium, *Camail.* 593

Digitized by Google

Cappa clauſa. 192
Cappa rubea olim inſigne erat Rom. Pontif. 591. 592
Capſula Sacerdotalis, ſeu planeta. 569
Caputium gerant Parochi. 506
Caputium. 637
Caput opertum ſignum mœroris. 634
Caput *Nullus de temp. ordin.* iocuritur. 217
Capitis operimenta varia apud veteres. 632
Capitis *Præterea, de Apoſtatis* 5. Decretalium expenſio & dilucidatio. 736. 737. 738. 739
Carbunculus. 547
Carbunculus Iſaię an fuerit lapis pretioſus? 549
Cardinalis quilibet ius habet Epiſcopale in ſuo titulo. 163
Cardinalis Cuſani doctrina de varietate ſignorum. 7
Card. Toleti obſeruatio notabilis. 127. & 129
Card. Bellarmini pij tractatus. 375
Cardinalis Diaconi non poſſunt Tonſuram conferre. 164
Cardinales regulares galero purpureo decorati. 593
Cardinales Subdiaconi, dudum erant. 163
Cardinales etſi Epiſcopis inferiores ordine, ſunt maiores dignitate. 165
Cardinalis rubeo amictu inſignitur ad ſplendorem Eccleſiæ, non propriam claritatē. 616
Cardinales equo vecti incedant. 592
Cardinales damnati à Iulio II. in integrum à Leone X. reſtituti. 624
Cardinales Presbyteri an poſſint cuique pro libito Tonſuram conferre? 166
Cardinales Presbyteri Tonſuram conferre poſſunt familiaribus ſuis. 167
Cardinalium familiares quinam cēſentur? *ibid.*
Cardinalium familiæ leges. 499. 501
Cardinalium ordo triplex. 163
Cardinalium Diaconorum numerus præſcriptus. 164
Cardinalium triplicis ordinis iura propria quædam. 163. 164
Cardinalibus quando conceſſus galerus rubeus? 592
Cardinalitiæ purpuræ myſterium. 594
Caro qua arte domari poteſt. 383
Caro ſeductrix in malo, & adiutrix in bono. 390
Carnis ſubiugatio legitima. 394
Carolus Cardinalis Borbonius Rotomagenſe Concilium Prouinciale celebrauit. 64
Sanctus Carolus Borromæus ſpiritum zeli Paſtoralis renouauit. 189. ſui ſæculi fuit alter Ambroſius, qui Paulus & Helias.
S. Carolus Borromæus quanto flagrauit ſtudio orationis. 303
S. Carolus Borromæus Miſſæ ſacrum quotidie facere non omiſit. 411
S. Carolus Borromæus in Mediolanenſibus Conciliis eximias leges edidit de Clericorum diſciplina. 503
S. Carolus fuit accuratum exemplar veri Paſtoris, & Cleri ſpeculum pulcherrimum. 505
S. Caroli Borromæi zelus feruentiſſimos pro ſeruanda canonica diſciplina. 59. 60
S. Caroli hiſtoria plurimùm ad pietatem conducit. 505
S. Caroli veſtitus. 506
S. Caroli Borromæi pietas & prudentia. 642
S. Carolo Borromæo de excitandis ſeminariis quam feruens ſollicitudo inſedit. 279. 280
Carolus Brerius vir illuſtris. 696
Carolus VIII. Francorum Rex. 639
Caroli Magni laus. 635. quantâ coluerit Sacerdotes obſeruantiâ pietatis. *ibid.* 636
Caroli Magni ſelecta capitularia pro Cleri priuilegiis & Eccleſiarum immunitate. 703. 704. 705. 706. 707. 708
Caroli V. Francorum Regis pro ſtatûs Eccleſiaſtici immunitate ſanctio. 731
Caroli VII. de Clericis non onerandis grauandiſque Eccleſiis, pia ſententia. *ibid.*
Caroli Calui Francorum Regis Capitularia pro diuino cultu, Eccleſiarum honore, & ſeruorum Dei priuilegiis. 711. 712
Caroli Simplicis edicta pia. 713
Carpi viri Apoſtolici viſio notatu digna. 438
Carthuſianorum, in bibliothecis, pleriqne libri optimæ notæ inediti deliteſcunt. 496
Caſimirus Cluniacenſis Monachus ad regnum Poloniæ euocatus. 110
Caſſiani conſilium de communionis vſu. 405
Caſtigatio corporis ab Apoſtolo vſurpata. 389
Caſtitas quanta virtus? 307
Caſtitatis laudes eximiæ. 310
Caſtitatis adiumenta. 309. 310. 311
Caſtris dominicis adſcriptus eſt Clericus. 534
Caſula. 467
Caſularum vſus. 473
Caſus duodecim propter quos excidit Clericus à priuilegio fori. 744. 745. 746. 747
Catharina Alphonſina de Vrſinis Hedcrenſis Abbatiſſa piæ memoriæ. 128
Catecheſis Chriſtiana. 430. *vſque ad* 439
Catecheſis ad Parœcum ſpectat. 287
Catechiſta quondam dictus, Doctor audientium. 431
Catechiſta ſit ſciens doctrinæ Chriſtianæ. 431. factor verbi. 432. prudens. *ibid.* 433. lenis & affabilis. *ibid.* fortis & in munere perſeuerans. 438. 439
Catechiſtæ perſeuerantia, patientia. *ibid.*
Catechiſta in munere functi sūt, Pāthenus, Origenes, Heraclas, Clemēs Alexandrinus. 329
Catechiſtarum veræ dotes. 330
Catechiſmus in baptiſmo. 432
Catechiſmi ſumma à S. Paulo præſcripta. 86
Catechiſmi inſtitutio, S. Paulo fertur accepta. *ibid.*
Catechumeni pridem dicti audientes. 143
Catechumeni nominis etymologia. *ibid.*
Catechumeni pleriſque olim nuncupationibus deſignabantur. *ibid.*
Cathedra deriſorum deteſtanda. 614
Cathedra Epiſcopalis non eſt thronos, ſed ſpecula. 119. 120
Cauſſinus laudatur auctor eloquētiæ ſacrę. 579
Celantia fœmina pia & illuſtris. 363
Ceolfiedus Abbas ſanctus. 104
Ceolfiedi Abbatis epiſtola didactica ad Nartanum Regem. 44
Chalcedonenſe Concilium impugnatum à Neſtorianis. 31

Character ordinis ab executione diſtinguitur. 547
Character diuinus, Tonſura appellatur, & quomodo. 3. 4. 5
Character Tonſuræ Clericalis. 43
Charitas à Tertulliano egregiè laudata. 322
Charitas præcipuum eſt hominis Chriſtiani munus. 325
Charitas non eſt naturaliter in homine. 324
Charitatis extenſio acquiri poteſt. *ibid.*
Charitas circulo deſignatur. 144
Charitas nunquam deficiet. 563
Charitas perfectiſſima eſt iuſtitia. 325
Charitatis proprium obiectum. *ibid.*
Charitatis elogia. 323. *&c.*
Charitatis ordinatio. 324
Cherub extentus & protegens. 548
Childeberti I. Regis erga Clerum pia propenſio. 699
Chilpericus Rex filium Merouecum inuitum facit Presbyterum ordinari. 471
Chlamydes Clericis permiſſæ. 495
Chorepiſcopi Lectores creare poterant. 152
Chriſma Deificum vnguentum. 68
Chriſma non poteſt à ſimplici Sacerdote conſecrari. 213
Chriſmatis conſecratio. 582. 583
Chriſmatis Sacramentorum Chriſtus inſtituit. 68
Chriſmate Apoſtoli credentes inungebant. 19
Chriſtallus. 549. 550
Chriſtiana religio ordine Eccleſiaſtico nititur. 5
Chriſtianus quiſque pugil eſt. 661
Chriſtiani, myſtici ſunt piſces. 304
Chriſtiani hominis ſumma fiducia. 405
Chriſtiani vita, crux & martyrium. 390
Chriſtianorum corruptela deplorata. 469
Chriſtianorum duæ claſſes. 424. 425
Chriſtianorum primitiuorum mores & conuentus. 453
Chriſtianorum cœnæ à conuiuiis Gentilium omnino differebant. 453. 454
Chriſtianarum fœminarum apparatus. 455
Chriſtianorum primitiuorum auſteritas. 389
Chriſtus auctor Sacramentorum. 68
Chriſtus vili veſtitu amictus incedebat. 521
Chriſtus an cum corona ſpinea crucifixus? 129. 130
Chriſtus caput Eccleſiæ vtriuſque. 557
Chriſtus num fuerit decaluatus ante crucifixionem? 527. 528
Chriſtus in nobis paruulos, quomodo creſcit? 429
Chriſtus primus flos Eccleſiæ. 554. 555. 556
Chriſtus omnes genuit flores Eccleſiæ. 555
Chriſtus ſicut ouis ad occiſionem ductus. 132
Chriſtus quomodo factus nobis redemptio, iuſtitia, ſapientia, & ſanctificatio à Deo? 401
Chriſtus cur orauit? 176
Chriſtus cur podere indutus? 577. & candido capillamento? 578
Chriſtus tria indumenta geſſit. 641
Chriſtus geſſit pallium cum fimbriis. 647
Chriſtus omnis virtutis archetypus fuit. 443
Chriſtus quomodo nobis omnia? 443
Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, inſcriptio nomiſmatum Regum Chriſtianiſſimorum. 590
Chriſtus eſt ſplendor Patris. 574
Chriſtus potiſſimùm humilitate claruit. 515
Chriſtus comam nutriuit, & barbam non raſit. 759
Chriſtus quantis nos præmiis ad ſe allicit. 666
Chriſtus mollitiem veſtium reprobat. 501
Chriſtus ſolus ſine peccato Pontifex. 256
Chriſtus quaſi ouis doctus ad occiſionem. 512. 513
Chriſtus genas ſuas præbuit vellentibus. *ibid.*
Chriſtus candidus & rubicundus. 565. 566
Chriſtus an veſtimentis vſus ſit violacei coloris? 620. 621
Chriſtus mulieres nuſquam ad prædicandum miſit. 202
Chriſtus vertit opprobria in honorem. 766
Chriſti paupertas perfecta. 444
Chriſti opprobrio nihil glorioſius. 631
Chriſti Domini eloquentia mirabilis. 436
Chriſti manſuetudo. 436. modeſtia. *ibid.*
Chriſti in docendo patientia & lenitas. 436. 437
Chriſti ſacrificium cruentum & incruentum. 589
Chriſti equitatus. 574
Chriſti veſtis in baptiſmo data. 451
Chriſti vox, tempeſtatem: auxilium, paſſiones ſedat. 400
Chriſti vocis ſuauitas, & energia. *ibid.*
Chriſti ſudor. 513
Chriſti forma laudabilis, in Clericis optanda. 235
Chriſti capilli nonnulli in terris adhuc extant. 128
Chriſti mors eſt clarificatio eius. 429
Chriſto nihil fuit radendum. 136
Chriſto penitus ſancto nihil radendum aut amputandum fuit. 759
Chriſtum ſequendi modus. 443
S. Chryſolius Epiſcopus Torn. illuſtri coronatus martyrio. 59
Chryſolitus. 547
Chryſopraſius. 552
S. Chryſoſtomus. 920
Ciaconius. 645
Cincinnati peſtes Eccleſiæ. 80
Cincinni Lenonicia formæ. 81
Cinctûs modi diuerſi. 646
Cingulum militare. 645
Cingulum ſacræ militiæ. 469
Cingulum Domini coloris erat purpurei ſubobſcuri. 620
Cingula argentata Clericis prohibita. 489
Circularis figura Deo grata. 115
Circulos in ſcriptura celebris, & myſteriis inſignis. 115. 116. 117
Circulus eſt ſignum perſeuerantiæ, & perfectionis. 118
Circulus efformari ſolebat ſuper aram ex ſanguine victimæ. *ibid.*
Circuli myſteria. 116
Cirri puerorum detonſi, fuerunt cauſa necis Diodori Alexandrini. 27

Ciſtercienſium cum Cluniacenſibus de colore indumentorum altercatio. 385.586
Ciuitatis ſupernæ felicitas. 402
Ciuitates duæ aduerſæ, Dei, & diaboli. 387
Ciuitatum quænam vera ſunt decora. 560
Claudius Imperator prætextatus & palliolatus. 634
Claues trinæ S. Petro cælitus collatæ. 17.18.
Claui tres quibus caro crucifigenda. 392
S. Clemens teſtis antiquitatis Tonſuræ Clericalis. 28, 29
Clemens V. 491. eius obitu vacauit ſedes annis duobus. *ibid.*
Clemans VI. 492
Clemens VII PP. Maſſiliæ. 128.500
Clementis VII. PP. conſtitutio contra Clericos Lutheranâ hæreſi infectoa. 250. 251. 252.
Clementis VIII. litteræ ad Cardinalem Perronium. 594
Clementis VIII. conſtitutio aduerſus Prælatoa in ordinationa peccantes, ipſóſqua ordinatos. 176
Clemens Alexandrinus. 130.269
Clemens Alexandrinus librum eximium ſcripſit de Eccleſiaſticis canonibus, at pridem excidit. 460
Clementis Alexandrini ſcitu digna doctrina de barba & capillis. 759
Clementis Alexandrini elogium. 457. fuit Pantheni diſcipulus. *ibid* omnium eruditiſſimus ſcriptorum viſus S. Hieronymo. *ibid.*
Clericalis profeſſio, cæleſtis vita eſt. 471
Clericalis ſcientiæ effigies. 376
Clericalis vita, à vulgari longè diuerſa aſſe debet. 43
Clericalis communio quomodo differt à Laica. 409
Clericalis veſtis impoſita cum Tonſura. 471
Clericalis habitus. 501
Clericali militiæ adſcribendi vt eſt explorandus animus. 299
Clericales veſtes qui perſonatus vſurpat, pœnis ſubiacet canonicis. 505
Clericatus ordo. 737.738
Clericatus magis onus eſt quàm honos. 468
Clericatus eſt militia Domini. 37
Clericatus honor. 656. donum Dei. 657
Clericatûs ingreſſu amouetur ſeruitus. 669
Clericatûs cum Sacerdotio coniugium. 265
Clericatûs dignitas eſt regalis. 120
à Clericatu quinam arceri debent? 184
Clerica, ſubſtantiuè diciturTonſura Clericalis. 493
Clericus ſimplicis ſoleæ, leuis armaturæ militi comparatus. 264.265
Clericus non ſit contentioſus. 311
Clericus compararin Synodo in habitu & tonſura. 485
Clericus coniugatus tonſuram deferens idoneus eſt priuilegio Clericali. 56
Clericus ſimplex quomodo apoſtata eſſe poteſt. 738.739.740.741
Clericus Tonſurâ inſignitus verus eſt Clericus. 741
Clericus comam non nutriat, nec barbam radat. 767
Clericus, quicumque litteras nouit, vulgò dicebatur. 260.261
Clericus in veſtitu nec cultum, nec ſordes ambiat. 507
Clericus coniugatus an poſſit beneficium obtinere? 673
Clericus degradatus adhuc Clericus dicitur. 664
Clericus qui relaxat comam, anathematizatur, 44.45
Clericus, iuratus Chriſti miles. 42
Clericus quilibet eſt miles Dei. 740
Clerici nomen vnde dictum. 5.135
Clerici nomen latè ſumptum apud Francos. 260.261
Clerici veri idea. 470
Clerici ornatus. 134
Clerici ſimplicis degradatio. 738
Clerici mali deſcriptio. 520
Clerici catechiſtæ dores, 433. *vſque ad* 439
Clerici canonica forma 187
Clerici moribus corrupti effigies. 186
Clerici forma & exemplar eſſe debent Laïcorum. 52
Clerici inſignia ſunt Tonſura & veſtis talaris. 7
Clerici certis in caſibus à tonſura & habitu aliiſque diſpenſantur. 23.24
Clerici culpantur viles, lugubres, & ſordidas veſtes gerentes. 499
Clerici perſtricti, quos pudat Tonſuræ. 143
Clerici ſimplices gerant veſtes. 521
Clerici modaſtiam in habitu præferentes morum innuunt intrinſacam honeſtatem. 638
Clerici electi à Domino. 125
Clerici apud maiores typus. 394
Clerici ab omni publica actione ſunt immunas. 671
Clerici ipſo Clericatu capaces fiunt beneficij Eccleſiaſtici. 673. & officij. *ibid.*
Clerici iuuenes an concionibus idonai. 329
Clerici plerique boni & diſciplinæ tenaces, alij econtrà immorigeri. 514
Clerici curiales, quid à mulieribus mutuârunt. 518
Clerici decenti habitu vtantur. 471
Clerici quanto maiores ſunt gradu, & dignitate tantò ampliorē, tonſurā ferre debent. 112
Clerici ab hæreticis ordinati aliquando tolerati. 248. 249
Clerici transfugæ & ignaui. 141
Clerici Laïcalibus veſtibus non vtantur. 533
Clerici non ſint laceri in veſtibus. 501
Clerici benaficia tenentes, gerendis habitui & tonſuræ obſtringuntur. 674
Clerici gaudent priuilegio fori. 674
Clerici familiares Rom. Pontificis quo colore in habitu priuato vti ſolent. 625
Clerici optare non debent eſſe maiores, ſed meliores. 313
Clerici quando & quomodo electi, ſublecti prælecti. 53
Clerici delicatuli graphicè depicti. 411.412
Clerici vt ſit pars Dominus. 412
Clerici non poſſunt cogi ad munera perſonalia,

Clerici rerum ſuarum dominium liberum habent. 696
Clerici debent veterem hominem exuere. 532
Clerici Parlamentarij in Gallia, coccinea veſte inſigniuntur. 616
Clerici apoſtatæ ſi ſeriò reſipiſcant, Eccleſiæ benignitate, in integrum reſtituuntur. 755. 756
Clerici ſunt in Sanctorum loco. 500
Clerici eſſe debent Laicorum exemplar. 83
Clerici caſti, Deo ſunt & hominibus amabiles. 307
Clerici habitum Laïcorum ne portent. 473
Clerici, forma gregis eſſe debent. 448
Clerici vehementer obiurgati à Saluiano. 469
Clerici vnguentis delibuti damnantur. 521
Clerici luxui dediti, antea hæreſi corrupti. 521
Clerici curiales & aulici. 532
Clerici corrupti moribus idea. 29
Clerici ſunt primitiui flores Eccleſiæ. 663
Clerici quibus contenti eſſe debent. 140
Clerici orationi inſtantiùs perſiſtere debent quàm Laici. 408
Clerici cum fœminis ne habitent, diuina reuelatione mandatum fuit. 311
Clerus Romanus honeſtate & virtute præeminere tenetur. 497
Clerus ne in immenſum excreſceret, diuina prouidentia, quomodo præcauere dignata eſt. 268
Cleri Gallicani conuentus apud Melodunum ſub Henrico III. 64
Cleri ſunt gradus diuerſi. 261
Clericorum antiqua forma. 393
Clericorum conuerſatio in cælis eſſe debet. 141
Clericorum priſcorum diſciplina. 394
Clericorum lapſus & pœnæ. 409. 410
Clericorum abuſus in veſtibus. 489
Clericorum ſtudia diuino iuſſo ab auctore vetuſtiſſimo libri de ſingularitate Clericorum præſcripta. 456. 457
Clericorum malorum inſignia. 393
Clericorum communio. 409
Clericorum bireta. 638
Clericorum regularium inſtructio. 534
Clericorum exemptio, quo nititur iure. 667
Clericorum irriſores excommunicantur. *ibid.*
Clericorum percuſſores anathematizantur. 668. 669
Clericorum eſt Chriſti mortificationem in ſuo corpore portare. 618
Clericorum in habitu luxus grauiter reprehenſus à S. Bernardo. 185
Clericis nonnulla prohibentur. 54
Clericorum quàm fauſta, ſi pura, ſit intentio. 300
Clericorum indiſciplinatione corrumpitur populus. 491
Clericorum inſtitutiones à S. Auguſtino dictatæ. 467
Clericorum iuniorum directio. 294. 295. 296
Clericorum habitus & vitæ moderatio. 504. 505
Clericorum deprauatio. 530
Clericorum culpâ deprauatur populus. 469
Clericorum duæ ſunt præcipuæ claſſes. 306
Clericorum iura & honores. *à pag. 667 & ſequentibus.*
Clericorum inſtitutio. 307. 308
Clericis, in odium ordinis, caput ferro in formam crucis crudeliter diſſectum. 20
Clericis ſtigmata Chriſti ferenda ſunt. 135
Clericis ſago militari vti nefas. 533
Clericis laicos eſſe meliores, quàm fœdum & luctuoſum. 392
Clericis vini vſus temperatus eſſe debet. 320
Clericis caſtitas quàm neceſſaria. 307
Clericis pleraque ſunt prohibita. 488
Clericis liberalitas & miſericordia ſuadetur. 142
Clericis fugienda mulierum colloquia. 308
Clericis iuuenibus quomodo ſcriptura lectitanda. 364. 365
Clericis quo colore vti liceat in priuato habitu. 612
Clericis pullæ veſtes olim æquè vitandæ erant ac candidæ. 612
Clericis mors Chriſti iugiter meditanda. 387
Clericis memoranda documenta. 365. 366. *&c.*
Clericis competit catechiſmus. 433
Clericis in publicum incedentibus amictus lineus olim in vſu erat. 615
Clericos præcipuè perſequebantur Ethnici Principes. 692
Clericos omnes Maximinus iuſſit interfici, idem fecit Diocletianus. 692
S. Clodoaldus an ſemetipſum totondit? 547
S. Clodoaldi filij Clodomeris Regis tonſuratio. 53. epitaphium. *ibid.*
Clodoueus nouus Conſtantinus. 570
Clodouei regis epiſtola ad Epiſcopos pro Cleri & rerum ſacrarum immunitate. 697. 698
Clotharij I. Regis pro Clericis & rebus Eccleſiaſticis conſtitutio. 700
Clotharij II. edictum pro priuilegiis Clericorum, & Eccleſiaſtica diſciplina. 700. 701
Clotildis reginæ magnanimitas. 766
Clypeus fortium ignitus. 587
Coccinum in deliciis. 588
Coccus. 587. 588
Codex cenſualis Eccleſiæ Pariſienſis MS. 55
Codex vetus Liturgicus Leodienſis. 16
Cœleſtini III. literæ reſponſales ad Philippum Epiſcopum Bellouacenſem captiuum. 486
Cœlum deſcendendo aſcenditur. 381
Cœlibatus cur ſacris hominibus iniunctus. 527. 528
Collare, *rabat, ou collet.* 505
Collaris amictus. 639. 640
Colobus pridem Clerici induti erant. 641
Colonienſe Concilium ſub Hermanno Archiepiſcopo. 501
Color quid ſit ſecundùm Ariſtot. 537. ſecundùm S. Thom. *ibid.* & Card. Cuſanum *ibid.*

Color cæleſtis azurinus. 621
Color viridis, Deo gratus. 600
Color Eccleſiaſticus debet conuenire temporis officio. 570
Color pullus eſt index mœſtitiæ. 611
Color glaucus, *verd de mer.* 600
Color blauus. 620. 621
Color generatim. *à p.* 536. *ad* 632
Color vnus, rubor, in fœminis amabilis. 585. 586
Color indecens Clericis prohibitus. 491
Color caſtaneus an olim Clericis vſitatus? 622
Color violaceus mixtus eſt. 578
Color rubeus in facie, virtutis tinctura. 586
Color niger ſignum mœroris & mortis. 587
Color niger laudatur. 626
Color niger attributus Clericis. 507
Color niger quando Clericis cœpit eſſe in ſtabili vſu? 627. 628
Color niger an aſcetis Ord. S. Benedicti proprius? 623
Coloris viridis præſtantia. 599
Coloris nigri arcana & affectus explicantur. 608. 609. *vſque ad* 612
Coloris albi excellentia. 571. fuit triumphantium inſigne. *ibid.*
Colores in gemmis vnde oriantur. 551
Colores quidam in ſacris veſtibus approbātur quæ in priuato habitu prohibentur. 616. 617
Colores quidam factitij ſunt, quidam verè natiui. 542
Colores ætatibus conuenientes. 540
Colores ſunt alterationes lucis. 537. aliæ definitiones. *ibid.*
Colores quinque duntaxat S. R. E. habet in vſu. 575
Colores in Bibliothecis obſeruati. 540
Colores quatuor elementis & quatuor anni temporibus aſſimilati. 527
Colores Indiæ. 544
Colores ſunt accidentium nobiliſſima. 537
Colorum diſtinctionem Deus inſtituit in veteri teſtamento. 564
Colorum mira decora. 537. 538
Colorum vſus & variæ proprietates. 540
Colorum mixtio. 602
Colorum mira, at dira affectatio. 539
Colorum diuerſitas à Conciliis probata & obſeruata. 570
Coloribus diſtinctæ acies. 539
Coloribus iam olim dignitates diſtinctæ. 540
Columba alba ſicut nix, ampullæ ſacræ gerula. 583
Columba candida inſidet capiti S. Fabiani Pontificis à Spiritu Sancto deſignati. 583
Columbæ in Palæſtina niuei ſunt coloris. 572
Columbæ myſteria. 572
Columbarum genus ſaxatile varium & maculoſum. 578
Coma prolixa aliquando ſignum luctûs. 139
Communicandi regula à S. Hilario tradita. 404
Communio laica in pœnam inflicta Clericis, quænam erat? 409. 410
Communionis frequentis compoſitum diſſidium. 404
Communionis diuinæ fructus. 402
Communionis dilatio hominem non ſanctificat. 404
Communionis ſacræ effectus. 412
Communionis impedimenta. 405
Compater dictus olim ſuſceptor in baptiſmo. 431
Conceptio immaculata B. Virginis. 558
Concilium Amalphitanum. 480
Concilium Aquenſe tempore Sixti V. 65
Concilium Aquiſgranenſe ſub Hadriano I. 204. aliud ſub Leone IV. *ibid.*
Concilium Barcinonenſe. 33
Concilium Baſileenſe. 497
Concilium Bituricenſe ſub Reginaldo Archiepiſcopo. 112
Concilium Burdegalenſe ſub Antonio Archiepiſcopo. 65
Concilium Carthaginenſe IV. 29
Concilum Conſtantienſe. 494
Concilium Coyacenſe in Hiſpania. 477
Concilium Dalmaticum. 487
Concilium Eburacenſe. *ibid.*
Concilium maximum Lateranenſe. *ibid.*
Concilium Lateranenſe œcumenicum ſub Innocentio II. 480
Concilium Lateranenſe œcumenicum ſub Innocentio III. 54. quot in eo præſules conuenerunt? *ibid.*
Concilium Moguntinum ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo. 59
Concilium Ocenſe. 301
Concilium Rauennatenſe. 55
Concilium Rotomagenſe ſub Cardinale Borbonio. 112
Concilium Saltzburgenſe. 489
Concilium Toletanum. 56
Concilium Toletanum Alphonſo Carillo præſidente. 498
Concilium Tridentinum de Tonſura & habitu Clericali propriam ſanctionem edidit. 59
Concilium Turonenſe ſub Simone Archiepiſcopo. 65
Concilium Viennenſe in Auſtria. 307
Concilium Viennenſe ſub Clemente V. 495
Concilij I. Arauſicani can. 15. de Energumenis Catechumenis. 238
Concilij III. Aurelian. c. 6. de ordinandorum impedimentis. 238
Concilij Florentini acta citata. 628. in eo Concilio qualiſnam fuerit Patrum habitus? *ibid.* 629
Concilij Laodiceni expenſus can. 26. 154
Concilij I. Matiſconenſis can. 5. 471. & 10. 408
Concilij Nicæni I. Arabici canones à Turiano vulgati. 677
Concilij Saltzburgenſis canon correctus. 495
Concilij Toletani IV. memorabilis de ſeminariorum excitatione ordinatio. 279
Concilij XI. Toletani c. 14. de epilepticis. 240
Concilij Tridentini conſtitutio de ſeminariis. 276. 277. 278. 279
Concilij Turonenſis can. excuſſus. 146
Concilij II. Turonenſis can. de ſcholis conſti-

tuendis. 260
Concilij Valentini ſanctio de ſcholis Clericorum reſtituendis. 288
Concilio IV. Toletano S. Iſidorus præfuit. 39
Concionatoris boni idea. 426
Concionatorum vitia & defectus. 425. 426
Concionatorum duæ ſpecies. 427
Concupiſcentia qualis in renatis. 398
Concupiſcentia non parit peccatum niſi cum voluntatis aſſenſu. ibid.
Concupiſcentia fons tentationum, via ad peccatum. 397
Concupiſcentiæ ſtimulus. 396. Sanctos etiam pungit. 397
Concupiſcentiæ & peccati graphica diſtinctio. 398
Confeſſionis & Communionis frequens vſus. 401. 403. 404. 405
Confirmatio olim ſtatim à Baptiſmo conferebatur & Euchariſtia. 217. 218
Confirmatio ſuſcipienda ante Tonſuram Clericalem. 181. 217
Coniugatorum præmium. 270
Coniuges communicare quotidie Apoſtolus non optauit. 405
Conſcientiæ puræ gloria. 312
Conſecratio Eccleſiæ S. Dionyſij præſente Ludouico VII. 582
Conſenſus puerorum Tonſura initiandorum neceſſarius. 220
Conſilium vtile de Clericis diſcolis ad officium reuocandis. 187
Conſtantinus ſtolam magnificam Eccleſiæ Hieroſolymitanæ dedit. 570
Conſtantini ſomnium illuſtre. 476
Conſtantini Magni declaratio de Epiſcoporum ſacroſancta iuriſdictione. 692. 693
Conſtantini Magni reſcriptum, ad Anelinum pro Clericis. 692. 693
Conſtātint priuilegia aliquot S. R. E. data. 394
Conſuetudo Eccleſiaſtica de traditione manauit. 75. 76. 77
Conſuetudines adiaphoræ ſi non probandæ ſunt, ſaltem tolerandæ. 74
Conſulares notæ inſtabiles paſſim & fluxæ ſunt. 12
Conſuli mera purpura conceſſa; Prętori minùs ſplendida. 540
Contemplationis beatæ exceſſus. 338
Contemptus ſui quàm efficax ad ſalutem. 381. 382
Continentia Clericorum, quàm ſolers & ſtrenua debet eſſe. 306
Continentia proprium inſigne eſt Clericorum. 307
Continentia eſt donum Dei. 310. ſed quod oratione maximè impetratur. ibid.
Cor qui vouerat animalis totum animal debebat offerre. 414
Cordis aures duæ. 421
Corona, dicitur panis myſticus. 117
Corona Monachorum. 463
Corona immarceſſibilis. 546
Corona de lapide pretioſo. ibid.
Corona myſtica in lege Moyſi. 129
Corona in Clericis ſignum excellentiæ. 119
Corona Clericalis eſt charitatis indicium. 121
Corona Clericalis, ſignū eſt ſacræ militiæ. 125
Corona Clericalis, ſignū eſt coronæ gloriæ. 126
Corona Clericalis eſt ſignum commemoratiuum coronæ ſpineæ Domini. 120. 126
Corona Clericalis S. Chryſolio cum cerebro crudeliter amputata. 19
Corona Clericalis ſignum eſt regni ſpiritualis. 43
Coronæ ex clauis Martyribus ſacri ordinis impactæ. 20, 21
Coronæ è floribus neophytis imponebantur. 562
Coronæ menſura antiquis canonibus non erat determinata. 111
Coronas benedicere proprium Epiſcopi munus eſt. 50
Corporales defectus in lege myſticè notati. 133
Corpus Eccleſiæ à Deo ordinatum. 498
Corporis Chriſti ſalutares effectus. 402
Corporis caſtigatio temperanda. 390. Corpus enim coërcere licet, perimere non licet. ibid.
Corporis myſtici compago mirifica. 430
Correctio officiorum Eccleſiæ legitima. 97
Cramoiſy. 581
Crepidarum elegantia vetita Clericis. 652. 653
Crinitos Reges Franci ab initio habuerunt. 121
Crucifixi hominis ſpiritualiter idea. 391. 392
Crux quæ fuit ſignum contumeliæ, nunc honoris & benedictionis eſt ſignaculū. 189. 190
Crux Monachi, rigor eſt ordinis. 392
Crux argentea iam olim Papæ præferebatur. 591
Crucis ſignum ad omnem progreſſum atque promotū efformare ſolebant priſci fideles. 72
Crucem Domini limitem habemus. 460
Crucis ſignum in ordinatione. 189. 190
Crucis ſigno chariſmata omnia Sacerdotalis officij perficiuntur. 190
Crucis præconia. ibid.
Cucullati priſci Sacerdotes an erant? 462
Cullula, ſeu crocotula. 534
Cura cutis & capilli fœminis potiſſimùm inſita. 454
Curiæ ſupremæ Pariſienſis piæ voces. 732
Curioſa non ſectanda. 360
Currus igneus gloriæ Dei. 340
Cynædi impuri acriter reprehenſi. 768
S. Cyprianus in Africa primus imbuit ſacro cruore coronas Sacerdotales. 18
S. Cyprianus ſub Valeriano paſſus eſt. 197
S. Cyprianus geſſit tonſuram Clericalem. 15. 16
S. Cypriani laus. 455. libri eius de diſciplina virginum commendatio. ibid. ſimulachrum à Pontio expreſſum. 456
S. Cypriani de caſtitate inſigne documentum. 309
S. Cypriani in martyrio veſtis. 196. 197
S. Cypriani excellens facundia. 337
S. Cyrillus Alexandrinus. 123. 271

D

DALFINVS Ep. Lug. conſecrat Walfridum Epiſc. Eburacenſem. 39

Dauid an litteraturæ expers? 354
Dauid mirabilis modulator. 399. 400
Danidis ſcientia infuſa erat. 355
Decani Clericos etiam inuitos tondeant. 487
Decor Eccleſiaſticus reſtitutus S. Lupo. 138
Dedicatio oſſium Martyris. 576
Deformes inſigniter, & mutilati ſunt incapaces Ordinis. 233
Deformitas impedit ordinandum. 234
Deformitatis notabilis ſpecies. 235. 236
Degradatio Clerici ſimplicis tonſoræ. 533
Delectus miniſtrorum Eccleſiæ grande opus. 176
Dentes puluere terſi. 29
Depoſitio duplex, ab officio & ab ordine. 157
Depoſitio & degradatio, quomodo differunt? 256
Depoſitum Timotheo ab Apoſtolo commendatum. 74
Deſtituere eius eſt, cuius eſt inſtituere. 737
Deuotæ cur fœminæ vocitentur? 302
Deuotio quid ſit? 301. 303
Deuotio diuerſis modis comparatur. 304
Deuotio eſt prima virtutum. 301. pinguedo animæ. *ibid.* fidei ſummum ſacramentum. *ibid.*
Deuotio aromaticum eſt vnguentum. 303
Deuotio quibus ſcintillis inflammetur? 302. 303
Deuotio erga Beatiſſimam Virginem auſpicatiſſima. 372
Deuotionis elogia. 301. 302. *&c.*
Deuotionis actus & affectus. 303. impedimenta. 304. adiumenta. *ibid.*
Deus circulo cur deſignatur? 115
Deus duas ſcholas nobis aperit. 413
Deus tribus modis nobis loquitur. *ibid.*
Deus non habitat niſi in corde puro. 480
Deus & homo quantùm diſtant ab inuicem? 665
Deus eſt immutabilis ſubſtantiâ, locô, intelligentiâ, affectu & omni intrinſeco modo, & cur? 659
Deus tria confert in opus ſalutis noſtræ. 414
Deus vbi magiſter eſt, citò diſcitur quod docetur. 420
Dens ad nos loquitur per Sacerdotes. 423
Deus feſtum agit quando nobis beneficia largitur. 326
Deus intuetur cor. 176
Deus quomodo ad cor loquitur. 414
Deus quomodo omnia eſt in omnibus. 563
Dei vultus beatos nutrit. 572
Dei adiutores ſumus. 401
Dei & diaboli contraria prorſus intentio. 384
Dei in hominem etiam lapſum bonitas. 385. & diaboli odium. *ibid.*
Deo ſeruire regnare eſt. 421. 422
Deo placere, vt oportet. 348
Diabolus circa Tonſuram luſit. 114
Diabolus paſſionibus noſtris abutitur. 399. at bonus Angelus bene vtitur iiſdem. *ibid.*
Diabolus corpore Domini pellitur. 403
Diabolus omni conatu Chriſtianos ab Euchariſtia auertit. *ibid.*
Diaboli artes peſſimæ. *ibid.*
Diaboli ſtudium, res Dei æmulari. 103
Diaboli perpetuus eſt conatus Chriſtianam intercidere veritatem. 22
Diaconiſſæ ritu ſolenni apud Græcos ordinantur. 208
Diaconiſſarum munus in mulierũ baptiſmo. 431
Diaconiſſis manus ab Epiſcopo imponitur. 208
Diaconus tempore oblationis alba vtatur. 615
Diaconi eſt purgare, Preſbyteri illuminare, Epiſcopi perficere. 227
Diacono doctrinæ munus an competat. 258. 259
Diaconi ſunt tantùm in ordine miniſtrante? 258
Diaconorum officia. 258. 259. 407
Diaconis plebem è ſuperiori loco docere, olim fas non erat. 432
Diaconis quomodo delatum vt corpus Domini diſpenſarent? 23
Dialogus Chriſti cum Angelis. 589. 590
Dicere omnia non vbique oportet. 173
Digamiæ triplex eſt ſpecies: ſcilicet vera, interpretatiua & ſimilitudinaria. 241. 242
Digamiæ variæ ſpecies. 240. *&c.*
Digami ſunt irregulares. *ibid.*
Diocletiani furor aduerſus viros Eccleſiaſticos. 692
Dignitas eſt, ſeruum eſſe potentis. 125
S. Dionyſius citatur. 26. 543
S. Dionyſius quomodo ignem ſuperauit? 340. item & S. Laurentius. *ibid.*
S. Dionyſij Areopagitæ genuina effigies. 761
S. Dionyſij Areopagitæ diuina ſapientia. 357
S. Dionyſij manſuetudo ſingularis. 437. eiuſdem laudatur epiſt. ad Demophilum. 438
Dionyſius Petauius laudatus. 128
Diſciplinæ Chriſtianæ compendium. 382
Diſciplinæ Chriſtianæ compendium eſt humilitas. 313
Diſciplinæ laus. 271
Diſciplinæ Eccleſiæ contemptus, dedecus infert religioni. 509
Diſciplinæ Clericalis neglectus. 529
Diſcipulorum Chriſti & mundi antitheſes. 445
Diſpenſatio Papalis & Epiſcopalis circa mutilos, mutilatos & inſigniter deformes. 237
Diſpenſatur cum digamis. 242. 243
Diſpoſitio quid ſit? 267
Diſpoſitio congruitatis & neceſſitatis. 3
Diſpoſitio ſubiecti prior eſt diſpoſitione formæ. 298
Diſpoſitiones internæ Clericorum. 353
Diſpoſitiones externæ. 353. *& fusè in ſeqq.*
Diuerſitas ſtatuum neceſſaria in Eccleſia. 662
Diuinæ claritatis per Angelos in animas illapſus. 422
Docentis perſona maximè conſideranda. 435
Docibiles Dei quare omnes non euadunt? 415
Docti quantùm Eccleſiæ profuerunt. 356
Docti conciones libenter non audiunt? 425. eorum excuſationes friuolæ *ibid.* 426. 427
Doctoris & auditoris mutua officia. 414
Doctrina adiumento eſt pietati. 356
Dominicis caſtris aggregari, Clericorum eſt albo inſcribi. 678
Dominicis ſingulis optandum vt fideles communicent. 405

Domûs ſpiritualis rectum eſt charitas, fundamentum humilitas. 121
Donatiſtæ ſequentes erant ſine antecedente, paſtores ſine grege. 226
Donatiſtæ an iure damnati? 247
Donum propriũ habet vnuſquiſq; ex Deo. 661
Dona Dei & vocatio ſunt ſine pœnitentia. 658
Dormientes ordinari num poſſint? 231
S. Dorothea poſt mortem miſit fructus & flores, quos promiſerat Theophilo aduocato. 560
Durandi opinio refutata. 192
Durandi ſpecioſæ quædam ratiocinationes. 226

E

EBERHARDVS Archiepiſcopus Saltzburgenſis. 495
Ebrietas ſpiritûs. 318
Eccleſia ædificatur vt ciuitas. 269. 270
Eccleſia tam triumphans quàm militans coloribus delectatur. 541. 542. 543
Eccleſia eſt ſors & hæreditas Domini. 656
Eccleſia in Sacerdotibus conſtat. 274
Eccleſia pulchra vt Luna &c. 545
Eccleſia quod ratum habet, Chriſti commendat oblatio. 182
Eccleſia maternæ benignitatis obliuiſci non poteſt. 249
Eccleſia perſecutionibus creuit, martyriis coronata eſt. 560
Eccleſia imperante Conſtantino oliuam pacis accepit. 696
Eccleſia veſtiuit Clericos duplicibus. 512
Eccleſia magis illuſtrata eſt Sanctorum miraculis quàm principum metallis. 560
Eccleſia militans ad formam triumphantis eſt à Deo compoſita. 543
Eccleſia campus latiſſimus & florentiſſimus. 559
Eccleſia florum omnium eſt viridarium. 558. & areola aromatum. *ibid.*
Eccleſia ſeſe accommodat rerum & temporum circumſtantiis. 23
Eccleſia filiorum mortem materno amore luget. 629. 630
Eccleſia varietate gratiſſima illuſtratur. 544
Eccleſia numquam intendit, quod prohibuit Chriſtus. 227
Eccleſiæ ſtatus deplorabilis tempore Petri Card. Damiani, ipſo teſte. 428
Eccleſiæ miſer ſtatus deploratus à S. Bernardo. 481. 482
Eccleſiæ militantis à triumphanti differentia multiplex. 543
Eccleſia myſtica nauis. 580
Eccleſiæ conſenſus fidei & morum eſt regula. 77
Eccleſiæ vota in Clerici initiatione. 663
Eccleſiæ triumphantis in regno Dei ſtatus. 543
Eccleſiæ corporis partium varietas. 545
Eccleſiæ intentio an in ordinandis ſufficiat. 226
Eccleſiæ pulcherrimus ornatus, miris colorum ſplendoribus rutilans. 545
Eccleſiæ triumphantis decus in gemmis coruſcat, militantis in floribus. *ibid.*
Eccleſiæ piæ precationes. 331
Eccleſiæ caput Chriſtus. 430
Eccleſiæ auctoritas traditionis fundamentum. 89
Eccleſiæ militantis flores & colores. 554. &c.
Eccleſiæ teſtimonium irrefragabile. 89
Eccleſiæ victoria & triumphus. 590
Eccleſiæ triumphantis gratiſſima varietas. 544. necnon militantis. *ibid.*
Eccleſiæ planctus & lacrymæ. 734. 735
Eccleſiæ vtriuſque, ſcilicet triumphantis & militantis, conformitas & diſſimilitudo. 543
Eccleſiæ flores & aromata. 558. 559
Eccleſiam eſſe in republica quomodo intelligendum? 541
Eccleſiarum Galliæ renouatio. 476
Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruatio, decus eſt Catholicæ religionis. 509
Eccleſiaſtici viri effigies. 345
Eccleſiaſtici forenſes. 478
Edgardus Rex Angliæ canones promulgauit ex Synodicis decretis. 48
Editio vulgaris quàm vetus. 12. 13
Effigies genuina pſeudo-Clerici. 530
Eginardus alumnus & notarius Caroli Magni. 122
Electio Sanctorum. 575
Electorum ſigna. 387. 388. 390
Elias Cretenſis. 27
Eliæ habitus. 510
Eliberitani Concilij can. 76. 409
Eliſæi myſtica contractio. 434
Emeritenſis Concilij can. 18. libratus. 160
Emunctoria erant in ſanctuario, atque in Eccleſia eſſe debent. 176
S. Edmundi mater, quàm pia & prudens in filiorum educatione. 272
Energumeni olim immundi cenſebantur. 238
Energumeni ordinari non debent. *ibid.*
Energumenis an præbenda communio? 239
Energumenis quotidie manus Exorciſtæ imponant? 239
Ephod triplex fuit. 194
Ephod triplici colore erat contextum. 565
Epicureorum felicitas. 401
Epilepticus ſacerdos non offerat. 240
Epileptici ſacris altaribus non miniſtrent. 239
S. Epiphanius prolixam barbam geſſit. 761
Epiſcopalis iuriſdictio aſtruitur cõtra hoſtium eius inſultus. 695. 696
Epiſcopalis ſedes albo velo exornabatur. 580
Epiſcopalis ordo conferri non poteſt infanti. 224
Epiſcopalis domûs quæ debeat eſſe diſciplina? 51
Epiſcopalis apex, ſacerdotij dignitas. 406
Epiſcopalem typum S. Paulus delineauit. 614
Epiſcopatus ſine presbyteratu nihil eſt. 224
Epiſcopus percluſus 237
Epiſcopus in criminibus Eccleſiaſticis, iudex eſt laïcorum omnium. 695
Epiſcopus ſit ſobrius. 317

Epiſcopus pacificus ſit, abhorrénſque à litibus. 321
Epiſcopus an diſpenſare poſſit cum digamis? 244
Epiſcopus diſpenſare non poteſt in decreto Concilij generalis. *ibid.*
Epiſcopus pro iurium Eccleſiæ tutela vitam debet profundere. 344
Epiſcopus extra diœceſim validè exercet munera voluntariæ iuriſdictionis. 176
Epiſcopus qui monachus factus eſt, ad Epiſcopatum redire prohibetur. 169
Epiſcopus hæreticus excommunicatus ſuſpenſus an poſſit tonſuram conferre. 173
Epiſcopus quam adhibere debet cautionem circa deformes & corpore vitiatos. 257
Epiſcopus quo in caſu cum illiterato promouendo diſpenſat. 264
Epiſcopus in minoribus cum illegitimis diſpenſat. 232
Epiſcopus doctor eſſe debet. 261
Epiſcopus vicem Dei gerit. 450
Epiſcopi in militem transmutatio. 486
Epiſcopi aduerſus presbyterum iuriſdictio. 696
Epiſcopi Pariſienſis tonſuram conferentis quinam olim habitus. 623 624
Epiſcopi cura in deligendis Clericis. 176.177
Epiſcopi nomen & honorem formidauit S. Ludgerus. 255
Epiſcopi quodnam ſit munus præcipuum. 333
Epiſcopi delinquentis pœnæ. 409.410
Epiſcopi ſupellex. 503.505
Epiſcopi veſtitus. 503
Epiſcopi ſedula eſſe debet ſollicitudo de Clericis idoneis ſeligendis. 274
Epiſcopi boni acceſſus & progreſſus. 485. eius elogium. 486. Conſtitutiones ſynodales. *ibid.*
Epiſcopo à barbaris eiecto ſuus honor manet. 170
Epiſcopo potiſſimùm conuenit manſuetudo & patientia. 437
Epiſcopum non decet ſplendidus habitus. 465
Epiſcopi prouinciales dudum in habitu ſimpliciſſimi. 515
Epiſcopi lineas in publico gerant. 492
Epiſcopi ſericis veſtibus non vtantur. *ibid.*
Epiſcopi & ſacerdotes tonſuram geſſerunt inter martyria. 16
Epiſcopi qui renunciauit, & abbatis ingens diſcrimen. 154
Epiſcopi capellos ferant rotundos. 493
Epiſcopi titulares tonſuram conferre prohibentur niſi de licentia diœceſani Epiſcopi. 169
Epiſcopi qui renuntiârunt Epiſcopatui quomodo tonſuram conferre poſſunt? 169
Epiſcopi Cathedratici qui ſint Sidonio. 170
Epiſcopi ex presbyteris eligendi, ex diaconis presbyteri. 124
Epiſcopi olim interpellati per coronam. 18
Epiſcoporum excellentia. 150
Epiſcoporum ſenatus, chorus potiùs cæleſtis quàm terrenus. 582
Epiſcoporum qui ex regularibus aſſumuntur veſtis. 176. huiúſque color. *ibid.*
Epiſcopis vetitum eſt bella gerere. 47
Epiſcopis alienos ordinare Clericos non licet. 173
Epiſtola Anniceti Papæ propugnata. 12. 13. *&c.*
Epiſtola Eugenij I. ad Epiſc. Saſſarenſem. 737
Epomidem iam olim Epiſcopi gerebant. 462
Eremitarum non communicantium niſi rarò, reprehenſa S. Chryſoſtomo negligentia. 406
Eſcarlate. 587
Ethnici & hæretici impia de Sanctis ſcripta diſſeminauerunt. 94
Euangeliſtæ pacis actus & habitus. 451
Euangelium dum legitur, luminaria ex antiquo ritu accenſa eſſe debent. 70
Euchariſtia. *Vide* Communio.
Euchariſtia eſt vita animæ. 403. & fidelium victoria. *ibid.*
Euchariſtiam non licet ſumere, niſi de præſidentium manu. 71.72
S. Encherius Lugd. Epiſc. 32
S. Euſebius Epiſc. Vercellenſis. 627
Eugenij I. reſponſum ad Toloſanum antiſtitem. 170
Eugenius I. Papa. 736.737
Eugenius III. Remis Concilium habuit. 480. ibi legem tulit de Clericalis habitûs modeſtia. *ibid.* 481
Eugenius Tyrannus. 28
S. Euſtadius filius S. Gregorij Epiſc. Lingonenſis. 162
Euſtadius presbyter vir Deo dignus tonſuram conferebat. 36.161.162
S. Euthymius Abbas Eudociam Auguſtam à Neſtoriana hæreſi conuertit. 31
S. Euthymius albâ diuino lumine irradiatus futura prænoſcit. 519
S. Eutichianus Papa & martyr, Martyres ſepeliri iuſſit in purpura. 523
Examen initiandorum tonſura Clericali. 181. 182.183
Exceptio formatarum in ceteris. 137
Exemptio Clericorum iuris eſt diuini. 667
Exemplum fidelium perfectum. 602
Exemplum luctuoſum zeli feruentioris quàm conſiderati. 350 351.352
Exempla breues ſunt & rectæ ad ſalutem viæ. 275
Exempla, documenta, exercitamenta, ſtimuli ſunt iuuentutis. *ibid. & ſeqq.*
Exemplaria fidelium eſſe debent Paſtores omnibus numeris abſoluta. 448
Exercitia pietatis. 377.378.379. *&c.*
Exilij huius vitæ miſeria. 632

F

FASTI Chriſtianorum. 535
Ferraiolum vox barbara pro pallio. 642
S. Ferreolus presbyter, & Ferrutio Diaconus clauis infixis coronati in denſum coronæ Clericalis. 20.21
Feſtum corporis Chriſti quando primùm & vbinam celebrari cœpit? 71

Fides inexercitata langueſcit. 416
Fidei Catholicæ reus cenſetur Tonſuræ deſertor aut corruptor. 40
Fidei cuſtodes ſunt ſacerdotes & Clerici. 341
Fidei naufragium quàm luctuoſum? 416
Figuræ vocabulum quàm variæ ſignificationis? 112.113
Fileſaci opinio excuſſa. 288
Fimbria quid? 527
Fimbrias gerere cur Iudæi iuſſi ſunt. 647
Finis quem coniuges ſpectare debent. 268
Flagitioſus occultus an irregularis? 157
Flagitioſus quiſnam cenſeri debet. 256.257
Flauiani Epiſcopi Conſtantinop. nobile præconium. 264
Flores in veſtibus seu picti. 561
Flores oblectant & nutriunt. 559
Flores ſigna ſunt amicitiæ. 560
Flores ſuper altare impoſiti in feſto Dominicæ reſurrectionis. 538
Flores & colores militantis Eccleſiæ. 554.555
Floris ſeptem proprietates. 557
Flores vineæ myſticæ. 554
Florum pulchra varietas. 538. conflictus. ibid.
Floribus Eccleſiæ & altaria ornabantur. 562
Fodraturæ. *fourreures*, Clericis prohibitæ. 495
Fœmina animal eſt imperfectum. 200
Fœmina longè debilior eſt maſculo. 201
Fœmina non offerebatur in holocauſtis. 200
Fœminæ ſunt viris in luxum procliuiores. 447
Fœminarum Chriſtianarum panoplia. 455
Fœminarum varietas notata. 454. &c.
Fœminarum oblationes ad altare non ſunt ſuſcipiendæ, ſed extra ſanctuarium. 204.205
Fœminis cur maior ineſt deuotio quàm maſculis? 302
Fœminei ſexus defectus principalis. 200.201
Fœminei ſexus imperfectio. ibid. & ſeqq.
Forma, pro typo impreſſorio appoſitè expoſita. 448
Forma non accedit niſi ſubiecto diſpoſito. 225
Forma gregis eſſe debent Clerici. 88
Formæ vocabulum quot modis accipitur? 110. 111
Formoſus Papa. 533
Formula ingenuitatis pro Clerico. 670
Fortia agere Romanum eſt, Chriſtianum etiam pati. 378
Fortunati verſus egregij de floribus. 538
S. Franciſcus confugit ad preces S. Claræ. 329
S. Franciſci pia conſultatio. ibid.
S. Franciſci docta ſimplicitas. 365
S. Franciſcum de diuinis diſſerentem S. R. E. Cardinales mirabantur. ibid.
Franciſcus de Ioioſa Cardinalis Concilium habuit Toloſæ. 65
Franciſcus Card. Sourdiſius præfuit Concilio prouinciali Burdegalenſi. ibid. 292
Franciſcus Halier inſignis Sorbonæ Doctor. 188. eximium eius opus de electionibus ſacris. 206. accuratus tractator. 207
Franciſcus Turianus. 12.26
Franciſcus Senaldus egregium opus de paſſionibus moderandis contexuit. 395
B. Franciſci de Sales epiſtolæ & opuſcula ſolidâ pietate referta ſunt. 375
Franciſcus Venetus. 136
Franci quando primũ in Gallias irruperunt. 30
Francorum ante ſuſceptam Chriſti fidem barbaræ leges. ibid.
Fridegodus vetus ſcriptor. 40
Fridericus Imperator hoſtis Eccleſiæ. 592.593. eius immanis aduerſus Clericos ſæuitia. 20
Fructua virginitatis. 559
Fundamentum fabricæ ſpiritualis. 385
Fundamenta duodecim ſupernæ ciuitatis. 550

G

GALENVS citatus. 421
Galeri vſus Clericis in templo prohibetur. 638
Galericulus. ibid. 639
Galerus. 632. eius forma & vſus. ibid.
Galilæos pannoſos Iulianus Apoſtata vocabat Chriſtianos. 483.484
S. Gallus abbatis miniſteriô, Tonſurâ initiatus eſt. 153
Galli pridem promiſſam barbã geſtabant. 758
S. Gaugericus Ep. Cameracenſis. 36
Gebonardus Archiepiſcopus Vienneoſis. 240
Gelaſij I. decretum contra illiteratos. 261
Gemmæ & colores Eccleſiæ triumphantis. 546
Gemmæ duodecim in rationali Pontificis. 565
Gemmarum fucus. 553
S. Genulphus I. Epiſc. Caturcenſis. 21
Georgiani Aſiæ populi Chriſtiani iugi Turcici expertes. 110
Georgiani etiam laïci tonſorati. ibid.
S. Geraldus Comes Aurillaci. 474.475
Germaniæ ſynodus generalis coacta à Ioanne Tuſculano Epiſcopo Card. 498
S. Germanus Epiſcopus. 9
S. Germanus Conſtantinop. Patriarcha aſſertor cultûs SS. imaginum, auctórque Theoriæ Eccleſiaſticæ. 43
S. Germanus Pariſienſis Epiſc. quomodo factus Clericus. 468
S. Germanus ſcholam doctrinæ & virtutum Pariſiis aperuit. 260
S. Germani Antiſſiod. cum S. Lupo Trecenſi profectio in maiorem Britanniam. 30
Geſta ſanctorum Martyrum regulariter ſuſcipienda. 90
Glaber Rodolphus. 475.476
Gloria inanis peſtis eſt Cleri & ſacerdotij. 312
Gloſſ. *Tolerandi*, explicata. 737
Gloſſ. *non debet in Can. prohibere* 23. diſt. correcta. 111
Golgotha nomen Syriacum eſt. 127
Gradus maiores promereri fas eſt, affectare non licet. 313
Gradus omnes Eccleſiæ ad Euchariſtiam ordinantur. 118
Græci aberrârunt in omnibus, in quibus ab Eccleſia Rom. receſſerunt. a 115
Græci ritus habent pleroſque, cum ceremoniis S. R. E. congruentes. 180
Græci tempore S. Chryſoſtomi quotidie ſacrificabant. 406

à Græcis quadratus panis aſſumi ſolet pro celebratione Euchariſtiæ. 116. 117
Græci à Maiorum doctrina & moribus ſacris degenerârunt. 510
Græcorum veterum impietas notata. 202
Granum frumenti mortuum & viuum. 419
Gratia Dei per Ieſum Chriſtum fons noſtræ ſalutis. 399
Gratiæ Dei cooperatores ſumus. *ibid.*
Gratiæ Dei deeſſe eſt petere, parere regnare eſt. 401
Gratiæ gratis datæ. 363
Gratiam nemo inuocat niſi præuentus à gratia. 657
Grauitatis exemplum. 448
Gregalis armiger. 529
S. Gregorius Papa coronam Clericalem geſſit. 36
S. Gregorius Nazianzenus. 27.269
S. Gregorius Turonenſis ſanatus ad ſepulchrum S. Martini. 34. 472
Gregorius VII. Eccleſiaſtici decori ſtudioſiſſimus. 49
Gregorius VII. ad raſionem barbæ Archiepiſcopum Caralitanum compulit. 50
Gregorius IX. Clericorum faſtui extirpando plurimùm inſudauit. 488
Gregorius X. 484
Sancti Gregorij planeta coloris erat caſtanei. 623
S. Gregorij modeſtia in veſtibus. 472
S. Gregorij ſacramentorum liber. 578
S. Gregorij Magni breue elogium. 472
S. Gregorij Thaumatorgi feruens deuotio erga ſanctiſſimam Virginem. 369.370
S. Gregorij Nazianzeni laus, item & Nyſſeni. 358
S. Gregorij Nazianzeni viſio memorabilis. 368
Gregorij Papæ VII. pia ad Philippum. I. Francorum Regem monita. 715 716
Gregorij IX. iuſſu facta compilatio Decretalium. 489
Gregorij Papæ X. habitus in Conc. Lugdunenſi. 577
Gregorij Turonenſis de ſeipſo inſigne dictum. 235
Grex niueus in Paſchate, neophytorum cœtus. 451
Greges in Iudæa, inſtar niuis. 513
Guillelmus Durandus Epiſc. Mimatenſis Iuriſconſultus inſignis. 55
Guillelmus de Flauacuria Archiep. Rotom. Synodum prouincialem coëgit. 56
Guillelmus Card. Epiſc. Sabinenſis. 562
S. Guthlacus anachoreta. 41. 43
S. Guntherus Eremita. 48

H

HABITVS duplex Clericorum, ſacer & ciuilis. 474
Habitus Clericorum ſecularium cuiuſnam olim coloris erat. 624
Habitus Clericalis impoſitio. 185.186. *&c.* & ablatio. *ibid.*
Habitus ſacri numinis & Clericæ religionis. 648
Habitus ſacræ religionis, in Tonſura collatus. 198
Habitus Clericalis ſignum eſt pœnitentiæ. 133
Habitus conueniat ætati, ſexui, loco, tempori. 459
Habitus religionis, eſt habitus Clericalis. 468
Habitus Clericalis præſcriptio. 489
Habitus comptus indecens eſt Clericis. 417
Habitus ordinarius Clericorum. 642
Habitus muliebris, ſanctus. 447
Habitus, conditionis eſt indicium. 464
Habitus mentis indicium. 447
Hæreſis ſita eſt in errore iudicij & pertinacia voluntatis. 245
Hæretici incipientes diſputare, paruulæ ſunt vulpes. 341
Hæretici ab ipſo initio cohibendi. 341
Hæretici à Clericatu excluduntur. 245
Hæretici manifeſti omnes excômunicati ſunt. *ibid.*
Hæretici Eccleſiam non ingrediantur. 246
Hæretici lupi ſunt & vulpes. 442
Hæretici oſores & deriſores ſunt Tonſuræ Clericalis. 143
Hæretici quicquid ſuis paradoxis non cõſonat in Sanctorũ actis, pro errore traducunt. 101
Hæretici rident ſacerdotum habitus, & Eccleſiarum ornamenta. 564
Hæretici mentales & merè occulti an ſint in iure excommunicati? 248
Hæreticorum ordinationes irritantur in iure. 246.247
Hæreticorum ſuperbia. 318
Hæreticorum ordinationis tam actiuæ quàm paſſiuæ, defectus. 248.249.250.252
Hæreticis idem hodie Clericus, cras laïcus. 766
ab Hæreticis ordinati quomodo perficiendi. 248
Haleri j rationes de infantibus collatis ordinibus ſacris, expenſæ. 222.223.224
Heliogabalus primus Imp. ſericam veſtem induit. 528
Henricus Caſtellæ Rex. 620
Henricus Cardinalis Reſius. 659
Henrici I. Regis piæ voces. 715
Heraclas ex philoſopho presbyter Origenis in catecheſi adiutor. 452
Herardi Archiepiſcopi Turonenſis Capitularia. 288
Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis lapſus eſt in hæreſim. 58
Hermiæ regnli tumulus. 600
Herodes Ioannis auditor. 424
Hero, diaconus, diſcipulus S. Ignatij. 450
Herodotus. 131
Heſychius Epiſcopus Hieroſolymitanus. 80
Hierarchiæ vtriuſque comparatio. 312
S. Hieronymus maximus Eccleſiæ doctor. 134. 429
SS. Hieronymus & Auguſtinus amicitiâ coniunctiſſimi. 29

S.

S. Hieronymus orbis fuit oraculum. 358
S. Hieronymus optauerat hiſtoriam Eccleſiaſticam ab initio conſcribere. 691
S. Hieronymus aduerſus Pelagianos ſcripſit. 191
S. Hieronymus quantus iam erat, antequam in diſcipulum S. Gregorio Nazianzeno ſe traderet? 365
S. Hieronymus ſplendidas veſtes in Clericis numquam probauit. 520
S. Hieronymus Latinam veterem verſionem ſacræ Scripturæ emendauit. 13
S. Hieronymus ſui æui phœnix Latinam Bibliorum verſionem ex Hebræo edidit. 164
S. Hieronymi numquam laudata ſatis, didactica de vita Clericorum, ad Nepotianum epiſtola. 307. 308
Hieronymus Bignonius V. C. 41. 669
Hieroſolymitani Clerici ſericis veſtibus ſplendidi erant. 520
S. Hilarius Româ Pictauos partem attulit barbæ S. Petri Apoſtoli. 760
S. Hilarij dictum inſigne. 410
Hilarius diaconus ſectæ anteſignanus. 182
Hildebrandus Cluniacenſis Prior, poſteà Rom. Pont. Gregorius VII. 592
Hildebaldus Metropol. Colonienſis. 155
Hincmari Remenſis capitula. 288
Hippocentauris quinam Clerici ſimiles? 534
Hiſtoriæ Sanctorum à piis & probatis auctoribus ſcriptæ recipiuntur. 97. 98
Hiſtoriæ Sanctorum auctoritas. 90. 91. 92. *&c.*
Hiſtoriâ Sanctorum abolitâ, nihil poſt Apoſtolos de rebus in Eccleſia geſtis supereſt notitiæ. 93
Holoſerica dono miſſa Roberto Regi Francorum à Hieroſolymis. 524
Homerus citatus. 123
Homo videt tantùm ea quæ patent, at Deus intuetur cor. 299
Homo imponit manus, ſed Deus dat gratiã. 176
Homo lucricupidus eſt. 665
Hominis non eſt de ſtatu ſuo decernere. 658
Homini lapſo plus nocuiſſet immortalitas quàm mors. 384
Hominum de ſalute incuria. *ibid.*
Honeſtas Clericis commendata. 490
Honeſtati veſtium debet morum innocentia conuenire. 472
Honeſtatem veſtium Græci & Latini ab Hebræis didicerunt. 640
Honor eſt pro Chriſto contumeliam pati. 145
Honor pro ordine. 6. 345
Honorius III. Papa. 755
Honorius IV. 489
Honorij Auguſtodunenſis error notatus. 127. 128
Hubertus Archiepiſcopus Cantuarienſis. 487
Hucbaldus Elnonenſis monachus. 43
Hugo à S. Victore alter ſui æui Auguſtinus. 52
Hugonis à S. Victore pia deſideria. 402
Hugo Victorinus auctor fertur libri de ſpiritu & anima. 397
Hugonis Victorini monita ad Clericos. 534
S. Hugonis Cluniacenſis abb. miraculum. 567
Hugonis Regis piæ ad filiũ admonitiones. 714
Humanæ miſeriæ deſcriptio. 380. 381
Humbertus Cardinalis rituum S. R. E. contra Græcos aſſertor. 409
Humbertus Prædicatorum prior generalis, auctor inſignium ſermonum. 488
Humilitas via eſt ad veritatem & virtutem. 312
Humilitas continentiæ eſt cognata. 311
Humilitas cordis receptaculum eſt gratiæ. 382.
iridémque beatitudinis principium. *ibid.*
Eccleſiaſticæ concordiæ cuſtos. *ibid.*
Humilitas & manſuetudo vera. 381
Humilitas fida eſt cuſtos caſtitatis. 309. 311
Humilitas honorata, rara eſt virtus. 382
Humilitas quænam laude digna. 315
Humilitas quàm Clericis eſt neceſſaria & conueniens? 120. 121
Humilitas ſplendidior eſt gemma in ornatu Pontificis. 318
Humilitas ſumptus reſtringit. 490
Humilitas triplex. 313
Humilitatis documenta. 313
Humilitatis ſpecula. *ibid. & ſeqq.*
Humilitatis inſignia ex ſcripturis exempla. 382
Hyacinthus. 552. 553
Hyacinthus aquaticus. 621
Hypocritæ idea. 649

I

IACOBITÆ Dioſcori & Eutychetis ſoboles. 113
S. Iacobus frater Domini 1. Epiſcopus Hieroſolymitanus. 519
S. Iacobus amictus ſyndone incedebat. 566
S. Iacobi apoſtoli fimbriam veſtimenti certatim omnes cupiebant attingere. 527
Iacobus Sirmondus Soc. Ieſu, inſignis Theologus. 694
Iacobus Perronius, inſignis nominis Cardinalis. *ibid.*
Iacobi Vimpfelingij pulchra de Gerſonio ſententia. 496
Iactantia in ſordibus eſſe poteſt. 466
Iaſpis. 546
Iaſpis ſicut chryſtallum. 550
Iaſpidis proprietates. 551
Icon inſignis D. N. Ieſu Chriſti. 618. 619
Idololatria pompaticæ oſtentationis. 494
Ieiunare nefas die Dominico. 72
Ieiunium quadrageſ. Chriſtus inſtituit. 69
Ieiunium cur Eccleſia ante ordines præmittit. 274
Ieiunij iuſta menſura. 320
Ieſus, virga ex radice Ieſſe. 555
Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha iniuſtè depoſitus, iure reſtitutus eſt. 47. 474
S. Ignatij Martyris verba ignea. 335
S. Ignatij Martyris inſignia monita. 449. 450
Ignauia Regum Franciæ poſterorum primæ ſtirpis. 112
Igneum aurum, eſt zelus honoris Dei. 335
Ignea Dei ſunt omnia. 334
Ignis in ſpinis eſt zelus præceps, nimiſque feruens. 452
Ignorantia omnis an damnabilis ſit? 360

HHhhh

Ignorantia quænam ſalutaris? 354
Illegitimi ſunt ordinationis incapaces. 231. 232
Illegitimi patiuntur deſectum, non delictū. 232
Illegitimi cur ab ordinibus & beneficiis tam ſeuerè arceantur? *ibid.*
Illiterati arcendi ab ordinibus. 258. 259. *&c.*
Illyrici Epiſcoporum ſynodus. 114
Imaginis vetuſtæ S. Chryſoſt. deſcriptio. 107
Immunitas data à Clodoueo rege I. Clericis & bonis Eccleſiaſticis. 698
Immunitas Cleri inuiolata permaneat ex Childeberti I. placitis in Conc. V. Aurelianenſi promulgatis. 699
Impedimenta ad animum ſpectantia. 245. *&c.*
Impiorum quomodo ora obſtruenda? 342. 343
Infans incapax eſt conſecrationis Euchariſtiæ. 225
Infanti collatus ordo, an teneat? 221. 222. *&c.*
Infantes olim inter catechumenos relati. 432
Infantium in Baptiſmo capillos abſcindere Ruteni ſolent. 31
Infantium baptiſmus aſſertus. 215. 216
Infantia ſpiritualis. 432
Infantiæ imbecillitas. 215
Ingenia fortia. 359
Ingeniorum faſtu tumentium genuinus character. 359. 360
Ingenuus de capite ſuo. 41
Innocentes flores ſunt Martyrum. 598
Innocentius I. inſtituit vt in Miſſa pacis oſculum præbeatur. 70
Innocentius III. Papa. 487
Innocentij III. conſtitutio in Concilio generali promulgata. 489
Innocentius IV. creat Cardinales duodecim in Conc. Lugdunenſi. 592. 593
Innocentij VI. pius zelus. 493. & laudabilis Curiæ reformatio. *ibid.*
Innocentius VIII. priuilegium hactenus inſolitum abbati Ciſtercienſi, & eius coabbatibus quatuor maioribus conceſſit. 157
Inſpiratio omnipotentis. 414
Intentio ſeriò amplectendæ Clericalis profeſſionis quàm neceſſaria? 299
Interualla temporis in ſingulis ordinibus quænam ſeruanda? 214
S. Ioannes Baptiſta fuit Elias & angelus. 334
S. Ioannis Baptiſtæ virtus & veſtitus. 444
S. Ioannis Baptiſtæ humilitas, eiuſdémque præconia. 313. 314
S. Ioannis Baptiſtæ pars ſanguinis iam olim condita in Eccleſia Vaſatenſi. 595. pars digiti apud Mauriennam. 596
S. Ioannis Baptiſtæ puritas. 579. 580
S. Ioan. Apoſt. iuſſu Domitiani decaluatus. 11
S. Ioannis Euangeliſtæ humilitas, eiuſdémque laus inſignis. 314
S. Ioannis Euangeliſtæ virginitas. 580
S. Ioannis habitus. 510
S. Ioannes Chryſoſtomus. 270
S. Ioannes Chryſoſt. præco pœnitentiæ. 389
S. Ioan. Chryſoſtomi de ſumptione Euchariſtiæ inſigne conſilium. 405. 406
S. Ioannes Chryſoſtomus zelator modeſtiæ Clericalis. 468
S. Ioannis Chryſoſtomi diuina vis dicendi & docendi 357
Ioannes Burgenſis piæ memoriç Minorita. 22. eius vaticinium. *ibid.*
Ioannes XXI. 492
Ioannes Mariana rerum Hiſpanicarum ſcriptor inſignis. 109
Ioannes Patricius, impius Iuſtiniani edictorum conſarcinator. 694
Ioannes de Indagine auctor pius & doctus. 495
Ioannes Ruſbrochius Carthuſianus. 497
Ioannes VIII. Papa. 592
Ioannes Sariſberienſis. 52. 666
Ioannis Sariſberienſis laus. 482. eiuſdem contra luxum veſtium inuectiua. *ibid. &* 483
Ioannis Roffenſis Epiſc. & Card. illuſtre martyrium & documentum. 341
Ioannes Launoius Theologus Pariſienſis illuſtris. 496
Ioannes Gerſon. 319
Ioannes Gerſon puerorum factus catechiſta. 319
Ioannis Gerſonij doctrina laudabilis. 496. 497
Ioannis Carlierij dicti de Gerſon elogium. 446
Iob, tonſo capite corruens in terram adorauit. 53
Iob Chriſti typus. *ibid.*
Ionas Monachus. 473
Ioſeph ſolus inter fratres indutus à patre tunica talari & polymita. 526
Ioſephus Iudæus. 513
S. Irenæus B. Polycarpi diſcipulus. 14
Iris in circuitu ſedis Dei & agni. 538
Iris circumdat thronum Dei. 564
Iſaac fuit figura Chriſti. 129
S. Iſidorus Hiſpalenſis aſſerit Tonſuram Clericalem niti traditione Apoſtolica. 39
S. Iſidori explicata ſententia. 3. 4 5
S. Iſidori Hiſpalenſis laus. 472
Iſidorus Peluſiota laudatur. 520
Iſidorus Mercator. 12
Iſraëlitis vxor alienigena quomodo ducenda erat? 136
Iter longum per præcepta, breue & efficax per exempla. 87
Iudæ perditio quàm dolenda & miſerabilis. 331
Iudæi pulſo colore ſolùm in luctu vtebantur. 621
Iudæi negotiatoris in Oriente habitus. 648
Iudæi gentilium peſſimi imitatores. 82
Iudæi corrupti ex infidelium gentium vicinia. 82
Iudæi in caſtris Xerxis quomodo notati? *ibid.*
Iudæorum habitus antiquus & hodiernus. 647. 648
Iudæorum antiqua in Chriſtianos inuidia. 15
Iudaici faſtus, Chriſtianis prohibentur. 449
Iudas cur dictus filius perditionis. 331
Iugum Domini ab adoleſcentia ferendum. 413
Iuliana matrona laudata plurimùm à S. Ambroſio. 269
Iulianus Apoſtata metu Imp. Conſtantij, comam totondit. 27
Iulianus Apoſtata in 1ª. ætate Clericus factus

eſt. 463. & lector. *ibid.* coma depoſita. *ibid.*
Iulianus Apoſt...a Chriſtianorum modeſtiam irridebar. 482
Iulianus Prætor Æduenſis. 31
Iulios Papa. 641
Iulius II. Papa Concilium Lateraoenſe coooocauit. 499
Iulius Pollux. 517
Iuo Carnotenſis Epiſc. quàm illuſtris? 49
Ius ſpiritnale non cadit in laïcum. 3
Ius Græco-Romanum. 26
Iuſtiniani Imperatoris leges quædam piæ, quædam iniquæ de iuriſdictione Epiſcopali & Clericorum priuilegiis. 694. 695. 696
S. Iuſtinus factus Chriſtianus habitum philoſophicum non depoſuit. 452
S. Iuſtini laus. 357
S. Iuſtioi Martyris elogium. 451. 452. apologiæ. *ibid.*
S. Iuſtus adhuc octennis inter catechumeoos relatus fuit. 432
Iuſtus Lipſios alter Liuius. 541
Iuſti in conſpectu ſapientum ſæculi cootemptibiles videotur. 376
Iuſti ſicut ſtellæ. 552. & columnæ. *ibid.*
Iuſtorum ſemita. 184
Iuuenalis. 125
Iuoenibos ſexus vtriuſque præcepta ab Apoſtolo ſobrietas. 447

L

LAc paruulorum cibus. 435
Lac ſalutis. 433
Lacerna quid? 196
Lactantij pulchra ſententia. 758
Laërtius vitas philoſophorum nitido ſcripſit eloquio. 92
S. Lætus Leuita, duodenois tonſuratus. 33
Laïcalibus veſtimẽtis Clerici non vtantur. 185
Laïcus factus Clericus veſtẽ mutare debet. 531
Laïci vxorati non ita freqoenter communicare debent ac Clerici. 404. 406
Laïci pœnitentia aliquãdo inflicta Clericis. 410
Laïci ſoli olim dicebantor ſæculares. 478
Lamina aurea explicata. 637
Lampridius citatus. 518
Læna veſtis. 197
Lana ſignũ hooeſtatis, caſtitatis, charitatis, veritatis, manſuetudinis, perfectæ virtutis. 516
Lana à laniando dicta. 512
Lana Eccleſiaſticas affectiones aptè deſignat & Clericales gradus & actus. 515
Lana ſacerdotibus optimè conuenit. *ibid.*
Lanearum veſtium modeſtia. 514
Lancaſtriæ domus cum Eboracenſi perpetua æmulatio. 539
S. Landerico Ep. Pariſienſi Marculphus formulas dedicauit. 40
S. Landoaldus S. R. E. Archipresbyter fuit. 42
Laodicenum Coocilium. 245. 246
Lapides igniti. 548
Lapides ſpiritusles vt efformantur. 270
Lati claui ius quibuſnam competebat? 640
Latina ſcripturæ verſio eum religione nata. 13
Latini à Græcis circa figuram Euchariſtiæ circularem perperàm ſugillantur. 116. 117
Latinis an barbæ raſura fuerit ab initio vſu communis. 761
Laurentius Campegius Cardinalis Legatus in Anglia. 300
Laurentius Cardinalis Campegius miſſus ab Hadriano VI. in Germaniam. 58
S. Laurentij cum Abraham comparatio. 340. 341
S. Lebuinus presbyter. 43
Lectorum camiſiæ apud Græcos. 196
Lectoratum poſſiint abbates coofette ex indulto VII. Synodi generalis. 153
Lectulus floridus ſponſi. 561. 562
Legatorum inſignia. 592
Legatorum Apoſtolicorum purpura. *ibid.*
Legatorum Apoſtolicæ ſedis digoitas. 616
S. Leo magnus. 133
S. Leoois inſtitutum eſt, vt ſacerdos, *Orate fratres,* dicat in Miſſa. 70
S. Leonis Magni factum memorabile. 596
S. Leonis præclarum de homilitate Chriſti documentum. 311
S. Leonis Magni coronam Epiſcopi Galliarum ſalutant. 31
S. Leonis epiſt. ad Flauianum à ſancto Petro emendata & approbata. 373. dicta Titulus fidei, & Patrum fidea. 374
S. Leoois egregia de Spiritu S. doctrina. 420
S. Leo IX. inſtaurator Eccleſiæ. 476. 477
Leo IX. Papa præeſt Concilio Remenſi. 137
Leo IX. ſanctitate illuſtris erat, cùm ſummus Põtifex factus eſt ex Epiſcopo Tullenſi. 591
Leo IX. quàm humiliter & timoratè acceſſerit ad B. Petri ſedem. 591. 592
S. Leonis IX. Papæ canoo editus in Syoodo Remenſi. 477
Leo X. edidit bullam de reformatione Curiæ. 58
Leonis X. conſtitutio inſigois de Pontificis & Cardinalium familiaribus. 500
Leo ſmaragdinis oculis. 600
S. Leonardi eximia charitas. 437
Lex omoium artium veritas eſt. 95
Lex contra ſimoniacos. 477
Legis iugũ graue, & præmium leue: at Chriſti iugum ſuaue & præmium ingens. 666
Leges Salicæ. 30
Leges Salicæ prohibentes puetos & puellas attondere. 137
quibus Legibus de Sanctorum actis ferendom eſt iudicium. 100. &c.
Libellorum piorum indiculus. 374. 375
Licia Alexandrina. 193
Libri de ſingularitate Clericorum an ſit ſancti Cypriani? 456
Liber ſacramentorum S. Gregorij quomodo differt à Pontificali Romano? 578
Libri ſacerdotum ab Epiſcopo diſcotiendi. 474. & veſtimeota, *ibid.*
Libri de ſingularitate Clericorum, etſi ſanctus Cyprianos auctor oon ſit, fuit illi tamen eius conditor coætaneus. 310. 311
Libri huius ſcopus. 264
Liberius Papa. 641
Liberorum piæ educationis exempla. 271

Lilij decora & encomia. 557
Lilia agri. 558
Lineo amictu induti olim Clerici incedebant. 520
Lineis fœminalibus Moſaici ſacerdotes vtebantur. 640
Linguarum cognitio, magnũ eſt ſubſidium. 353
Linum ſacris, lana profanis vſibus iamdudum applicata. 512
Lionm differt à lana pleriſque modis. ibid.
Linguæ tres vniuerſales à Christo conſecratæ. 353
Ἁπλῶς κείρας, ſimplex Papa dicitur Clericus ſimplicis tonſuræ. 26
Litaniæ à S. Mammerto inſtitutæ. 70
Litteratura quænam exigenda in ordinandis Clericis? 263
Litterati plurimùm Eccleſiæ profuerunt. 356
Littera quomodo occidit. 354. 356
Litterarum ſacrarum ſtudium. 359. 360. &c.
Litteratum humanarum ſtudium. 353. &c.
Loco non creſcere ſed merito, pulchrum eſt Clericis. 359
Londonienſis Synodus. 484. 487
Locutio interna Chriſti ad animam. 413. 414
Loqui ad aliquem, & loqui in aliquo ſcripturæ phraſis notanda. 420. 421. item loqui per aliquem. ibid.
Loricæ pondus quinam detrectant? 528. 529
Lucere tantùm vanum eſt, ardere parum 334
S. Lucia viridarium Chriſti. 559
S. Lucia decus Syracuſanæ ciuitatis. ibid.
Lucianus indicatus. 223
Luciani ironia. 15
Lucifer Caralitanus an Sanctis adſcriptus. 351
Luciferi Caralitani laudator magnus extitit S. Athanaſius. 351
Luciferi Caralitani laus egregia, caſúſque dolendus. 350. 351. ex zelo inconſiderato. ibid.
Lucij III. Papæ reſponſum de diſpenſatione cum digamis. 243. 244
Lucta ſpiritûs aduerſus carnem. 395
Luctuoſæ veſtes Clericis prohibentur. 499
Ludouicus à Lotharingia abdicato Epiſcopatu factus Comes Vandemontij, occiſus Neapoli doluit in morte de mutatione ſtatûs. 300
Ludouicus Card. à Guiſia prouinciale Concilium Remis habuit. 64
Ludouicus Rumetius Theologus Pariſienſis. 643
Ludouicus Viues refellitur. 215 216
Ludouici Iuſti Francorũ Regis pietas inſignis. 636. einſdémque æterna memoria digna de honorando ſacerdotio ſententia. ibid.
Ludouici IV. pia pro Eccleſiis & Clericis conſtituta. 713
Ludouici VI. pia dicta & acta. 716. 717
Ludouici VII. non minus pia quàm ſcitu digna reſponſio ad Henricum II. Angl. Regem. 717
Ludouici VIII. pietas. 718. 719
S. Ludouici pia pragmatica. 719. 720. 723
Ludouici X. memorabile diploma pro Eccleſiaſticis iuribus, & Cleri priuilegiis. 725. 726. 727
Ludouici XII. pietas & iuſtitia. 732. 733
Ludouici Pij Regis Franc. & Imperatoris decretum aduerſus Clericorũ percuſſores. 710. item pro honore Eccleſiaſtico ſeruãdo. ibid.
Ludouici Granatenſis Catechiſmus laudatur. 436
Lugdunenſis Galliæ Epiſcoporum conuentus apud Cabilonem ſub Carolo Magno. 46
Lumen ſcientiæ. 415
Luminis diuini illapſus. 422
Lunatici ordinum incapaces. 239
S. Lupus Senon. oratione quanta peregit? 305
S. Lupi Archiepiſc. Senon. ex exilio reditus. 137. 138
S. Lupi Archiepiſc. Senon. laudabilis infantia & felix educatio. 273
Lutetia Pariſiorum, orbis in vrbe. 757
Lutherus omnium recentiorum ſectariorum parens. 7
Lux verbi, quare omnes non illuminat? 416
Luxuriæ libido ſericas veſtes induxit. 519
Luxus Gallicanam olim Eccleſiam detur pauit. 494
Luxus quorumdam Clericorum & monachorum. 478. 479
Luxus omnia immutauit. 768
Luxûs in habitu & victu declaratio. 490
Luxum veſtium Tertullianus & S. Cyprianus maximè impugnârunt. 455. 456
Luxum humilitate faſtidire. 454
Luxum Clericorum Chriſti in præſepio reclinari & pannis inuoluti oppoſitione reprimit Petrus Bleſenſis. 484

M

MACHLIANVS Comitis Britanniæ frater Epiſc. Vener. Apoſtata. 35
Macrobij inſigne dictum. 646
Maculæ omnis, ſacerdotes expertes eſſe debent. 182. 183
S. Magdalenæ mira conuerſio. 582
Magdeburgenſes Centuriatæ. 7. 8
Magiſtri nobilitas primus eſt ardor diſcendi. 416
Magiſtri ſcholæ teſtimonium de Clericis. 291
Magiſtrorum ſcholæ officium circa pueros inſigniendos tonſura Clericali. 292. ad 296
Maiorum inſtituta pro lege ſeruanda ſunt. 76
Mainrum domus Franciæ, immanis pridem potentia. 122
Mahumetes impietatis & impuritatis pater. 388
Marculphus monachus auctor librorum de Formulis. 40
Mala punica coccinea. 72. in ora tunicæ pontificis. 589
Mali punici fragmen myſticè, quid? 588. 589
Mamzer, id eſt de ſcorto natus excluditur à Dei ſanctuario. 231
Manteau long, & manteau court. 533
Mantellum vel cottum. ibid.
Manualis Pariſiẽſis inſigne fragmentũ. 291. 292
Manuale Paſtorum. 410
Manuel Palæologus II. Græcorum Imperator. 621
Manus plenæ ſanguine. 585

Maras diaconus dalmatica purpurea vtebatur. 569
S. Marcellus ſcholarcha. 260
Marcion primogenitus ſatanæ. 245
S. Marculphus Abbas Patronus Regum Franciæ. 35. 471
Marcus PP. 641
Margaritæ, an gemmæ ſint? 553
Margaritæ ſeneſcunt. *ibid.*
S. Maria cùm quotidie generet & ſemper parturiat, incorrupta manet. 419
S. Maria, virga myſtica. 554
S. Maria hortus Dei patris, pratum Spiritus Sancti. 558
S. Maria, florum myſticorum omnes proprietates habet. 556
S. Maria Virginum Regina illas Chriſto offeret in die iudicij. 558
S. Maria cur roſæ comparatur. 556. & lilis? *ibid.*
S. Maria flos ſingularis. 555. 556
S. Mariæ Virginis laudes eximiæ. *ibid. & ſeq.*
B. Mariæ laudes ex S. Epiphanio. 203
Marina de Eſcouar virgo ſanctitate celebris. 618
Mariti zelus. 339
S. Martinus PP. & Martyr. 42
Martinus Pereſius Ayala Guidixienſis Epiſcopus, auctor inſignis operis de traditionibus. 78
Martinus V. electus in Conſtantienſi Concilio ſanctionem edidit de honeſtate Clericorum. 57. 494
Martini V. conſtitutio contra depravatos Clericorum mores. 531
S. Martini Panoplia mirabilis. 637
S. Martini inculta coma. 139
S. Martini laus. 465. in Epiſcopatu habitum non mutauit. 466
Martini Bracarenſis collectio canonum. 34. 471
Martyres in cœlo è vulneribus maximè glorioſi. 144
Martyres veri non actu, ſed affectu. 597
Martyrum & Confeſſorum certamina. 341
Martyrum cruciatus. 598
Martyrum cur candidus dicitur chorus? 552
Martyrum candida corona. 573
Maſculinus ſexus qualiter effœminatus. 768
Materia in veſtibus quàm maximè attenditur. 110. in ſcripturis diligenter annotatur. *ibid.*
Matrimonium quid ſit? 267. 268
Matrimonij ſollicitudines. 405
Matrimonij quis miniſter? 145
Matrimonij flores, liberi. 269
Matronarum honeſtarum & virginum veſtis erat talaris. 527
Matthæus Raderus Societ. Ieſu Preſbyter. 47
Maximus ex Palatino Sacerdos. 32
Maximus Cynicus ex Laïco Epiſcopus. 27
Maximus ex Palatino Preſbyter modeſtiſſimus. 394
Medicaminibus cutem vngere abhorret à ſimplicitate Chriſtiana. 454
Meditatio verbi Dei interiùs exteriúſque loquentis. 413. 414. 415. 416. *&c.*
Melchioris Cani dictum inconſideratũ. 89. 90
Melchioris Cani inconſideratio caſtigata. 92
Melota quid? 511
Memoria & myſterium à S. Auguſtino, oppoſita cenſentur. 73
Menſura aurea eſt diſcretio charitatis. 183
Merouæus filius Chilperici Regis tonſuratus. 35.
Meſſalianorum mos reprehenſus. 767
Michaël Bonellus Card. Alexandrinus. 393
Militaris profeſſionis degeneratio. 529
Militis nomine, quid maiores intelligebant. *ibid.*
Militum faſtuoſa gloria. *ibid.*
Militiæ Eccleſiaſticæ diuerſi ſunt gradus. 353
de Minimis non curat Prætor. 86
Miniſter Sacerdotis olim in miſſa communicabat. 409
Miſſæ varius iam olim ritus. 106
Mitræ vetus vſus. 637
Mitræ Sacerdotales in veteri lege. 636. 637
Modeſtia in exteriori apparatu legis. 490
Modeſtia & manſuetudo Chriſti quàm mirabilis? 316
Modeſtia dos Epiſcopi non poſtrema. *ibid.*
Item Sacerdotis & Clerici. *ibid.*
Modeſtiæ ſoror eſt ſobrietas. 317
Modeſtiæ definitio, affectus, effectus. 315. 316
Modeſtiæ comites & ancillæ virtutes. *ibid. & ſeqq.*
Modeſtiæ iconiſmus. 316
Modeſtus quàm fuerit olim Epiſcoporum & Clericorum veſtitus. 515
Moguntina Synodus ſub Sebaſtiano Archiepiſcopo. 502
Mollities veſtium periculoſa. 490
Monachatus olim ad Clericatum gradus erat. 462
Monachatus in Eccleſias quandonam primùm inuectus eſt? 627. 628
Monachus factus Epiſcopus, habitum non debet mutare. 466
Monachi, olim Clerici non erant neque Sacerdotes. 151
Monachi crucifixi in ſpiritu iconiſmus. 391. 392
Monachi initiatio apoſtolico ritu à S. Dionyſio deſcripta. 151
Monachi eremiti. 29
Monachi Græci griſeo colore induti in Florentino Concilio ſpectati ſunt. 619
Monachorum habitûs color. 626
Monachorum habitus pullo colore erat. 622
Monachorum vita tota crucigera. 398
Monachorum conuerſatio diſcreta eſſe debet. 27
Monachorum & monialium inſtructio generalis. 463
Monilia Chriſti pretioſa. 450
Monogami Clerici apud Græcos. 241
Morbo caduco laborantes ab ordinibus ſuſcipiendis prohibentur. 239. 240
Mos Ægypti erat, vt Epiſcopi nihil decernerent, niſi præſidente ſibi Alexandrino Ar-

chiepiſcopo. 74
Mos abrogatus quo Isici in perſecutione ſeipſos communicabant. 23
Mores habent colores ſuos. 393. 564
Mortis meditatio. 383. *&c.* Memoria. *ibid.*
Mortis metus validum eſt homini frenum. 384
Mortis ſublato metu nihil de virtute curâſſet homo, et ſine formidine omnia ſcelera commiſiſſet. *ibid.*
Morte nihil terribilius. *ibid.*
Mortificatio carnis. 387. 388. 389. *&c.*
Moſaïca lex prohibet comam radere in rotundum. 79
Mulier arcetur à tribunalium ſubſelliis. 201. 203.
Mulier quando communicat, dominicale habeat. 204
Mulier an ſit capax ordinis. 206. 207. & tonſuræ? *ibid.*
Mulier quæ cruciatur vt pariat, Eccleſia eſt. 663
Mulier dicitur à mollitie. 202
Mulier quamuis docta & ſancta, docere non præſumat, non iudicet, non ſacrificet. *&c. ibid.* 203
Mulier de ſerpente cultior. 454
Mulieri corpus Domini contrectare non licet. 203. 204
Mulieri non licet manum ad palam Dominicam mittere. 204
Mulieres iure diuino à Sacerdotali ordine arcentur. 206
Mulieres in Eccleſia ſubmiſſa voce orent. 204
Mulieres diuino cultui conſecratæ excubabant ad valuas tabernaculi. 209
Mulierum ad altare acceſſus prohibetur. 203 205
Mulierum huius temporis perſtricta in domo Dei irreuerentia. 204
Mulierum legitimus ornatus. 446. 447
Mulierum compeſcendum eſt in crinibus artificium. 87
Muliebri gloriæ renunciamus in lauacro ſancto. 454
Mulierculæ notabilis argutia. 411
Muliercularum ſtudium. 534
Munditia habitûs externa eſt internæ indicium. 650
Munditiem vanum eſt in cilicio quærere. 139
Mundus cur Chriſti ſpiritum non poteſt accipere? 416
Mundum muliebrem quàm acriter inſectatus eſt Tertullianus. 454
Murenulæ myſticæ. 422
Murex piſcis marinus. 603
Muſica vtilis Eccleſiæ. 359
Mutatio habitus & morum in Clericis. 32
Mutatio veſtis, eſt mutatio dignitatis, vel ſtatûs, 525
Mutilatio. 237
Mutili & mutilati quinam ab ordinibus arceantur, 236. item & mutilantes? *ibid.*

N

NARBONENSIS Synodus ſub Pelagio. 191. 615
Narbonenſe Concilium. 509
Narthanus Pictorum rex. 104
Naturalibus nec laudem nec vituperium nos mereri, Philoſophi docuerunt. 397
Nauarrus cum aliis Canoniſtis citatus. 240
Nazaræi niue candidiores & lacte. 572. 573
Nazaræorum ritus raſuræ. 123. 124
Nebula lines. 519
Neghus, commune nomen Regum Æthiopiæ. 109
Nehemias pio ardore flagrauit. 346. 347
Neophyti hæretici quinam? 36. 37
Nepotiani expreſſa morum effigies. 345
Nepotiani è militia ſæculi ad Eccleſiaſticam tranſitus. 466
Nepotiani ſacra veſtis. 569
Nepotiani luctuoſus obitus. 562
Neronis leuitas. 632
Neſtorianorum mos in efformando ſigno crucis. 113
Niceni Concilij can. 16. inductus. 473
Niceni Concilij Canones ex Arabico à Turriano editi. 463. Expenſus eiuſdem Synodi can. 66. *ibid.*
Niceni I. Concilij prærogatiua ſingularis. 212. 213
Niceni Concilij canon de Monachorum corona. 26
Nicetas Imperator Orientis. 696
Nicetas ſcriptor vitæ S. Ignatij Conſtantinopolitani. 47
S. Nicetius tonſurâ inſignis dum naſceretur apparuit. 34. 657
Nicolaus I. vetuit ſæculares poteſtates intereſſe Conciliis. 47
Nicolaus I. Pontif. Max. ſolenni ritu coronatus, Magnus cognominatur. *ibid.*
Nicolaus II. PP. 477
Nicolaus Camuzatius Canonicus Trecenſis vir inſignis probitatis & doctrinæ. 249
Nicolaus Perottus. 600
S. Nicolai breue encomium. 465
Nicolai de Clemangis acre ingenium nimiáque ſcribendi libertas notatur. 494
Nicolai Card. Cuſani altum philoſophandi genus. 537
Niger color quandoque bonæ eſt ſignificationis. 611
Niger color in ſacris Scripturis aliquando adiaphorus eſt. 609. 610. ſed ſæpius eſt ſequioris acceptionis *ibid.*
Niger color quando Clericis in vſu eſſe cœpit? 625. 626
Niger color inſigne doctoratûs. 609
Niger color ſignum eſt humilitatis & mortificationis. 386
Nigri coloris affectus & myſteria. à 608. *ad* 612
Nigro colore cur amiciuntur Clerici? 385
Nigro colore quandonam vtitur S. R. E? 611. 612.

Nigra ſponſa, ſed formoſa. 609
Nigrum colorem cur demum Eccleſia aſſumpſerit. 630
Nigredo felix eſt, quæ parit mentis candorem. 234
Nigredo externa eſt plerumque interni candoris indicium. 631
Nigredo humilitatis & pœnitentię ſymbolum. 630. 631
Nigredo laudabilis à S. Bernardo mira vi ſacræ eloquentiæ prædicata. *ibid.*
Nigredo fucata. 609
Nihil qui habuit, nihil dare potuit. 247
Niuis & lanæ ſimilitudo. 513
Nomen Dei lamioæ Pootificali inſcriptum. 637
Nonnus poëta ſacer. 620
Noſcere ſeipſum. 379. 380. *&c.*
Notgerus Ep. Leodieoſis. 42
Notitia propriæ excellentiæ & infirmitatis æquè oeceſſaria. 380
Notitia ſui, compeodium magnum eſt ad virtutem. 379
Nouatores fatentur Tooſuræ Clericalis aotiquitatem. 7
Nouatores Laïcos commouent adoerſus Clerum. 5
Nouarorum ardor, antiquas traditiones conuellendi. 8
Nouella Iuſtiniani pietati & iuſtitiæ contraria. 694. refellitur. 695. 696
Nouigentum vicus, cui nunc S. Clodoaldi nomen. 33
Nouitas contentioſa. 386
Nugæ quàm indecentes in ote ſacri hominis. 613. 614

O

OBLATIO quotidiana Euchariſtiæ. 406
Oblationum coronæ dicebantur hoſtiæ conſecrandæ. 117
Obſecratio Pontificis in ordinatione Preſbyteri. 275
Obſeruationis varietas non excludit traditionis veritatem. 85. 86
Octauius Ferrarius. 644
Oculus inuidi maligous. 139
Oculi nigri & comæ ſigoa ſunt venuſtatis. 609
Oculorom veſtibula nigro puluere fucata. *ibid.*
S. Odo Abbas apparet Epiſcopo Tulleoſi. 476
S. Odo Abbas Cluniacenſis pius ſcriptor. 48
S Odo Cluniaccoſis Abbas. 475
Odo Pariſ. Epiſc. edidit ſynodicas ſanctiooes. 192
Odo de Soliaco Epiſcopus Pariſienſis quomodo factus eſt? 485
Odoois Card. Epiſcopi Auguſtani ſynodicæ leges. 502
Odor in fama, colorio conſcientia. 393
Odor Sanctorum. 559
Officialis, iudex Clericorum. 492. 498
Oleo cur vnguntur regeoerati. 661
Oneſimus Epiſcopus Epheſiorum. 450
Oniæ ſummi Sacerdotis laus. 317
Oratio clauis eſt ſcientiæ. 369
Oratio pro defunctis in ſacrificio, ritus eſt ab vniuerſali Eccleſia iam olim obſeruatus. 73
Oratio Pontificis in ordinatione Diacoui. 275
Orationis vires, quâ nixi mirabilia Sancti operati ſunt. 304. 305
Oranti S. Gregorio Thaumaturgo Virgo Beatiſſima, & S. Ioannes Euangeliſta apparuerunt. 369
Orantibus piè, vltrò Deus adeſt. 305
Ordinari à proprio Epiſcopo quiſque debet. 148. 149. *&c.*
de Ordinandorum moribus inquirere Parœco incumbit. 289
Ordo ſacerdotalis ſummoperè oeceſſarius in Eccleſia. 181. 182
Ordo ſuperior inferiorem neceſſariò non requirit. 230
Ordo Clericalis per tonſuram confertur. 148
Ordo eſt honor ſanctificatus à Deo. 6
Ordo conſecrationis Regis Franciæ. 191
Ordo ad Clericum faciendum. *ibid.*
Ordines ſinguli concurrunt ad Euchariſtiæ tum conſecrationem, tum celebrationem. 407. 408
Ordinis ſacramentum ſpectantia. 289
Ordines Eccleſiaſtici ſine humilitate non conſiſtunt. 312
Ordinum maiorom propria munera. 258
Ordinum ſubordinatio. 230
Origenes Hexapla & Octapla elocubrauit, ſcholiiſque illuſtrauit. 364
Origenes auctor à quibuſdam cenſetur libri de ſingularitate Clericorum. 310. 311
Origenes anno ætatis 18. inſtitutioni Chriſtianæ præfectus eſt. 432
Origenis adhuc pueri mira exercitia. 364. inſignes tractatus. *ibid.*
Origenis deplorabilis caſus. 332
Origenis pij labores & encomia. *ibid.*
Origenis iconiſmus. 761
Origenis ſtupenda eruditio. 357
Origeoem Porphyrius in pretio habuit ſingulari. *ibid.*
Ornameota ſacra ab Adhelaide regina contexta. 524
Ornamenta terrena proiicienda, ſi cæleſtia optamus. 455
Ornatus materiales in paradiſo non ſunt. 148
Orphæi & Pythagoræ ſcita. 512
Oſiridis ſepultum idolum. 531
Oſius Card. Epiſcopus Varmienſis. 436
Oſij Cordubenſis Epiſc. elogium & lapſus. 333
Otho Cardinalis, Epiſc. Auguſtanus Syoodum celebrauit. 59
Otho apoſtolicus in Anglia legatus. 488
Oues Palæſtinæ vellere ſunt candidiſſimo, molliſſimáque lanugine. 513

P

PACTIS ſtate debemus. 664
Pædagogus Chriſtianus à Clemente Ale-

xandrino deſcriptus. 457. 458. abbreuiatus. *ibid.*
Palæſtini ab atro & candido colore cauebant. 621
Palentinum Concilium in Hiſpania. 56. 492. 493
Pallidi nimium amatores. 609
Pallium Tertulliani. 648
Pallium quadruplex, Iudaicum, vulgare, philoſophicum & Clericale. *à p.* 647. *ad* 650
Pallium Archiepiſcopale. 647
Pallium tritum legauit S. Athanaſio B. Antonius. 511
Pallium talare & laneum iniunctum Clericis. 650. 651
Pallium Clericale, tunicæ talari conformandum. 651
Pallium laudis. *ibid.*
Pallium breue, ſymbolum defectus charitatis.
Pallium dedit S. Ramberto Archiepiſcopo Bremenſi, Nicolaus Papa I. 47
Pallij Iudaici forma. 647
Paludanus refutatur. 211
Panno laneo Pontifex Moſaïcus in habitu priuato vtebatur. 512
Panoplia Sacerdotalis ab auctore huius Clericalis contexta, ſed nondum typis commiſſa. 199
Panoplia Chriſtiana. 450. 451
Panormitani de Parœcis illuſtre dictum, ſed fluxum. 156
Panormitani doctrina de tonſura Clericali validè à Parocho conferenda. 162
Papa ſolus, cum illegitimis, in omnibus ordinibus & beneficiis diſpenſat. 232
Papa ſummus Clericorum iudex. 470. 471
Papa ſimplici ſacerdoti facultatem conferendi confirmationis ſacramentum tribuere poteſt. 213
Papæ officium eſt ſcandala remouere. 211
Papa aliquas traditiones Apoſtolicas abrogare poteſt. 212
Papæ licet canones condere. *ibid.*
Papæ Clerici à nigro colore diſpenſantur. 573
Papæ data eſt ſumma poteſtas ad ædificationem. 215
Παπαλήθρα dicitur corona Clericatûs. 24
Papias Ioannis auditor. 88. Idémque Petri & Andreæ, Thomæ & Philippi. *ibid.*
Paradiſi emiſſiones. 558
Parænesis Concilij Tridentini ad Principes & Magiſtratus ſæculares. 688
Parænesis ad Clericos habitus & tonſuræ deſertores. 755. 756
Parænesis lectione digna, S. Bernardi ad Clericos. 755. 756
Parænesis eximia ad Clericos. 141. 311
Parentes piè poſſunt liberos ſuos diuino cultui dedicare. 268
Parentum cura circa pueros tonſurâ inſigniendos Clericali. 267. 268. *&c.*
Parentum voluntas non ſufficit ad initiandum puerum tonſurâ ſacrâ ſine eius conſenſu. 228
Parentum iuris eſt filiis prouidere. 219. 220
Parentum filios promouendi ad beneficia priuſquam digni ſint, enecita ambitio. 220
Parentum ambitio, filios plerumque perdidit. 300
Parentibus infantium ſalus magnum lucrum. 270
Pariſienſis curiæ Archiepiſcopalis mos laudabilis. 643
Pariſiis enacta fuit ſynodus Senonenſis dicta ſub Ioanne de Nantone Archiepiſcopo. 57
Pariſienſes Parœci, politiæ Eccleſiæ obſeruantiſſimi. 643
Parochi iure conferendi tonſuram exciderunt. 162
Parochi olim Abbatibus anteibant. 155
Parochi quondam excommunicabant. 156
Parœci locum 72. diſcipulorum Domini obtinent. 155
Parœci dignitas & officium. 287. *&c.*
Parœci teſtimonium de ordinandorum moribus. 291
Parœcorum cura circa pueros tonſurâ Clericali initiandos. 287. *ad* 292
Parthenia Hieroſolymitana nondum edita. 180
Paſcha quando celebrandum Apoſtoli ſtatuerunt? 69
Paſchatis celebrandi diuerſus ritus. 106. 107
Paſchalis temporis commendatio. 538
Paſchalis ritus, & tonſuræ Clericalis iuxta morem S. R. E. ſimul ſuſcipiebatur. 44. 45
Paſchaſij iuſta querela de hiſtoriæ ſanctorum neglecto cultu. 91
Paſſement de ſoie ou ruban, prohibetur Clericis. 506
Paſſionis Sanctorum hiſtoriæ vtilitas. 90
Paſſiones humanæ quàm periculoſæ. 397
Paſſiones in brutis non ſunt vitia. *ibid.*
Paſſionum quandoque in nobis motus vtilis. 399
Paſſionum optandus concentus. 399. 400
Paſſionum animi moderatio. 395. 396. 397. *&c.*
Paſtorum omne robur in oratione ſitum eſt. 305
Pater æternus viſus in candido habitu. 577
SS. Patrum genij & propriæ dotes. 358
Patrum lectio frequens Clericis neceſſaria. 346
Patrum præcipuorum victoriæ, laudes, & gloria. 357. 358
Patrum Pariſienſis Concilij VI. de laicorum præſumptione gemitus. 204. 205
Patriarchæ Hieroſolymitani candida veſte vbique procedebant induti. 519
Patriarcha Abyſſinorum Abunna vocitatur. 109
Patriarcha Alexand. Cophtorum primas habet duodecim aſſeſſores. 109
S. Patritij Synodus. 468
Patientia regnum eſt charitatis. 323
Patientiæ bonum. 322. 323
S. Patroclus Eremita. 34
S. Paulinus Gallus Aquitanus erat. 363
S. Paulinus Nolanus à quo tonſus eſt? 30

S.

S. Paulinus. 531. quomodo & à quo tonſus fuit? 139
S. Paulini eximia hortatio ad ſtudium ſacræ Scripturæ. 361. 362
S. Paulini pulchri & vtiles verſus. 362
Paulino Epiſcopo Tycienſi dicta panegyris. 568
S. Paulus, ſaphirus myſticus. 604
S. Paulus præco verbi, vox Chriſti, & leonis de tribu Iuda rugiens. 395
S. Paulus animas iterum quotidie parturiebat. 429
S. Paulus an eloquentiæ præcepta ſeruârit? 355
S. Paulus tonſurâ vſus eſt. 9. 10
S. Paulus coruos mutabat columbis. 572
S. Paulus curauit ſepelire Synagogam cum honore. 132
S. Paulus maternos erga fideles affectus geſſit. 433
S. Paulus ſummus animarum magiſter. 271
S. Paulus barbam geſſit ſatis promiſſam. 760
S. Paulus Apoſtolus factus ſimul nutrix & paruulus. 432. eiuſdem charitas & prudentia. 433
S. Paulus luſis in labore. 309
S. Paulus an ſeipſum ipſe totonderit? 145. item S. Petrus. 146
S. Pauli epiſtolæ omnes pro caſtitate prætendunt. 306
S. Pauli qualis eloquentia? 345
S. Pauli humilitas & gloria. 314
Paulus II. 593
Paulus Sherlngus. 618
Paulus diaconus citatus. 523
Pax eſt hæreditas Clericorum. 321
Pax, effectus eſt charitatis. 325. item iuſtitiæ. *ibid.*
Pax noſtra habet martyres ſuos. 591
Pax & concordia. 310. 321. *&c.*
Pacis bono omnia conſtant. 325
Pacis animæ deſcriptio. 400. 401
Peccata ordinationis quàm grauia? 177
Pelagianæ hæreſis loes. 311
Pelagius II. Papa. 471
S. Pelagiæ vita. 431. Baptiſmus. *ibid.* mater ſpiritualis. *ibid.*
Pellibus caprinis priſci fideles induebantur. 511
Penula. 197
Penula quid? 515
Peregrina communio immorigeris Clericis tribuenda. 411
S. Peregrini Epiſc. Antiſſiod. & martyris detectio. 523. 524
Perfectio in hac vita creſcere poteſt & debet. 677
Perſeuerantiæ in ſuo cuiuſque ſtatu neceſſitas. 662
S. Petrus fuit 1. Chriſtianorum Pontifex. 316
S. Petrus primus eſt Hierarcharum Chriſti. 9
S. Petrus epiſcopalis coronæ princeps. 18
S. Petrus columbæ filius. 553
S. Petrus barbam geſſit mediocrem. 759. 760
S. Petrus amoris Chriſti vicarius. 326
Petrus Apoſtolus inſtitutor fuit tonſuræ Clericalis. 9
Petrus & Paulus roſa gemina. 596
S. Petrus in B. Leone locutus eſt. 373
S. Petri tonſura, & Simonis Magi tonſura erant ſignacula oppoſita. 44. 45
S. Petri oraculum memorabile ad S. Leonem. 176. 177.
S. Petri barba Pariſiis delata, miris opitulationum ſplendoribus refulſit. 760
S. Petri humilitas, eiuſdémque præmia. 314
S. Petri iconiſmus inſignis. 16. 17. 18
S. Petri feruentiſſimus erga Chriſtum amor. 643. 644
S. Petri feruor intrepidus. 327
de S. Petri tonſura tria digna ſunt obſeruatu. 146
S. Petri imago perantiqua. 567
Petrus Bleſenſis. 53
Petrus Bleſenſis quando obiit? 54. eius zelus, doctrina. 483. 484
Petri Bleſenſis Rythmus. 532
Petrus Cluniacenſis S. Bernardo coæuus & ſuppar. 386
Petrus Cluniacenſis pro nigro colore geſtando contendit cum S. Bernardo. 385. 386
Petrus Victorius. 123
Petrus de Broc Epiſ. Autiſſiodorenſis. 523
Petrus Lombardus Epiſc. Pariſ. dat Francis inſigne conſilium. 767
Petrus Pithœus illuſtris I. C. Pariſienſis. 693
Petrus Morinus congreg. Oratorij doctiſſimus Preſbyter. *ibid.*
Petrus Martyr Vermilius fidei hoſtis & calumniator Eccleſiæ. 8
Petrus Ranſanus. 330
Petrus Cellenſis laudatus. 52
Petri Damiani Card. Hoſtienſ. elogium. 478
Petri Abaillardi inſignis de illegitimis monaſticen profeſſis obſeruatio? 232
Phælonium Græcorum, an ſit ſuperlicium Latinorum. 195
Pharamundus Francorum I. Rex. 30
Phariſæorum notatus faſtus. 449
Phidus Ioppenſis Epiſcopus. 519
S. Philibertus Abbas. 40
Philippus Epiſcopus Bellouacenſis armatus captus. 486
Philippus Epiſcopus Bellouacenſis excuſatur de armorum geſtatione. 487
Philippus Gammachæus illuſtris Theologus Pariſienſis. 210. laudatus. 229
Philippus Melancton magnifaciebat conſenſum Eccleſiæ. 105
Philippi Abbatis Bonæ Spei pietatis & doctrinæ commendatio. 484
Philippi Auguſti inſigne dictum. 717. 718
Philippi Pulchri piæ ſanctiones. 723. 724. 725.
Philippi Valeſij Regis nomine VI. piiſſimum pro Cleri priuilegiis reſponſum. 730. 731

Philoſophia vera in ſchola Chriſti. 452
Philoſophia, meditatio mortis. 513
Philoſophi Chriſtiani habitos. 648. 649
Philoſopho nihil eſſe ignoreodum, an rectè dici poſſit? 360
Philoſophorum de coloribus ſententiæ. 536
Photius. 194
Phrygiæ veſtes. 561
Phrygium mitris pontificum eppoſitum. 637
Phylacteria dilatare Phariſaïeum eſt. 501
Pictauienſis Synodus. 50
S. Piatonis illuſtre factum. 157
Pietas quid? 379
Pileolum lineum veterum Sacerdotum. 637
Pileus rotundos. 506
Pileus vnde dictus? 634
Pilmon facio, edagium verus. 142
Pilis ſublatis & barbâ, vir non differt à fœmine & puero. 758
Pinuſius Abbas ſanctæ vitæ. 391
Pippioi Regis Capitulate. 701
Pippini regis edicta pro perſonis & rebus Eccleſiaſticis. 702
S. Pirminij Epiſcopi Metenſis viridis tunica miraculis claret. 601
Piſcarotes homioum mirabiliter facti ſunt Petrus & Andrear. 666
Piſcir purpure dictur. 603
P. Pithœus vir doctiſſimus. 41
Pius V. litteris apoſtolicis Laur. Surij labores commendauit. 100. 101
Pij V. conſtitutio aduerſus malè ordinaros ſæculares & regularei. 175
Pio I. Annicetus ſucceſſit. 14
Piorum corda mundano puluere aliqoando ſordeſcunt. 256
Plaoets. 197
Planeta S. Petri Pariſiis, miraculis approbata. 566. 567
Platioa eotrectus. 84
Platina iram expertur eſt Pauli II. 593
Plato Anachorete. 161
Platonis inſigne documentum. 364
Platoniei bonitatem in centro collocant, pulchritudinem io circulo. 116
Plautus. 125
Pleſſeus Moroæus hæreticorum ſignifer. 594
Plinius. 517
Plutarchus. 131
Pluoiale. 197
Pœnæ iuris aduerſur Clericos habitum deſerentes & tonſuram. 743. *&c.* Priuatio priuilegij canonis. *ibid.* Priuatio prioilegij fori. 744. priuatio fructuum. Inhabilitas ad ſuper. ord. ſuſpenſio ab ordine, priuatio officiorũ & benefic. interdictum eb iogreſſu Eccleſię, incarceratio, excommuoicatio, declaratio infamiæ, dedecus epoſtaſiæ, pœna anerhematis. 745. *&c. vſque ad* 756
Pœnæ ſtatutæ aduerſus Clericor immodeſtor. 628
Pœnę ſtaturæ in Clericor habitum & tonſuram non ſerentes. 62. 63
Pœnæ pecuniariæ infligeodæ Clericis non deferonubus tonſuram. 55
Pœnitens probibetur ordinari. 133
Pœniteotes Catechumenis poſtponebãtur. 432
Pœoitentia publica prohibita Clericis. 133. ſed priueta licita. *ibid.*
Pœoiteutiæ enriquæ diſciplina. 389
Poloni enam Laïci tooſuram feruot, & eur? 110
Polycarpus Romam veoit ſub Anoicero. 14
S. Polycarpus Cbriſtum inſigni manſuetudine imitator eſt. 437. eiuſdem memorabile dictum. *ibid.*
S. Polycarpi B. Ireoæus diſcipulos fuit. 88
S. Polycarpo poſt Apoſtolos maior ooo ſorrexit. 450
S. Polycarpi dictom inſigne. 245
Polyctates Epiſc. Epheſiorum epiſtolam ſeripſit inſignem de S. Timothei martyrio. 337
Polymita tunica. 193
Pompa ſancti miniſterij. 361
Pompoſæ veſter Clericis prohibitæ. 487
Pondus ſanctuarij. 183
Pontifex Romanur coccineo habitu iam olim fulgebar. 615
Pootificis preces, Sacerdotes ordinantis. 430
Pontifices Romani quinam barbam promiſſam geſſeruot, quinam denſam eut raſam? 358. *vſque* 266
Pontificum cœtus veſtibur elbis inſignis. 582
Pootificale Romanum. 178. 179. 180.
Pontificale vetus Periſienſe in quibus à Romano differt. 178. 179. 180. *&c.*
Pontificalis domus ſit tamquam mundum ſpeculum. 497
Pontificalis panoplia verus. 568. 569
Pontius Diaconus. 18
Pontij de S. Cypriano verba inſigoia. 455
S. Poſſeſſor Epiſc. Conſtantienſis. 471
Poteſtas Eccleſiaſtice & ciuilis certis limitibus continentur: propriiſque terminis conteotæ eſſe debent. 689
Poteſtates ſæculi ante ſuſceptam fidem præcipuè aduerſus Clericos ſæuiebant. 691. 692
Præcepte alia propria ſunt Epiſcopis, alia Presbyteris, alie Diaconis. 460
Præceprorum dignitas, diſcipulorum eſt gloria. 415
Præceptorum officium à Concilio Burdegalenſi præſeriptum. 292. 293
Præceprorum domeſticorum doter. 293
Præceptum Regis de Clericatu. 40
Præclara S. Cypriani doctrina. 310
Prædicator non ſit declamator, nec garrulus nec rabula. 433. grandirate ſermoois non vtatur. *ibid.*
Prædieator inter auditores ſuos diſcrimen conſtituit. 434. 435
Prædicator debet docere intelligenter. 423. & libeoter. *ibid.*
Prædicator auditorum imbecillitati ſe accommodet. 434. 435
Prædicator ſit conche & canalis. 434
Prælatorum auctoritas, Cleri decus, quies Monachorum, diſciplina plebis, ſunt oblectamenta Eccleſiæ. 561
Prælatorum onur. 498
Prætexta Romane. 603

Digitized by Google

Preſbyter in Epiſcopo continetur, & camdem formam habet. 221
Preſbyter capax eſt ſuperemioentium functionum accedente indolto Apoſtolico. 166
Preſbyter Diaconum deponere non poteſt, oeqoe Subdiaconum. 557
Preſbyter pruprius, qoid poterat quoodã? 156
Preſbyter in iure cummunitet ſumitur pro parœco. 155
Preſbyteri oumerô vileſcunt. 265
Preſbyteri inſeriures, Clericos olim promooebant. 157. 160
Preſbyteri multa ex priuilegio poſſunt, quæ Diaconis non poſſunt concedi. 166
Preſbyteris priſci fideles aduoluebantor. 389
Preſbyterurum confeſſus, cœtus eſt Apoſtolorum Chriſti. 450
Preſbytetorum filij, ordinis & beneficiorum incapaces ſunt. 232. 235. aliqoaodo cum eis diſpenſator. *ibid.*
Preſbytera edocta à S. Athanaſio præclaria monitis. 461
Preſbyterarum frequens mentio in priſcis Cōcilija, Epiſcoparũ itidem & diaconiſſarũ. 461
Primatis nomen & munus oon nouum in Eccleſia. 13
Primicerius ſcholæ. 259
Primitiæ crinium Apollini oblatæ. 123. & Palladi. *ibid.*
Primitiæ Clericatûs. 168
Primogeniti hominum 5. ſiclis redimebantur. 267. 268
Priuilegium ingens Abbatis Ciſtercienſia, & Coabbatum eius quatuor maiorum. 157
Priuilegium Canonicum. 666
Priuilegio fori ſoli Clerici gaudeot qui tonſuram & habitum deferunt. 677
Priuilegia Eccleſiarum ſacro-ſancta. 666
Priuilegiis priuantur Clerici habitum & tunſuram deſerentes. 508
Prochuri de S. Ioanne Euangeliſta narratio. 11. 12
Procopius. 513. 517
Progreſſus ad virtutam eſt legitimus ad gradus Eccleſiaſticos aditus. 283. 184
Proliaitas vitanda. 173
Promiſſa Dei abſoluta ſemper ſoum effectum conſequontur. 659
Promiſſa Dei conditiooata, ea parte Dei ſemper efficacia ſunt. 659. 680
Promotus per ſaltum, quomodo perficiendus. 229. 230
Promoneodi faciliùs impediuntur, quàm prumoti deiiciuntur. 257
Proſtibula & ſcurta breuibus tunicis induebantur.
Prutuootarij S. R. E. purpura violacea honorantur. 616
Prouidentiæ Dei benignitas. 476
Prudens & pacificus Eccleſiæ filius, quiſnam ceoſendus eſt? 73
Pſalterium legebat diebus Dominicis ſanctus Edmundus ante prandium. 273
Pſychomachia Prudenrij laudata. 396
Publicis negotiis impliciti, ad Clericatum admitti ſioe Regis aſſenſu non debent. 40. 41
Pudicitia ſeruata, habet martyrium ſuum. 598
Puellas mirè armauit Spiritus Sanctus. 418
Pueri ante ratioois vſum tunſurâ noo ſunt initiandi. 221. 222. 223
Puerorum regendurum regulæ. 294. 295
Poerorom ſepteooium, oimis properus ad tunſuram acceſſus. 218
Puleticum poblicum, rectiùs Polypticum. 41
Purpora violæ floris. 602
Porpura dibapha, Tyria, Laconica, item violacea. 603. plebeia. *ibid.*
Purpuræ tres ſpecies. 603
Purpurati regum. 573
Putatioois vineæ tempus. 554
Pyropi & carbunculi. 549

Q

QVADRAGESIMAM agimus ante Paſcha in luctu, at Quinqoageſimam poſt Paſcha com gaudio. 577
Querela S. Ioannis Chtyſuſtomi aduerſus S. Epiphanium. 573

R

RABANVS. 137
Rabbi Dauidis errur. 548
Rabbi Ionas. 548
Rabbini ludunt de Scripturis. 296
Radegundia Regina. 603
Radere caput in modum ſphæræ iuſſit Clericia S. Anoicetus Papa. 83
Raſio eſt indicium depuſitionis tempuralium. 43
Raſio pilorum in luctu olim ſolennis. 81
Raſura aliquando ignuminioſa, aliquando honorabilis. 766
Raſura pro coruna Clericali. 501
Raſura barbæ priſcis Romanis libertatis erat ſignum. 121
Raſora ignominiæ ſignom apud Hebræus. 122. & apud Indos. *ibid.* & Francos. 123
Raſura pœna erat vilium perſonarum. *ibid.*
Ratbodus Treuirenſis Metropulites. 474
Ratiſboocnſe Coocilium. 473
Rauennatenſis Synodus III. 491
Rauennatenſe Concilium IV. 112
Rauennatenſe Conciliom. 489
Regulæ 10. quibus geſta Sanctorum genuina à ſuppoſititiis, & certa ab iocertis, & pura à corruptis, diſcernuntur. *à p.* 94. *ad* 102
Regularium officium. 534
Religionis cuntemptus extremum eſt Reipublicæ periculum. 692
Religiuſorum quurumdã faſtus repreſſus. 491
Reliquiæ Sanctorum in ſerico & vaſe aureo iam olim portabantur. 522. 523
S. Remberrus Archiepiſcopus Bremenſis. 46
Remenſis Synodus celebrata à S. Leone IX. Punt. Maa. 48
S. Remigij ad Cloduuæum parænesis. 438

S. Remigij iuſta expoſtulatio. 259. 260
Renunciare diabolo, ritus eſt in Eccleſia vetus & ſolennis. 71
Reticulum. 638
Repruborum indicium. 387
Rex Flauius, cognomentum commune Regis Francorum. 122
Regis qui ſe negotiis ſæcularibus immiſcent, abſque eius licentia non poſſunt ſacros ad ordines promoueri. 41
Reges Eccleſiæ nutritij & protectores. 691
Regis aſſenſus ad Clericum faciendum. 38
Reges Francorum ornatores Eccleſiarum intenti. 525
Regum Francorum genuinæ effigies vbinam reperiuntur. 639
Regum Franciæ ſanctiones pro Clericis. à 697. ad 735
Rhetores Eccleſiæ præſtantiſſimi. 358. item Dialectici, Hiſtorici, Poëtæ. *ibid.*
Richardus à S. Victore. 554
Ritus Moſcouitarum in infantium baptiſmo. 31
Ritus abluendi capita baptizandorum. 31
Ritus creandi militem. 529
Ritus & cæremoniæ in paradiſo ceſſabunt. 563
Ritus & cæremoniæ diuinum ad cultum ſpectant. 247
Ritus per præcepta ab apoſtolis traditi. 88
Ritus proprij Eccleſiarum ſeruandi. 74
Ritus S. R. E. Patribus etiam Græcis magis fuit acceptus. 107
Rituum ſacrorum inſcitia in Epiſcopo & Clerico quàm culpabilis. 347. 348
Roberti Regis piè dicta & facta. 714. 715
Roberti Francorum Regis pietas commendata. 524
Rubor Eccleſiæ in ſacerdotio & Clericatu. 441
Rocbetum lineum Epiſcopi veſtis propria. 506
Rogationes in Gallia inceperunt. 70
Roma vetus & noua. 539
Romana Eccleſia ſemper ſolida & conſtans. 115. ritus ab Apoſtolis traditos ſemper obſeruat. *ibid.*
Romana Eccleſia archetypus eſt ceterarum Eccleſiarum. 583. Sacerdotalis eſt mater dignitatis, & centrum vnitatis. 585
Romana Eccleſia inſignia habet Romani Imperij. 591
Romana ſynodus ſub Gregorio. II. 461
Romana protodiaconiſſa. 431
Romana Eccleſia an tonſuram inſtituerit. 84. 85
à Romana Eccleſia orta eſt ſacerdotalis vnitas. *ibid.*
Romanæ Eccleſiæ magnitudo à Stapletone pulcherrimè declarata. 542
Romanæ Synodi decretum de Clericorum habitu. 477
Romanus Pontifex rubeum habitum gerit. 591
Romani Imperij magnitudo à Lipſio copioſè & eleganter deſcripta. 541. 542
Romani de coloribus contenderunt. 539
Rom. Pontificum picturæ antiquæ. 641. 642
Ros gratiæ. 559
Roris inſtar ſunt bona parentum verba ad filios. 272
Roſa myſtica. 556
Roſæ candidæ & rubræ conflictus. 539
Roſæ decora & proprietates. 556
Rotundæ formæ iam olim panis conſecrandus etiam apud Græcos eſſe conſueuerat. 117
Rubeus color ſanguinis & criminis eſt indicium. 587. 588
Rubeus color proprius Eccleſiæ militãtis. 590
Rubeus & viridis color Clericis prohibetur. 501
Rubeus color, præcipuũ colorũ decus eſt. 585
Rubeo colore Clericis an vti liceat? 615
Rubor pudicitiæ & honeſtatis indicium. 585
Rubor filij ingenuus, patris non ij ſanguinem compreſſit. 586
Rufinus librum S. Sixto Papæ falsò & perperàm adſcripſit. 396
Ruſſatæ & puniceæ veſtes. 587
Rutheni Sanctos Eccleſiæ Catholicæ ignotos coluerunt. 94
Rythmus S. Bernardi ſuauiſſimus. 406

S

SABBATI ieiunium olim Romæ proprium erat. 73
Sabellius hæreticus. 347
Sacerdotis officium munus eſt Spiritus S. 134
Sacræ Scripturæ ſi quæ repugnat, traditio reiici eo ipſo debet. 79
Sacerdos offerens, eſt Chriſti vicarius. 130
Sacerdos incedere debet cum honeſto habitu. 527
Sacerdoti & Clerico, nihil ad fiſcales reditus. 54
Sacerdoti tonſuram obuelare nefas. 45
Sacerdotem poſſe à Sacerdote ordinari ſunt qui putent. 158
Sacerdotes & Clerici intonſi & barbati, olim erant monſtra. 51
Sacerdotes monaſteriorum. 27
Sacerdotes ſecundùm legem mandati carnalis erant Moſaici: at ſecundùm legem ſpiritûs, Euangelici ſunt. 430
Sacerdotes frequentiùs diuinis participare debent myſteriis, quàm reliqui Clerici. 406
Sacerdotes pudicitiæ fœminas chriſtianas eſſe decet. 455
Sacerdotes cum ſacra veſtium panoplia ſepeliri iampridem ſolebant. 523. 524
Sacerdotes multi-oculi eſſe debent. 516
Sacerdotes coram Epiſcopis iam olim prædicabant. 427
Sacerdotes cur candidis veſtibus ornantur? 581
Sacerdotum veneranda dignitas. 635
Sacerdotum diuinum munus. 407. 408
Sacerdotum, Clericorum & Monachorum multitudo litigioſa. 478
Sacerdotum lucra & diſpendia. 391. 393
Sacerdotum corona. 408
Sacerdotum, quàm inferiorum Clericorum maior tonſura eſſe debet. 111. 112
Sacerdotum ordinatio mirabilis. 430
Sacerdotibus Moſaïcis vetitum nudo capite incedere. 635
Sacerdotibus Leuiticis barbam radere & caput nefas erat. 81

Sacerdotibus grauitas maximè conuenit. 134
Sacerdotibus priſcæ legis barbam radere prohibitum erat. 759
Sacerdotales veſtes iuſſit Deus fieri. 510
Sacerdotalis Panoplia Chriſti eſt patientis ſimulachrum. 30
Sacerdotalis poteſtas duplex. 407. 408
Sacerdotalis tonſura. 45
Sacerdotalis vigor. 340
Sacerdotium eſt donum Dei. 657
Sacerdotium eſt Eccleſiæ fundamentum. 319
Sacerdotij contemptus lamentabilis. 635
Sacerdotij duplex eſt actus. 224
Sacerdotij honore nihil in hac vita præſtantius eſſe poteſt. 658
Sacerdotij infantes ſunt incapaces. 226
Sacerdotij munus exactè ſeruare, Deo gratum eſt. 152
Sacramentalia non iteranda quædam. 664
Sacrificulorum Iſidis imitatio Iudæis prohibita erat. 82
Sacramentum nemo ſibimet regulariter impendit. 145
Sacramenta omnia pendent à Sacerdotio. 182
Sacramentalia pleraque licet cuique ſibimet aſſumere. 145
Sadrageſilus Dux Aquitanorum turpiter habitus à Dagoberto Rege. 766
Sæculares poteſtates Conciliis non debent intereſſe: niſi vbi de fide agitur, ſed non vt iudicent. 47
Sæculares ſunt Laici, non verò Clerici. 699
Sæculum 10. ſæculum infelix, quare? 476
Sagum vetitum Clericis. 471. 473
Salizeburgenſis Synodus ſub Gregorio X. 55
Saluianus laudatus. 515
Saluiani narratio memorabilis. 15
Saluiani querelæ. 531
Saluiani laus & doctrina. 468. 469
Salus animę omnibus rebus anteferẽda. 332. 334
Salutem ad conſequendum, aliquid de noſtro præſtandum eſt. 296
Salutatio Apoſtolica ad Epiſcopos. 486
Samuel factus eſt propheta adhuc puer. 297. Doctórque ſummi ipſius Sacerdotis. *ibid.* Regum Pater. *ibid.* Vindex legis. *ibid.* Typus fuit tyronum Clericalis militiæ. 297. Sacerdos non iure ordinis, ſed honore. *ibid.*
Samuel ſpeculum fuit puerorum Deo dicatorum. 296
Samuel ſymphoniacus fuit puer in tabernaculo. 297
Sanctimonialibus quædam competunt in Eccleſia officia & iura, quorum incapaces ſunt mulieres laicæ. 209
Sanctitas hac ætate rara. 355
Sanctitatis ſigna, inaniter gerenda non ſunt. 52
Sanctus adhuc ſanctificari debet. 378
Sanctus Gregorius Papa piorum hiſtoriarum narrator veridicus. 92
Sancti auſteriores miraculis claruerunt: quæ vix alij ediderunt. 390. 391
Sancti vt lilia florent. 563. vt balſamum redolent. *ibid.*
Sancti multicolores, donorum varietate Eccleſiam exornant. 564
Sancti omnes humiles fuerunt. 382
Sancti Epiſcopi qui quotidie ſacrificabant. 410. 411
Sancti an ſpreuerint litteraturam? 354
Sanctorum ſuffragia quàm vtilia Clericis ſtudentibus. 370. *vſque ad* 374
Sanctorum vitas ſcribere ſemper fuit neceſſarium. 90
Sanctorũ duo potiſſimũ conatus in hac vita 390
Sanctorum acta memoriæ commendanda Apoſtolus admonuit. 93
Sanctorum acta in Eccleſia legi debent in eorum natalitiis. *ibid.*
Sanctorum acta pleraque æquè verè ac eleganter conſcripta. 92. 93
Sanctorum ignotorum acta reiectitia. 94
Sanctis quàm feliciter ceſſit eſſe ſub Sanctorum diſciplina. 415
Saphirus. 547. 549
Sapientia eſt filia memoriæ. 365
Sapientiæ iuſtorum expreſſio. 375. 376
Sapientiæ mundi deſcriptio. 375
Sara imitatione digna. 447
Sardicenſis Conc. Canon *6*. 409
Sardius. 546
Sartago ferrea Ezechielis myſticè quid ſignificat? 352
Saſſaris ſedes Archiepiſcopalis in Sardinia. 737
Satan eſt ſimia Dei. 103
Satanæ ad perdendum nos artes. 388. 389
Sauarro laudatus & emendatus. 768. 769
Sauaro citatus. 32
Sceleratis ad ordines præcluditur aditus. 255
Scholæ Clericorum reſtituendæ. 288
Scholæ celebres olim Carnuti erant. 260
Scholæ duæ nobis à Deo aperiuntur. 413
Scholaſticus pro Clerico. 260
Scholaſtici D D. plerique citati. 206
Scientia Clericorum quæ ſit præcipua? 375
Scientia in Eccleſia fuit & eſſe debet multiplex. 336
Scientia ſalutis. 360
Scientia quænam inflat? 359. 360
Scientiæ defectus in Epiſcopo, cauſa eſt legitima depoſitionis. 262
Scientiæ veræ ſpiritualis affectus & fructus. 361
Scientiæ diuinæ præcepta vbinã traduntur? 361
Scientiarum connexio. 359. 360
Scientiarum Deus Dominus eſt. 419
Scriptorum hiſtoriæ Sanctorum differẽtia notabilis. 96
S. Scriptura liber eſt ſacerdotalis. 363. & ſubſtantia Sacerdotij noſtri. *ibid.*
S. Scriptura captu difficilis. 364
S. Scripturæ ſtudium meritò Philoſophorum libris anteferri debet. 362
S. Scripturæ lectio magnum ad ſalutem ſubſidium. 362. 363
Scripturæ Sacræ frequens in Eccleſia lectio & prædicatio. 366
Scripturæ Sacræ vtiliter legendæ præclara methodus à S. Iuſtino aſſignata. 369
Scripturæ ſacræ intelligentiæ conferunt ſex diſpoſitiones. 1. crebra lectitatio. 2. humi-

litas. 5. tranquillitas mentis. 4. puritas cordis & corporis. 5. oratio. 6. Sanctorum ſpeciale patrocinium. 365. 366 367. *&c.*
Sacræ Scripturæ penus olim prope altare erat. 361
Sculptoris & pictoris quàm diuerſa induſtria. 266
Scutorum gentilitiorum ſymbola. 539
Sectator ſæculi quibuſnam dignoſcitur indicijs? 531
Sectariorum perpetuus conatus eſt acta Sanctorum obſcurare. 91
Sedes ſapientiæ cur Sanctiſſima Virgo appellatur? 373
de Sedis apoſtolicæ dignitate & prudentia, piè ac reuerenter ſemper eſt ſentiendum. 211
Semen Dei eſt incorruptibile. 660
Semicinctia S. Pauli. 645
Seminaria in quavis diœceſi erigi præcepit Conc. Tridentinum. 280. 281
Seminaria quàm neceſſaria? 276. *&c.*
Seminarij diœceſani leges. 281. *vſque ad* 290. De admittendis & dimittendis. 281. 282. De iis quæ ad pietatem ſpectant. 282. 283. De iis quæ ad obedientiam pertinent. De iis quæ ad modeſtiam. 284. De Seminarij rectoribus & miniſtris. 285. De rebus temporaneis. 286
de Seminariis. 276. *& ſeqq.*
Seminator zizaniorum diabolus, Clericalem diſciplinam euertit. 508
Senatus Eccleſiæ eſt Clericorum conſeſſus. 187
Senatorum ornatus, purpura. 596
Seneca Chriſtianus philoſophus. 317
S. Sequanus à presbytero tonſura Clericali initiatus fuit. 160. 161. 162
S. Sequani tonſuratio memoratu digna. 35
Serarius. 647
Seres, populi. 517
Serica veſtis, quando Romanis cognita eſſe cœpit. *ibid.*
Serica veſtis regij pars ornatûs erat. *ibid.*
Serica pallia atque purpurea. *ibid.*
Serica veſtis, medica cur dicta? *ibid.*
Sericæ veſtes corpora nudant potiùs quàm regunt. 515. 516
Sericum in ſacro miniſterio licitè & decenter vſurpatur. 522
Sericum Prælatis & Clericis prohibetur. 499
Sericum vnde oritur & conficitur. 517
Sericum purpureum Auguſtæ veſtis. 518
Sericum Clericis ipſiſque Epiſcopis prohibitum. 521
Serici origo & vſus. 517
Sericorum varia genera. 521. 522
Sermonis ſuauitas conuenit prædicanti. 435
Sermones habuit in ſynodo Petrus Bleſenſis. 53
Seruus alienus in Clericum non ordinandus. 699
Serui Dei character. 552
Seruis comam alere nefas erat. 131
Sexus fœmineus deuotus. 302
Sexuum in Chriſto non eſt differentia. 419
Sidonius citatus. 32. 515
Sidonij Apollinaris decora. 470
Sigilla pro annulis. 463
à Signatis cauendum. 234
Signum triplex, commemoratiuum, prognoſticum, diſtinctiuum. 125
Signum theoricum & practicum. 4. 5
Signum diſtinctiuum. 5
Signis varijs Turcæ & hæretici in Oriente dignoſci curant. 113
Silentium pernicioſum. 339
Silere non licet in cauſa Dei. *ibid.*
S. Silueſter PP. inſtituit, vt presbyteri chriſmate baptizatos in vertice liniant. 70
S. Silueſter tonſuram geſſit ad honorem Dei. 47
S. Silueſtri antiqua effigies in habitu ſacro. 25
S. Silueſtri laudes, piáque ſtudia. 569. mitra. *ibid.*
Simon Apoſtolus cur dictus zelotes? 336
Simon Magus ob præſtigias, ſtatuâ Romæ donatus eſt. 103
Simon Magus tonſuram propriam adinuenit, quam Petri tonſuræ opponeret. 104
Simon omnium hæreticorum parens. 245
Simon Magus ſignifer impietatis. 103
Simon Magus auctor tonſuræ ſemicircularis. 44
Simonis Magi ſectatores in maiori Britannia. 44. 45
Simonis Magi tonſuræ in Anglia abrogatæ hiſtoria. 104. 105
Simonis Magi perfidiæ capita. 103. 104
Simoniacorum ordinationes nullæ. 247
Simplex vir, in Concilio Nicæno ſapientes ſæculi confundit. 355
Simplicitas fucum omnem repellit. 490
Simplicitas humilis affectanda. 451
Siſinij Nuuarianorum Epiſc. digna ſcitu hiſtoria. 612. 613. 614
Sitis & fames verbi Dei. 414
Sixtus Senenſis. 194
Sixti V. de Cardinalibus conſtitutio. 164
Sixti V. conſtitutio de tonſura & habitu Clericorum. 61. 62
Sixti V. conſtitutio aduerſus malè ordinantes & ordinatos. 175
Smaragdus. 547
Smaragdus fractus in conceptu. 600
Smaragdi decus & dignitas. *ibid.*
Sobrietas ſpiritûs. 317. 318
Sobrietas ab apoſtolo maximoperè commendata. 447
Sobrietas, Clerici virtus. 320
Sobrietatis laudes. 318. 319
Socius amabilis. 321
Sordes ſuperbæ. 649 650
Subtalares albi Prælatis & Clericis prohibentur. 499
Sphæræ ad modum debet tonſura figurari. 111
Spes plerumque fallax. 600
Spiritualis feruor. 302
Spiritus infernales, fuſco nigróque colore ſpectabiles apparere ſolent. 610
Spiritus Sanctus, quas animas diligit. 418. 419
Spiritus Sanctus ſummus doctor, quoſnam docet? 416. 417. quid docet? 419. ad quid? *ibid.*

quomodo docet? 420
Spiritus Sanctus monet, mouet & docet. *ibid.*
Spiritus Sanctus cur multiplex dicitur? 420
Spiritus Sanctus aliquos per ſe docet. 414
Spiritus Sanctus fluuius chryſtallinus. 578
Spiritus Sanctus cur apparuit ſub ſpecie columbæ & ignis? 355
Spiritus vbi & quando vult ſpirat. 355. 356
Spiritus Sanctus quales diſcipulos quærit? 417
Spiritus Sanctus quomodo illuminauit Apoſtolos & Prophetas? 417. 418
Spiritui gratiæ quinam contumeliam faciunt? 417. 418
Spiritus vitæ Clericalis hac ætate renaſcitur. 297
Spiritus Sancti tituli ſublimes. 174. & effectus. *ibid.* & 420
Spiritus Sancti gratia tarda molimina neſcit. 643
Sponſæ à ſponſo datæ murenulæ aureæ vermiculatæ argento. 422
Status diuerſi hominum, ſunt munera Dei. 661 662
Stella differt à ſtella in claritate. 552
Stellæ quæ lætantur in cuſtodiis ſuis? 662
Stellæ nati Domini via lactea. 576
Stemmatum inſignia coloribus dignoſcuntur. 539
S. Stephanus Rex Hungariæ. 48
Stephanus Tornacenſis Epiſc. Abbas fuerat S. Genouefæ. 193
Stephanus Pariſienſis Epiſc. Cancellarius fuit Ludouici VI. 41
Stephanus Pariſ. Epiſc. ex Comite Palatino & Cancellario. 41
Stephani II. PP. reſponſa. 701
Stimulus carnis S. Paulum dirè vexauit. 309
Stimuli ad ſcientiam. 359
Stimuli contra impiorum molitiones. 443
Stoici ἀπάθειαν docuerunt. 396
Stoici in virtute ſummum bonum conſtituerunt. 401
Stola vnde dicta. 447
Stylus rudis acta Sanctorum dehoneſtat. 91
de Subdiaconatu nihil legitur in ſcriptura. 222
Subdiaconus calceat ſandaliis ſummum Pontificem. 577
Subbiretum. 638
Succeſſor antecesſorem præceſſit. 562
Sueſſionenſis ſynodus ſub Zacharia Papa. 473
Suetonius. 132
Sulpitius Pius, alius à Seuero. 38
Superbia & libido, Clericorum pernicies. 509
Superbia fons ignorantiæ. 360
Superbiæ labes. 185
Superhumerale an idem cum Ephod indumentum? 194
Superliceum rectiùs dicitur quàm ſuperpellicium. 193
Superlicij myſticæ ſignificationes. 198. 199
Superlicium an idem ſit ac Ephod? 194
Superlicij deſcriptio. 195. diuerſitas ſuperlicij Clericorum à ſuperlicio ſeu camiſia Canonicorum regularium. 195
Superlicij ante an. 600. vſus ferè ignotus. 191 192. 197
Superlicij ſeu ſuperpellicij impoſitio. 191. &c.
Superpelliceum vnde dictum? 192
Supertunicale. 492
Supparum muliebre. 534
Suſceptorum in baptiſmo munus. 431
Suſpecti de hæreſi an irregulares? 254. 255
Symbola ſtemmatica. 540
Symmachi Papæ monita cedro digna. 257
Synodica monita egregia ad præſules. 498 498
Synodus Agathenſis ſub Symmacho. 32
Synodus II. Cabilonenſis. 46
Synodus 70. Epiſcoporum ſub Gelaſio. 90
Synodus Hibernica tempore Leonis Magni. 468
Synodus S. Patricij in Hibernia quid de tonſura & habitu conſtituit? 32
Synodus Metenſis in Eccleſia S. Arnulphi. 474
Synodus Oxonienſis in Anglia. 54
Synodus Rauennatenſis ſub Ioanne PP. XXII. 56
Synodus Romana ſub Gregorio II. 43
Synodus Rotomag. Prouincialis apud Illeboniam. 50
Synodus Rotomagenſis apud Pontem Audomari. 55
Synodus Senonenſis ſub Petro de Charni. *ibid.*
Synodus Senonenſis ſub Antonio à Prato Cardinale & Archiepiſcopo. 500
Synodus Senonenſis 56
Synodus in Trullo Quini-ſexta 45
Synodi Diœceſanæ iudicium ab Epiſcopo confirmatum. 484
Synodorum cauſa finalis. *ibid.*

T

TABERNACVLA Cedar quid deſignant? 632
Tabulæ legis cur in arca conditæ? 367
Tacitus. 516
Talaris veſtis myſticæ moraléſque ſignificationes. 528
Talaris & decens veſtis. 506. 507
Talaris habitus iniunctus eſt Clericis. à 640. ad 644
Taraſius Conſtantinopolitanus Patriarcha loquens in ſynodo à Monachis reprehenſus. 248
Telemachus an idem ſit cum Almachio. 328
Telemachi ſolitarij pium certamen. *ibid.*
Tepiditas quàm Deo ingrata? 335. 336
Tertullianus ante an. 1400. florere cœpit. 71
Tertullianus cauſam Chriſtianorum planè perorauit. 453
Tertulliani excellens de traditionibus doctrina. 71. 72
Tertulliani lapſus ſtupendus & deplorabilis. 332
Tertulliani mira eruditio. 357
Tertulliani eloquentiæ vis. *ibid.*
Theodoretus. 123. 513

Theodoricus Abbas S. Trudonis, & eius vitæ ſcriptor: nec non ſancti Bauonis. 37. 41. 42
Theodorus Balſamon citatur. 24
Theodotus Lector. 570
Theodorus Studita. 161
Theodoſij Magni viſio. 28
Theodoſij & Valcotioiani Augg. pictas. 635
Theodoſij & Valentiniani reſcriptum pto Clericorum ſeruandis priuilegiis. 693
Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis parænſis ad Parœcos. 287. 288
Theologi in terminis valde circumſpecti eſſe ſolent. 211
Theophilus Raynaudus inſignis Theologus celebriſque ſcriptor Societ. Ieſu. 496
S. Thatſicius Acolythus portabat corpus Domini. 23
Thobiæ elogium. 308
S. Thomas Apoſtolus Regem Indiæ inſignit tonſuta Cleticali, & diaconum ordinat. 12
S. Thomas Aquinas quàm feruens in orando. 305
S. Thomas oratione plus longè profecit quàm ſtudio litterario. 370
S. Thomas citatur. 244. 267. &c.
S Thomæ Aquinatis laudatio. 490
S. Thomas ex Cancellario Epiſcopus Cantuarienſis. 14
S. Thomæ Cantuarienſis zelus eximius, illuſtrique elogium. 343
S. Thomæ Cantuarienſi corona capitis gladio fuit amputata. 52. 53
Thomas Walſingham hiſtoricus Anglus. 299
Thomas à Kempis Chriſti imitationis auctor diuinè afflatus. 360
Thomæ Mauri faceri verſus. 356
Ticinius Mena tonſores primus Romam adduxit è Sicilia. 121
S. Timotheus quanto cum ardore martyrium iniit? 337
S. Timotheus Angelus Epheſiorum à Chriſto laudatus. 376. hunc dum erudit Apoſtolus omnem Clerum docet & informat. 377
S. Timothei zelus. 336. 337
Timothei ſub nomine Saluianus paræneticos libros Eccleſiæ dedicauit. 468. 469
S. Timothei ſtudia. 556
Tintinabula tunicæ Pontificis. 588
Titulus in iure ſacro celebris, *de vita & honeſtate Clericorum*. 489. &c.
Titulus fidei dicta epiſtola S. Leonis ad Flauianum. 73
Tobiæ exemplum memorandum coniugatis. 268
Toletana ſynodus. 492. altera. *ibid.*
Toloſani Concilij declaratio inſignis de iuriſdictione & foro Epiſcopali. 689. alia conſimilis Concilij Narbonenſis. 690
Tondendi oues tempus proprium. 513
Tondeatur nemo ſine legitima ætate & ſpontanea voluntate. 299
Tonſionis Eccleſiæ modus. 188. 189. 190
Tonſura humilitatis eſt ſignum. 110
Tonſura Clericalis differt à monaſtica. 49. 111
Tonſura Clericalis eſt ſacræ militiæ indicium. 79 80
Tonſura non eſt ſacramentum. 145
Tonſura Clericalis quid ſit? 3. 4. 5. 6
Tonſura an poſſit iterari? 253. 254
Tonſura cum ſigno crucis confertur. 190
Tonſura & raſura differunt. 81
Tonſura ſignum eſt contemptûs ſæcularium. 139
Tonſura ſignum conſecrationis. 124. item ſignum interioris characteris. *ibid.*
Tonſura nititur Apoſtolica traditione, vſu, & obſeruatione perpetua. 213
Tonſura conferti an poſſit prorſus illiterato? 263. 264
Tonſurâ initiandi quibus de rebus examinandi ſunt. 60
Tonſura dicitur ſignaculum ſanctæ profeſſionis. 32
Tonſura Clericalis, ad quid inſtituta? 5
Tonſura dicitur, *Clericatûs primitiæ*. 32
Tonſura non eſt ordo. 148. 149
Tonſura & corona differunt. 55. 56
Tonſura quæ fit ad honorem Dei, mulieribus ignominiam non infert, ſed gloriam, 210
Tonſura ſignum mœroris. 131. & luctûs. 132. 133
Tonſura duplex, Monaſtica & Clericalis. 151
Tonſura dicitur Clericatûs corona. 38
Tonſura pœnitentium inſigne. 133
Tonſuræ deſertores anathemate feriuntur. 87
Tonſuræ Clericalis infantes ſunt incapaces, & quare? 228
Tonſuræ traditio Apoſtolica. 108
Tonſuræ varietas. 85
Tonſuræ collatio quàm grauis momenti. 177
Tonſuræ deſertio apoſtaſiæ adæquatur. 55
Tonſuræ Clericalis vſus ab Apoſtolis introductus fuit. 84
Tonſuræ & coronæ forma. 489
Tonſuræ Clericalis quantitas. 112
Tonſuræ Clericalis diſciplina res non eſt adiaphora. 87
Tonſuræ traditio cuiuſnam ſpeciei. 75
Tonſuræ Clericalis, hæretici in Hiſpania corruptores. 39
Tonſuræ varius ritus. 106. 107. &c.
Tonſuram hæretici in Hiſpania quinam deprauarunt? 108
Tonſuram Græci non iterant, prout à nonnullis Latinorum accuſantur. 114
Tonſuram Græci non confundunt cum lectoratu. *ibid.*
Tonſuram ſuſcipit S. Sulpitius immutabili animi propoſito. 38
Tonſuram qui accepto pretio conferunt, pœnitentiæ regulari obnoxij fiunt. 46
Tonſuram qui petunt de quibus examinandi? 263
Tonſuram conferre Epiſcopi munus eſt. 149
Tonſuram accipere non licet, niſi à proprio Epiſcopo. 148. 149. 150

à Tonſora bigami prohibentur. 243
Tonſurati, Clerici nuncupantur. 33
Topaſius. 546
Torquatus cincinnatus à fide in martyrio defecit. 80
Toſtatus Abulenſis Epiſc. 194
Totus teres atque rotundus, quiſnam? 144
Traditio vera debet eſſe ſemper eadem & ſibimet conformis. 85
Traditio eſt, nihil quæras amplius. 89
Traditio Apoſtolica quomodo dignoſci poteſt? 77. 78
Traditio Apoſtolica debet ab initio defluere. 83
Traditio certa eſſe debet. 89
Traditionis fontes. *ibid.*
Traditiones aliæ perpetuæ, aliæ temporales. 72
Traditionas aliæ locales, aliæ vniuerſales. *ibid.*
Traditiones quædam liberæ, quædam neceſſariæ. 74
Traditionis Catholicæ ſigna. 76
Traditiones dominicæ & diuinæ. 68
Traditiones Apoſtolicæ. 69
Traditiones Eccleſiaſticæ. 70. 71
Traditionum ſacrarum multiplex differentia. 67. *&c.*
Tranſitûs Tertulliani à toga ad pallium, cauſa. 649.
Tria maximè mundi amatores affectant. 443 444
Tribonianus Ethnicus legum Iuſtiniani codicis compilator, qualis erat? 694
Tribunal Epiſcopale, regiô præſtantius. 695
Triburienſis canon expenſus. 285
Tridentini Concilij inſignis conſtitutio de vita & honeſtate Clericorum. 502
Triduum Chriſti ſepulti veteri in Eccleſia ſacratiſſimum fuit. 73
Trietius abbas Mexisnenſis. 33
Triſtitia homini Chriſtiano tam neceſſaria quàm vtilis. 401
S. Troianus Epiſc. Santonenſis tantæ fuit ſanctitatis, vt tactu eius fimbriæ morbi ſanarentur. 642
Troisnorum ignauia. 640
S. Trudo Haſbaniæ Apoſtolos. 472
Trullana Synodus. 642
Trullana Synodus, aliàs Quini-ſexta. 472. eiuſdem inductus can. 27. *ibid.*
Tullenſe Concilium I. 288
Tullenſis Epiſcopus fuit ſanctus Leo IX. Papa. 48
Tunica Domini ſeruatur Argentoliaci, in Pariſienſi agro. 621. 622. Coloris eſt roſacei ſub-obſcuri. *ibid.*
Tunica Chriſti an vinei fuerit coloris? 620
Tunica ſæcularis ininandis Clericis exuenda. 643. 644
Tunica talaris lanea. 527
Tunica externa, altera intima. *ibid.*
Tunica ſubtilis Subdiaconorum. 641
Tunica intexta fructibus. 561
Tunica abyſſina. 641. qua forma contexta erat? *ibid.*
Tunica hyacinthina. 565
Tunica ruſſa, pugnæ ſignum. 587
Tunica talaris. 640. *ad* 644
Tunica & pallium habitus Chriſtianorum erat. 453
Tunicæ pelliceæ cur datæ Adamo & Euæ fuerint à Deo? 385. 513
Tunicæ talares virginum regiarum veſtitus & honeſtarum mulierum. 447
Tunicas pelliceas Deus Adam & Euæ donauit. 445
Turcæ Lunam cornutam Soli Euangelico opponunt. 113
Turcæ oppugnant præſertim myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. *ibid.*
Typus viri Eccleſiaſtici præclarus. 345. 346
Tyrienſis templi deſcriptio. 568
Tyrocinia agere quid ſit militaria? 150

V

VALENTIA regni ſui nominis Metropolis. 625
Valentiniani Imp. erga Sacerdotes reuerentia. 635
Varro de re ruſtica ſcripſit. 513
Vaſenſis Synodus III. ſub Felice IV. 288
Vas in honorem. 306
Vaſques contra Paludanum pugnat. 207. 298. *&c.*
Vela nauibus appenſa. 580
Velamen myſticum triplex. 631
Vellus à vellendo. 512
Vellus Gedeonis, Virginis ſanctiſſimæ typus erat. 515
Venuſtas corporum in tribus conſiſtit. 234
Verbum Dei obedienter audiendum. 418
Verbum Dei libenter audiendum. 424
Veritas lex eſt omnium artium. 95
Veritas magis lucet nuda, quàm artificioſo cultu adornata. *ibid.*
Veritatem diabolus perenni conatu interuertit. 103
Veritatem lucentem homines amant: odio habent redarguentem. 424
Veritatum pleraſque ſpecies docet Spiritus Sanctus. 419
Vermiculi ſerici & bombycini auctores. 518
Verni dies amœni. 599
Verſiculus Dauidicus, *Dominus pars hæreditatis meæ, &c.* in tonſura iam olim vſurpatus. 28
Veſtalibus capillitium ademptum. 123
Veſtimentorum pretioſorum vanitas. 445. 446
Veſtis ſponſæ Chriſti quomodo dicitur circumdata varietate. 73
Veſtis Sacerdotis eius eſt conuerſationis indicium. 448
Veſtis Pontificis antiqui deſcriptio. 588
Veſtis candida recèns baptizatis imponebatur. 570
Veſtis breuis licentia ſtupri. 527
Veſtis candida iam olim erat ſacrorum miniſtrorum ornatus. 564

Veſtium deformitas. 495
Veſtitûs modeſtia quàm congrua Clericis? 500 501
Via Chriſti, via noſtra eſſe debet. 401
Vicecomes luculenter tractauit de baptiſmi ritibus. 432
Victor II. Papa. 477
Victor III. Papa. 592
Victoria maxima eſt ſubiugatio cupiditatis. 309
Vigor Eccleſiaſticus. 156
S. Vincentius Ferrerius ardenti zelo æſtuauit. 329. 330
Vincentij Lirinenſis inſigne de notis doctrinæ Catholicæ monimentum. 96
Vindices fidei illuſtriſſimi, quot triumphis nobiles? 357. 358
Vinea ictibus reuireſcit. 554
Violæ an regali murice tinctæ. 603
Violæ laus eximia. 602
Violaceus color, à viola dictus. *ibid.*
Violaceus color vnde fit? 604
Violaceus color an Clericis pridem fuit in vſu. 623
Violaceo colore vtitur S. R. E. tempore aduentûs, & à Septuageſima vſque ad Sabbatum ſanctum. 605. in Quatuor temporibus & Vigilus. In miſſa Litaniæ maioris, in Rogationibus, & feſto Sanctorum Innocentium: variíſque cæremoniis. *ibid* 606. 607. 608. vbi etiam horum rituum ſignificationes declarantur.
Virent & florent in cœlo omnia. 563
Virga medicinalis 294. 295
Virginitatis ſacrificium offerunt Chriſti Sacerdotes. 631
Virgo ſanctiſſima præcipua Clericorum tutelaris. 515
Virgo beatiſſima, ſymbolum tradidit ſancto Gregorio Neocæſarienſi opem eius imploranti. 369
Virgo benedicta mater pulchræ dilectionis. 373
B. Virgo fuit in templo educata. 210
Virgo beatiſſima, arca fœderis cur nuncupata? 372. 373
Virgo Theologus S. Ioannes Euangeliſta. 620
Virginis ſanctiſſimæ mantellum blaueum de Lazuro. 621
Beatiſſimæ Virginis humilitas mirabilis. 313
Virginis ſanctiſſimæ puritas excellentiſſima. 578
Sanctiſſimæ Virginis ſtupenda humilitas. 382. vnde proceſſit? *ibid.*
Sanctiſſimæ Virginis patrocinium quàm efficax? 370
B. Virginis partûs puritas. 575
Virginis ſanctiſſimæ intercęſſione multi ſaluantur, qui perirent. 557. 558
Virgines ſunt ſorores Angelorum. 581. 582
Virgines ſacræ, angelica in terris eſt militia. 210
Virgines ſacræ ſponſæ ſunt Chriſti, viduæ vero Sacraria Dei. 449. 450
Virgines ſacræ, flores ſunt Eccleſiaſtici germinis. 210
Virgines Chriſtianæ ab Ethnicis ad turpitudinem raſæ. 766
Virgines quædam fatuæ. 598
Virginitatis hoſtia. 527
Virgula fumi, ex altari thymiamatis in cœlum rectà aſcendebat. 303
Viri dimidij operis quinam ſunt? 218
Viri dimidij operis. 352
Viri mulieribus ſolent eſſe indulgentiores. 211
Viridis color oculis iucundus eſt. 617
Viridis color amicus eſt viſus. 599. eius vis. 599. 600
Viridi colore in priuatis veſtibus vti, Clericis non licet. 616
Viridi colore vtitur S. R. E. ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Septuageſimam, & ab Octaua Pentecoſtes vſque ad Aduentum in officio de tempore. 601. 602
Viridis pileus Prælatorum. 618
Virtutes in animo principaliter conſiſtunt. 347
Virtutum ſymbola ſunt capilli. 343
Virtutum aduerſus vitia conflictus. 396
Viſio memorabilis facta S. Leoni IX. Papæ cùm adhuc eſſet Epiſcopus Tullenſis. 476
Vita Clerico quatenus inſtituenda. 365
Vitæ Chriſtianæ dilucida expreſſio. 458. 459
Vitæ ſanctæ ratio proceſſu gaudet. 378
Vitrum mundum. 555
Vitta coccinea, labia ſponſæ. 588
Vlpianus. 518
Vnctio, quæ docet fideles de omnibus? 415
Vnctio honoris Sacerdotalis. 45
Vnguenta & odorum illecebræ prohibentur Clericis. 508
Vnguenta aromatica venena ſunt pudicitiæ. 80
Vocatio ad Sacerdotium in S. Lupo & S. Nicolao fuit inſignis ab ipſa pueritia. 658
Vocatio ad Clericatum donum eſt Dei. 655. 656. &c.
Vocatio perſequenda. 378
Vocationis donum. 661. 662
Vocati an veniant pleriquæ ad Clericatum? 218. 219
Volucres Euangelicæ. 29
Voluptates carnis fœdæ ſunt & caducæ. 394. 395
Vopiſcus. 518
Vox Eccleſiæ, quàm ſuauis? 301
Vrbanus II Papa. 480. 592
Vrbanus VI. 493
Vtenti bene dono Dei, additur maius donum. 660
Walfridi Strabonis periculoſa ſententia. 215. 216
Wibertus Archidiaconus Tullenſis. 476. 477
Willelmus abbas ſcriptor vitæ S. Bernardi. 529
S. Wlfrannus Archiepiſc. Senonenſis. 42. 473
Vulpes vineam Eccleſiæ demolientes. 51

X

XENOPHON. 131

Z

ZACHARIAS Sacerdos & hoſtia in templo. 343
Zelus quid ſit? 338
Zelus filius eſt charitatis. *ibid.*
Zelus amor eſt & odium. *ibid.*
Zelus cur igni comparatur? 336
Zelus Nepotiani. 344. 345
Zelus S. Stephani. 317
Zelus honoris Dei, iuriſque & decori Eccleſiæ. 334. 335. *&c.*
Zelus verus Epiſcopi & Paſtoris. 339
Zelus propriæ ſalutis. 331. 332. *&c.*
Zelus Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum. 15. 16
Zelus eſt in Beatis. 338
Zelus eſt gladius igneus atque verſatilis. 349
Zelus falſus quorumdam Clericorum. 348
Zelus animarum. 325. 326. *&c.*
Zelus ſalutis animarum Deo gratiſſimus eſt. 326
Zelus Martyrum. 327. 328
Zelus Sanctorum Athanaſij, Baſilij, Chryſoſtomi. 318
Zelus eſt ſpiritus ardoris. 326
Zelus S. Pauli feruentiſſimus. 326. 327
Zeli animarum ſumma vtilitas. 328
Zeli ſpiritum, Clericus à Deo depoſcat. *ibid.*
Zeli Eccleſiaſtici vis & vtilitas maxima. 346
Zeli expreſſio quo Chriſtus exarſit. *ibid.*
Zeli exempla ex vtroque teſtamento. 336
Zeli Eccleſiaſtici incitamenta. 343. 344
Zeli gladius à Sacerdote vibrandus. 343
Zeli immoderati tria vitia & defectus. 349. 350
Zeli menſura quænam inſtaſit? 349
Zeli moderatio & rectus vſus. 349. 350. *&c.*
Zelo adſit beneuolentia, diſcretio, fortitudo. 349. 350. 351. *&c.*
Zelo animarum inteoſiſſimo flagrauit S. Franciſcus. 329
Zona Ioannis. 644. Chriſti. 644. 645. Petri. *ibid.* Pauli. *ibid.*
Zona Iudæ funiculus an fuerit? 645. *ad* 646
Zona tractatur. *à p.* 644. *ad* 646
Zonæ inanes. 645
Zonæ myſticæ ſignificationes. 646
Zonarum vſus. 527
Zuinglius à dæmone edoctus fuit. 610

Errata ſic emendato.

PAGINA 5. *l.* 43. à Deo, *lege* adeò. *p.* 10. *l.* 42. aufugiunt, *lege* confugiunt. *p.* 11. *l.* 24. adyta. *ibid. lin.* 30. *ad* 33. *parentheſim* (quod tamen. *reiice in marg.* *p.* 12. *l.* 37. Act. 21. v 24. *p.* 13. *l.* 29. Commonitorio. *ibid. l.* 42. ne cenſeas. *p.* 13. *parentheſis* (vide Bellarm. *reiicienda eſt in marg.* *p.* 19. *l.* 6. mortalis, *lege* mortales. *p.* 20. *l.* 19. *poſt* odio *adde* per. *ibid. l.* 21. *reiice parentheſim* (continuat. *ad marg. ibid. lege* Krantzio. *ibid. l.* 30. reperiſſet. *p.* 26. *l.* 2. natô, *lege* nato. *p.* 31. *l.* 1. affectus, *lege* effectus. *p.* 33. *l.* 22. *ad* 25. *tolle parenth.* (fallitur. *& reiice ad marg.* *p.* 36. *l.* 16. actutum, *lege* actu tum. *p.* 38. *l.* 10. *amoueto parenth.* (vide vitam. *& in marg. reuoca.* *p.* 42. *l.* 10. *in quibuſdam eſt* idæa *pro* idea. *p* 44 *l.* 10. 631. *lege* 731. *p.* 45. *l.* 41. *pone virgulam inter* generale *&* Nicænum. *p.* 47. *l.* 41. Amalarius. *p.* 49. *l.* 19. *poſt* quibus, *adde* vnus. *p.* 50. *l.* 41. *ad* 43. (vide can. *&c. reiice in marg.* *p.* 52. *l.* 5. ſerm. *lege* lib. *p.* 56. *l.* 2. Othobono. *ibid. l.* 15. conſtituit. *p.* 57. *l.* 11. *an.* 1418. *lege* 1417. *p.* 58. *l.* 19. *tolle* neque, *adde* &. *p.* 59. *l.* 2. exuunt. *p.* 68. *l.* 28. *remoue parenth.* (vide can. *ad marg. reuoc.* *p.* 70. *l.* 12. quoda, *lege* quoad *p.* 71. *l.* 30. quingentos, *lege* quadringentos. *p.* 73. *l.* 6. *ad* 9. *parenth.* (nota hîc. *reuoc. in marg. ibid. l.* 40. ſcitâ ſuâ, *lege* ſcita ſua. *p.* 74. *l.* 22. *dele* vt, *lege* &. *p.* 77. *l.* 27. ſui, *lege* ſeu. *p.* 83. *l.* 11. Pontificum. *ibid. l.* 28. reſcindendi. *ibid. l. penult.* expreſſus. *p.* 92 *l.* 29. deſideret. *ibid. l.* 42. exiſtere. *ibid. l.* 43. id iſte. *p.* 95. *l.* 51. crudi, *lege* rudi. *p.* 97. *l.* 10. indubium, *lege* in dubium. *ibid. l.* 40. *interiice* examen *inter* concilij *&* ſerium. *p.* 110. *l.* 31. vindicatam. *p.* 114. *l.* 26. præciſionem : Clericalem. *p.* 115. *in marg. lege.* 1. Ezech. *p* 120. *l. vltima poſt* circulo *dele virgulam.* *p.* 129. *l.* 15. fuiſſe. *p.* 132. *l.* 31. ſtateram. *p.* 136. *l.* 3. arbuſta. *ibid. l.* 44. capitalamium. *p.* 138. *l.* 34. liuidos. *p.* 157. *l.* 34. *dele* ſecus. *p.* 161. *l.* 34. illa *lege* ille. *ibid. in marg. l.* 12. *ad* 13. *lege* at neque Parochialem.) *p.* 170. *l.* 24. *poſt* renunciauit, *dele* nec. *ibid. l.* 8. ſub Innocentio. *p.* 175. *l.* 28. pendit, *lege* pendet. *p.* 176. *l.* 5. *dele* & *ante* talis. *ibid. l.* 18. delectu, ideóque. 183. *l.* 28. *& l.* 30. Cherubini. *p.* 191. *in marg. l.* 17. ampullæ. *p.* 192. *l.* 31. lanea, hiemali. *p.* 203. *l.* 35. intra. *p.* 205. *in marg. l.* 10. aſſumentes. *p.* 206. *l.* 31. refelluntur. *p.* 235. *l.* 1. ſolio. *p.* 249 *l.* 37. *dele* vir. 261. *l.* 45. & iure, *lege*, aut iure. *poſt p.* 287. *lege* 288. *non verò* 298. *p.* 301. *l.* 34. promptè. 322. *l* 40. *beneſica.* *p.* 334. *l.* 9. Dei, iuriſque &. *p.* 336. *l.* 26. Ioſue, *lege* Ioſiæ. *p.* 547. *l. vlt.* Galatam. *p.* 350. *l.* 23. *lege* quod, *dele* quem. *p.* 384. *l.* 31. *dele* nequicquam. *p.* 347. *in marg. l.* 2. νομοθετήματα. *p.* 400. *in marg. l.* 2. cum, *lege* eum. *p.* 405 *l.* 40. laudatur. *p.* 402. *l. vlt. in marg.* ψυχῶν. *p.* 410. *l.* 11. *poſt pronomen* hunc, *omiſſum eſt*, finem. *p.* 464. *l.* 27. Macedoni. *ibid. l.* 41. volebant, *lege* ſolebant. *p.* 473. *in marg. l. vlt.* viri. *p.* 510. *l.* 18. martiam. *ibid. l.* 25. veſtitus. *p.* 537. *l.* 5. affectus. *p.* 543 *l.* 6. *dele* ſucceſſorem. *p.* 574. *l.* 32. emiſſaoi. *p.* 597 *l.* 33. *dele* initi. *p.* 599. *l.* 12. *poſt* ſunt, *adde virgulam.* *p.* 614. *in marg. l.* 4. ἐσθίζει. *p.* 622. *in marg. l.* 9. gratiâ. *p.* 648. *l.* 50. ſpeculum. *p.* 762. *l.* 23. Sixto IV. *p.* 769. *in marg. l.* 6. πᾶν δι' πτ. *&c.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google